ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II

PERIODUS SECUNDA

PARS III

CONGREGATIONES GENERALES L-LVIII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS L
17 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS L

17 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 50 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Antequam legam nomina Patrum, qui verbo uti postulaverunt circa cap. III schematis *de Ecclesia,* haec de mandato praesidentiae communico Patribus: iam dictum est, sed renovatur iussio: in hac aula numquam, et ob nullam rationem, permittitur distributio foliorum sine expressa permissione eiusdem praesidentiae.

Communico pariter: hodie suffragatio fiet circa ultimas emendationes cap. III *de sacra Liturgia.* Crastina autem fiet suffragatio circa integrum cap. III. Crastina suffragatio fiet per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Iam pluries dixi quid significet *placet iuxta modum,* et rogantur Patres ut modos praesto habeant ita ut, foliis distinctis, eos tradant una cum schedula assignatoribus locorum.

Versus finem huius congregationis generalis, distribuentur Patribus pictacia vehicularia, nempe « francobolli », quae impressa sunt occasione coronationis Summi Pontificis gloriose regnantis. Ut distributio regulariter fiat, praesertim apud peritos, qui locum mutant frequenter, rogantur iidem periti ut stent suis locis, si volunt hanc distributionem, neque petant a variis officialibus, ne confusio fiat. Hoc dicitur etiam de aliis distributionibus quoad peritos.

Nunc lego nomina. Postulaverunt verba facere circa cap. III schematis *de Ecclesia* exc.mi DD. Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis in Gallia, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania, Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Petrus Fiordelli, ep. Pratensis in Italia, Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus in Gallia, Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius in Brasilia, Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis in India, Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia, Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis in Italia, Marius Castellano, arch. Senensis in Italia, Aloi-

sius Mathias, arch. Madraspolitanus in India, Herbertus Bednorz, ep. coad. Katovicensis in Polonia, Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis, Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia, Paulus Sani, ep. Denpasarensis in Indonesia, Laurentius Picachy, ep. Iamshedpurensis in India; rev.mus Godefridus Dayez, praeses Congregationis Benedictinae in Belgio; exc.mi DD. Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis in Germania, Arturus Tabera, ep. Albasitensis in Hispania, Paternus Geise, ep. Bogorensis in Indonesia, Ioseph Vairo, ep. Gravinensis in Italia, Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania.

1 *

Exc.mus P. D. LUDOVICUS RASTOUIL

Episcopus Lemovicensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres, Fratres, Observatores et Auditores,

In schemate *de Ecclesia,* cap. III, optime declaratur pag. 7, n. 24, lin. 17: « Cum autem sacerdotium ministeriale seu hierarchicum essentialiter et non gradu tantum a sacerdotio universali christifidelium differat, hoc et illud tamen suo peculiari modo a summo sacerdotio Christi profluunt, et ad invicem ordinantur ...[1] ».

Hoc principium est maximi momenti. Sed pauca dicta sunt de characteribus, qui sunt fundamenta potentiae insculptae in animis baptizatorum, confirmatorum, presbyterorum, *diaconorum,*[2] derivatis a sacerdotio unico Christi.

« Omnia et in omnibus Christus », proclamavit S. Paulus apostolus ...[3]. « Christus conditor, caput ut cum eo efficiamur Christus totus », proclamavit Pontifex regnans Paulus VI, aperiens secundam sessionem Concilii Vaticani II ...[4]

Omnia et in omnibus et pro omnibus Christus qui omnes vult salvos fieri: Pontifex ex hominibus assumptus, etc., ut dixit Paulus ...[5]

Christus est Filius Dei veniens inter homines, nascens ex Maria Virgine; et est *incarnatio.* Christus incarnatur ut salvet omnes homines; et est *redemptio.* Sed Iesus Christus homines salvat seipsum offerens in Cruce, Sacerdos et Victima: Christus venit ut redimeret *per sacerdo-*

* Disceptatio circa cap. III schematis *de Ecclesia* incepta est in congregatione generali XLIX (cf. vol. II, pars II, pag. 627).

tium. Incarnatio est *origo* populi Dei renovati; redemptio est *finis* incarnationis; sacerdotium est *medium* electum a misericordia et ab amore Dei ut salvet omnes.

Sed Iesus Christus Salvator vult adimplere suam missionem in Ecclesia, per Ecclesiam, cui communicat medium salvationis, suum *unicum sacerdotium.* Unde Ecclesia est Corpus mysticum Christi, totum motum ab unico Sacerdotio eius in omnibus membris suis, quia omnia membra sunt Ecclesia. *Mihi videtur*[6] *clavis naturae Ecclesiae,* illius *institutionis,*[7] interconiunctionis membrorum Ecclesiae, et etiam fundamentum ipsorum potestatum, iurium, officiorum ad invicem, est *sacerdotium.*

Si non imprimis tractetur de *sacerdotio* obliviscimur accendere lanternam (*lucernam*[8]), obliviscimur indicare tramam quae perpetuo, constanter coniungit omnia membra Ecclesiae. Sacerdotium est munus, missio, libenter dicam *ratio existendi,* tamquam homo-Deus, Domini nostri Iesu Christi, ut redimat, sanctificet, salvet humanitatem. Item sacerdotium est ratio Christi prolati in Ecclesia, in populo Dei, ita ut *esse sacerdotalis* mihi videtur *natura Ecclesiae ...*[9]

Populus Dei est sacerdotalis.

In Vetere Testamento, fuit sacerdotium universale dictum. Deus dixit Moysi: « ...[10] Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale ...[11] ». Et fuit sacerdotium ministeriale. *Quod Deus dixit ad Aaron*[12]: « Custodite sacerdotium vestrum ...[13] ».

In Novo Testamento est sacerdotium universale dictum. Novo populo Dei Petrus proclamat: « ...[14] Vos autem genus electum, regale sacerdotium ...[15] ». Ioannes Apostolus *dixit*[16]: « ... regnum et sacerdotes Deo et Patri suo » ...[17]. Et: « Domine ... fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes » ...[18]. Et est *in Novo Testamento*[19] sacerdotium ministeriale. Per incarnationem, Filius Dei fit Homo-Deus, Messias, Salvator, Redemptor, Mediator, id est *Sacerdos unicus.* Sacerdotium Christi solum potest et debet exercere applicationem Redemptionis usque ad finem mundi. Quo fit per communicationem sacerdotii apostolis, et deinceps episcopis, presbyteris, diaconis et quodammodo laicis populi Dei ...[20]

Traditio circa existentiam — quia in hoc capite agitur etiam de laicis[21] — traditio circa existentiam sacerdotii christifidelium traditio affirmativa, constans fuit, a SS. apostolis Petro et Ioanne, usque nunc, apud Patres et theologos omnium christianorum saeculorum, in multis libris, ephemeridibus, glossariis theologiae et spiritualitatis.

Quomodo tota Ecclesia, totus populus Dei fit sacerdotalis? ...[22] Si sit in animis, ad quid? Et quomodo unicum sacerdotium Iesu Christi, derivatum, per diversos gradus, in episcopis, presbyteris, diaconis, et

etiam in laicis ...[23], remanet unicum in coniunctione et in animatione potestatum et munerum differentium?

...[24] Per characteres sacramentales, definitos a Concilio Tridentino, nempe Baptismi, Confirmationis, Ordinis, qui, ut ita dicam, structurant Corpus mysticum, per derivationem continuam sacerdotii Iesu Christi, in baptizatis, confirmatis, presbyteris, *qui coniuncte et simul sunt Ecclesia.*

I derivatio: per baptismum, cuius character baptizato confert potentiam, ius et munus participandi cultum divinum et alia sacramenta, in primis sacrificium Missae;

II derivatio: sacerdotii Christi per confirmationem, quae non est tantum complementum baptismi, sed cuius character dat potentiam, ius et obligationem, « ad alios (sicut dixit S. Thomas), ad alios, verbis, quasi ex officio » profitendi Christum;

III derivatio: per characterem ordinis qui confert presbytero potestates praedicandi, absolvendi, consecrandi ...[25], et quae confert plenitudinem sacerdotii ad ordinandos presbyteros, et sacrandos alios episcopos.

S. Thomas dixit: « Character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus...[26] Character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatos...[27] Character non est sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia » ...[28]; alibi dicit: « potestas spiritualis » ...[29]. « Character indelebiliter manet — dixit S. Thomas — character indelebiliter manet in anima » ...[30]

Et S. Thomas designat tria sacramenta quae communicant characteres: ordinem, baptismum, confirmationem ...[31]; quod proclamavit Tridentinum.

Tres characteres sunt indissolubiles, permanentes. Tres derivationes unici sacerdotii Iesu Christi, quae, gradibus diversis, coniungunt hierarchiam (Papam, episcopos, sacerdotes) et laicos (baptizatos et confirmatos) ita ut, simul, quisque suo loco, et cum potestatibus specialibus, sint Ecclesia ...[32]

Unde mihi videtur quod sacerdotium unicum Iesu Christi est vera trama collegialitatis episcoporum; vera trama presbyterii sacerdotum, proprie dictorum, circa episcopum; et etiam vera trama omnium christifidelium, hierarchiae coniunctorum in Corpore mystico Christi.

Conclusiones: Sacerdotes sciunt, ...[33] non ignorant, ...[34] credunt, quia mysterium ...[35], potestates in seipsis *sculptas*.[36] Sed proh dolor! laici,

de quibus in hoc capite, fere omnes, etiam inter meliores et disertos, sicut constat ex multis factis, nesciunt realitatem et efficacitatem potentiae in eis sculptae ...[37]

Moderator: Velis, Pater devenire ad finem sermonis tui. [*Orator tacet et discedit*].

In textu scripto tradito: [1] « Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis in sacramentis innititur et per ea ad actum deducitur ». [2] deest. [3] (*Col.* 3, 11). [4] (Allocutio 29 sept. 1963). [5] apostolus ad Hebraeos. [6] deest. [7] constitutionis. [8] deest. [9] Et sic in schemate *de Ecclesia,* sicut in limine, adesse debet caput-clavis de sacerdotio, omnino necessarium ad explicandum totum schema *de Ecclesia* et etiam omnia schemata Concilii. [10] « Si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est omnis terra. [11] et gens sancta: haec sunt verba quae loqueris ad filios Israel » (*Exod.* 19, 5-6). [12] « Dixitque Dominus ad Aaron: Tu autem et filii tui ». [13] et omnia quae ad cultum altaris pertinent et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur » (*Num.* 18, 7). [14] « Ad quem (Dominum) accedentes, lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum... [15] gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*1 Petr.* 2, 4-9). [16] scripsit Ecclesiis de Iesu Christo « qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo et fecit nos. [17] (*Apoc.* 1, 5-6). [18] (*Apoc.* 5, 10). [19] deest. [20] Iesus Christus eligit, vocat, instruit, consecrat apostolos, et illos mittit: praedicate, remittuntur, hoc facite. Post mortem et resurrectionem Christi, apostoli collegialiter vivunt, praedicant, baptizant, sub capite et duce Petro. Apostoli consecrant et ordinant episcopos, presbyteros. Et mox multi receperunt baptismum et impositionem manuum tum ad laudandum Deum, tum ad diffundendum Evangelium Iesu Christi. [21] deest. [22] Quomodo sacerdotium Christi venit in animis et ad quemnam finem? [23] baptizatis et confirmatis. [24] Quomodo sacerdotium Christi derivatur in tota Ecclesia? [25] in Missa; IV derivatio unici sacerdotii Christi est consecratio sacramentalis episcopi. [26] (III, q. 63, a. 2). [27] (III, q. 63, a. 3). [28] (*ib.* a. 4). [29] (q. 72, a. 5). [30] (*ib.* a. 5). [31] (*ib.* a. 6). [32] Sacerdotium est praecipue potentia sacra totius Ecclesiae, in omnibus eius membris, a Summo Pontifice usque ad humillimum laicum baptizatum. *Quamprimum studeatur sacerdotium.* Igitur mihi videtur plane, absolute necessarium, ad intelligendam veram naturam Ecclesiae, quae est « *esse* sacerdotalis », ut imprimis studeatur sacerdotium: in Christo Iesu redemptore unico sacerdote; deinde per ipsum, et cum ipso et in ipso, in Summo Pontifice, in episcopis, in presbyteris, in diaconis; et etiam, pro sua parte, loco suo, in laicis baptizatis et confirmatis, qui etiam sunt Ecclesia (Pius XII, 20 febr. 1946); et sicut scripsit Ioannes XXIII: « Tout fidèle appartient à la catholicité tout entière, comme tout prêtre, comme tout évêque, chacun selon son office » (Alloc. 14 nov. 1960). Tunc possibile erit definire locum, potestates, ad recipiendum et ad agendum, uniuscuiusque et omnium in populo Dei,

indicare coniunctiones subiectas, praestationes peculiares, vitare confusiones circa res temporales in quibus laici magistri sunt, et circa res religiosas, in quibus laici subduntur hierarchiae si velint adimplere munera eorum temporalia, christiane, secundum potentias in seipsis insculptas a characteribus baptismi et confirmationis, derivatis et ipsis ab unico sacerdotio Christi. Sed haec dicentur in schemate *de apostolatu laicorum.* Generaliter laici, pauciter et saepe nullo modo edocti sunt de potentia in eis insculpta a characteribus baptismi et praesertim confirmationis, et nesciunt characteres esse fundamenta eorum participationibus cultui divino et apostolatui. *Sacerdotium est lanterna, trama.* Meo humili iudicio, si imprimis non tractetur de sacerdotio (saltem immediate post revelationem quae sacerdotium annuntiat), semper defuerit in theologia, in eius applicatione viva lux quae illuminaret omnia illius capita, trama quae illa connecteret et religaret, immo illa ordinaret inter se et melius animaret. *Ista trama est sacerdotium.* Novus populus Dei, Ecclesia tota sacerdotalis, i. e. hierarchia et laici baptizati et confirmati, quique in suo loco et secundum potestates characterum receptorum, debet cogitare, loqui, agere, facie ad faciem, in mundo moderno, et efficere « sa mise à jour » ut dixit Papa Ioannes XXIII, per Concilium. Vere natura Ecclesiae est: esse sacerdotalis in unico sacerdotio Iesu Christi. [33] seu. [34] melius. [35] fidei quia. [36] sculpuntur permanenter a charactere sacramenti Ordinis. Et credunt quod in persona Christi praedicant, absolvunt, consecrant. [37] ad cultum divinum per baptismum, et praesertim ad apostolatum per confirmationem, ita ut rev.dus Pater Concilii, hic praesens, veraciter potuit edere litteram pastoralem sub titulo: « Magnum sacramentum ignotum: Confirmatio ». « Un grand sacrement méconnu: la Confirmation ».

1. Oportet definire quid sit sacerdotium Novi Testamenti in Christo, iam sacerdotium unicum, deinde per derivationem in Ecclesia, in episcopis, in presbyteris, in membris laicis populi Dei.

2. Notare differentiam, dictam a Pio XII essentialem, inter sacerdotium presbyterorum, qui habent potestatem celebrandi sacrificium Missae, et quoddam sacerdotium laicorum seu sacerdotium dictum universale, attamen unum et alter participantes unicum sacerdotium Iesu Christi.

3. Vitare appellationem « sacerdotes » quando agitur de laicis, quia talis appellatio vim addit confusioni. Laici non sunt sacerdotes, sed de populo sacerdotali.

4. Discernere sensus vocabulorum: sacerdotium interius et exterius, spirituale et sacramentale, activum et passivum.

5. Quomodo sacerdotium unicum Christi derivatum, diversis gradibus, in omnibus membris Ecclesiae, hierarchiae et christifidelium, requirit consociatum laborem apostolicum (Pastorale d'ensemble).

Valde urgens est notare, explicare maximum momentum doctrinae de sacerdotio Christi unico, sacramentaliter, in episcopis titulo collegialitatis, in presbyteris titulo ministerii in persona Christi, et etiam in laicis, titulo cultus divini et apostolatus et in tota vita christiana laicorum.

Emendationes:

1. Instituatur *festum sacerdotii Christi,* in quo textus breviarii et missae alluderent ad sacerdotium Christi, presbyterorum et etiam fidelium.

2. Conficiatur *tractatus de sacerdotio,* in linea dogmatica et pastorali, studen-

dus in seminariis, facultatibus et signatus in catechismis, in circulis Actionis Catholicae etc.

Maria Mater sacerdotii.

Omnia munera Mariae Virginis fundamentum gloriosum habent in *Maternitate Divina.*

Mihi videtur quod munus principale missionis est ad et per sacerdotium Christi. Quia redemptor, Filius Dei incarnatur ut sit sacerdos et victima, unus ex titulis principalibus officii Mariae est titulus *Matris Christi Sacerdotis.*

Virgo Maria non est sacerdos. Minueretur si haberet derivationem sacerdotii Iesu Christi sacramentaliter, quia haec derivatio fit in ea in plano hypostatico. Pro sua parte Maria est *Mater sacerdotii.*

Et ideo audeo proponere ad gloriam B. Mariae Virginis:

1. ut in schemate brevis articulus addatur qui evocet participationem Mariae, eminentem, unicam, foecundam circa sacerdotium unicum Christi, ac proinde circa sacerdotium episcoporum, presbyterorum et christifidelium.

2. Ut instituatur festum de Maria Matre Christi Sacerdotis, in quo glorificaretur Maria, pro sua parte, *Mater Sacerdotis Christi* in tota Ecclesia derivati.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis legat emendationem ex cap. III sacrae Liturgiae.

Secretarius generalis: Ad art. 64: emendatio IX: pag. 182, post lin. 29 (videatis huius fasciculi pag. 24, n. 73, parte III) ... [*cf. vol. II, pars II, pag. 549*].

2

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Venerabiles Patres,

Caput hoc, sicut iam indicavit commissio de negotiis Concilii coordinandis et in emendationibus in prelis editis, ponendum est in secundo loco et fiet cap. II huius schematis.

De modo procedendi vel de ordine in hoc capite, praeter ea quae scripta sunt ab em.mo D. card. Suenens, vellem nomine 15 Patrum conciliarium de Sinis aliquid addere, *et postea aliquid etiam de sacerdotio universali.*[1]

In hoc capite tria principalia argumenta tractari possunt: 1) de populo Dei; 2) de vocatione ad apostolatum; 3) de vocatione ad sanctitatem; scil. de populo Dei in esse et in operari.

1. *De populo Dei.*

A) Novus populus, de quo egregie scripsit em.mus card. Suenens in suis emendationibus. Attamen puto quod in hoc numero aliqua verba facienda sunt de baptismo, quia novus populus constituitur per bapti-

smum in quo novus homo in spiritu et in sanctitate veritatis nascitur per mortem et resurrectionem Christi.

B) Relatio inter populum Dei, *quae habetur in cap. II.*[2] Intima communio inter populum Dei cum Christo qui est caput et inter se qui sunt membra eiusdem Corporis mystici. Revocetur igitur hic suavis veritas de communione sanctorum.

Postea[3] aequalitas inter populum Dei...[4]; inaequalitas inter populum Dei...[5]; relatio inter christianos catholicos et non-catholicos...[6]; relatio inter christianos catholicos et non christianos...[7]

2. *De vocatione ad apostolatum.*

Apostolatus est de essentia Ecclesiae, ideoque est essentialis pro vita populi Dei. Hic agitur igitur de sacerdotio universali...[8]; de missionibus in sensu proprio; et de apostolatu laicorum...[9]

Non videtur esse necessarium constituere unum caput de laicis quia adest unum schema de apostolatu laicorum, secus plura repetuntur in duobus schematibus. Si vero unum caput separatum constituitur de laicis, hoc caput non debet vocari de laicis, sed de vocatione ad apostolatum, in quo tractantur tam de apostolatu missionum quam de apostolatu laicorum.

3. *De vocatione ad sanctitatem.*

Vita populi Dei quae est vita divina, ad unionem cum Deo tendere debet. Unio cum Deo sanctitatem populi Dei constituit, ad quam totus populus Dei est vocatus.

Cap. IV de vocatione ad sanctitatem, ad caput de populo Dei reducendum est, etiam propter rationem compositionis cap. IV in schemate. Maxima pars cap. IV *in schemate*[10] tractat de vocatione ad sanctitatem per exercitia consiliorum evangelicorum in statu perfectionis. Habetur unum schema de statu perfectionis, *de religiosis*[11]; remittantur igitur ea quae pertinent ad hunc statum ad illud schema. Postea modus loquendi de vocatione ad sanctitatem in schemate suggerere potest falsam illam impressionem quae adfirmat vocationem ad sanctitatem esse aliquid exclusivum status perfectionis. Haec impressio omnino evitanda est. In hodiernis temporibus debemus urgere vocationem cleri et laici ad sanctitatem.

Quoad particularia capitis de populo Dei unum tantummodo vellem notare, scil. de sacerdotio universali. Sacerdotium universale seu sacerdotium in sensu lato a nobis Sinensibus facile intelligitur. Nam in traditione nostra confuciana sacerdotium semper accipiebatur in sensu lato, quia non aderat sacerdotium officialiter stabilitum, seu sacerdotium ministeriale. Ad offerendas oblationes Deo supremo, spiritibus inferio-

ribus et parentibus defunctis, ipsi praepositi civiles: i. e. imperator, gubernatores et patresfamilias. In oblationibus ad parentes defunctos paterfamilias est offerens principalis et cetera membra familiae insimul sunt offerentes assistentes ...[12]. *Deficiente patrefamilias, tunc alterum membrum substituit.*[13] Oblatio facta a patrefamilias est oblatio totius familiae; ideoque omnia membra familiae participant de ista oblatione.

Igitur[14] sacerdotium universale populi Dei suum fundamentum habere debet in mysterio unionis Corporis mystici Christi. Propono igitur emendationem textus pag. 7, lin. 11, ubi dicitur: « Ideo universi discipuli Christi, quos ipse Dominus regnum et sacerdotes Deo et Patri suo fecit », dicatur: « Ideo universi discipuli Christi quos ipse Dominus suum Corpus mysticum fecit ». Dixi. Gratias vobis.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] (de n. 23 huius capitis in schemate). [5] (de eodem numero). [6] (de n. 9). [7] (de n. 10). [8] (de n. 24). [9] (n. 25). [10] deest. [11] deest. [12] (assistere debent). [13] deest. [14] deest.

Van Melckebeke Carolus, ep. Ninghsia; Oste Ioseph, ep. Jehol; Grimm Petrus, ep. Tsinchow; Olbert Augustinus, ep. Tsingtao; Schu Theodorus, ep. Yenchow; König Maximilianus, praef. ap. Shaowu; Quint Eduardus, praef. ap. Weihaiwei; Fahy Eugenius, praef. ap. Yangchow; Calzolari Pacificus, praef. ap. Siangtang; Weber Carolus, ep. Ichow; Moretti Petrus, praef. ap. Tungchow; Romaniello Ioannes, praef. ap. Kweilin; Buchholz Matthias, praef. ap. Shihtsien; Pessers Quintinus, praef. ap. Kiangchow; Kramer Franciscus, ep. Luan.

3

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Venerabiles Patres, carissimi Auditores et Observatores,

Observationes meae respiciunt n. 25 huius capitis. Placet mihi, quod dicitur de apostolatu laicorum in primo commate. Minus placet divisio huius apostolatus tripartita secundum varia eius obiecta.

Ratio: 1. Haec divisio nimis abstracta est. Fundari videtur in divisione inter res spirituales, temporales et mixtas. Quae divisio praesertim attenditur in quaestionibus de varia competentia auctoritatis ecclesiasticae, minus si agitur de laicis.

2. Haec divisio theologice non sufficienter praeparat ea, quae postea dicentur in decreto *de apostolatu laicorum*. Maior igitur desideranda est coordinatio utriusque schematis.

3. Modus dicendi minus clarus et conciliaris videtur. Duo exempla affero: in pag. 9, lin. 11, sermo est « de valoribus religiosis mundo

communicandis ». Quid hoc est? Porro in eadem pag. 9, lin. 23, sermo est de diffusione valorum moralium. Etiam non clarum est, quid hoc sit. Terminologia haec magis ideologica quam theologica est.

Humiliter ergo propono. Divisio fiat secundum distinctum ordinem spiritualium et temporalium rerum.

Primus modus apostolatus est igitur ille, qui immediate ordinatur ad opus spirituale Ecclesiae proprium. Hic apostolatus continet, v. g., testimonium fidei, quae etiam res temporales illuminat; continet professionem huius fidei, praesertim iis factam, cum quibus laici arctius coniunguntur conditionibus sui laboris suaeque familiae; continet sanctificationem vitae temporalis per actus cultus, praesertim per illos, qui strictius circa res temporales versantur, e. g.: requies festiva a laboribus servilibus; continet denique aedificationem et promotionem vitae Ecclesiae, e. g. vitae paroecialis vel associationum catholicarum.

Ad hunc apostolatum pertinet etiam adiutorium, quod laici praestant hierarchiae, ut ipsa munera sibi propria efficacius exerceri possit. Exemplum practicum: Quot preciosas suggestiones dederunt nobis in praeparandis aliquibus schematibus Concilii laici, viri et mulieres.

Dubium quidem propositum est in congregatione generali antecedente, *nempe hesterna*[1]: Nonne in maiore responsabilitate, laicis concessa in Ecclesia, aliquod periculum latet, pro libertate exercendi muneris hierarchici?

Respondeo, salva reverentia, cum dubio aliquo contrario: Nonne in denegata hac maiore responsabilitate aliud periculum latet, hierarchiam concreta adiuncta nostrorum temporum non satis attingere in suo munere exercendo? Laici enim relate ad haec concreta saepe competentiores et peritiores sunt.

Nonne etiam hoc periculum est, hierarchiam ita cohibere impulsus Spiritus Sancti, qui non in sola hierarchia sed in omnibus fidelibus adest et operatur in ordine ad aedificandam Ecclesiam?

Secundus modus apostolatus est ille, qui proxime ordinatur ad ordinem temporalem, ita quidem, ut hic ordo temporalis opus Ecclesiae non impediat sed potius iuvet.

Hi sunt duo modi distincti participationis laicorum in munere docendi, sanctificandi et regendi.

Haec distinctio summi momenti est, quia responsabilitas laicorum et relatio ad hierarchiam non eadem est in primo et in secundo modo.

Concludere velim cum aliquo facto ex *Actibus Apostolorum,* quod nos adiuvare potest ad melius cognoscendum munus nostrum in hoc Concilio relate ad laicos. Agitur de primo festo Pentecostes. Primus sermo Petri cum ceteris apostolis clare annuntiat: Spiritus Sanctus in

Novo Testamento effusus est super *omnem* carnem, super filios et filias, super servos et ancillas ...[2]. Spiritus Christi ergo in omnibus membris Ecclesiae operatur, etiam in laicis, et hanc veritatem nostrum Concilium de novo proclamat atque confirmat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. *Act. Ap.* 2, 14 s.).

Moderator: Nunc exc.mus D. secretarius generalis legat ultimam emendationem de cap. III *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Ad art. 65, emendatio X, pag. 183, linn. 4 et 5 (quae respondet pag. 25, n. 80 parti alteri huius fasciculi) ... [*cf. vol. II, pars II, p. 549*].

Audiant parumper Patres. Textus integer cap. III, qui suffragio crastina subiiciendus est, invenitur in hoc fasciculo a pag. 19 in parte dextera eius qui legit [*cf. vol. II, pars II, pp. 550-556*].

4

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH WRIGHT
Episcopus Pittsburgensis

Venerabiles Patres, fratres Observatores et Auditores,

Cogitationes aliquas [1] de magno momento, et historico et theologico, capitis de laicis ...[2] exprimo, sperans quod post Concilii disceptationes et quaecumque sint emendationes necessariae ad singulas res corrigendas, remaneant et principia et, in eis quae positiva sunt, *etiam* [3] verba huius capitis, nisi verba fortiora inveniantur ad valores positivos schematis ulterius evolvendos, sicuti, e. g., ea quae nunc proponuntur in pag. 10 et pag. 11 fasciculi emendationum.

Non sine veritate dici potest quod christifideles a quatuor centum annis expectaverunt talem expositionem positivam et quidem conciliarem qualem nunc excogitatur a Concilio, de loco, dignitate et vocatione laicorum in Ecclesia Christi. Sane Romani Pontifices qui recentibus in temporibus apostolatui « similium similibus » talem impetum *tunc* [4] dederunt, et praesertim Pius Papa XI et, alio modo fortasse, sed etiam instantius Pius Papa XII, hi omnes de laicorum apostolatu et vocatione enixe nobis et mundo locuti sunt. Plures theologi, inter quos in hac re primatum saltem temporis tenent gallici, italici et teutonici, iamdiu de theologia, et dogmatica et ascetica, talis apostolatus scripserunt. Plurimi episcopi, per orbem sparsi, Actionem Catholicam foventes, vocem Pontificum Romanorum de cooperatione laicorum in singulis dioecesibus resonaverunt.

Nunc, autem, providentia divina, facultas datur toti Ecclesiae docenti, per Concilium loquenti, fundamentum theologicum et organicum dare Actioni Catholicae veri nominis et pleno sensu. Hoc facere vult schema nunc coram nobis, incipiendo saltem laborem ingentem exponendi modo positivo mentem et voluntatem Christi quod ad eos christifideles qui dicuntur « laicos ».

Meo iudicio, praesens caput exordium est bona spe. Multi tamen sperabunt quod Concilium plus explicite memor erit exspectationum Pii Papae XI quod ad Actionem Catholicam laicorum, necnon et visionum propheticarum Pii Papae XII quod ad vires supernaturales et partem admirabilem laicorum in mundi consecratione.

Optime scientes quam maxime differt sacerdotium generale populi Dei a sacerdotio presbyterorum et pastorum eorum, fideles nostri gaudent quia Ecclesia catholica est Ecclesia sacerdotalis multiplici sensu, sed etiam gaudebunt quando, per conciliarem doctrinam *quam maxime*[5] positivam de laicis, ipsa hierarchia catholica finem felicem initiabit notioni falsae et sine fundamento theologico, sed nimis divulgatae, Ecclesiam catholicam esse Ecclesiam, uti dicitur « clericalem », dummodo Ecclesias, uti aiunt, reformatas esse Ecclesias aliquomodo laicis aptiores.

Christifidelibus omnibus et universim gaudium erit et incitamentum seu ratio etiam profundioris amoris erga Ecclesiam et opera eius si Concilium clare *et explicite*[6] doceat quid sit christianus laicus et quaenam sunt positivae notiones dignitatis laici christifidelis coram Ecclesiae et vocatio eius coram Deo, etiam si sit laicus. Ita docendo, hoc cap. III schematis *de Ecclesia* fieri potest lapis angularis non tantum pro apostolatu laicorum hodierno, sed pro aedificanda societate christiana in mundo crastino.

Traditionalis notio seu descriptio canonica laici potius negativa est: laicus *non* est clerus, *non* est religiosus etc. ...; ne vix sufficit quidem talis notio negativa pro societate iuridica apte ordinata ad opus Christi efficaciter perficiendum in temporibus nostris. Sed pro Ecclesia in quantum est societas organica et aliquomodo ipse Christus, adhuc in terra operans, plane requiritur, nemine contradicente, haec notio positiva laici christifidelis. Et quidem si a Concilio enuntietur ratio laicatus ontologica, organica et ergo theologica, deinde ossa iuridica Ecclesiae, carne et sanguine theologica perpetuo vivificentur, et sic opus Ecclesiae eius a toto et integro Christo plene et debite perficiatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Paucis verbis velim loqui. [2] Cogitationes meas. [3] ipsissima. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

5

Exc.mus P. D. PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

Venerabiles Patres,

Cap. III laude dignum mihi videtur. Ego velim aliquid dicere circa ea quae in schemate ad pag. 7, in linn. 32 ss., dicuntur de coniugibus christianis.

1. Laudo quod novum schema verba faciat de coniugibus christianis, agens de ipsa constitutione *dogmatica*[1] Ecclesiae...[2]

2. E contra minus placet quod schema nostrum loquatur tantummodo « de coniugibus christianis » et nihil dicat de « statu » coniugum christianorum scil. de familia christiana.

Sed in Ecclesia, mystico Corpore Christi, *praeter membra,* etiam *organa et communitates* considerari debent.

Est defectus, qui etiam in praecedentibus capitibus invenitur. Ita e. g. in superiori capitulo schema semper loquitur de episcopis, fere numquam de Ecclesiis particularibus ipsis concreditis, quas tamen Paulus apostolus « Ecclesias » vocabat.

Dolet quod de communitate dioecesana, sicut etiam de communitate paroeciali, et hic de communitate familiari nihil dicatur in schemate.

Bene ergo videretur quod schema melius in lucem poneret istam organicam seu communitariam structuram Ecclesiae...[3]

Rem humiliter ita proponerem.

Ipsam Ecclesiam Christus voluit tamquam communitatem oecumenicam « fidei, amoris et pacis » (uti bene dicit schema sub n. 7, sed melius forsan diceret « fidei, amoris et gratiae »), cuius caput invisibile est Christus, visibile Summus Pontifex, eius in terris vicarius.

Ecclesia vero universalis articulatur in Ecclesias particulares, quas nos latini dioeceses vocamus, orientales eparchias, quibus praesunt episcopi, apostolorum successores.

Ecclesia dioecesana ulterius articulatur in communitates minores, quas ...[4] vocamus paroecias, quae sunt et ipsae parvae Ecclesiae, et Ecclesiae vocabantur a Paulo, uti egregie meminit praeterita hebdomada episcopus germanicus Schick. Ecclesiis paroecialibus praesunt parochi, ordine sacro ab episcopo ditati et ab eo in ministerium missi.

Tandem communitas paroecialis ulterius articulatur, ex voluntate Christi, in adhuc minores communitates, seu mystici Corporis Christi organa sancta et foecunda, quae sunt familiae christianae, quibus prae-

sunt, virtute sacramenti matrimonii, vir et uxor, pater et mater christiani.

Proponenda ergo esset familia in schemate tamquam ultimum organon seu ultima sacra communitas in Ecclesia, ex dispositione Christi. Huiusmodi ultimam communitatem Christus Dominus, elevans matrimonium ad dignitatem sacramenti, directe sanctificavit, electam Ecclesiae portionem fecit, fontem vitae divinae constituit, eidem sublimem in corpore suo mystico functionem praestitit, congruentem gratiam largitus est.

Unde exemplum SS. Patrum secuti, tum ex oriente tum ex occidente, iuremerito, uti innuit schema, familiam christianam veluti *parvam Ecclesiam* vocare possumus et debemus, in se habentem communicationem mysterii unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam.

Optimae citationes SS. Patrum in novo schemate legi possunt in nota 8 ...[5] inter quas particularis significationis est illa Augustini, qui loquens ad populum aiebat: « Cum heri dixissem: unusquisque vestrum domum suam Ecclesiam faciat, magna voce acclamastis ac voluptatis, qua vos illa verba profuderunt, significationem dedistis ».

3. Si autem status matrimonialis talis est in Ecclesia, sanctus et sanctificans, bonum esset si schema aperte diceret, quod sponsi illum suscipientes sancti facti sunt et veluti consecrati ad sublimem illam missionem, quam Christus familiae christianae assignavit in aedificationem mystici sui corporis et ad « mundi consecrationem ».

Ad mentem dictorum audeo proponere textum emendatum quem scriptum secretario generali tradam.

Sed si placeat conservare textum schematis, saltem quaedam locutiones mutari deberent.

a) Ad lin. 36 dicitur quod sponsi « habent suum in Ecclesia donum » iuxta *1 ad Corinthios, cap. 7.*[6] Sed hoc videtur nimis parum. Dicendum ex supradictis quod familia habet suum in Ecclesia non tantum donum sed « *statum* », etiam iuxta mentem Patrum, qui matrimonium vocaverunt *gradum, ordinem, officium, vitae genus, professionem.* Cf. notam 8.

Qui *status* dicendus est certissime inferior statui sacerdotali et virginali, sed potissimus inter status laicorum.

b) Ad lin. 35 dicitur quod sacramentum matrimonii est « repraesentatio » mysterii unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam. Dicendum quod non solum est repraesentatio sed et *communicatio* mysterii unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam.

c) Ad lin. 40 dicitur: « in hac veluti domestica Ecclesia ». Idea est bona, sed expressio evidenter paulina, quamvis Paulus non citetur,

habet suum proprium sensum historicum, qui est omnino alienus ab argumento matrimonii de quo hic est sermo. Ergo loco « domestica Ecclesia », dicendum videtur « parva Ecclesia » ad mentem Patrum.

d) Ad pag. 8, linn. 1-2, dicitur: « parentes quasi munus episcopale exercent » verbis sumptis a S. Augustino. Sed similis locutio, quae refertur ad etymologiam nominis episcopi, dum bene sonabat in familiari allocutione S. Augustini ad patresfamilias, male sonare videtur in textu conciliari...[7]

Conclusio: mihi videtur, venerabiles Patres, bonum esse, attenta indole pastorali nostri Concilii et praemissa omnino superioritate status sacerdotalis et status sacrae virginitatis, quod Concilium altissimis verbis extollat *laicis*[8] familiam christianam et praecise hic loquens de constitutione dogmatica Ecclesiae.

Puto quod multi fideles aliquid magni a Concilio circa familiam christianam desiderent et expectent.

Quod si Concilium praestaverit, id erit ex una parte signum reverentiae et laudis sacrorum pastorum erga statum matrimonialem, et ex altera parte vehemens invitamentum ut omnes christifideles, qui ad istum statum vocati sunt, mysterium peculiaris suae vocationis in Ecclesia magis fervide et integre vivant.

Sanctificatio autem familiae maxime conferet ad illam Ecclesiae renovationem, quae est in suprema finalitate nostri Concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Et hoc magis placet, si consideremus quod, brevitatis causa, inter schemata a Concilio discutienda non amplius invenitur schema constitutionis dogmaticae de matrimonio et familia. (Solummodo invenitur parvum et humile decretum de matrimonii sacramento, indolis potius iuridicae). [3] scil. organorum et communitatum, quae sunt aliae aliis perfectiores et superiores, et inter se intime articulatae. [4] sive latini sive graeci. [5] (quibus etiam aliae addi possent). [6] *1 Cor.* 7, 7. [7] unde tollendum putamus. [8] deest.

Textus emendatus quem propono pro n. 24, pag. 7, linn. 32 et ss., et pag. 8, linn. 1-2.

Ex sacramento matrimonii coniuges constituuntur in statu supernaturali, immo sacramentali, coniugii christiani.

Qui status, sanctus et sanctificans, inferior quidem statui sacerdotali et statui sacrae virginitatis, sed potissimus inter varios status laicorum (vel « conditiones laicorum »), coniuges sanctos reddit et veluti consecratos ad exsequendum mandatum et divinam missionem attingendi illum finem, quem Christus familiae christianae assignavit in aedificationem mystici sui corporis necnon ad mundi consecrationem.

Consideranda est enim familia tamquam ultimum organon, seu ultima sacra communitas, unde, ex voluntate Christi, articulatur Ecclesia.

Sicut Ecclesia universalis, quae est communitas fidei, amoris et gratiae, articu-

latur in Ecclesias particulares, quibus praesunt episcopi, apostolorum successores; et Ecclesiae dioecesanae articulantur in communitates paroeciales, quibus praesunt sacerdotes ab episcopo missi; ita Ecclesia paroecialis articulatur in adhuc minores communitates seu mystici Corporis Christi organa sancta et foecunda quibus praesunt, virtute sacramenti, vir et uxor, pater et mater christiani.

Huiusmodi ultimam communitatem Christus Dominus, elevans matrimonium ad dignitatem sacramenti, directe sanctificavit, electam Ecclesiae portionem fecit, fontem vitae divinae constituit, eidem sublimem in corpore suo mystico functionem praestitit, congruentem gratiam largitus est.

Unde, exemplum SS. Patrum secuti, tum ex oriente, tum ex occidente, familiam christianam veluti parvam ecclesiam vocare possumus et debemus, in se habentem repraesentationem et communicationem mysterii unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam.

Quae considerantes, omnes christifideles, qui ad istum statum vocati sunt, enixe niti velint, ut mysterium peculiaris suae vocationis in Ecclesia fervide et integre vivant.

6

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

Venerati Patres,

In sermone hanc sessionem aperiente, Summus noster Pontifex Paulus VI oculos nostros egregie in duas hominum multitudines vertit: nostros fratres seiunctos et nostros fratres non-christianos. De his ultimis dixit: « Catholica Ecclesia respicit ultra christianae familiae fines: quomodo enim certis terminis circumscribere potest amorem suum? »... Iudicat ubique « debita aestimatione, quidquid veri, boni et humani reperitur ». Brevi, Concilium nostrum est, inter alia, Concilium « oecumenitatis » et etiam, ut ita dicam, humanitatis, i. e. omni humano generi studens: in hoc sensu, plene universale, plene oecumenicum.

Mea autem sententia, hoc duplex studium posset notari modo felici et amabili in introductione de populo Dei.

Sane, hodie, populus Dei, in sensu plenissimo, est Ecclesia nostra: populus unitus eadem fide, iisdem sacramentis, eodem gubernio, i. e. ab episcopis et, in culmine, a Summo Pontifice: populus enim Dei, qui non est turba, et qui est populus visibilis, requirit ducem visibilem supremum a Iesu delegatum.

Sed haec notio stricta, largior praesentari potest.

Sunt *enim* [1] de populo Dei, gradu eminenti, ii qui sunt uniti fere eadem fide, iisdem sacramentis, quodam eodem gubernio i. e. ab episcopis.

Sunt etiam de populo Dei ii qui in Christo Iesu vident missum a Deo, redemptorem, personam divinam, et consequenter suum caput et qui, in signum suae adhaesionis, baptismum acceperunt. Acceptatio veritatum a magisterio traditarum et mandato divino eos divitiis inaestimabilibus ornabit.

Sunt etiam de populo Dei, nostri fratres iudaici, inter quos semper manent viri israëlitae ...[2]. Adhuc audiunt verba Dei in Sinai: « Si custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis »...[3]

Sunt etiam de populo Dei fratres nostri qui credunt Deum et saepe in Deum, qui in eo vident ens supremum et remuneratorem ...[4] et qui, aliquoties, moralem naturalem melius quam in regionibus christianis observant, v. g. de respectu erga parentes, de familiae valoribus, de pudore ...[5]. In epistola feriae II Passionis narrata est, secundum Ionam, conversio Ninivitarum. Sed Missale Romanum, quod frequentissime, specialiter in quadragesimali periodo, de populo Dei loquitur, addit textui Ionae hanc pulchram paraphrasim. Declarat enim Ninivitas « populum Dei ». Qui in hac aula cognoscunt aliquos pios credentes « musulmanos » et alios, hanc paraphrasim intelligunt et amant. E. g. Rabindranath Tagore ...[6] in India fuit magnus cantator amoris Dei, Dei qui, ille haec dicit, est « unus et indivisibilis », « creator », « mea Veritas Suprema », « magister meus et Dominus meus ».

Sunt etiam de populo Dei ii qui Deum verum non cognoscunt vel qui, misere, non iam recognoscunt. Illi sunt, secundum caritatem expressionis biblicae, « gentiles ». Sane, non sunt de populo qui Deum adorat. Sed, a Deo creati; in omni vitae suae tempore a Deo in existentia sustenti; membra familiae humanae ex qua Homo-Deus per B. Mariam Virginem, natus est; a Iesu Christo redempti, ipsi de populo Dei sunt.

De populo Dei! Sed Deus caritas est ...[7]. Sunt ergo, quisque, si saltem de bona fide sunt, de populo quem Deus diligit. De populo Caritatis Dei. De populo Dei qui est Pater, amans populum suum ut familiam suam veram. De populo quem Iesus, in vita terrestri usque ad finem dilexit, et quem, in caelo, indesinenter et ex toto corde suo diligit. De populo quem diligit Maria, quae, Mater Ecclesiae, est etiam, secundum antiquam traditionem « novae Evae », mater spiritualis totius generis humani. De populo *Dei!* Quod est plena realitas, minime figura. Quod potest unicuique dare, in tempore nostro ubi tot animae tristes sunt, magnitudinem animi, spem, et sic laetitiam.

Secundum has notiones, totum nostrum genus humanum, in suo itinere ad Deum, componitur ex diversis commeatibus (gallice: caravanes). Sed si commeatus optime instructus, solidissimus, quem Iesus

voluit, ambulans in via tutissima, est noster commeatus Ecclesiae catholicae, quomodo, in spiritu ardenter missionario, non possemus desiderare pro *omnibus omnes* securitates, *omnia* iura et *omnia* privilegia filiorum Dei, ut omnes in Ecclesia sint spiritualiter divites? Ipso facto, quomodo non possemus desiderare, non unionem tantum, sed unitatem huius immensi populi Dei? ...[8]

Consequenter hoc votum emitto: quod, in introductione in diversis sensibus notionis « populi Dei » indicentur puncta quibus diversi commeatus eiusdem populi similes sunt. Quodcumque enim congregat, bonum est. Quando autem *Deus* est qui, Optimus, congregat, opus eius est optimum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etiam. [2] (cf. *Io.* 1, 47). [3] (*Exod.* 19, 5; cf. *2 Cor.* 6, 16). [4] (cf. *Hebr.* 11, 6). [5] (cf. Revue Missi, mars 1961, p. 87-92 et multos « filmos » iaponenses). [6] (1861-1940). [7] (cf. *1 Io.* 4, 16). [8] Caiphas ipse, sed prophetans ut notavit evangelista, dixit: « Iesus moriturus erat, *non tantum* pro gente, *sed* ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum » (cf. *Io.* 11, 50-52).

Animadversiones additae:

Ad n. 25. Caput de laicis, inter omnia Concilii capita, a permultis laicis maxime expectatur. Oportet igitur hoc omnino eos satisfacere. In primis, rationes apostolatus laicorum solidae et profundae esse debent, i. e. quam altissimae possunt theologicae.

Schema autem essentialiter dat, ut rationes apostolatus 1) sacramentum confirmationis (pag. 7); 2) participationem « ipsius missionis Ecclesiae salvificae ». Quod verum est. Quod tamen non est huius apostolatus laicorum hic fons profundissimus quem simul quaerimus.

Quis ergo est ille fons? Missio Ecclesiae hierarchicae a Iesu venit, qui ipse missus est a Patre: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21; cf. *Gal.* 4, 4, *Heb.* 3, 1 ubi Iesus dicitur apostolus). Et haec missio Ecclesiae bene incipit quando Spiritus Sanctus a Patre et Filio mittitur (cf. *Io.* 14, 16, 26; 16, 7).

Sed, quare Pater et Filius mittunt? Et quare Filius et Spiritus mittuntur? Hic simus in visceribus quaestionis.

Responsio datur theologica, fundata in Scripturis. Pater et Filius mittunt, quia diligunt: « In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus... ut vivamus per eum » (*1 Cor.* 4, 9-10; *Io.* 3, 16). Filius et Spiritus Sanctus missionem accipiunt, quia diligunt (cf. *Gal.* 2, 20; *Eph.* 5, 2).

Sic fons missionis *datae* (a Patre, a Filio), fons missionis *acceptae* (a Filio, a Spiritu Sancto) est *caritas*. Caritas Patris, caritas Verbi, caritas Spiritus Sancti (cf. *Io.* 4, 16). Haec caritas divina est fons *ultimus* missionis.

Quid mirum igitur, si finis omnis missionis — ideoque omnis apostolatus — est aedificare Civitatem *caritatis,* scilicet Civitatem *Dei*: quicumque enim mittitur a caritate, ad caritatem mittitur. Itaque, quando Ecclesia in nomine Iesu mittit (per baptismum, qui inserit Christo, per confirmationem, qui dat abundanter Spiritum Sanctum, et per alia media gratiae, aliquoties etiam per mandatum speciale),

Ecclesia semper mittit *caritate*; et missi, qui sunt aliquo modo, ut Ioannes Baptista, missi a Deo (cf. *Io.* 1, 16), mittuntur a caritate et igitur ordinantur ad caritatem. Aliis verbis, omnis missio, eoque ipso omnis apostolatus, Cor Dei amantissimum revelat, et cor apostoli ad ferventem caritatem provocat.

Placet etiam, sanctum Paulum, in Epistola ad Galatas (4, 4) exprimere participationem Reginae apostolorum ad effectum missionis Filii, cum scribit: « Misit Deus Filium suum, factum ex Muliere »: quae participatio, similiter, ad effectum missionis Spiritus Sancti, indicatur Actibus Apostolorum (1, 14).

Omni modo notio theologica supradicta animos laicorum divino amore incendere potest. Itaque ardenter opto ut in schemate includatur.

7

Exc.mus P. D. CANDIDUS PADIN

Episcopus tit. Tremithusius, aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores carissimi,

Cum de populo Dei et speciatim de laicis in hoc capite tractaturi sumus, desiderandum nobis videtur quod materia aptior componatur cum aliis partibus totius schematis.

Curnam etenim de hierarchia tractatur antequam Ecclesia ut populus Dei definiretur? Estne hierarchia extranea vel realiter distincta a populo? Nonne mysterium Corporis Christi mystici melius innotesceret si hierarchiam clare ut pars populi Dei appareret? Ideo libenter assensum praebemus emendationi ab em.mo card. Suenens praesentatae ad hunc intentum, i. e., ut disiunctim de populo Dei et de laicis tractetur et tota materia huius schematis melius distribuatur per quinque capita, quae erunt: 1) de Ecclesiae mysterio; 2) de populo Dei in genere; 3) de constitutione hierarchica Ecclesiae; 4) de laicis in specie; 5) de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.

Simili ratione nobis non placet distinctio illa inter hierarchiam et populum, quae asseritur in par. 23, pag. 6, linn. 17-21. Proponimus ergo ut textus sic emendetur: « Distinctio enim, quam ipse Dominus inter hierarchiam et alia membra populi posuit, simul est coniunctio, cum pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur. Ecclesiae praepositi omnibus inservient, illi autem pastoribus et doctoribus suis oboedientes, ad salutem communem cooperentur ».

Transeamus nunc ad alias duas quaestiones considerandas, quas magni momenti putamus. Et prima sit de modo quo laici in Ecclesia recognoscuntur. Ratio vera et mystica qua christifideles in populo Dei inter se distinguuntur, est vocatio qua a Deo gratificamur. In ipsa fundatur ergo, ut nobis videtur, distinctio conditionis et missionis uniuscuiusque

fidelium. Et etiam experientia in apostolatu Actionis Catholicae nobis satis demonstravit quod persuasio vocationis personalis a Deo receptae, est principalis fructus gratiae ad vitam apostolicam promovendam. Et ideo necesse putamus quod conceptus vocationis clare appareat in ipsa definitione laicorum in Ecclesia. Proponimus ergo hanc emendationem ad pag. 6, linn. 31-40: « Iam vero sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate in populum Dei cooptati, cum non sint neque ad ordinem hierarchicum, neque ad canonicum statum religiosum vocati, in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent, etiam per actionem religiosam ».

Et, ut melius adhuc innotescat character proprius missionis laicorum in Ecclesia, conveniens erit incorporatio optimae emendationis ad hanc paragraphum, ab em.mo card. Suenens praesentatae, uti iacet in fasciculo emendationum, pag. 10, n. 29. Reapse, optime iuvat ad spiritum apostolicum stimulandum et roborandum ut laicus recognoscatur ut instrumentum salutis et organon laudis Dei in saeculo constitutus. Haec doctrina nova non est, sed firmiter nobis tradita inde ab apostolis. B. Paulus, doctor gentium, clare in epistola ad Ephesios docet: « ... totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » ...[1]

Tertia et ultima emendatio agit de christifidelium relatione ad hierarchiam, de qua tractatur in par. 26 schematis. Satis affirmatur, iterum et iterum, in hoc schemate, necessitas oboedientiae fidelium erga pastores. Et revera hoc principium, uti fundamentum totius unitatis Ecclesiae, inconcussum manere debet. Immo, summi momenti est ad imitationem Christi complendam. Ipse namque, ut Paulus apostolus dicit, « factus est oboediens usque ad mortem » ...[2]. Nos autem episcopi, uti pastores, tenemur etiam ad exercendas omnes virtutes. Ut uno verbo omnia dicamus, necesse est ut voluntati Dei oboediamus. Sed quomodo voluntatem Dei cognoscemus?

Si pastores sumus, unum facimus cum grege. Ipse Christus sic de seipso locutus est: « Ego sum pastor bonus, et cognosco meas et cognoscunt me meae, sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem » (*sicut praecise exstat in textu graeco* [3]). Missio pastoris in Ecclesia unitur ergo ad ipsam participationem vitae trinitariae. Et sic concludere possumus, quod sicut ovibus pastorem sequere incumbit, ita pastori est oves suas cognoscere, et nominatim ...[4]. Haec est ratio cur ab antiquis Patribus Ecclesiae dictum fuerit: « Saepe iuniori revelat Deus quod melius est » ...[5], cum de audiendis fratribus a superiore ageretur. Ut bene pa-

scat, necesse est ut signa Dei in populo manifestata pastor inquirat. Ergo, sic dictum « dialogum » seu melius collocutio inter hierarchiam et laicos, non est aliquid laudabile tantum, sed omnino necessarium sive ad bonum commune Ecclesiae, sive ad personalem perfectionem ipsorum pastorum. Alioquin vere pastores non erunt episcopi. Et hoc nullum detrimentum auctoritati nostrae faciet, sicut Pater non minuitur eo quod libenter filios suos audiat.

Hoc est sensum emendationis a pluribus episcopis Brasiliae subscriptae, inter quos enumeramur. Proponimus ergo, ut addatur in fine lin. 38 pag. 10 schematis: « Haec erit humilis obauditio qua, ut Christi imitatores oboedientis Patri, pastores signa Dei in Ecclesia manifestata inquirent ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 4, 16). [2] (*Phil.* 2, 8). [3] (*Io.* 10, 14-15). [4] (*Io.* 10, 3). [5] (Reg. S. Benedicti).

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARCUS GOPU
Archiepiscopus Hyderabadensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Mihi legenti cap. III de populo Dei et speciatim de laicis in hoc schemate *de Ecclesia* pergratum fuit invenire brevem quamdam indicationem implicitam de promotione operis evangelizationis inter quasdam formas apostolatus laicalis in genere sub n. 25, pag. 40, linn. 5-9. Attamen liceat mihi humiliter proponere ut munus hoc laicorum magis explicite exponatur laicis in regionibus missionum viventibus his sequentibus aut huiusmodi verbis: « Laici praesertim in regionibus missionum viventes meminerint praecipuam et optimam formam apostolatus laicalis consistere in collaboratione cum episcopo et sacerdotibus in opere evangelizationis fratrum suorum non-christianorum ». Haec verba addi possunt post lin. 9.

Mirabile etenim dictu, laici catholici antiqui in perpluribus missionibus fere nullum praestant adiumentum episcopis et sacerdotibus in opere ad gentes neque in opere consolidationis apud christianos recenter conversos. Experientia constat eosdem catholicos valde minus zelari pro operibus missionalibus quam catholici laici in Europa et America. Immo persaepe fit ut conversiones infidelium fiant facilius et felicius in locis dissitis a centris et pagis catholicis quam in locis vici-

nioribus. Proinde mihi videtur laicos in missionibus urgendos esse magis explicite ad hanc apostolatus formam.

Liceat mihi insuper exprimere votum ut, data pastorali indole huius Sacrosancti Concilii, Ecclesia universalis semper et eminenter in statu missionis esse clare ostendatur. Sine tali enim sensu Ecclesiam totam informante non poterimus adimplere mandatum a Salvatore generis humani apostolis et eorum successoribus impositum: « Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos, etc. ... ».

Spero quod documenta et conamina recentium Summorum Pontificum et praesentia episcoporum ex omnibus gentibus et populis missionalibus in hac Sancta Synodo necnon schema expectatum de missionibus indolem missionariam Ecclesiae universalis valde augeant et ignem zeli magis accendant in omnibus gradibus membrorum Ecclesiae ita ut regnum Christi citius perveniat ad omnem creaturam. Gratias.

9

EXC.MUS P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Fratres Observatores et Auditores,

Apud Concilii secretarium posui aliquas emendationes vel additiones circa remedia quae, ut mihi videtur, urget afferre in schemate *de Ecclesia* et praesertim in *huius capitis nn. 24 et 25,*[1] contra *individualismum* quod vitam christianorum hodie impregnat, et est Ecclesiae apostolatusque naturae tam contrarium. In istis verbis, tantum rationes maiores proponere vellem harum animadversionum.

Feliciter manifestat hoc schema Ecclesiam Christi esse Corpus mysticum, populum Dei, convocationem sanctam, familiam credentium, etc. Hoc certe maximi momenti est pro multis christianis huiusce temporis qui, in isto mysterio per baptismum incorporati, tamen Ecclesiam velut quamdam administrationem humanam vel mere iuridicam institutionem tantum considerant.

Feliciter etiam manifestat hoc schema populi Dei dimensionem universalem seu catholicam, et certe necesse est omnes christianos conscios esse aggregationis suae communioni universali Filiorum Dei per baptismum et alia sacramenta.

Nunc autem[2] experientia pastoralis nostra urgenter, ni fallor, in mentibus nostris quaestiones movet circa veritatem vitae et existentialem

valorem harum fidei assertionum. Unusquisque vestrum, venerabiles Fratres, sequentibus quaestionibus attentionem suam aliquantulum faveat praebere.

a) Quomodo sit possibilis ut istae purae notiones universalitatis vel communitatis, a fidelibus saepe modo mere iuridico et formali intellectae, habeant de facto aliquem influxum in eorum vita et efficaciter obstent eorum frequenti et profunde radicato individualismo?

b) Quomodo impedire possemus quin incorporatio fidelium in mysterio Ecclesiae sic remaneat in mentibus eorum et vita ut aliquid abstractum et ullo modo personale et vitale?

c) Quomodo hic necessarius communitatis catholicae sensus nasci et de die in diem crescere posset, nisi per aliquam experientiam concretam communionis fraternae, in qua baptizati *ecclesiam* [3] suam incorporationem quotidie in fide, in caritate et in actione sua actuare possint?

Tales tres quaestiones evidentiores et urgentiores apparebunt si consideremus nunc aliqua hodierna facta facillime discernenda.

1. Multi christiani, etiam si regulariter sacramenta recipiunt, nullam experientiam spiritualem habent incorporationis suae mysterio Ecclesiae. Sunt e contra, ut ita dicam, sicut spiritualiter gulosi, quaerentes tantum in religione quamdam securitatem mere individualem de sua salute, egoismum plus quam caritatem sapientem, apostolo Paulo dicente e contra quod omnis lex in uno sermone impleatur: « Diliges proximum sicut teipsum » ...[4], et praecipiente: « Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi »...[5]

2. Formae vitae socialis in temporibus nostris anonymatum sapiunt. Exstirpatio geographica, socialis et psychologica hominum consequitur eorum incessantes migrationes. Haec omnia pertinaciter conspirant ad hoc quod disiunctio semper aggravetur inter homines et etiam inter christianos.

3. Dioeceses et etiam paroeciae saepe disproportionata dimensione gravatae sunt et difficile est (et etiam in pluribus casibus vere impossibile) in eis facere experientiam concretam christianae communitatis.

4. Ad baptizatos in ambitu communitatis christianae et etiam humanae retinendos, iam non sufficiunt hodie institutiones stabiles anterioris vitae Ecclesiae, e. g. pristinae paroeciae rurales.

5. Sectae religiosae seducent, proh dolor!, numerum quotidie crescentem baptizatorum, eo quod praebent suis asseclis, praesertim pauperibus, remedium contra desperantem solitudinem eorum et aliquam experientiam spiritualis fraternitatis, qualem, ut ipsi dicunt frequenter, in vita Ecclesiae suae aequiparenter non invenerunt.

6. Motus etiam sociologici recentioris civilizationis saepe aliquam ex-

perientiam fovent profanae communitatis (professionalis, politicae, culturalis et otii) et ista experientia pluribus apparet ut magis concreta et vivida quam in pluriformis christianorum conventibus.

Quae cum ita sint, quid nobis faciendum est?

Ista diversa sed concordantia facta evidenter postulant ut antequam veniatur, et etiam ut possibile sit veniendi ad experientiam communionis fidei, caritatis et cultus cum *tota* Ecclesia universali, primo suscitetur et educetur et magis ac magis profundior efficiatur experientia personalis communionis christianae in minoribus vel parvis communitatibus, cuiusque sint naturae. Erunt enim sive paroeciae renovatae, sive etiam communitates valde minores et minus a conditionibus loci dependentes quam a variis campis hodiernae vitae.

Tales experientiae iam requiruntur ab interno motu virtutum specifice christianorum, scil. fidei et caritatis. Quaerunt enim fides et caritas fraterna suam ecclesialem expressionem in mutuis relationibus. Plus etiam requiruntur tales experientiae fraternae et divinae communionis in natura ipsa et veritate omnium sacramentorum cultus christiani, praesertim in Eucharistia.

Incorporatio ergo in Ecclesia remanet et remanebit semper abstracta, individualistica vel tantum iuridica si non gignitur et quotidie nutritur inter christianos, mediantibus talibus communitatibus concretis, vera fraterna consortio et aliqua bonorum partitio in fide, in spe, in caritate, in gratiarum actione et tandem etiam in apostolatu.

Qualis sit et debeat esse ista communio christiana in parvis communitatibus, fons et imago totius sanctae Ecclesiae catholicae, nemo sit qui dubitet. In Actibus Apostolorum docet S. Lucas qualiformis et quanta fervida erat communitas sancta Ierusalem, usque in finem saeculorum omnium communitatum christianarum exemplar...[6]

Memores tandem simus, eodem S. Luca in Actibus Apostolorum testificante, quod vita salutifera et apostolica laicorum christianorum nonnisi in tali experientia communionis christianae fundamentum et foecunditatem recipere potest. Nullus est apostolatus, etiam personalis, qui non radicetur in tali vita communi mentium in fide, cordium in fraterna caritate, conatuum in sanctitate per spirituales hostias in communi celebratione Eucharistiae consecrandas.

Denique[7] nullus est apostolatus qui non sit quasi emanatio evangelicae caritatis in ferventibus communitatibus ad perfectionem tendentis. Hoc tantum signum infidelium efficaciter captat attentionem, vocat ad Christum et velut Epiphaniam permanentem praebet Ecclesiae.

Aliquae istarum considerationum in schemate de praesentia efficaci Ecclesiae in mundo hodierno et in schemate de apostolatu laicorum am-

pliorem locum certe habebunt. Mihi videtur tamen quod earum fundamentum doctrinale in constitutione dogmatica *de Ecclesia* iam providi debet.

Ultima quaestio, venerabiles Fratres, erit ista: Estne inter nos opinio sat communis quod individualismus in nostro tempore reapse sit gravis et minax haeresis tam pro laicis, quam etiam aliquando pro eorum pastoribus? Estne inter nos sat communis opinio quod contra istam haeresim pastoralem ab ista Sancta Synodo remedium proprie christianum et evangelicum afferri debeat? Gratias!

In textu scripto tradito: [1] hoc capite. [2] Attamen. [3] ecclesialem. [4] (*Gal.* 5, 14). [5] (*Gal.* 6, 2). [6] (cf. *Act.* 2, 42). [7] deest.

Animadversiones additae:

Pars II, pag. 8, lin. 24 ante paragraphum sequentem addatur (in n. 24): « Attamen, tota ista vita personalis christianorum laicorum non individualiter vivitur, sed e contra in particularibus coetibus vel communitatibus qui per mundum sunt quodammodo prima manifestatio concreta totius sanctae Ecclesiae catholicae. Ut in pluribus, in vita quotidiana, per solas istas Ecclesiae cellulas, paroecias scilicet vel alios coetus conditionibus concretis hodiernae vitae aptatas, possibile est de die in diem, laicis christianis, totius sanctae catholicae Ecclesiae communionem in spiritu, in corde et in actione habere, fovere et foecundam reddere ». Propterea, in Ecclesia atque apostolatus incrementum, ... etc.

In n. 25, in pag. 9, post lin. 9, addatur novus paragraphus: « Memores tamen sint fideles et etiam sacerdotes aliique ministri ecclesiarum quod, docente S. Luca in Actibus Apostolorum, fervor et efficientia missionis apostolicae totius Ecclesiae apud eos qui adhuc christiani non sunt sicut a fonte vel radice indispensabiliter pendent a veritate et fervore totius communitatis christianae eorum qui sic a Domino mittantur in mundum. Quibus radicibus vel fontibus deficientibus vel neglectis, breviter apostolica navitas seu, ut aiunt, zelus missionarius, vel inefficax erit vel corrumpetur in navitatem mere humanam atque individualismum sapientem, valde adversantem naturae Ecclesiae quae essentialiter est communio sancta (cf. *Act.* 2, 42-43; 2, 46-47; 4, 32-33; 5, 12-16; 13, 2-4; etc.) ».

Paul Vignancourt, év. de Valence; Claude Flusin, év. de S. Claude; Pierre Boillon, év. de Verdun; Ioseph Schmitt, év. de Metz.

10

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

Venerabiles Fratres, carissimi Observatores et Auditores,

Perpauca[1] verba de laicis velim dicere. Mea humili sententia, adhortationes ad laicos directae ut ii in Ecclesiae operibus cooperentur, efficaciores in cap. III evaderent si magis ad rem pertinerent. Et quia

aliqua praeclara iam dicta sunt de theologia, velim loqui *tantum de applicatione,*[2] de praxi.

...[3] Igitur suggerere audeo ea quae sequuntur addenda esse ad finem art. 25 vel in alio loco: Laici omni hortatu invitentur ut in vita sua domestica, oeconomica, sociali, communitativa ac civili sint testes fidei. Insuper invitentur ut nomina et opera dent iis consociationibus quae tantum influxum habent in varias vitae condiciones in quibus laici principia christiana sua exercere debent, e. g. in consociationibus parentum ad scholas fovendas conditis, in consociationibus opificum, in consociationibus professionalibus et ad res caritativas fovendas, in consociationibus civicis et, *quod est maximi momenti, ad res politicas.*[4]

Quae omnes societates maximum habent influxum in vita omnium hominum cotidiana. Mundus enim ad Christum deduci minime potest nisi dictae consociationes spiritu Christi imbui possint. Omnes Supremi Pontifices recentiorum aetatum hac de re instanter loquebantur. Sufficit recolere eorum verba de societatibus subsidiariis et eorum valore in conditionibus vitae cotidianae moderandis; e. g. Pius XI praeclare hac de re tractavit in *Quadragesimo anno.* Mihi igitur maxime persuasum est hanc quoque Sacrosanctam Synodum de eadem re loqui debere.

Qua par est reverentia suggerere velim etiam ut in art. 26 (De christifidelium relatione ad hierarchiam) episcopis persuasum iri ut quaedam media peculiaria vel peculiares consociationes constituant ad consilia laicorum petenda. Ecclesia, in C.I.C., can. 1520, statuit consilium peritorum laicorum institui ad bona ecclesiastica materialia administranda. Immo magis, de rebus spiritualibus et mixtis episcopi utantur consilio laicorum peritorum. Laici enim, saepe saepius timidi, consilia magni momenti quandoque retinent ne *nimis*[5] audaces videantur. Porro multae iam adsunt consociationes, videlicet, *apud nos,*[6] Concilium Virorum Catholicorum et Concilium Mulierum Catholicarum in Statibus Foederatis...[7] atque aliae alibi similes, quae has res optime exsequi possent. Suggerere igitur velim ut, loco verborum « si qua sint » (*et intelligitur institutum huiusmodi*[8]) in art. 26, in pag. 10, lin. 32, legantur verba « et si non sint, erigantur ». Gratias multas. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pauca. [2] deest. [3] Equidem. [4] politicis. [5] deest. [6] deest. [7] Americae Septemtrionalis. [8] deest.

11

Exc.mus P. D. ALOISIUS CIVARDI
Episcopus tit. Thespiensis

Venerabiles Patres,

Aliquid breviter dicam de par. 25, pag. 8, seu de *vita salutifera et apostolica laicorum.*

Haec paragraphus multa bona et opportuna continet, et in genere iudicium favorabile meretur. Mea tamen sententia optandum est ut rationes dogmaticae et morales apostolatus laicorum magis dilucide exponantur, quia plurimum ad excitandum et ad excolendum spiritum apostolatus iuvant et ad repellendum spiritum individualismi *et egoismum religiosum* [1] valde diffusum.

Sicuti iam dixit em.mus D. card. Cento, oportet explicite affirmare officium apostolatus originem ducere non tantum a baptismo, sed etiam, et a fortiori, a confirmatione; et insuper apostolatum partem esse muneris caritatis erga Deum et erga proximum.

Haec omnia, uti notum est, passim inveniuntur in nonnullis Summorum Pontificum documentis de Actione Catholica.

Et revera: baptismus nos inserit in Corpus Christi Mysticum, i. e. in Ecclesiam; atqui, sicut in quolibet corpore physico, ita in quolibet corpore morali, nempe societate, omne membrum simul passive atque active se gerit; seu accipit aliquid a societate, et eidem quaedam donat (cf. Epist. Pii PP. XI ad episcopatum lusitanum, diei 10 novembris a. 1933).

Ad confirmationem quod attinet, scimus plures Patres et Ecclesiae Doctores clare docere christianum ab hoc sacramento aptum et idoneum fieri ad apostolatus opera. S. Thomas, e. g., in *Summa Theologica* perspicue asserit Confirmationem esse sacramentum donationis et certaminis pro Christi regno. Scribit ille inter cetera: « In hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem, cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios; antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit » (Pars III, Q. 72, a. 2).

Insuper in hac paragrapho valde opportunum videtur inserere hanc veritatem: scil. quod apostolatus est munus caritatis erga Deum et erga proximum.

Hanc veritatem aperte exposuit Pius PP. XI in Litteris Episcopis Argentinae, diei 4 februarii, a. 1931. Scribit Pontifex inter cetera: « Qui

vere proximum diligit, non potest non desiderare eius salutem, ac pro eadem strenue adlaborare. In hoc principio, *tamquam in suo fundamento,* apostolatus originem repetit; quia apostolatus nihil aliud est nisi caritatis christianae exercitium, quod omnes homines obligat ».

Haec verba Pontificis, perlucida et plena substantiae, valde apta sunt ad probandum universale munus apostolatus, et ad excitandos animos ad exercitium eiusdem apostolatus. Propono ergo ut verba Pontificis in schemate inserantur, saltem quoad substantiam.

Experientia plene me docuit non omnes laicos plene intelligere vim obligationis quae oritur a baptismo et confirmatione, *ex Corpore mystico Christi et ex regali sacerdotio* [2]; econtra omnes — etiam *rudes et* [3] imperiti — recte intelligunt officium apostolicum a caritate profluens. Etenim, si caritas nos urget ut curam habeamus *corporis* nostrorum fratrum, quomodo non urgebit ut curam habeamus eorum *animae?* Nonne anima plus est quam corpus? Et quid est apostolatus, nisi quaedam cura animarum?

Attenta igitur efficacitate huius argumenti ex caritate, quod simul persuadet et urget, peto ut non omittatur in hac paragrapho de vita apostolica laicorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

12

Exc.mus P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO
Archiepiscopus Senensis

Venerabiles Patres,

In cap. III agitur speciatim de laicis et quidem sub aspectu dogmatico ad enunciandam eorum positionem, dignitatem ac missionem in Ecclesia ex iure divino et ex iure ecclesiastico.

1. Ideo, in primis, occasionem arripere volo ad *salutem dicendam,* et quidem magno ex animo, laicis qui, ut auditores in hac aula conciliari ex Summi Pontificis benevolentia adsunt et aliquomodo repraesentant omnes laicos nostrae curae commissos pastorali, praesertim eos, qui nobiscum, zelo apostolico ducti, pro Christo et pro Ecclesia strenue adlaborant.

Nos omnes scimus laicos catholicos, immo et non catholicos, magna cum spe, decisiones ac indicationes exspectare Concilii Oecumenici Vaticani II; ideo sollicitudo nostra est hanc exspectationem, in praesentibus condicionibus Ecclesiae et mundi, nullimode deludere.

2. Propterea mihi videtur valde opportunum separare caput de populo Dei a capite de laicis, sicut plures Patres iam proposuerunt. Populus enim Dei comprehendit hierarchiam, religiosos et laicos. Ideo post tractationem de populo Dei sermo fieri debet et quidem distincte de hierarchia, de religiosis et de laicis.

3. Conatus autem commissionis theologicae in argumento « de laicis » evolvendo mihi laudandus videtur. Tamen tractatio magis ampla, distincta, completa desideratur.

Multa enim proferuntur quae pertinent ad omnes christifideles, sicut pluries explicite dicitur. V. g. pag. 9, sub littera *a*): « Christifidelium socius labor efficit ut fides annuntietur... Proinde laici... »; pag. 10 sub n. 26: « Christifideles omnes, laicis non exceptis »; pag. 11 sub n. 27: « omnium christifidelium... omnes utriusque sexus fideles... suscipiant suum, pro parte qua in mundo operantur, speciale officium, quod ab aliis neque praestatur neque praestari potest ». Ut evidens est et in nota 27 dicitur, sermo hic est praecise de laicis et tamen duabus vicibus vocantur « fideles ».

Sermo ergo fieri debet « de laicis », scil. de fidelibus, qui neque ad clericos neque ad religiosos pertinent, ut evitentur confusiones, et ampla detur demonstratio Ecclesiam revera doctrinam completam et praecisam de laicis possidere et in hoc Concilio prima vice sollemniter illam enucleare.

Ipsa latinitas sermonis aliquibus in locis perpolienda videtur; v. g. quid significant verba « valores religiosi » et « valores morales » de quibus in pag. 9 sermo est? In pag. 9, linn. 16 ss. legitur: « Quod si quidam eorum, deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, officia sacra pro facultate supplent; et si plures quidem ex eis pro regno Dei omnibus renuntiantes, totas vires suas in opera apostolica impendunt: universos tamen oportet ad augmentum extensivum et intensivum totius Corporis Christi cooperari ». Quae oppositio inter eos qui supplent sacerdotes vel ut permanentes in servitium Ecclesiae sese devovent et universos laicos non bene sonat, quia omnes cooperantur ad augmentum Corporis Christi; neque adhibenda videntur verba « extensivum » et « intensivum » tamquam nimis scholastica.

4. Sunt autem animadversiones maioris momenti. In pag. 6, linn. 31 ss. datur definitio descriptiva laicorum potius negativa, et in pag. 9 eorum apostolatus per summa capita describitur. Tota autem haec tractatio non satis biblica et affirmativa videtur. Difficultas utique invenitur in laicis praecise definiendis; sed plus quam iuridica definitio exquirenda sunt quae in S. Scriptura, in traditione, in historia ecclesia-

stica, in documentis pontificiis de laicis inveniuntur. Si v. g. loquamur de viris et mulieribus qui Iesum et apostolos comitabantur et opibus suis adiuvabant, de septuaginta viris missis a Domino ad annuntiandum regnum Dei, de laicis qui Paulum apostolum adiuvabant in suo apostolatu, si documenta proferantur a SS. Patribus tradita circa laicos; immo si describantur quae laici nostris temporibus in Ecclesia et pro Ecclesia agunt, certissime notio positiva, praecisa, realis, completa de laicorum apostolatu in Ecclesia habebitur. A. v., omnino procedendum est sicut pro episcopis in eadem constitutione ad detegendam voluntatem divini Fundatoris Ecclesiae. Ex ipsa revelatione, ex ipsa Ecclesia viventi eruenda sunt principia dogmatica de statu laicorum in Ecclesia, de eorum apostolatu in mundo pro Christo et pro Ecclesia.

5. Denique notandum est in pag. 9 sub littera *b*) et *c*) aliquam introduci apostolicam actionem Ecclesiae erga mundum et res temporales, de qua nihil dicitur ubi Ecclesia in genere praesentatur. Etenim apostolatus laicorum est, ut recte dicitur, apostolatus *ipsius* [1] Ecclesiae; sed si loquamur de laicis qui debent sanare « instituta et conditiones mundi » et « per opera etiam saecularia seipsos aliosque sanctificare, ita ut mundus spiritu Christi imbuatur », sicuti legitur pag. 9, necesse est prius recolere *quid facere potest et debet tota Ecclesia circa haec omnia.* Laici enim sanctificant mundum, quatenus agunt in mundo ut filii Dei et Ecclesiae, sed veritas, virtus, gratia, quibus seipsos et mundum sanctificant per ministerium hierarchiae a Deo recipiunt.

Necessarium ergo est addere in cap. I *de Ecclesia* aliquid circa missionem ipsius salvificam etiam relate ad res mundanas, ut aliqui Patres proposuerunt.

Ultimo, adhaereo his quae dicta sunt a D. Hengsbach et a D. Civardi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

13

EXC.MUS P. D. ALOISIUS MATHIAS
Archiepiscopus Madrapolitanus et Meliaporensis

Venerabiles Fratres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Loquar de laicis, tamquam auxiliariis vel cooperatoribus cleri seu catechistis et de condendo novo opere pontificio pro apta institutione et formatione eorum. Hoc opus vocari posset: Opus S. Pauli apostoli ad gentes.[1]

Neminem sane fugit humanum genus, varias ob causas, in praesentiarum valde celerius numero crescere quam anteactis temporibus, praesertim in quibusdam terrae regionibus ut v. g. in India et in Sinis.

Seposita ergo quaestione de actuali persecutione contra Ecclesiam in nonnullis orbis partibus ingravescenti, agnoscendum est numerum sacerdotum in dies continuo imparem evadere spiritualibus necessitatibus generis humani.

Domini autem sacrum mandatum annuntiandi Evangelium universo mundo inane certo fieri nequit. Quapropter a Patribus in Concilio Oecumenico Vaticano II, una cum quaestione de aptis excogitandis viis atque subsidiis ad augendas atque ad conservandas sacerdotales vocationes, disceptanda etiam esse videtur quaestio de parte munerum et officiorum sacerdotalium, quae non necessario cum sacro ordine cohaerent, delectis laicis canonice demandanda ...[2] qui ceterum, ex particulari conditione personarum et rerum, quandoque aptiores sunt ad regnum Christi dilatandum quam ipsi sacri ministri.

Iamvero in compertis est laicos cooperatores, quos « catechistas » vocant, in plerisque territoriis Missionum (immo in quibusdam quoque ordinariis dioecesibus) omnino necessarios evadere, non modo ad perficiendam essentialem partem ipsis demandatam in « consecratione mundi » ...[3], sed etiam ad praebendum sacerdotibus validum auxilium in ipso missionali opere.

Experientia, insuper, constat et auctoritative a Summo Pontifice Pio XII declaratum fuit, catechistarum opera in nonnullis negotiis efficacia superare actuositatem sacerdotum...[4]

Hodie denique catechistae, Dei providentis consilio, vocantur ad supplendum sacerdotum defectum, in dies magis timendum, quod attinet ad presbyteros exteros, quibus vel omnino negatur vel admodum difficilis fit ingressus in nonnullas regiones terrae.

Ut vero haec catechistarum opera ad plantationem conservationemque Ecclesiae vere efficax evadat, atque ordinata ratione adhiberi valeat, omnino requiritur:

a) ut imprimis, inter ferventes aptosque fideles ii naviter requirantur atque seligantur qui in hanc varietatem officiorum, quam supra innuimus, alia munera una cum facultatibus congruis pressius definienda, secura ratione immitti possint;

b) ut ipsorum institutioni atque formationi rite consulatur in aptis institutis seu « seminariis » ...[5]

c) ut ipsis, tam pro se quam pro ipsorum familia, congruum stipendium solvatur...[6]

Firma ergo praeeunte experientia, fructibus roborata, Operis S. Pe-

tri Apostoli pro Clero Indigeno, necnon Operis a S. Infantia, qua par est reverentia petere audemus, ut et pro catechistarum institutione, speciale Opus Pontificium condatur, quod appellari posset: « Opus S. Pauli apostoli ad gentes » ...[7]

Huiusmodi autem « Opus S. Pauli apostoli ad gentes », dum a Deo electi apostoli nomen et patrocinium celebraret, pontificale propositum Summi Pontificis Pauli feliciter regnantis ad actum deduceret quod attinet ad operam laicorum in Ecclesia explendam; quae sane hodiernis necessitatibus ita expostulatur, ut idem Summus Pontifex haud dubitaverit aetatem nostram declarare « horam laicorum ». *Haec sunt verba Summi Pontificis*: « *Venite ad aiutare questo clero che oggi si fa così scarso. Venite convinti che bisogna operare oggi e subito, che non c'è da perdere neppure un'ora; i bisogni sono immensi ed urgentissimi. Venite ad aiutarci a dire al mondo dov'è la verità, dov'è l'errore, questo mondo così distratto e come travolto dai movimenti centrifughi. Bisogna operare oggi e subito; domani potrebbe essere troppo tardi. È l'ora dei laici* ».[8]

Antedicta vero instituta seu seminaria catechistis destinanda hodiernis temporibus talem effectum in Ecclesiam inducere valent atque descriptum Opus S. Pauli ad haec instituta erigenda atque sustinenda tam aptum subsidium apparet, ut spirituale bonum ad quod ordinatur, haud immerito cum illo comparari possit quod genuit institutio seminariorum pro clericis a Concilio Tridentino decreta.

Rogamus igitur, *venerabiles Fratres*,[9] ut, sicut praedecessores nostri in Tridentina Synodo seminaria clericorum constituerunt, ita nos in Synodo Vaticana II congregati seminaria catechistarum condamus, *seu* « *Opus S. Pauli ad gentes* ».[10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (iisque quoque laicis, qui omnia onera sacro Ordini connexa quacumque de causa suscipere nequeunt). [3] (cf. Allocutionem S. P. Pii XII, 5 oct. 1957). [4] (Allocutio citata). [5] (cf. Alloc. cit.). [6] (cf. Alloc. cit.). [7] Siquidem ut parvuli eorumque parentes sollicite alliciuntur ad praebendum auxilium Operi a S. Infantia, ita spes affulget ut cooperatores laici apostolatus hierarchici, hoc modo, speciali ratione ducantur ad seminaria catechistarum sustentanda pro locis missionum aliisque peculiaribus regionibus oratione, propagatione, subsidiis auxiliisque cuiuscumque generis. [8] (cf. sermonem die 1 septembris 1963 Tusculi habitum). [9] deest. [10] deest.

14

Exc.mus P. D. HERBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regiorum, coad. Katovicensis

Venerabiles Patres,

Breviter loquar.[1] In cap. III, art. 24, pag. 7, lin. 40, et in pag. 8, lin. 1, legimus: in familia « velut Ecclesia domestica, parentes saepe sunt primi fidei praecones ». Haec sententia exprimit veritatem, quae olim in multis catholicis societatibus fere universaliter exsecuta erat pro bono Ecclesiae et status civilis.

Attamen hodie solummodo in nonnullis, non numerosis familiis mundi occidentalis realisatur. Qua de causa maximum malum pro Ecclesia et societate civili provenit.

Hoc damnum spirituale in bonum spirituale uniuscuiusque familiae catholicae verteretur, si omnes catholici parentes moralem obligationem agnoscerent seipsos semper primos praecones fidei pro suis liberis esse.

Proponimus igitur comma hoc « saepe sunt primi fidei praecones » substituere per firmiorem et meliorem expressionem, *i. e.*[2] « semper sint primi fidei praecones ».

Hic modus dicendi magis consentaneus est cum traditione catholica et specialiter cum doctrina ab ultimis Summis Pontificibus iterum atque iterum repetita.

Principium hoc, secundum quod catholici parentes semper primi fidei praecones esse debent, specialiter inculcandum est animis iuvenum et virginum qui ad matrimonium contrahendum se praeparant.

Si hoc principium tota anima agnoscunt et apprehendunt, in futuro primi catholici institutores et educatores suorum liberorum libenter devenient.

Ergo malum hodie valde divulgatum non committent et obligationem instruendi et educandi animas suae prolis in fide et moralitate catholica in alios non reicient.

Ex hoc optimae consequentiae provenient pro hodierna familia catholica, quae fere ubique sananda est pro bono Ecclesiae et totius humanitatis.

In hac materia bonum christianum et ecclesiasticum cum universali bono humanitatis concordat. Si hodie incessanter repetitur: nostri laici non debent passivi sed activi esse, eorum catholica activitas *aposto-*

lica,[3] religiosa et moralis incipi debet in familia, in qua parentes « semper sint primi fidei praecones ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

15

Exc.mus P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

Dum commissioni conciliari de doctrina fidei et morum gratias ex corde ago quod in schemate *de Ecclesia* inseruerit tractationem de populo Dei, plene simul adhaereo normae a commissione de laboribus Concilii coordinandis traditae ut « de populo Dei » agatur statim postquam actum est « de Ecclesiae mysterio ».

Etenim ad « populum Dei » constituendum Ecclesiae mysterium ordinatur. Populus autem Dei significat universam christifidelium multitudinem, non quidem quasi promiscue et indiscriminatim adunatam, sed ordinate in unum collectam. Proinde sub illa appellatione comprehenduntur et sacra hierarchia in variis suis gradibus, et simplices fideles secundum singulorum statum et conditionem.

De toto autem agendum est antequam de singulis partibus.

Ecclesiam Christi constituere in mundo novum Dei populum, et quidem secundum quod iam in Veteri Testamento praedictum fuerat, pertinet ad explicitam praedicationem apostolicam.

Iam S. Iacobus in ipso Concilio Hierosolymitano sic alloquitur adstantes: « Viri fratres, audite me. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus *populum nomini suo*. Et huic concordant verba prophetarum etc. » ...[1]

Similiter Paulus in II ad Corinthios: « Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus ». *Missas facio alias citationes.*[2]

Haec notio qua, ad mentem ipsorum apostolorum, exprimitur transitus oeconomiae salutis a Veteri ad Novum Testamentum, praegnans est consequentiarum sive ad profundius intelligendum ipsum Ecclesiae mysterium, sive ad fideles edocendos de sua supernaturali dignitate deque sua ad ipsam sanctitatem ordinatione.

1. *Profundius percipitur mysterium Ecclesiae.* Si enim instituitur comparatio inter « populum Dei » Veteris Testamenti et novum « populum Dei » a Christo constitutum, plura quae ad ipsum mysterium Ecclesiae essentialiter pertinent logice profluere dignoscuntur. Ita:

In novo populo Dei a Christo condito finem suum attingit oeconomia qua Deus « populum suum » in Veteri Testamento prosequutus est. Novus populus Dei est adimpletio et haeres promissionum quae per « populum Dei » Veteris Testamenti toti humanitati factae sunt.

Populum illum Veteris Testamenti vinculum carnale constituebat, quia eius munus restringebatur ad Redemptoris adventum praeparandum. Novus populus constituitur vinculo illo spirituali quod a Christi redemptione peracta profluit. Ipsum sacerdotium in populo illo temporaneum erat et carnaliter transmittebatur; in novo populo Dei perenne est et spiritualiter transmittitur.

In populo Dei Veteris Testamenti, propter eius munus limitatum, fere nulla erat vocatio missionaria. Haec vero in novo populo Dei intrinsece pertinet ad ipsam eius essentiam, siquidem ipsa redemptio, qua novus populus Dei constituitur, est per seipsam ordinata ad omnes homines.

Populus Dei Veteris Testamenti exspectabat Redemptoris adventum in mundum, et ideo tota oeconomia salutis et vita spiritualis hac exspectatione signatur. Novus Dei populus iam nullam Dei publicam manifestationem his in terris exspectat, sed totaliter ordinatur ad eschatologicam Christi iudicis exspectationem.

Sic igitur essentialia elementa ipsius Ecclesiae mysterii e notione novi « populi Dei » logice *profluunt.*[3]

2. *Insuper fideles edocentur de sua supernaturali vita deque sua ordinatione ad ipsam sanctitatem.* Nisi velimus, venerabiles Patres, notionem *graviter*[4] deficientem tradere de populo Dei, omnino necesse est ut ad illam realitatem internam, scil. ad gratiam sanctificantem, praecipue attendamus, qua in populum Dei secundum apostolorum doctrinam constituimur.

Secundum apostolorum doctrinam novus populus Dei est fructus redemptionis a Christo peractae. « Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem » ...[5]. Id quod efficacia redemptionis operatur in singulis est conditio et via ut novus populus Dei constituatur. « In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura » ...[6]

Ad hanc novam creaturam quae in singulis animabus vi redemptionis generatur, oportet attendere ut in lucem ponatur propria natura ipsius populi Dei.

Et hic est locus proprius ut de ipsa vocatione ad sanctitatem agatur, quae per se omnibus patet.

Licet non omnes de facto sanctitatis perfectionem attingant, certum tamen est omnes per se ad sanctitatem ordinari.

Etsi enim non exstaret explicitum praeceptum divinum omnes impellens ad perfectam dilectionem erga Deum et proximum, ordinatio ad sanctitatem maneret intrinsece pertinens ad ipsam naturam gratiae sanctificantis. Cum enim conferat mysteriosum consortium divinae naturae, cum sit radix virtutum theologalium et moralium, praesertim caritatis, cum sit intime connexa cum inhabitatione Spiritus Sancti arcano modo in nobis clamantis « Abba, Pater », agnoscenda est in ipsa gratia habituali quaedam interior lex evolutionis et progressus, sive quantum ad purificationem a peccatis et vitiis, sive quantum ad Christi imitationem et ad perfectionem et radicationem virtutum versus sanctitatem et vitam aeternam. Haec intrinseca gratiae evolutio per se nullum limitem praestitutum habet.

Cum autem gratia per Baptismum omnibus detur qui per ipsum in populum Dei aggregantur, omnibus ab intrinseco datur haec ordinatio ad sanctitatem quae secundum uniuscuiusque conditionem erit modis diversis in actum reducenda.

Haec oportet in hoc capite de populo Dei clare dicere pro munere ipso pastorali Concilii, ut fideles edoceantur *a Concilio* [7] se in populum Dei constitui non ut mediocrem vitam spiritualem ducant, sed ut ad hanc altissimam sanctitatis metam contendant ad quam ordinantur vi ipsius gratiae habitualis iam per baptismum receptae. Edoceantur autem a Concilio, hoc in loco, in populo Dei, sicut in caelo, mansiones multas esse, modos autem diversos sanctitatis prosequendae nullam violentiam singulorum vitae conditioni inferre, sed Dei sapienti consilio harmonice cum ea componi.

Concludo.[8] Evolvatur igitur in hoc capite conceptus qui tangitur tantum in n. 23, pag. 5, linn. 16-20, et huc transferantur ea quae de vocatione ad sanctitatem habentur initio cap. IV praesentis schematis, nn. 28-30, cum necessariis adaptationibus textus et contextus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Act.* 15, 14-15). [2] (2 *Cor.* 6, 16; cf. *Hebr.* 8, 10). Ad Titum autem scribens (2, 14) constitutionem populi Dei dicit esse scopum redemptionis ab ipso peractae: « Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret *sibi populum* acceptabilem ». Sollemnius ipse Petrus in sua 1 ep. 2, 9-10, christifideles alloquitur: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, *populus acquisitionis*... qui aliquando non populus, *nunc autem populus Dei* ». [3] fluunt. [4] deest. [5] (*Tit.* 2, 14). [6] (*Gal.* 6, 16). [7] deest. [8] deest.

16

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Venerabiles Patres,

Notanda ad cap. III *de Ecclesia,* pag. 10, n. 26, linn. 39 ss.

Placent quidem optima quae in hac paragrapho de oboedientia dicuntur. Tamen supprimenda videntur in lin. 40 verba « in illis praesertim ». Ratio est quia semper in praepositis, quicumque illi sint, auctoritas nomine Christi vel Dei, saltem implicite exercetur vel exercenda est cum iuxta S. Paulum omnis auctoritas sit a Deo.

Humiliter propono ut doctrina de oboedientia praepositis debita, maiori extensione enucleetur. Errores quoque hodierni clare denuntientur et proscribantur. Rationes:

1. Concilii munus non tantum est veram doctrinam exponere, sed etiam errores detegere et efficaciter cavere ut fideles ab illis arceantur, quod sane non nisi clara eorum damnatione obtinetur.

2. Pericula praecavere et salutaria media adhibere ad veram fidei doctrinam tutandam, postulat imprimis indoles pastoralis magisterii Ecclesiae, et modo speciali scopus huius nostrae Synodi. Concilium enim Vaticanum II a sanctae memoriae Papa Ioanne XXIII coactum est, « ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur »...[1] Numquid efficacior ratio dicenda est occultatio vel dissimulatio errorum, quorum damnationem fervidi christifideles a nostro Concilio spectant?

3. Praeclare dilectissimus Papa noster Paulus VI, feliciter regnans, in praeclara sua allocutione die S. Michaelis habita, docuit: « Quae profecto caritas animum erigit Nostrum. Nam cum vita hominum, ut nunc est, oculis obversatur Nostris, sponte fit ut metu magis afficiamur quam solatio, dolore magis quam laetitia, atque ad periculum arcendum et ad errores damnandos magis quam ad fiduciam et amicitiam moveamur ».

Quapropter consiliis adhaeremus em.mi card. Micara, paucis abhinc diebus in hac aula per suum delegatum prolatis, ac stimulis suae pastoralis conscientiae respondentibus; videlicet, ut Concilium nostrum, sicut praecedentia oecumenica Concilia constanter fecerunt, errores etiam aperte proscribere non desinat.

Quibus breviter indicatis, rogamus ut ad finem n. 26 addantur verba, quae in prima schematis redactione pag. 60 legebantur. Scil.:

« Errant qui docent nullam in Ecclesia Christi potestatem adesse nisi ipsum Christum eiusque divinam legem », et ea quae sequuntur usque ad illius paragraphi finem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*AAS,* 1962, pag. 790).

Animadversiones additae:

Pars II, cap. III, pag. 10, lin. 17 dicit: « Sicut enim merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita pariter infensus " laicismus " seu " saecularismus ", qui scil. societatem extra omnem religionem extruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur ».

« Terrena civitas » hic sumi videtur pro civili societate et auctoritate, in quantum haec de rebus materialibus curat.

Huius civilis societatis et auctoritatis indolem, naturam, declaratur esse laicam; i. e. profanam, areligiosam.

Age vero, etsi societatis et auctoritatis civilis speciale munus et finis sit populis procurare terrena materialia bona; attamen eius indoles minime profana et areligiosa est vocanda.

1. Quia civilis et auctoritas et societas Deum habent auctorem, cui, *tanquam civilis* societas et auctoritas aliquem cultum tribuere tenentur.

2. Societas et auctoritas civilis Deo creatori et verae religioni debet submitti.

3. Non bonorum materialium progressum tantum, sed moralium et religiosorum quoque in suis legibus et prae oculis habere debet et promovere.

4. Culturam moralem et unicam veram religionem legibus et exemplo favere tenetur.

5. « Gubernatores suis populis procurare debent non modo prosperitatem materialem et bona exteriora, sed maxime curare de animis bonis » (Leo XIII, encycl. *Libertas,* 20 iun. 1888).

Quae cum ita sint, verba « Probari debet indoles laica terrenae civitatis » supprimenda, aut aptanda videntur, hoc modo: « Sicut enim merito probari debet terrenam civitatem, saecularibus curis iure addictam, propriis regi principiis, ita pariter... etc. ».

17

Exc.mus P. D. VILLELMUS PHILBIN
Episcopus Dunensis et Connorensis

Cap. III schematis *de Ecclesia* in genere placet: sed, nisi ex uno aspectu emendetur et compleatur, timeo ne confirmet et propaget notionem minus rectam de materia quae hodie est summi momenti.

Meminerimus enim quam saepe Ecclesia depingatur tamquam ex-

clusive sollicita de altera vita et nullam curam habens de bono mundano et materiali hominum. Si textus ut est publicetur, haec accusatio pro confirmata habebitur, nam in hoc capite de vita laicorum fere nihil dicitur de operibus formaliter laicalibus, i. e., saecularibus: tota haec quaestio paucis lineis in pag. 9 et 10 absolvitur. Necesse est igitur ut in hoc contextu plena et accurata notio edatur principiorum quibus gubernatur mens Ecclesiae quoad curas et negotia huius mundi in quibus maxima pars vitae hominum, catholicis inclusis, consumitur. Imprimis corrigenda est notio iuxta quam Ecclesia promovet tantum caritatem erga homines quae vocari potest remedialis et post factum, nempe pauperes et afflictos sublevando, sed non caritatem constructivam et, ut ita dicam, ante factum, i. e. omni modo conditionem hominum ita elevando ut numerus pauperum decrescat utque minus opus sit remediis. Clare affirmetur Ecclesiam curare non tantum de individuis singillatim sumptis sed etiam de statu humano in genere.

Asserendum est in schemate naturaliter bonam esse vocationem multo maioris partis humani generis, ergo et laicorum catholicorum, quae finem habet bono materiali hominum providendi, nec requiri nisi auxilium divinae gratiae et orientationem ex caritate ad Deum, ut haec vocatio fiat etiam supernaturaliter bona. Nostrum est indicare viam ad hanc supernaturalem qualitatem attingendam, ne plures catholici opera sua cotidiana habeant ut indifferentia et neutra quoad salutem. Nostrum simul est quam plurimum conferre ad bonum commune omnium, motiva et allectationes summi valoris supplendo ad augendas totius mundi opes.

Paupertas non est in se bona et sacra. Deus in principio dicitur cuncta vidisse et invenisse bona: adhuc etiam cuncta sunt bona et baptizari possunt ut et bonitatem christianam habeant. Mala distributio rerum est offensa contra iustitiam socialem, offensa quam omnes removere tenemur in quantum possibile. Tempus nunc opportunum est clare et sine ambiguitate haec et alia similia enuntiare.

Curandum est etiam ut haec benedictio ecclesiastica videatur non pertinere tantum ad labores usitatos et traditionales, sed se extendere ad omnes artes scientificas et technologicas, ad omnia instituta et incepta et conamina socialia et internationalia, quibus conditio humana in genere et in particulari adiuvatur, et opus creationis plene evolvitur et veluti completur. Cavendum est ne videamur esse indifferentes vel inimici progressui mundano; e contra fautores videamur omnis consilii quo melior usus fieri possit opum naturalium pro numero semper crescente familiae humanae. Quo magis enim prohibemur populationem artificialiter restringere, eo vel pressius meliores modos sustentandi homines petere debemus.

Virtutes naturales, quae saepius exercentur circa res materiales, inculcari debent tamquam laus et gratiarum actio erga Creatorem, quales sunt industria, temperantia, sui disciplina, necnon usus prudentiae et intelligentiae in viribus materialibus adhibendis, etc. Nos bonam famam apud mundum quaerere debemus iuxta mentem S. Pauli: laici doceantur talem ambitionem colere utpote aspectum apostolicum habentem. Quando autem bonitas moralis huiusmodi curae et laborum inculcatur, exempla B. Mariae Virginis et S. Ioseph citari debent qui maximam partem vitae suae operibus quae servilia vocantur consecraverunt, et quorum vitae certissime demonstrant — quod ex hoc schemate vix suspicari possumus — non omnem vocationem ad sanctitatem esse vocationem religiosam stricte dictam. Immo exemplum ipsius Domini adiungere possumus, qui saepissime etiam per miracula conditioni physicae et materiali hominum subvenit.

Mentio S. Familiae in mentem vocat aliam lacunam extraordinariam in hac materia: nulla fit mentio bonorum quae a vita familiali recte constituta omnibus fidelibus et etiam infidelibus profluunt, ad arcendos nempe influxus malos ita hodie grassantes contra virtutes et valores christianos tam naturales quam supernaturales. Caveamus ne parvipendere videamur familiam ad exemplar Divinae Familiae ordinatam vel ipsam vocationem altissimam quae, ad familiam fundandam, plurimis viris et feminis sicut omnium nostrum parentibus conceditur a Deo.

Uno verbo, in conclusione, cap. III loqui videtur de mundo ideali et de hominibus idealibus qui spiritu tantum vivunt. Non satis realistice de homine lapso concipit, qui usu rerum terrestrium per laborem et sudorem vitam sui et suorum sustinere tenetur et hoc agendo vitam aeternam mereri. Dixi.

Moderator: Nunc exc.mus D. secretarius generalis legat exitum suffragationum quae mane factae sunt.

Secretarius generalis:

Emendatio IX:

Praesentes votantes	. . . .	2.250
Dixerunt	*placet*	1.637
	non placet	607
	placet iuxta modum (votum nullum) . .	1
Suffragia	nulla	5

Emendatio X:

Praesentes votantes	2.248
Dixerunt *placet*	2.207
non placet	39
Vota nulla	2

Ergo duae emendationes maioritati placuerunt.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS LI

18 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LI

18 octobris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 51 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Durante hac congregatione distribuetur fasciculus de emendationibus super cap. IV schematis *de sacra Liturgia,* de Officio divino.

Lego nomina eorum Patrum qui uti verbo petierunt circa cap. III schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; exc.mi DD. Paulus Sani, ep. Denpasarensis in Indonesia, Laurentius Picachy, ep. Iamshedpurensis in India, Godefridus Dayez, praes. Congregationis Benedictinae in Belgio; Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis in Germania, Arturus Tabera, ep. Albasitensis in Hispania, Paternus Geise, ep. Bogorensis in Indonesia, Ioseph Vairo, ep. Gravinensis in Italia, Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania, Leo Duval, arch. Algeriensis in Algeria, Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia, Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio, Aegidius Barthe, ep. Foroiuliensis in Gallia, Raimundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Carolus Wojtyla, vic. cap. Cracoviensis in Polonia, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali, Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia, Ioannes Hervás, ep. Cluniensis in Hispania, Henricus Golland, arch. Botucatuensis in Brasilia, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia, Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, Iulius Daem, ep. Antverpiensis in Belgio.

Suffragationes super emendationes cap. IV, nempe quoad fasciculum quod hodie distribuetur, incipient feria II proximae hebdomadae.

Moderator: Nunc secretarius generalis legat textum cap. III constitutionis *de Liturgia,* de quo fiet postea votatio.

Secretarius generalis: Videatis, venerabiles Patres, pag. 19 fasciculi qui continet cap. III schematis *de sacra Liturgia* [*cf. Vol. II, pars II, pag. 550*]: cap. III, *De ceteris sacramentis et de sacramentalibus*: « Sacramenta ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, ad cultum denique Deo reddendum; ut signa vero etiam ad instructionem pertinent. Fidem non solum supponunt, sed verbis et rebus etiam alunt, roborant, exprimunt; quare fidei sacramenta dicuntur. Gratiam quidem conferunt, sed eorum celebratio fideles optime etiam disponit ad eamdem gratiam fructuose recipiendam, ad Deum rite colendum et ad caritatem exercendam ». Et reliqua, usque ad pag. 25, in verbis: « Recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur ».

Suffragatio fit per *placet, non placet, placet iuxta modum,* sed modi debent exhiberi una cum schedula suffragationis. Gratias!

Moderator: Priusquam ad disceptationem cap. III nostri schematis *de Ecclesia* redeamus, velint Patres benignis auribus audire haec: omnes Patres em.mi, exc.mi et rev.mi enixe rogantur ut orationes suas intra decem momentorum spatium teneant.

Si brevior fuerit sermo, generatim proderit rei, sed semper serviet bono Concilii progressui. Si casus ferat, ne indignentur Patres se ad concludendum sermonem moneri.

Item, Patres intra ambitum materiae nunc temporis tractandae maneant et repetitiones omittant.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Nonaginta et unus episcopi Brasilienses mihi commiserunt rev.mis Patribus, viva voce necnon per secretariatum huius Sacri Concilii, communicare quasdam adnotationes relate ad cap. III schematis *de Ecclesia,* simul cum nominibus eorum qui in totum vel cum aliqua restrictione eas adprobaverunt.

Praecipuae autem emendationes sunt. Modo generali placet nobis cap. III. Assertiones optimas continet, immo sat pulchras, sed deest ei sobrietas, claritas et dispositio logica. Adnotationes tantum maioris momenti nunc praesentamus, alias secretariatui tradendo.

Nostro iudicio caput istud reformandum esset, eo magis cum iam

nuntiabatur in ipso schemate (nota ad calcem pag. 5) quod commissio de laboribus Concilii coordinandis censuit ipsum dividendum esse in duas partes, quarum prior foret de populo Dei in genere, altera vero de laicis in specie.

Cum autem ad hunc finem iam aliqua emendatio praesentata fuerit, uti exstat in fasciculo emendationum a pag. 5 usque ad 11, ei assensum praebemus, salvis tamen immutationibus nunc exponendis.

Desiderandum nobis videtur quod in par. 24, pag. 7, clarior fieret participatio in sacerdotio Christi per susceptionem baptismatis et confirmationis, unde per ea sacramenta homines ad cultum religionis christianae charactere deputantur. Sic melius apparebit naturam communitatis sacerdotalis in ipsis characteribus sacramentorum fundatam esse. Proponimus ergo hanc emendationem, in pag. 7, linn. 24-28: post *baptismum* sic immutetur: « In Ecclesiam incorporati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur, et in filios Dei regenerati fide, quam a Deo per Ecclesiam acceperunt, profiteri tenentur. Sacramento confirmationis quo perfectius Ecclesiae vinculantur et speciali Spiritus Sancti robore ditati ad fidem verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur ».

Simili ratione, i. e., ut compleatur exercitium illius sacerdotii in sacramentis, conveniens erit quod aliqua referentia fieret quoad sacramenta paenitentiae, unctionis infirmorum et Ordinis; et ad hunc finem sequentem emendationem proponimus: post *liturgia agunt* addatur: « Per sacramentum paenitentiae regnum peccati in seipsis valide impugnant et firmum suum propositum Ecclesiae et Christo fideliter adhaerendi continuo manifestant, ita ut in difficili vitae agone positi, et oleo infirmorum muniti, toto animo passioni et morti Christi libere sese socient per graves morbos, immo per ipsam mortem ad salutem fratrum suorum concurrendo. Qui vero sacro Ordine insignuntur, ad augendum et pascendum populum Christo consecratum instituuntur ».

Tandem, in par. 26, ad complendum quae praeclara dicta sunt de christifidelium relatione ad hierarchiam, et praecise ut clare appareat munus episcopale servitium esse quo mediante pastor cum suo intime connexus grege perfecte oboedientiam erga Deum adimplebit, hanc proponimus emendationem: addatur: « Haec erit humilis obaudito qua, ut Christi imitatores oboedientis Patri, pastores signa Dei in Ecclesia manifestata inquirent ». Dixi.

Animadversiones additae:

I. Quoad totum caput: assertiones optimas continet, immo sat pulchras, sed deest ei sobrietas, claritas, et praecipue dispositio logica. Adnotationes tantum

maioris momenti proponemus, ceteris omissis quia nostro iudicio caput istud esset reformandum, eo magis cum iam nuntiabatur in ipso schemate (nota ad calcem pag. 5) commissionem de laboribus Concilii coordinandis, censuisse aliter caput dividendum esse, quod de facto constat factum esse (emendationes ad partem II pag. 5-11). Quare proponitur: An adhaerendum sit emendationi propositae pag. 5-11 emendationum partis II (*adprobaverunt 90*).

II. Pag. 5, linn. 8-9: sic mutetur: « ... sunt, *ut onus*... in se suscipiant, *sed ut fideles*... » (*adprobaverunt 91*).

III. Pag. 6, lin. 31: post « Synodus » addatur « *in hac parte* ». *Ratio*: ut clarius intellegatur non agi de vera definitione « laici » ut sic, sed de mera explicatione termini ut in hoc capite adhibetur (*adprobaverunt 89*).

IV. Pag. 7, lin. 2: post « Corporis vocatio » addatur emendatio quae invenitur in pag. 10-11 emendationum partis II. *Ratio*: ut melius describatur saecularis character laicorum (*adprobaverunt 91*).

V. Pag. 7, lin. 23: post « per ea » addatur « *praecipue* ». *Ratio*: ne videantur excludi ceteri vitae christianae actus (*adprobaverunt 90*).

VI. Pag. 7, linn. 24-28: post « baptismum » sic immutetur: « in Ecclesiam incorporati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur, et in filios Dei regenerati fidem, quam a Deo per Ecclesiam acceperunt, profiteri tenentur. Sacramento confirmationis quo perfectius Ecclesiae vinculantur et speciali Spiritus Sancti robore ditati ad fidem verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur ». *Ratio*: ut melius ostendatur laicos per baptismatis et confirmationis sacramenta participationem recipere in Sacerdotio Christi, dum in aliis sacramentis laicorum sacerdotium tantum exercetur (*adprobaverunt 91*).

VII. Pag. 7, lin. 32: post « liturgia agunt » addatur: « *per sacramentum paenitentiae regnum peccati in seipsis valide impugnant et firmum suum propositum Ecclesiae et Christo fideliter adhaerendi continuo manifestant, ita ut in difficili vitae agone positi, et oleo infirmorum muniti, toto animo passioni et morti Christi libere sese socient per graves morbos, immo per ipsam mortem ad salutem fratrum suorum concurrendo. Qui vero sacro ordine insigniuntur, ad augendum et pascendum populum Christo consecratum instituuntur* ». *Ratio*: non intelligitur cur tria memorata sacramenta in textu omittentur (*adprobaverunt 91*).

VIII. Pag. 8, linn. 4-7: omittatur. *Ratio*: melius edicitur in emendatione anteriori (*adprobaverunt 91*).

IX. Pag. 10, linn. 7-22: mandetur ad schema XVII. *Ratio*: agitur de re complexa et magni momenti, nempe de relatione inter Ecclesiam et Statum (*adprobaverunt 91*).

X. Pag. 10, lin. 38: addatur « Haec erit humilis obauditio qua, ut Christi imitatores obedientis Patri, pastores signa Dei in Ecclesia manifestata inquirent ». *Ratio*: ut clare appareat munus episcopale servitium esse quo mediante pastor cum suo intime connexus grege perfecte obedientiam erga Deum adimplebit (*adprobaverunt 90*).

XI. Pag. 10, § 26: desideratur mentio de obligatione quam habent fideles adiuvandi in cultus sustentatione, quavis tamen auri sacra fame seposita (*adprobaverunt 90*).

José Varani, Gabriel Bueno Couto, João Rezende Costa, José Maria Pires, Candido Julio Bampi, José d'Angelo Neto, José André Coimbra, Raimundo Lui, Diego Parodi, Climério Andrade, Epaminondas Araujo, Adelmo Cavalcante Ma-

chado, José Nepote, Miguel D'Aversa, Gregorio Warmeling, Oscar de Oliveira, Gentil Diniz Barreto, Jaime Luiz Coelho, Agnelo Rossi, Benedito Coscia, Tomás Vaquero, Manoel Tavares de Araujo, José Adelino Dantas, João de Souza Lima, Eliseu Mendes, Edmundo Luiz Kunz, Honorato Piazera, José Medeiros Delgado, João Muniz, Martinho Michler, Antonio Mendonça Monteiro, Vicente de Paulo Araujo Matos, José Brandão Castro, José Mauro Alarcon Santiago, José de Medeiros Leite, Gerardo Ferreira Reis, Claudio Colling, Alonso Silveira de Mello, Acácio Rodrigues Alves, Serafim Fernandes de Araujo, Bernardo José Mieli, Walfrido Vieira, José Lamartine Soares, Alberto Etges, José Pedro Araujo Costa, João José da Mota e Albuquerque, Antonio Batista Fragoso, José Hascher, Carlos Coelho, José Lazaro Neves, Adolfo Luis Bossi, Francisco Borja do Amaral, Caetano Antonio Lima dos Santos, José Costa Campos, José Gomes, Altivo Pacheco Ribeiro, Walmor Battu Wichrowski José Eugenio Corrêa, Cornelio Veerman, Arcangelo Cerqua, Manoel da Silveira D'Elboux, Geraldo Maria Penido Burnier, Victor Tielbeck, Anselmo Pietrulla, Stanislau van Melis, Frei Felicio Cunha Vasconcelos, José Terceiro de Sousa, Othon Motta, Cesário Minali, José de Aquino Pereira, Ruy Serra, Herminio Malzone Hugo, Manoel Pedro da Cunha Cintra, José Melhado Campos, Geraldo Micheletto Pellanda, Florêncio Sisinio Vieira, Candido Padin, Paulo de Souza Liborio, Marzi Adalberto Domenico, Vicente Scherer, João Batista Mota e Albuquerque, Helder Pessoa Camara, José Thurler, Benedito Zorzi, Daniel Baeta Neves, José Nicomedes Grossi, José Gonçalves da Costa, Aloisio Lorscheider, David Picão, Eliseu Maria Coroli.

Adhaereo, circa cap. III, omnibus quae in aula conciliari dicta et bene exposita sunt ab em.mis cardd. Ruffini et Bacci die 16 m. oct.

Adhaerere volo interventioni habitae hodie (die 21 oct.) ab exc.mo arch. Colombensi in Ceylon, mons. Thomas Cooray, qui distinctionem proposuit pro distinctione inter sacerdotium sacramentale et spirituale (scil. laicorum).

2

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Patres venerabiles,

Haec interventio mea erit integre vel fere integre practica et realistica, non vero theologica et mystica. Interventio mea respicit laicum, non idealem, sed laicum sanum, gaudentem vigore corporis ac sanitate mentis, in hac lacrimarum valle degentem, subiectum virtutibus et defectibus naturae humanae, laicum qui non est adhuc nova creatura, sed qui potest fieri talis si principia optime enuntiata in schemate eius considerationem mereantur et, auxiliante divina gratia et supposita bona voluntate, ea principia in praxim deducantur.

Ergo[1] hoc schematis caput, quoad substantiam, mihi acceptabile esse fateor; conceptum enim verum de missione laicorum in Ecclesia

tradit. Hic conceptus optime sub n. 22, in linn. 8, 9, et 10 continetur, ubi legimus: « Pastores scil. instituti sunt, non ut totum onus aedificandi mystici Christi Corporis in se suscipiant, sed ut fideles ita pascant et regant, ut cuncti suo modo et in suo ordine ad commune opus explendum cooperentur ». *Cur hoc assertum? Quia sunt pastores qui nolunt nec quaerere nec recipere collaborationem laicorum, et si interdum recipiunt hanc collaborationem, dant impressionem laicis quod est solum privilegium laicorum collaborare. Ideoque*[2] sub n. 25, in linn. 8 et 9 dicitur: « Ius proinde iidem habent, ut pro suis viribus opus salutare Ecclesiae etiam operose suo modo participent ». *Et scimus quod iura et officia sunt correlativa.*[3]

Re quidem vera, quod hoc in schemate enuntiatur logice omnino sequitur, statim ac id quod in cap. II, sub n. 17 continetur, admittimus. Si etenim episcopus per universam Ecclesiam munere aliquo pollet, clerum populumque ei commissos idem habere munus profecto deducendum est.

His similibusque ex dictis, clarum esse oportet laicum non tantum vocari, *non tantum invitari,*[4] verum etiam *ius* habere ad aliquam partem in apostolatu vel in Ecclesiae missione habendam; *sed notetis bene,*[5] non tamen in apostolatu vel in missione hierarchiae. Hanc distinctionem clare in mentem retinere debemus, si confusionem inter utriusque functiones evitare volumus. Ecclesia etenim est communitas cum missione apostolica, quae tum formam apostolatus clericalem seu « auctoritativam », cum formam missionis laicalem continet.

Unaquaeque tamen istarum est forma vel manifestatio particularis unius tantum apostolatus totius Ecclesiae. Quapropter schema talibus utitur expressionibus ac « suo modo » et « in suo ordine ».

Fundamentum distinctionis inter istas duas apostolatus formas in illa distinctione inter clericos et laicos, a Christo Domino statuta, petendum est. Distinctio proinde inter istas duas formas divinae est originis; quam distinctionem in Ecclesia nullo modo ulli obscurare licebit. Admissio, ideo, functionis laicorum in Ecclesia numquam ita intelligere oportebit, ut laici nunc *hodie*[6] de illo participare admittantur, quo prius clericis dumtaxat permissum fuit. Idea saltem generalis circa limites possibilitatis et, *ut ita dicam,*[7] permissibilitatis, circa id quod laicis proprium est vel minus, nos servabit ne ultra limites nostros gradiamur erroresque committamus...[8]

Idea fundamentalis huius schematis non est tantum enumerare sphaeras diversas inter quas laicus suam missionem exercere queat, ut in n. 25, *a, b, c,* explicatur, sed enuntiare necessitatem vel *iussum integrandi* finem terrenum vitae suae *cum* sua communione in gratia cum Deo in

Christo. « Estote ergo perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est » ...[9] omnibus enim hominibus dirigitur: Papae, episcopis, sacerdotibus, religiosis et laicis.

Laicus tamen catholicus in rebus mundanis directe constituitur. In ipso etiam debet Ecclesia suas visibiles manifestationes invenire: in eius nempe professione, in eius relationibus cum suis proximis, in eius familia, in eius integratione in societate et natione; uno verbo in tota eius vita saeculari. Vita eius terrestris « signum gratiae christianae » oportet omnino esse. Papa Paulus VI, cum archiepiscopus fuit Mediolanensis, in Secundo Congressu Internationali de Laicorum Apostolatu, istud problema praecisis terminis, *sicut mos eius est semper,*[10] circumscripsit dicendo: « Missio Ecclesiae haec est: afferre id quod sacrum est in determinatam relationem cum eo quod est profanum, ita ut illud non contaminetur, sed communicetur, et hoc non permutetur, sed sanctificetur ». Et *quaeso, venerabiles Patres,*[11] quis potest hoc melius operari, nisi laicus qui in ipso mundo degit? Verum omnino est quod S. Ioannes apostolus in prima sua epistola dicit *multas res contra mundum.*[12]

Sed[13] philosophia aliqua evasiva, *ut dicitur anglice*: *" an escapist philosophy ",*[14] non est pro laico catholico; sufficit forsitan pro monacho vel pro moniali. Nostra vero problemata in rebus temporalibus dirigendis, quae non credentibus prorsus relinquuntur, ex hoc praecise proveniunt: quia laici catholici, in qualibet natione, cultura et gratia praediti, suam vocationem in mundo haud comprehendunt.

Seipsis etenim satisfaciunt in aliqua pia societate sese inscribendo, delicias spirituales gustando, nolunt tamen in ipsa pugna ingredi.

Attamen[15] perspicuis dictis et directionibus nonobstantibus, schema aliquod problema suscitat, laudabilem solutionem postulans.

Liceat mihi explicare. In errores cadent multi; inter clericos et laicos exsurgent conflictus. Est sane naturale nos hos tritus vel « frictiones » penitus evitare non posse; sicuti, Iure Canonico nonobstante, « frictiones » inter parochos et episcopos totaliter eliminare nequimus. Consequentias ideo istius spiritualitatis laicalis complete et magno cum animo acceptare debemus; nam in nobis praesertim clericis hoc novum scientiae incrementum novam attitudinem mentis gignere oportet.

Usque modo, tum clerici tum laici ignorant ubinam praecise limites functionum laicorum reponendos esse. Et isti hoc ignorant, quia ipsi theologi, *etiam periti,*[16] hoc nesciunt. Quando vero isti *putant* se scire, diversis scholis opinionum obviam imus; sic, « quot capita, tot sententiae ».

Quae cum ita sint, nihil mirum si haec collaboratio laicalis cum hie-

rarchia plures laicos inducet ita sese gerere tamquam si tempora sacerdotum in Ecclesia *hodie* [17] iam finita sint; tamquam si ad ipsos nunc pertineat pro salute hominum Ecclesiaeque adlaborare...[18]

Moderator: Em.me Pater me sinas tibi communicare decem momenta esse exhausta.

Orator: Reliqua tradam secretariatui.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Et iterum. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] E. g. ut diaconatus tanquam quid plus quam gressus ad sacerdotium habeatur, et tanquam quid independens restauretur, a multis propositum fuit. Diaconatum tamen, recordemur, essentialiter ad statum clericalem pertinere; et ideo nullo modo admitti posse diaconatum « apostolatum laicorum » vocari, multo minus « culmen apostolatus laicorum », uti nonnulli in suis dictis scriptisve annuere videntur. [9] (*Mt.* 5, 48). [10] deest. [11] deest. [12] (2, 15-16): « Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est ». Est verum etiam quod ipse in cap. 5, vers. 20 dicit: « Scimus quoniam ex Deo sumus: et mundus totus in maligno positus est ». [13] Tamen. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] tamquam si ipsi veluti successores, si non Petri, saltem indomiti Pauli, considerandi sint; uno verbo, tamquam si ipsi ab hierarchia iam emancipati sint.

Difficultas practica, in assignando laicis suam propriam functionem, his in considerationibus, ex diuturna experientia cum laicis in omni sphaera sumptis, latet:

a) Episcopi adsunt et sacerdotes, qui laicos metuent; putant enim, si illis pauca concedantur, illi multo plus surripient (anglice: " give them an inch, and they take a yard "); ideoque opportunum ducunt laicos in suo proprio loco relinquere. Sic ergo, laicos reducunt ad illos qui ligna caedere vel aquam ex puteo trahere debent, restringentes collaborationem cum laicis, ad summum, tantum in rebus temporalibus. Huic tamen attitudini schema obicit, quando sub n. 25 *a*) ait: « Proinde laici non exclusive curis temporalibus deputentur, sed pretiosissimam actionem ad evangelizationem mundi exercent ».

b) Alia ex parte, adsunt episcopi et sacerdotes, qui magnam omnino confidentiam in laicos reponentes, eos perlongum funim tradunt (uti anglice dicitur, " a long rope "). Saepe tamen, iis tam longum funim tradunt ut illi cum isto funi sese suspendere queant! Nam constitutionem Ecclesiae penitus ignorantes, ideas democratiae civilis in Ecclesiam introducere conantur; et ita tum seipsis cum aliis molesti fiunt.

c) Tertio: adsunt laici, magno zelo praediti, prudentia tamen vacui; cum zelo profecto, tamen absque ulla cultura catholica; zelo quidem ardentes, sed Ecclesiae impensa suam propriam celebritatem quaerentes.

d) Quarto: adsunt laici, quorum personalitas miram quandam combinationem praesentat. Si illi in aliqua mariana Sodalitate inscripti sunt, in cuius constitutione director est quidem supremus, nullam omnino difficultatem habent totaliter seipsos submittere, etiamsi cum periculo suam propriam personalitatem

amittendi; si vero ad Legionem Mariae vel ad Conferentiam S. Vincentii a Paolo pertinent, in quorum constitutionibus sacerdos functione tantum directoris spiritualis pollet, tunc veniunt in proprium; si tandem alicuius Associationis membra sunt, quae etsi sub ecclesiastico patrocinio non tamen sub ecclesiastica potestate est, iidem ita nonnumquam agunt, ut alii sat difficulter credant istos etiam ad aliquam sodalitatem marianam pertinere.

Schema, variis in locis, qualitates enumerat laicorum. Ita, e. g. in n. 26, emphasis sat fortis ponitur in caritate, veracitate, prudentia, humilitate, reverentia, fortitudine. In theoria, hoc est quidem optimum. De facto, nostris adaptatus temporibus, card. Newman, facilitate praeditus feliciter coordinandi reverentiam erga auctoritatem ecclesiasticam cum libertate individui laici, eo tempore scribens quando laici ecclesiasticis nullo erant usui, haec verba scripsit: " I want a laity, not arrogant, not rash in speech, not disputatious, but men who know their religion, who enter into it, who know just where they stand, who know what they hold, and what they do not, who know their creed so well, that they can give an account of it, who know so much history that they can defend it. I wish you to enlarge your knowledge, to cultivate your reason, to get an insight into the relation of truth to truth, to learn to view things as they are, to understand how faith and reason stand to each other, what are the bases and principles of Catholicism ". Quod ita, quoad substantiam, verti potest: Laicos volo, non arrogantes, non temerarios in loquendo, non controversiarum cupidos, sed homines qui suam religionem comprehendunt, in eamque ita ingrediuntur, ut hanc ipsam fidem defendere aliisque tradere possint. Volo autem vos hanc vestram scientiam augere, rationemque vestram excolere; ita ut veritatem iuxta veritatem reponentes, queatis res prouti sunt cognoscere, queatis relationem inter fidem et rationem intelligere, queatis denique fundamenta et principia fidei catholicae comprehendere.

Quaenam est ergo solutio practica? Mihi videtur, schema completum iri si in eo formula quaedam inseratur, qua laicus canonica quadam protectione contra sacerdotes et episcopum frui possit; itemque episcopus et sacerdotes contra laicum; ut, e. g. fit in iure canonico, quando activitas pastoralis parochi protegitur contra possibilem abusum auctoritatis episcopalis. Usquedum notionibus dogmaticis circa laicatum catholicum etiam canonica structura concedatur, laicus remanet omnino invalidus, adeo ut, post multos conflictus in vanum passos, totum istum cooperationis conatum penitus abicere possit. Talis protectio canonica laicos nec minime quidem ab auctoritate ecclesiastica subtrahet. E contra potius, erit recognitio canonica et auctoritativa illius particularis modi existendi in Ecclesia, qui laicis catholicis omnino proprius est.

3

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Venerabiles Patres,

Imprimis cum multis oratoribus laudabo quomodo nunc in schemate *de Ecclesia* de populo Dei et speciatim de laicis tractatur.

1. Sed velimus pressius determinare quinam sint laici in sensu theo-

logico. Descriptio enim laici in pag. 6, lin. 31, iam magnos progressus connotat et substantialiter satisfacit. Sed ditior evaderet si aspectus ab intra magis explicite notaretur. « Agnosce, o christiane, dignitatem tuam », proclamat S. Leo Magnus. Revera propter infinitam dilectionem Patris, per infusionem Spiritus Sancti, « ut filii Dei nominemur et simus », membra huius Corporis mystici Christi et illius populi Dei facti sumus omnes qui gratiam baptismi recipimus. Proinde laici participes vitae, passionis, resurrectionis scil. mysterii *Dei*[1] Verbi Incarnati illud recolere in mente et in opere debent... « Mihi vivere Christus est » et ita comprehensi a Christo, ut aiebat S. Paulus, communitatem fidei, cultus caritatisque constituunt.

Ex parte nostra, optamus etiam ut diversi aspectus huiusmodi communitatis fidelium fusius enucleentur et exinde magis ac magis ut communitas missionaria appareat cum suo triplici fundamento fidei, cultus et caritatis.

Ergo in introductione ad cap. III desideratur descriptio magis concreta et vivida de populo Dei, ut annuit perpulchre Summus Pontifex Paulus VI in sua oratione in aperienda secunda sessione Concilii Oecumenici Vaticani II. Ecclesia est imprimis congregatio fidelium circumdans altare.

Ad communitatem fidei quod attinet in luce proferatur maximum momentum Sacrae Scripturae quae simul cum Eucharistia est mensa salutis.

Postea vi consecrationis baptismalis, christianus ad salutem totius mundi ipsemet reapse mittitur. S. Ioannes Chrysostomus iam aiebat ad populum suum: « Attendite quid dixerit Dominus: vos estis sal terrae; per quod ostendit quam necessario ista praecipiat. Non enim de vestra, inquit, tantummodo vita, sed *de universo orbe* vobis ratio reddenda est » ...[2]

2. Permultum etiam placet art. 25 de vita salutifera et apostolica laicorum uti in textu iacet, sub triplici sua manifestatione, quando laici sive actionem religiosam exercent, sive valores morales promovent, sive operando consecrationem mundi; nam in hoc casu ut membra Ecclesiae in sua missione temporali pro bono humanitatis adlaborent, cum Ecclesia visibiliter est centrum unitatis, magistra veritatis, patrona culturae et promotrix scientiae et artium.

Quoad principia fundamentalia doctrinae de apostolatu laicorum consentiat Sacra Synodus ita ut haec doctrina clarius in lucem edatur, et pars sit theologiae pastoralis et iuris canonici. Quae doctrina in libris et manualibus ediscatur in catechesi pro adultis et excultis.

Etenim constat experientia non paucos sacerdotes in cura anima-

rum parum vel minimum habere ex persuasione theologica de solidis principiis circa missionem et locum laicorum; et dum tanti momenti munere fungi debeant, fluctuantur opinionibus perplexis, et ideo fit ut aut ministerium laicale in variis Ecclesiis et christianitatibus absit aut nonnisi quod minimum est conferat in aedificationem Corporis Christi ab intra vel ab extra.

3. *Nunc,*[3] his ...[4] dictis, liceat nomine aliquorum episcoporum ...[5] aliquam propositionem concretam innuere.

Patres conciliares, dum magno cum gaudio nuntium praesentiae laicorum in aula conciliari acceperunt, vota tamen haec proponere cupiunt quoad praesentiam et collaborationem laicorum catholicorum tum in aula conciliari tum in laboribus commissionum.

Cum Auditores laici in aula conciliari laicatum catholicum quodammodo repraesentent, coetus eorum melius diversas conditiones vitae et regiones maiores Ecclesiae repraesentare deberet.

a) Etenim hucusque nonnullae organisationes laicorum, (v. g. illae quae spectant ...[6] ad apostolatum apud familias, ad apostolatum operariorum et ad apostolatum ruralem, ad actionem socialem et actionem educativam) in coetu laicorum Auditorum locum non invenerunt...[7] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Hom.* 15, in *Mat.* s. m.). [3] deest. [4] theoretice. [5] Africae et Madagascar. [6] ad apostolatum femineum. [7] *b*) Insuper coetui auditorum addi deberent aliqui laici qui in variis sectoribus vitae humanae modernae, ut in scientiis, in activitate culturali, in re politica et sociali, peculiarem competentiam habent. Et pro aliis suggestis de hac re, in scripto ad secretariatum generalem Concilii reponam.

4

Exc.mus P. D. PAULUS SANI

Episcopus Denpasarensis

Venerabiles Patres,

Sicuti iam a nonnullis Patribus dictum est, etiam nobis episcopis Reipublicae Indonesianae inversio ordinis placeret, qua scil.[1] post caput de Ecclesiae mysterio primo agitur de populo Dei in genere. Quia sub hoc titulo loquendum est de iis quae omnibus fidelibus totius populi sunt communia, in novo *igitur*[2] cap. II omnia tractanda videntur quae dicta sunt a n. 22 usque ad n. 24 inclusive, aliquibus tamen mutatis aut omissis.

In specie ad n. 23 animadvertendum est:

1. Quod clarius sit construendus; de hac re autem scripto referre optamus.

2. Quod in novo capite omittenda sunt quae dicuntur ad explicandum quid sacrosancta Synodus hic sub nomine laicorum *intelligat.*[3] Haec ponantur in capite de laicis in specie sed eodem modo quo clarius eluceat ea non intelligi ut *quandam definitionem ecclesiologicam*[4] laici. Evitanda videtur omnis descriptio laici, qua immediate non tantum a clericis sed simul a religiosis contradistinguitur, quia multi qui ecclesiastice sunt laici, simul sunt religiosi...[5]

3. Quod in eodem numero adhuc tractandum sit de unitate et communione, quae inter omnes Ecclesias locales vigere debent; haec res enim magni est momenti, et si in collegiali affectu pastorum Ecclesiae exprimi debet, per prius de ipso populo Dei est affirmanda.

Quoad n. 24, de sacerdotio universali dicendum videtur quod non satis ordinate progreditur; de hac re autem scripto referre volumus. Quoad contenta in hoc numero animadvertendum est:

1. Quod *displiceat*[6] modus quo in ordine ad sacrificium eucharisticum verbis « consecratio » et « oblatio » utitur, quia nimis suggerunt distinctionem inter consecrationem et oblationem cuiusdam paucorum theologicae opinionis, quae ea utitur ad explicandam participationem fidelium in Sacrificio eucharistico. Hanc vero participationem per dictam distinctionem ita restringunt ut nimis excavetur. Insuper hoc loco de Sacrificio eucharistico loquendum est ut celebrato a toto populo, de qua re modus loquendi schematis *de sacra Liturgia* omnino praeferendus videtur...[7]

2. Quod ea quae dicuntur de fundamento sacramentali complenda sint per mentionem sacramenti Ordinis, quia etiam hoc sacramentum ad indolem sacerdotalem totius populi Dei confert; in favorem enim totius populi est institutum a Domino, qui dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile sacrificium relinquere voluit. Huic mentioni sacramenti Ordinis opportune verba circa differentiam inter sacerdotium ministeriale et universale coniunguntur.

3. Quando schema magis in particulari indicat quae ad munus sacerdotale populi Dei *pertineant,*[8] imprimis expressior fiat mentio officii culturalis omnium christifidelium. Hoc loco disseratur de realisatione concreta communitatis christianae quae fit per celebrationem verbi divini et eucharistiae. De hac re nullo loco in schemate sermo *fit.*[9] Indicetur eucharisticum Sacrificium ut centrum totius vitae christianae, cum quo cetera omnia ad munus sacerdotale populi Dei pertinentia coniunguntur. Quod in cultu profitetur, in tota vita virtute gratiae Spiritus

Sancti est verificandum. Quapropter explicite nexus indicetur inter celebrationem sacrosancti Eucharistiae mysterium et ea quae dicuntur tum de mandato caritatis tum de sensu fidei.

4. Quoad munus regale non tantum loquendum est de vita virtuosa et de impugnatione vitiorum. Textus in memoriam revocet in Ecclesia praeparari regnum Dei; regnare cum Christo est omnia sub potestate eius subiicere « ut sit Deus omnia in omnibus » ...[10]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Placet inversio ordinis, qua. [2] deest. [3] intelligit. [4] quaedam definitio ecclesiologica. [5] (cf. n. 32). [6] displicet. [7] (cap. II n. 48). Loco « divinam Victimam » hic dicatur « divinam Hostiam » ob incruentem indolem Sacrificii eucharistici. Etiam vox « litare » vitanda videtur, quia nimis vocabularium paganum redolet. [8] pertinent. [9] movetur. [10] (*1 Cor.* 15, 28).

Animadversiones additae:

Ad n. 23: quoad constructionem animadvertendum est, quod, posita varietate in Ecclesia (pag. 5, linn. 12-15), progrediendum videtur his verbis: « Haec varietas non aufert fundamentalem aequalitatem in dignitate et vocatione. Unus est enim populus Dei electus etc. ».

Quae dicta sunt in pag. 6, lin. 11 usque ad primum verbum in lin. 17 (« communem »), consideranda videntur ut conclusio primae alineae. Postea textus progreditur ad novum elementum, np. coniunctionem in varietate, quod hoc modo in nova alinea in lucem poni potest: « Nec varietas aufert unitatem populi Dei sed ei inservit. Distinctio enim etc. ... ».

Omittantur linn. 11-13, quia quae dicuntur de diversitate in sanctitate subiectiva, non concordant cum contextu qui de elementis structurae obiectivae populi Dei agit.

Ad n. 24: textus recte incipit de populo Dei ut templo spirituali et sacerdotio sancto, sed citius quam oportet transit ad descriptionem eorum quae pro omnibus christifidelibus ex eo profluunt. Primo videtur loquendum de officiis totius populi, quod fit in lin. 4 usque ad verbum « Ideo » in lin. 11. In linn. 7-8 autem omittenda sunt verba « per omnem actum hominis christiani, a Spiritu Sancto consecratum », quia amplitudinem sensus verborum « spirituales offerat hostias » nimis restringunt et insuper cum contextu de populo Dei in genere non concordant.

Tunc loquendum est de fundamento sacramentali, in quo apparet omnes fideles christianos partes agere debere in indole sacerdotali populi Dei. Quapropter post lin. 3 in pag. 8 sequatur: « Ideo universi discipuli Christi etc. » in pag. 7, lin. 7 usque ad lin. 17. Tunc sequantur verba de participatione muneris Christi sacerdotalis et post hanc enuntiationem generalem descendatur magis in particulari et indicentur quaedam quae ad munus sacerdotale pertinent.

Nomine omnium episcoporum Indonesiae, qui sunt numero 31 et quorum nomina in elencho huic subiunguntur:

H. J. M. v. d. Burgt, arch. Pontianak; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; F. A. H. v. d. Hurk, arch. Medan; G. Manek, arch. Endeh; N. M. Schneiders, arch. Makassar; A. E. J. Albers, ep. Malang; P. M. Arntz, ep. Bandung; W. v. Bekkum, ep. Ruteng; R. Bergamin, ep. Padang; W. Demarteau, ep. Bandjerma-

sin; P. N. J. C. Geise, ep. Bogor; Jac. Grent, ep. Amboina; G. Grimm, ep. Sibolga; A. Hermelink, ep. Tandjung Karang; L. v. Kessel, ep. Sintang; J. Klooster, ep. Surabaja; M. Mekkelholt, olim ep. Palembang, J. H. Romeijn, ep. Samarinda; P. Sani, ep. Denpasar; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; G. Sillekens, ep. Ketapang; J. H. Soudant, ep. Palembang; A. H. Thijssen, ep. Larantuka; Th. v. d. Tillaart, ep. Atambua; T. v. Valenberg, olim ep. Pontianak; N. Verhoeven, ep. Manado; N. P. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; R. J. Staverman, vic. ap. Kotabaru (Hollandia); H. Tillemans, vic. ap. Merauke; M. v. Diepen, praef. ap. Manokwari; G. Legeland, praef. ap. Sumba/Sumbawa.

5

Exc.mus P. D. LAURENTIUS TREVOR PICACHY
Episcopus Jamshedpurensis

Venerabiles Patres conciliares,

De par. 26 verba facio. In omnibus regionibus, sed praesertim in terris missionum, sentitur necessitas ut Ecclesia, signum levatum in gentibus, in persona omnium membrorum eluceat. Ideoque laetamur quod in cap. III huius schematis, laici nostri novam inspirationem invenient. Nam eorum dignitas christiana et vocatio apostolica lucide praesentantur.

Apte illustratur Ecclesiam non tantum quosdam vocare. Omnes et singuli christiani cuiusvis nationis, aetatis et conditionis socialis invitantur ut ad eamdem sanctitatem ac hierarchia et religiosi tendant, sed in mundo ipso in quo vivunt et agunt. Baptismus incorporat omnes in populo Dei et sacerdotii universalis, suo gradu, participes facit. Omnes laici invitantur ad apostolatum secundum missionem Ecclesiae sub ductu et sollicitudine hierarchiae.

In primis annis Actionis Catholicae saepe ut ratio pro organizando apostolatu laicorum invocabatur, pastores et sacerdotes non iam sufficere ad laborem per se ipsos faciendum. Sed laicus non est membrum cuiusdam manus auxiliorum quae tantum tempore maioris momenti vocetur. Eius apostolatus ex essentia ipsa christianismi profluit, nempe ex eo quod baptizatus et confirmatus in Christo sacerdote inseritur, ex aliqua speciali vocatione. Unicuique enim membrorum suorum missionem mundum evangelizandi Christus commendavit.

Laicorum momentum non tantum in Ecclesia catholica, sed etiam apud fratres separatos extollitur. Prae manibus habemus documenta Instituti cuiusdam quod nuper a fratribus separatis in India Septemtrionali est constitutum, sub nomine « Oecumenicum et Sociale Institutum » ...[1]. Finis eorum est Christum ferre innumeris infidelibus qui in

hac zona industriali laborant. Ad hunc finem consequendum, zelum apostolicum stimulant laicorum, quos Ecclesiae aciem vocant. Profitentur Christum omnes invitare ut intelligant se esse populum Dei in obsequium totius mundi, et ut opere et veritate se omnes huic ministerio erga fratres suos dedant.

Cum spiritus novus, qui est revera Spiritus Dei, in Ecclesia operetur, nobis pastoribus grave officium competit schema dogmaticum conficere, ex quo laici intelligant nos eis plene confidere, et paratos esse ut eis ministerium nostrum in omni respectu praestemus.

Ideoque miramur, et aliquatenus dolemus quod in par. 26 de christifidelium relatione ad hierarchiam videtur spiritus positivus et apertus priorum paragraphorum paulisper minui. Omnia quae in paragrapho dicuntur, quidem admittenda sunt. Sed nonne visio est nimis unilateralis? Nonne timendum est ne quidam laici dicant: « Sicut erat in principio et nunc et semper, praecipuum quod a nobis exspectatur est tantum oboedientia »? Cum iura et officia laicorum expresse ponantur, cur non etiam de iuribus et de officiis hierarchiae expressa mentio fit? Laici nostri, qui nostrae oves sunt, non solum desiderant ut pro pastoribus orent eisque oboedientiam praestent, sed etiam ut nobiscum collaborent, certe sub nostra directione, sed tamquam adulti qui solutiones christianas conditionibus hodiernis praestare possunt.

Proinde sequentem emendationem propono: ut in hac par. 26 huius cap. III ponantur, aut ad verbum aut saltem quoad substantiam, ea verba quae tam egregie dicuntur in schemate *de apostolatu laicorum,* in tit. II, cap. I, par. 22. Haec verba sunt: « Semper meminerint episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, officium exercendi apostolatus esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificationem Ecclesiae laicos speciales habere partes, ita ut alii in eorum locum substitui non possint. Quapropter laicorum dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant... libenter eorum consilio iuxta propriam competentiam utantur, cum fiducia eis in servitium Ecclesiae munera committant ».

Si in populo nostro plenam fiduciam ponimus, cum S. Augustino dicere poterimus: « Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri vobiscum volumus. Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] " The Ecumenical, Social and Industrial Institute ".

6

Rev.mus P. D. GODEFRIDUS DAYEZ

Praeses Congregationis Belgicae ab Annuntiatione B.M.V.

Em.mi et ill.mi Patres conciliares,

Plene approbo novam ordinationem capitulorum huius schematis ab em.mo D. card. Suenens propositam ...[1]. Hoc modo melius elucet divina vocatio universis christifidelibus communis...[2]

Non autem placent ea quae ad notionem « laici » definiendam proponuntur in n. 23, pag. 6 ...[3], praesertim ea quae habentur in linn. 35 et 36. Nam, primo, tam clerici quam laici, qui omnes ad sanctitatem tendere debent, possunt eam quaerere in vita religiosa, si tamen ad ipsam vocantur; et secundo, inter religiosos semper adfuerunt pleni iuris membra, semper laici permanentia.

Verum quidem est — uti dicitur in nota 3 pag. 11 — ...[4] sensum vulgatum verbi « laici » nunc passim indicare eum, vel etiam eam, qui nec clero nec religiosis adscribitur. Hoc vero traditioni non respondet et non sine detrimento hoc modo sensus vocis « laici » restringitur.

Non debemus sensui pleno biblico-traditionali huius vocis renuntiare, etiamsi in quibusdam regionibus haec vox nunc colorem ...[5] peiorativum habet, indicans eum qui ...[6] inexperientia in aliquo campo laborat.

Multi, proh dolor!, etiam inter eos qui volunt vitam Deo plene consecrare, nesciunt vitam religiosam *de se* non esse neque clericalem neque laicalem, sed esse vitam quodam proprio charismate fundatam et Evangelio plene respondentem quae potest sive in statu clericali cuiuscumque gradus, sive in statu laicali haberi...[7]

...[8] Pius XII, felicis memoriae, bene utramque vocationem sequentibus claris et tamen vix notatis verbis distinxit: « Ad ministerium clericale neminem promoveant (superiores) qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstret » ...[9]

Non ergo definiendus est laicus per oppositionem *simul* ad clerum et ad statum religiosum uti fit in schemate, sed *tantum ad clerum.*

Non agitur solummodo de verbis. Per tot saecula « laici » vocabantur sive omnia membra alicuius congregationis, v. g. « Congregationis Fratrum scholarum christianarum », sive ea membra religionum clericalium quae clerici non erant uti v. g. in congregatione Fratrum Ioannis de Deo et in Marianistis. Notissimum vero est in ordinem monachorum

diu solummodo paucos fuisse sacerdotes, et etiam hodie, in eo, adesse pleni iuris membra quae laici manent.

Haec non parum intersunt in quaestione oecumenica; nam in oriente ex antiqua traditione monachi manent ut in pluribus laici. Praedecessor meus in munere abbatiali in monasterio de Maredsous, servus Dei Domnus Columba Marmion, integrum librum scripsit *De Christo ut exemplar monachi,* quin directe de sacerdotio locutus sit ...[10]. Sed scripsit alium librum *De Christo* (nempe) *ut est exemplar sacerdotis.* Hoc modo bene inculcatur distinctio harum vocationum.

Non agitur solummodo de traditione servanda, sed etiam de servanda recta notione structurae Ecclesiae.

Finis omnibus christianis communis est perfectio caritatis et unio cum Deo. Omnis christianus debet a vobis, o pastores animarum, impelli ut ad hanc perfectionem tendat secundum donum proprium a Deo receptum. Gaudemus plures laicos magis magisque sibi conscios esse propriae missionis apostolatus sub moderamine hierarchiae.

Non minus tamen necessarium est ut alii laici, si ad hoc a Deo vocantur, Christum sequantur in sua vita orationis et abnegationis. Utroque modo hodie Ecclesia testis Christi esse oportet. Curandum est ut actio externa et oratio, modo vivo, se invicem in Ecclesia compleant.

Vitare vero debemus, ut per non rectam terminologiam nimis separare videamur laicos qui Christo serviunt, obsequentes ei praecipue per servitium, occupati circa res terrestres, et laicos qui eiusdem testes sunt per observantiam consiliorum evangelicorum.

Affirmandum iterum ergo est, non omnes religiosos adscribi inter clericos, sed plures ex eis, etiam viros, Christum plene sequi in vita religiosa non clericali et laicos proinde permanere. Si vox « laicus » restringitur, uti facit schema, populus Dei (laos Theou) iniuste privatur illis quos Ecclesia semper optimam partem suam habuit ...[11]. Non ergo fovenda est confusio quae in ista re passim adhuc habetur.

Ulterius Ecclesiae munus erit religiosis laicis omnia iura restituere, quibus decursu temporum iure canonico despoliati sunt. Sed de hac re alia occasione sermo erit.

Sane adest difficultas quaedam definiendi quid sit laicus. Solutio, saltem partialis, huius difficultatis sequens videtur proponenda: ut in schemate de laicis, post numerum qui agit « de membrorum in Ecclesia aequalitate et inaequalitate » addatur nova paragraphus « de laicorum diversis statibus vitae. In hac paragrapho contineantur et explicentur sequentia:

1. laicus definiatur in genere uti non clericus;

2. laici subdividantur tripliciter: laici religiosi, laici Institutorum saecularium, laici simpliciter dicti.

Hoc modo etiam satisfactio datur iis qui putant in cap. IV rationem non sufficienter haberi de peculiari loco religiosorum, etiam laicorum, in Ecclesia relate ad laicos simpliciter dictos. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de qua sermo est in initio fasciculi II « Emendationum ». [2] (Sicut bene notatur in nn. 28, 29, 30 cap. IV, sanctitas est vocatio communis omnium quos Deus in regnum Filii sui appellat). [3] linn. 31-36 et. [4] contradicente ceteroquin ea quae dicuntur in cap. IV (in nn. quos secretariatui tradam) v. g. n. 29, pag. 18, lin. 28 et in relativa nota 3; n. 30, pag. 19, lin. 15 et in relativa nota 6; n. 31, pag. 21, linn. 5-7 et 33 et in relativa nota 16. [5] ut ita dicam. [6] ignorantia aut. [7] C.I.C. 488, 4°. [8] Contra huiusmodi falsam opinionem. [9] (*Sedes Sapientiae* Intr. II). [10] Unica vice quaestio haec ab ipso tangitur, ubi loquitur de missa ab abbate celebrata, quasi signum unitatis totius conventi in sacrificio Christi. [11] (*Lc.* 10, 42).

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHROEFFER
Episcopus Eystettensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 69 Patrum praesertim linguae germanicae.

Quae in cap. III proponuntur in genere placent, etiam nova ordinatio materiae: placet divisio.[1] Nam antequam de singulis ordinibus ...[2] qui in Ecclesia habentur agatur, opportune *ea,*[3] quae omnibus communia sunt *exponuntur.*[4] Praeterea prius de illis sermo fit, in quorum bonum ministeria instituta sunt, i. e. de populo Dei universo ...[5]. Ita finalitas quoque hierarchiae melius ostenditur: *omnis pontifex pro hominibus.*[6] Nec ...[7] nocet, si apparet in primo loco omnium, quae a Concilio aguntur ac deliberantur, populum Dei *universum*[8] versari nec episcopos imprimis de seipsis curare.

Placet etiam titulus de populo Dei; est enim terminus biblicus quadam cum sollemnitate elatus in prima epistula S. Petri:[9] « Vos genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, qui aliquando non-populus, nunc autem populus Dei » ...[10]. *Unde mirum non est si Ecclesia orans seipsam ut populum Dei intelligit, saepissime enim in liturgia, v. g. in orationibus, hic conceptus invenitur.*[11]

Hoc conceptu *porro*[12] continuitas historiae salutis, in schemate fortasse non satis elata, indicatur: nos scil. tamquam novum et verum Israël in locum illius populi intrasse, quem Deus speciali providentia

prosecutus est. Ita denique etiam ratio habetur studiorum recentiorum, quae de hac idea facta sunt. *Non semel enim audita est obiectio, schemata theologica non satis respicere statum hodiernum investigationum. Quam aptus autem iste conceptus sit ad exprimendam naturam Ecclesiae, iam heri optime ep. Compagnone exposuit, cui plene assentiendum est.*[13]

2. Fatendum quidem est inde *periculum* oriri posse, ne cap. IV de laicis, materiis quibusdam gravis momenti orbetur. Cui tamen periculo obviari potest *variis modis. Propositiones hac de re tradam secretariatui.*[14]

3. *Ad descriptionem laici...*[15] Quid sit laicus, circumscribatur ita, ut structura Ecclesiae propria melius eluceat. Habetur enim in Ecclesia duplex bipartitio *statuum*[16]: *a*) prima, ex institutione Christi proveniens, est bipartitio inter *Ministros sacros*[17] et reliquos fideles ...[18]. In hac bipartitione laici sunt omnes, qui personam Christi coram reliquis non possunt ministerialiter agere. *b*) Ab hac bipartitione magis institutionali distinguenda est altera, magis charismatica, inter statum consiliorum evangelicorum et statum saecularem, quorum uterque comprehendere potest et ministros *sacros*[19] et laicos.

De hac structura Ecclesiae apte agi potest una cum n. 23 de membrorum aequalitate et inaequalitate, *qui numerus*[20] melius in fine cap. II ...[21] ponetur, *ut sic praeparentur capita sequentia de singulis statibus.*[22] Deinde nihil obstat, quominus in cap. IV ex rationibus practicis conceptus « laici » restringatur ad eos, qui sunt nec ministri nec religiosi.

4. *De sacerdotio universali,* pag. 7, n. 24. In hac expositione tria desiderantur:

a) Populus Dei non tantum est communitas sacerdotalis in sacramentis innixa, sed aeque essentialiter est communitas prophetica, quae in verbo Dei audiendo et testificando innititur.

b) Non de iis solis sacramentis, quae hic enumerantur, agendum esse videtur, sed de omnibus; *id quod ceteroquin iam provisum est.*[23] Praeterea de iis paulo latius et profundius *tractandum esset,*[24] propter eminens momentum pastorale *quod huic aspectui ecclesiologico sive communitario sacramentorum competit.*[25]

c) Ordo sacramentorum hoc in contextu incipere deberet ab Eucharistia, quippe quae est centralis actus cultus christiani sacerdotaliter peragendi. Reliqua sacramenta ad hunc cultum ordinantur tamquam deputatio vel huius deputationis restitutio seu renovatio, quae fit in poenitentia.

Ad totum comma de sacerdotio universali dicendum esse videtur: valde laudandum est quod de sacerdotio universali fidelium sermo fit;

negari enim vix potest hanc ideam, quae pro vita et apostolatu quam maxime fecunda evadere posset. In mentibus fidelium magis magisque evanescere, non excessus, sed potius defectus hac in re timendus ac deplorandus est. Periculum, si quod adest, non tam in eo esse videtur, quod laici nimis tamquam sacerdotes sese habeant, et parum ut laicos, sed e contra tamquam totaliter vere profanos et nullatenus consecratos.[26]

5. *Deinde,*[27] corrigatur *species* quaedam *oppositionis inter hierarchiam et populum,* quae interdum occurrit (praesertim ...[28] pag. 6). Melius *sermo est*[29] de hierarchia et reliquo populo Dei, *vel de hierarchia et laicis*[30]; nam etiam hierarchae pertinent ad populum Dei et, *quamvis sint magistri, tamen debent manere et ipsi auditores verbi quod eis, sicut et sacramenta, administrantur ab aliis.*[31]

Ad numerum 62 quod attinet, evitandum est,[32] ne de oboedientia solummodo quoad laicos agatur. *Nam ni fallor, etiam membra hierarchiae,*[33] tum quatenus munere suo funguntur, cum a fortiori quatenus sunt fideles, oboedientia ligantur. *Propositiones circa has res tradam secretariatui generali.*[34] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quae dicuntur « de populo Dei et speciatim de laicis », in genere placent. Tamen desideria quaedam, quibus consentiunt 69 Patres linguarum Germanicae et Scandinavicarum, proponere velim. 1. Ad notam pag. 5, de nova ordinatione materiae i. e. de dividendo cap. III in novum cap. II de populo Dei et in cap. IV de laicis, duo dicenda sunt: *a*) Haec divisio placet. [2] vel statibus. [3] de iis. [4] tractatur. [5] (ad quem ceteroquin hierarchae ipsi pertinent). [6] deest. [7] minime. [8] deest. [9] *b*) Novum cap. II bene « de populo Dei » inscribitur. Nam « populus Dei » est terminus biblicus, qui apud S. Paulum, S. Petrum et in Apocalypsi S. Ioannis recurrit, et quidem cum maiore sollemnitate in prima — ut ita dicam — Encyclica Romani Pontificis, S. Petri nempe, ubi dicit. [10] (*1 Petr.* 2, 4-11). [11] Praeterea hoc termino imagines Ecclesiae, quae in S. Scriptura inveniuntur, optime complentur, eumque forte facilius quam aliae imagines cohaerere perspicitur cum idea centrali « regni Dei », quae ut in schema inseratur a non paucis Patribus tantopere desideratur. [12] insuper. [13] deest. [14] v. g. *a*) eo quod in introductione quadam, quae « de dignitate laicorum » inscribi posset, ea quae in cap. II de populo Dei exponebantur, breviter resumantur. Insisti potest in eo quod nomine « laicus » alluditur ad terminum « Laos Theou » ac proinde quod omnia quae valent de populo Dei, realizantur etiam in ipsis laicis; *b*) considerari potest insuper munus, quod Ecclesiae circa « mundum » quoad opera saecularia incumbit (« Weltaufgabe »), a laicis propter eorum conditionem, immediatius exerceri posse et debere, ut Ecclesia fiat principium vitale societatis humanae. Ex his sufficiens habebitur materia pro cap. IV de laicis in specie. [15] pag. 6, linn. 31-36. [16] deest. [17] ministerium sacrum. [18] coram quibus ministri « pro Christo legatione funguntur » (*2 Cor.* 5, 20). [19] deest. [20] et. [21] (de populo Dei). [22] deest.

[23] deest. [24] tractari posset. [25] aspectus communitarii sacramentorum. [26] deest. [27] deest. [28] e. g. [29] dicitur. [30] deest. [31] et ab aliis recipere debent verbum Dei et sacramenta. [32] Insuper n. 26, qui agit de christifidelium relatione ad hierarchiam, una cum n. 23, in quo de membrorum aequalitate et inaequalitate sermo est, melius inseratur in cap. II de populo Dei. Sic etiam evitabitur. [33] Hoc evitandum est; nam etiam hierarchae. [34] deest.

Nomina Patrum conciliarium linguae germanicae, qui interfuerunt Conventui die 7 m. octobris 1963 habito, et assensum praebuerunt relationi episcopi Schröffer de cap. III *de Ecclesia.*

Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Aufderbeck, ep. aux. Fulden.; Baaken, ep. aux. Monasterien.; archiep. Bengsch, ep. Berolinen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fulden.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Emanuel, ep. Spiren.; Esser, ep. Keimoesan.; Etspüler, prael. null. Bangueden.; card. Frings, arch. Colonien.; Frotz, ep. aux. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Graber, ep. Ratisbonen.; Haene, ep. Guelen.; Hengsbach, ep. Essendien.; Hoeck, abbas praeses Congr. Bavaricae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Jäger, arch. Paderbornen.; Janssen, ep. Hildesheien.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; König, arch. Vindobonen.; Köstner, ep. Gurcen., Kühner, prael null. Tarmen.; Landersdorfer, ep. Passavien.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Niederberger, abbas praes. Congr. Helveticae O.S.B.; Nordhues, ep. aux. Paderbornen.; Olbert, ep. Zimtaoven.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. aux. Moguntin.; Riha, abbas praes. Congr. Austriacae O.S.B.; Rintelen, ep. aux. Paderbornen.; Rohracher, arch. Salisburgen.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rüth, vic. ap. Norvegiae Centralis; Schick, ep. aux. Fulden.; Schilling, vic. ap. Gorkaen.; Schneider, arch. Bambergen.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schröffer, ep. Eystetten.; Schütte, sup. gen. S.V.D.; Sedlmeier, ep. aux. Rottenburgen.; Splett, ep. Gedanen.; Stein, ep. aux. Treviren.; von Streng, ep. Basileen. et Luganen.; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Thijssen, ep. Larantukan.; de Vet, ep. Bredan.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Weigl, ep. Ikelaën.; Weber, ep. Iceuven.; Weinbacher, ep. aux. Vindobonen.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Wittler, ep. Osnabrugen.; Wemberg, vic. ap. Norvegiae Septemtr.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zauner, ep. Lincien.; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

Animadversiones additae:

Infrascriptus censet tale cap. II in schema *de Ecclesia* inserendum esse. Rationes sunt:

1. Utiliter ante expositionem de singulis statibus (scil. de episcopis, laicis, religiosis) ea, quae omnibus communia sunt, declarantur.

2. Antequam de hierarchia tractatur, opportune de illis, in quorum bonum ministeria a Christo instituta sunt, i. e. de populo Dei universo (ad quem ipsi episcopi pertinent) sermo fit. Ita finalitas hierarchiae melius perspicitur.

3. Rationes pastorales quod spectat: minime nocet, si apparet in medio omnium, quae a Concilio aguntur, populum Dei versari, neque episcopos imprimis de seipsis curare.

4. Ea quae de populo Dei dicenda sunt, melius in proprio aliquo capite colli-

gantur, nec cum cap. I coniungantur. Hoc enim de intima natura Ecclesiae agit ac magis de Ecclesia ut institutione, non primo loco de personis.

5. Accedit quod cap. I sub nn. 8-10 (de catholicis, non-catholicis, non-christianis) res complectitur, quae melius separantur. Hi numeri apte ad finem novi cap. II transferri possent.

Evitandum tamen est, ne novum cap. IV nimis extenuetur. Cui periculo obviari potest, si in introductione quadam, quae de « dignitate laicorum » inscribi posset, ea quae in cap. II de populo Dei dicta sunt, breviter resumuntur.

8

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ

Episcopus Albasitensis

Venerabiles Patres,

Aliqua dicere intendo de n. 23 huius capitis. Cetera secretariatui generali tradam.[1]

1. Gaudium meum *imprimis*[2] silentio dissimulare non possum, cum ...[3] decise *proclamari*[4] videam omnium ad sanctitatem vocationem...[5] Hanc indubiam omnium Christi mystici Corporis membrorum ad sanctitatem vocationem et exigentiam, quae vel ex ipsis *praesertim*[6] characteribus baptismatis et confirmationis dimanare liquido constat ...[7], tota traditio Ecclesiae *affirmari,*[8] cuius expressio esse possent ...[9] gravia *illa*[10] immo urgentissima *prolata*[11] verba Pii XI in Encyclica *Rerum omnium,* quibus episcopos hortatur ut curent quatenus « populus intelligat vitae sanctimoniam haud esse singulare beneficium quod aliquibus concedatur, ceteris posthabitis, sed communem omnium sortem et commune officium » ...[12]

2. Tamen hoc maxime interest notari schema *in hac enunciatione*[13] irrefragabilis principii ...[14], tali conceptu et mente, talibusque etiam formulis adhibitis exaratum fuisse, ut facile quis crederet, praesertim ob argumenti fusiorem tractationem praecise in cap. IV, doctrinae vel opinionibus adhaerere eorum qui excellentiam status vitae christianae communis extollentes, eum statui perfectionis ...[15] aequiparatum volunt, ita ut unam et eamdem esse sanctitatem pro omnibus et singulis statibus *hominum in Ecclesia*[16] affirmantes, non nisi omnino accidentalem et in minimis differentiam inter eos statuant...[17]

Ex his logice et fere necessario, statum communis vitae christianae extollendo, illa adaequatio seu libellatio sequeretur, quam, e contra, novatores intendebant, statum religiosum deprimendo.

Animadversionibus brevitatis causa omissis in nonnulla [18] quae non satis attente et distincte in *hoc numero* [19] et in nn. 28 et 29 subsequentis capitis, quae de eadem re prorsus agunt, considerantur, et quae bene erant attendenda et probe distinguenda in tanti ponderis argumento (circa nempe vocationem in genere et in specie, circa perfectionis supernaturalis naturam et gradus, circa distinctionem inter sanctitatem ontologice et subiective seu moraliter consideratam, personalem et status specificam), *unum tantum hodie in hac re notare vellem circa locum aptiorem tractationis de omnium ad sanctitatem vocatione et circa segregationem huiusmodi argumenti a cap. IV, ubi de statu perfectionis agitur.* [20]

Puto locum propriorem seu sedem opportuniorem immo optimam ad tractandum de omnium membrorum ... [21] populi Dei, sive sacerdotes sint, sive religiosi sodales, sive fideles (ut denominationibus a Sancto Patre Paulo VI nuperrime adhibitis utar), ad sanctitatem vocatione, *caput esse II* [22] « de populo Dei in genere », quod nunc ex divisione cap. III in nota ad calcem pag. 5 proponitur. ... [23] Ad hoc novum caput, sive ob rationes methodologicas sive ob rationes theologicas, ea omnia transferenda essent, paululum emendata, perpolita *et aucta,* [24] quae nunc in cap. IV « de vocatione universali ad sanctitatem » permixte dicuntur, cum doctrina de statu perfectionis, in quo aliqui ex fidelibus populi Dei *specialiter* [25] vocati, specialiori ratione per professionem consiliorum Christum invitantem sequuntur, *peculiari* [26] vinculo sese Deo vovent et divino servitio aptius mancipantur et ideo specialem personarum ordinem ex quadam divina institutione in Ecclesia constituunt.

Facile et crebro dicitur tantum dari in Ecclesia, eius divina constitutione inspecta, duplicem categoriam seu ordinem personarum: clerici nempe et laici ... [27], cui postea, sed ex institutione mere ecclesiastica ... [28], ordo additur personarum quae statum *canonicum* [29] perfectionis profitentur, quaeque sive ad clerum sive ad laicorum coetum possunt pertinere. Quod non *undequaque* [30] verum est, etsi aequivocatio facile explicari possit, ex eo quod in *statu perfectionis, ut tali, considerantur* [31] quae postea *decursu temporum* [32] ius canonicum excogitavit et instituit ad regimen et ordinationem *huius* [33] perfectionis status ... [34], vota scil. et votorum species, regulae et constitutiones, instituta et institutorum diversitas, etc.

In Ecclesia, si *eius divina constitutio hierarchica quidem et organica* [35] inspiciatur, certe duplex haec *invenitur* [36] distinctio membrorum in clericos et laicos; sed ratio seu aspectus hierarchicus non est unicus, nec princeps, auderem dicere, in mysterio Ecclesiae inexhauribili considerandus. In Ecclesia enim, eius divina constitutione pneumatica in-

specta, si placet verbum, iure ergo divino « non praecipiente sed consulente » ut ait Suarez ...[37], ex Christi fundatoris voluntate *et providentia,*[38] prout *e Sacra Scriptura erui potest et ex praxi et sensu Ecclesiae iam a temporibus apostolicis* (*cogitate virginum sacrarum coetus*), *personae,*[39] christifideles nempe, dispertiuntur in aliam duplicem categoriam seu ordinem: *eorum*[40] qui sanctitatem seu perfectionem supernaturalem, ratione communi, praeceptorum scil. adimpletione quaerunt et exsequuntur, et *eorum*[41] qui perfectionem *in statu ab Ecclesia quidem sancito*[42] prosequuntur et profitentur *in facie ecclesiarum,*[43] invitationem Christi Domini acceptantes eum pressius et arctius insequendi ...[44]

Ex his etiam, sit obiter dictum, apparet confusio *iam ab aliis notata,*[45] quae serpit in definitione quam de laicis dare intendit nostrum schema; etenim sunt in Ecclesia laici qui, suam naturam specificam laicorum retinentes, *et quin religiosi sint tamen,*[46] non in communi christifidelium statu, ut in lin. 32 et 33 dicitur, sed in statu perfectionis Deo serviunt.

Rectissime ergo, ut opinor, postquam in novo capite proposito *schema de omnium Ecclesiae membrorum, quicumque ei sint, vocatione ad sanctitatem egerit,*[47] ex ordine, in sequentibus schematis capitibus, de singulis personarum ordinibus in Ecclesia esset agendum: de hierarchia nempe, de laicis in specie et de *status perfectionis sodalibus, in eo quod*[48] specifice ad singulum ordinem *spectat; quo*[49] certo certius, quoad eos qui in statu ab Ecclesia sancito evangelica consilia profitentur, est praecise ...[50] professio in facie Ecclesiae in ordine ad *obligatorio modo*[61] adimplenda quae Christus non praecepit sed consuluit.

Si ergo in schemate de Ecclesia caput determinatum et speciale deesset ...[52] de personarum statum quae ...[53], eius nomine et ministerio, professionem perfectionis a Christo in consiliis propositae sequuntur, schema imperfectum videretur, sicut mysterium Ecclesiae mutilum *videretur*[54] ac non completum si in ea Christi asseclae *non essent*[55] qui, modo stabili et ut formae vitae, invitationem divini Magistri acceptarent ad eius perfectiorem sequelam, perfectioremque et arctiorem *in eo*[56] configurationem in exinanitione redemptrice ...[57], quam consilia evangelica exhibent et exsequuntur...[58]

Concludo ergo:

1. In hoc capite, nempe in cap. II proposito, de populo Dei in genere, ...[59] forte meliori ratione de populo sancto Dei *intitulando,*[60] non in cap. IV, agatur de omnium ad sanctitatem vocatione.

2. *Emendentur*[61] verba vel formulae quibus *innui videtur*[62] eamdem omnino esse sanctitatem in duplici personarum statu, communis nempe *et*[63] perfectionis...[64] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] in hoc schemate n. 23, linn. 11-13, pag. 6. [4] affirmari. [5] quam indubie a Christo Domino in Evangelio annuntiatur, et ab Apostolis indesinenter inculcatur, praesertim a S. Petro cum populum Dei « gentem sanctam » esse proclamat, omnesque, sive qui ad hierarchiam pertinemus sive qui ab ea pascuntur, Deum vocavisse ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. [6] deest. [7] quibus characteribus in aliquibus membris populi Dei etiam nova exigentia additur, ex aliis titulis supernaturalibus, e. g. ex charactere sacerdotali vel ex sacramento matrimonii, etc. [8] a primordiis proclamavit. [9] temporibus anteactis haec verba S. Augustini: « Non enim hoc virgines debent audire, et maritatae non debent; aut viduae debent et nuptae non debent; aut monachi debent et laici non debent; sed universa Ecclesia, universum Corpus, cuncta membra, per officia propria distincta et distributa, sequantur Christum » (*Sermo 96*, 3: PL 38, 588), et his ultimis temporibus haec. [10] deest. [11] deest. [12] ... tenentur enim hac lege, ut patet, omnino omnes, nullo excepto ». Idem iterum atque iterum tenuit etiam Pius XII (*Sermo ad Religiosos*, a. 1950; in const. *Provida Mater* etc. ut videre licet in notis ad nn. 29 ss. capitis sequentis). Quot quantaque mala ex huius universalis ad sanctitatem vocationis ignorantia, oblivione aut negligentia oriri posse Ecclesiae, vero populo Dei qui in terris perfectionem inchoat quae in caelis perficitur, nemo est qui non videat, quantamque inde gloriae Dei iacturam. [13] nostrum in hac brevi enunciatione immensi ponderis. [14] n. 23 et nn. 28 s. cap. IV. [15] (ut formula utar traditionali). [16] et condicionibus hominum. [17] vel quia status perfectionis secus ac status vitae communis mediis tantum accidentaliter diversis, nec omnino necessariis nec semper aptioribus ad unam sanctitatem eiusdem rationis et gradus adipiscendam, utatur, consiliis nempe quae evangelica dicuntur; vel quia haec consilia, specifica status perfectionis, ut media tantum et veluti instrumenta mere negativa considerant ad removenda impedimenta sanctitatis, non vero ut elementa positiva ipsius sanctitatis vel perfectionis supernaturalis, aut, ad summum, ut huiusmodi sanctitatis vel perfectionis media simul et effectus, vel denique unius eiusdemque sanctitatis exercitium. [18] Hinc aliquibus omissis de nonnullis. [19] n. 23. [20] duo hodie, si tempus suppeteret, notare vellem de hac re: 1. de loco aptiore tractationis circa omnium ad sanctitatem vocationem; 2. de identitate vel diversitate seu differentia perfectionis in vita communi et in statu professionis consiliorum evangelicorum. 1. [21] Christi Corporis mystici. [22] hoc caput esse. [23] Et ideo. [24] deest. [25] deest. [26] speciali. [27] (can. 107 C.I.C.). [28] iure seu ratione humana. [29] deest. [30] omnino. [31] statum perfectionis ut tale transferantur. [32] deest. [33] deest. [34] prouti in temporis decursu est constitutus. [35] ad eius divinam constitutionem, hierarchicam quidem, non aequalem ergo seu organicam. [36] datur. [37] (*Stat. Relig.* t. 7, I, 3, c. 2, n. 3). [38] deest. [39] Sacra Scriptura luculenter constat et ex sensu et praxi Ecclesiae, personae in ea. [40] christifideles. [41] christifideles. [42] deest. [43] deest. [44] Hinc non duplicem sed triplicem ordinem personarum ex iure divino in Ecclesia invenimus: nempe Ecclesiae constitutione divina hierarchica inspecta, clerici et laici; constitutione tamen divina pneumatica considerata novum habemus ordinem, scil. eorum qui consilia evangelica profitentur. [45] deest. [46] deest. [47] (de laicis in genere) schema egerat de omnium Ecclesiae membrorum, sive sacerdotes sint sive fideles, sive ii qui in statu perfectionis consilia profitentur, ad sanctitatem vocationem, quae ex

ipsis sacramentis baptismatis, confirmationis et Ordinis provenit, per exercitium caritatis, ab observantia praeceptorum Domini nutritae et etiam per consiliorum evangelicorum spiritum aut privatam praxim. [48] religiosis sodalibus (ut formula iterum utar a S. P. Paulo VI adhibita), in his quae. [49] exspectant; quae. [50] obligatio vinculo morali firmata et conatus ad sanctitatem per perfectiorem sequelam Christi, specialis consecratio, qua Deo se vovent. [51] obligatorie. [52] quod ageret. [53] in Ecclesia. [54] esset. [55] deessent. [56] deest. [57] totius suae vitae in terris. [58] 2) Etiam in hoc numero affirmatur, et ex dictis postea in n. 28 ss. cap. IV satis superque confirmatur, extensores huius capitis sanctitatem ad quam omnes christifideles indistincte vocantur unam eamdemque, eiusdem nempe rationis et gradus considerasse; et distinctionem tantum esse ponendam, ut iam diximus, in mediis quibus in unoquoque statu, vitae communis aut perfectionis, utitur ad hanc unam eamdemque sanctitatem exequendam. Quod ita dictum nec etiam est verum. Sive ergo inspiciamus inter alios, aspectum perfectionis supernaturalis christologicum, sive a Deo specialem consecrationem et Dei stabile servitium quae, vi voluntariae et vinculo morali firmatae acceptationis consiliorum evangelicorum, in statu perfectionis non in statu vitae communis, sive ad caritatem ipsam attendamus quae est forma, finis et ratio totius perfectionis supernaturalis in Ecclesia, sive denique prae oculis habeamus significationem et praenuntium regni caelestis quae hic status perfectionis secumfert et exhibet, clare apparere deberet in formulis adhibitis, immo in ipsa sedis tractationis electione, statum perfectionis, obiective seu ontologice sumptum, perfectiorem esse statui communi, quippe quod in eo perfectiori ratione, non tantum securiori et expeditiori modo, quam in statu communi sanctitas prosequitur, et mysterium Ecclesiae, Corporis nempe Christi mystici, in eo quod intimius proprius et altius ad ipsum pertinet et exigitur, sanctitas nempe, perfectius etiam ad effectum adducitur et exprimitur:

a) Si ad aspectum christologicum aspiciamus, Christus Iesus, « qui non sibi placuit » (*Rom.* 15, 3) mirandam illam exinanitionem et immolationem, quam consilia evangelica plane significant, exhibent et efficiunt, ut partem constitutivam vel integrativam divini eius sacrificii redemptoris voluntarie amplectitur in vita sua ab ingressu in mundum usque ad mortem, quae vero, cum sint humanae naturae adeo ardua et normaliter incompatibilia, Christus noluit omnibus suis asseclis praecipere, tamen invitavit.

Qui ergo consilia evangelica in statu perfectionis voluntarie et vinculo morali et stabili firmata amplectitur, Christi Iesu sacrificii, per sui ipsius suorumque radicalem abnegationem particeps fit, et perfectiori modo in proprio corpore mortificationem Iesu circumfert (cf. *2 Cor.* 4, 50) et morti eius et exinanitioni configuratur, pleniusque adimplet ea quae desunt passioni Christi (*Col.* 1, 24), quam christifidelis qui tantum praecepta communia amplectitur, nec invitationem Christi ad hanc ultimam exinanitionis exigentiam acceptat.

b) Omnis christifidelis, vi baptismatis, vi nempe illius arcani et analogici sacerdotii de quo in n. 24, Deo deputatur et sui ipsius sacrificium quotidie offerre debet, sed non eo gradu eademque perfectione ut ille qui consilia evangelica in statu vitae perfectionis profitetur.

Christi nempe assecla in statu communi sese Deo offert, non tamen radicaliter et perenniter cum libertati non renuntiet in his quae materiam consiliorum constituunt (II-II, q. 184, a. 4), nec sua absolute et totaliter sacrificat cum in sua

dispositione licite maneant (II-II, q. 44, a. 4 ad 3; *De perfectione vitae spir.*, c. 10); in statu vero perfectionis fideles, consilia evangelica acceptantes, sese perfecte Deo consecrantur et mancipantur, quippe quod uno tractu et ictu, ut ait S. Thomas, se et sua « omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit » ut ait S. Gregorius Magnus, totaliter et definitive in Ecclesia et per Ecclesiam consecrat, et totaliter et definitive vi voti vel promissionis aut iuramenti, quae etiam habent rationem voti (II-II, q. 88 a. 2) ab omnibus quae perfecte Christi sequelae et conformationi obstant, ab omni nempe profanitate saeculi expoliantur.

c) Si caritatem consideremus et caritatis exercitium, quae est finis et ratio totius perfectionis, et ad quam omnes sunt vocati, etiam apparet diversitas inter sanctitatem status vitae communis et status perfectionis; eo quod fidelis in vita communi ad eam tendit et conatur per observantiam praeceptorum, sine quibus caritatis praeceptum observari omnino non potest (II-II, q. 189, a. 1 ad 5); fidelis vero in statu perfectionis, sanctitatem prosequitur per consiliorum evangelicorum professionem, sine quibus praeceptum caritatis observatur quidem, sed non perfecte (II-II, q. 184, a. 4 et q. 189, a. 1 ad 5).

d) Denique quod maxime interest, idem evincitur si ad aspectum eschatologicum vitae christianae respiciamus. Caritatis perfectio caelestis est certe finis et fastigium ad quod vita christiana in terris ordinatur et tendit, ideo perfectio vitae christianae in terris in eo consistit ut, quantum possibile est, homo ad hanc perfectam caritatem caelestem accedat. Iam vero status perfectionis, quatenus per consiliorum evangelicorum praxim hominem a terrenis omnibus expoliat, quam perfecte vitam caelestem imitatur, ut crebro SS. Patres de monachis dicunt. [59] quod. [60] posset intitulari. [61] Deleantur. [62] innuitur. [63] vitae christianae aut. [64] Hinc textus huiusmodi numeri in hoc capite includendi adumbratur et in folio adnexo proponitur.

Animadversiones additae:

Nn. in cap. II, si placet, inducendi.

(*De universali populi Dei ad sanctitatem vocatione*). Omnis sanctitatis divinus magister et exemplar, Dominus Iesus, imitationem Patris caelestis omnibus et singulis hominibus cuiusvis conditionis et status praedicavit dicens: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48).

Nec tantum imitationem Patris proposuit, sed Filius « Verbum Patris » (*Ap.* 19, 13) et « figura substantiae eius » (*Hebr.* 1, 3; *2 Cor.* 4, 4; *Col.* 1, 15), qui « in diebus carnis suae », quae placita erant Patri semper fecit (cf. *Io.* 8, 29) ut sequentes vestigia eius (cf. *1 Petr.* 2, 21) « Ipsum induamur » (*Rom.* 13, 14; *Gal.* 3, 27) « conformes imagini eius efficiamur » (*Rom.* 8, 29) et « morti eius configuremur » (*Phil.* 3, 10), seipsum proposuit vivum exemplum a nobis exprimendum usquedum, iuxta verba apostoli Pauli, « vita nostra abscondita sit cum Christo in Deo » (*Col.* 3, 3), « vita Iesu manifestetur in corporibus nostris » (*2 Cor.* 4, 10-11) et « Christo confixi cruci, vivamus iam non nos, vivat vero Christus in nobis » (*Gal.* 2, 19-20).

Ad hoc enim Christus omnibus Eum sequentibus in via sanctitatis, unum universaleque mandatum dedit, iteravit et complevit, mandatum nempe dilectionis in Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et tota virtute sua, quod est maximum et primum, et amoris in proximos, quod est secundum simile huic, in quibus universa lex pendet (cf. *Mt.* 22, 31-40).

Cunctis enim perspicuum est, Dominum omnes et singulos discipulos, cuius-

vis status, sive in saeculo sive in religione degentes, sive simplices fideles sive ad hierarchiam pertinentes, ad sanctitatem vocavisse, quae in fide et baptismate inchoata, gratuita excitante et adiuvante gratia indesinenter crescit usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13) et in abundantes fructus prorumpit, sicut Ecclesiae historia sanctorumque vita luculenter commonstrant. Proindeque christifideles ad caritatis perfectionem magis ac magis extendant vires, ut eius vestigia sequentes sese gloriae Dei et servitio proximi toto animo devoveant.

In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur. Sacra Synodus imprimis utriusque cleri sacerdotes enixe et peramanter hortatur, ut ad imaginem ordinis episcoporum, qui in condicione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituuntur, cum episcopale officium, cura nempe animarum quod eis in consecratione committitur, officium sit specialis amoris in Christum qui Petro oves et agnos pascendi iniunctionem tantum post triplicem amoris professionem seu confessionem commisit (*Io.* 21, 15-17) et qui pastoribus bonis vitam pro ovibus dare intulerit quod maximum est amoris signum, et cum quibus similiter presbyteri omnes in uno eucharistico sacrificio, totius sanctitatis fonte, coniunguntur, et curam animarum suscipiunt, ministerium suum sancte, alacriter, fortiter adimpleant ad totius gregis sanctificationem « qui pastorem vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba graditur » (S. Gregorius Magnus) et « fide et opere perfecti sint, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi virtute fundentur » (*Pont. Rom.* in ordin. presb.). Sic enim... (e n. 30, linn. 8-15) vocantur ».

« Coniuges christiani... (e n. 24, linn. 32 ss.) Deo dante favent ».

Denique pro omnibus christifidelibus, sive superiores sint sive subditi, divites vel pauperes, qui laboribus manuum vacant vel mentis laboribus, coniugati vel caelibes, viri vel mulieres, supernas... (e n. 30, linn. 24-32) progrediantur iuxta cuiusque vitae circumstantias, divina providentia sapienter et amanter ordinatas, et fervida fidelitate gratiam, vi cuius, filii Patris et templum Spiritus Sancti efficiuntur, servant et obsecundant, copiosioribus fructibus foecundam reddant... spiritualis vitae in mundo.

Christifideles, qui omnes ad sanctitatem vitae invitantur, caritatem quae a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffunditur, sacris et sacramentalibus actionibus et sedula, iuxta uniuscuiusque statum et conditionem, mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatione excolunt et augent (e n. 31, linn. 38 s.).

Et licet non omnes ad eam per consiliorum evangelicorum praxim reapse vocantur, omnes tamen debent ad hoc tendere ut... non utantur » (*1 Cor.* 7, 31). Immo plures enim fuerunt omni tempore et adhuc sunt viri ac mulieres... exhortationibus exparsis (e n. 31, linn. 20-35). Consilia enim sive privatim sive publice acceptata et etiam voto firmata nedum perfectioni personae humanae minime obstat, verum summopere prodest, cum in caritate et secundum cuiusque personalem vocationem... magis conformant » (e n. 35, linn. 33 s.).

9

EXC.MUS P. D. PATERNUS NICOLAUS GEISE
Episcopus Bogorensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 30 episcoporum in Indonesia. Agitur de n. 25, qui est pars substantialis novi cap. IV, cui vellemus dare titulum « de munere speciali laicorum ». Putamus hunc numerum nova redactione indigere, quia, ut iacet, non potest dare laicis ideam perspicuam et vere inspirantem de eorum munere.

Recte schema agit de laicorum *immediata* cooperatione ad aedificandam Ecclesiam et quidem non tantum per preces et sacrificia sed etiam per testimonium vitae ac verbi; sed maximi momenti est, quod etiam in emendatione dicitur ab em.mo card. Suenens, laicis ideam perspicuam praebere de *valore christiano activitatis laicorum in rebus mundanis,* quibus eorum existentia quasi contexitur. Proponimus ergo ut adhuc clarius dicatur, nos in hoc numero *non* loqui de mundo prout frequenter in litteratura ascetica, et *forsan in nostris propriis sermonibus severioribus,*[1] intelligitur, nempe ut « caro, peccatum et omnia quae inimica sunt Deo ». Nunc enim loquimur de mundo a Patre amantissimo dato omnibus hominibus ad eorum salutem. Est enim voluntas Patris Creatoris, ut hic mundus ab omnibus coniunctim cultivetur in spiritu solidarietatis, et quidem tali modo, ut unusquisque homo in eo vivere possit humane, decenter, feliciter, ita ut omnes in unum coalescant, concordi animo ad hanc communem prosperitatem cooperantes.

Dicamus ergo expressis verbis christifideles divinis consiliis oboedire et eorum munus speciale implere, si suum proprium officium in familia, in officina, in vita publica bene impleant. Quia laici, qui ita faciunt, figuram mundi per suum laborem ita efformant, ut mundus fiat expressio iustitiae et caritatis et tamquam corpus coniunctionis et communionis hominum. Mundum, divinitus datum, talem efficiunt, qualem Deus eum ad omnium salutem dare voluit. Mundum Christo et Patri subiiciunt in praeparationem et praefigurationem regni Dei; eius instituta et condiciones magis apta reddunt ad promotionem vitae moralis et diffusionem fidei.

Heri hac in aula exc.mus D. William Philbin recte dixit laborem christifidelium in mundo summi momenti esse pro aedificatione Ecclesiae ob *effectum* quem in mundo efficit; *sed non agitur tantum de effectu, agitur etiam de ipsa activitate*[2]; laicorum labor est etiam omnino neces-

sarius ut *in ipsa eorum activitate in mundo* appareat, quanti Ecclesia res mundanas, semper ad earum relativitatem attendens, *positive tamen aestimet.* Eorum activitas in mundo testimonium esse debet sollicitudinis Ecclesiae, se ad omnes necessitates humanas extendentis. In ea elucere debet aspectus mundanus vel *sic dictus*[3] cosmicus illius amoris Christi et Patris, qui in vita Ecclesiae visibilis reddi debet. Aliis verbis: per ipsos laicos ita in spiritu solidarietatis et servitii in mundo est operandum, ut etiam sub hoc aspectu vultus Christi in Ecclesia resplendeat pro omnibus qui intra sunt et extra.

Ne a nostris laicis et a mundo etiam haec *sacrosancta*[4] Synodus putetur loqui in hoc numero modo *aliquatenus irreali et*[5] supernaturalistico, proponimus ut haec aestimatio positiva enuntietur verbis ita claris et tali vi praedita ut omnium corda fidelium illustrentur et accendantur ad implendam missionem Ecclesiae in hoc mundo et ut omnes alii, qui extra sunt, intelligere possint, quanti valoris Ecclesia, suam missionem pro toto genere humano implens, *laborem in mundo* habet. Ulteriores rationes in scriptis tradam. Forsitan diceret aliquis hic dicta esse inserenda schemati XVII *de praesentia efficaci Ecclesiae in mundo hodierno*; quod ex corde conceditur. Sed hoc non videtur ratio valida cur in hoc capite, de munere speciali laicorum tractante, eorum munus speciale insufficienter explicaretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] irreali et aliquatenus.

Animadversiones additae:

Divisio cap. III in duas partes, quarum prima agit de populo Dei in genere, pro altera parte talem restrictionem secum fert, ut titulus de laicis in specie nimis late evadat. Quia novum cap. IV nec de munere communi ut sic, nec de vocatione ad sanctitatem tractare vult, praeferendus videtur titulus de munere speciali laicorum. Sub hoc titulo tractandum erit de specializatione muneris communis pro eis, pro quibus specializatio ex munere hierarchico non valet. Quia quae de hac specializatione dicenda sunt, saepius suo modo valent de laicis religiosis, hi melius non excluduntur in descriptione eius quod sacrosancta Synodus sub lumine laici intelligit (cf. cap. IV, n. 32).

Tamquam pars substantialis novi capitis considerandus est n. 25. Quae autem in hoc numero de munere speciali laicorum dicuntur ad praebendam laicis ideam perspicuam et vere inspirantem, apta non esse videntur. Quapropter iudicamus hunc numerum nova redactione egere. In ordine ad talem novam redactionem proponere volumus sequentia:

Per modum introductionis textus statuat omnes ad populum Dei vocatos ad Ecclesiae incrementum vires suas omnes conferre teneri, utut ipsius missionis Ecclesiae salutiferae participantes.

Tamquam fons *specializationis* eorum muneris indicentur propria eorum dona

et officia propria vitae ad quam vocati sunt. Quibus est addendum hanc eorum cooperationem secundum propria dona cum S. Paulo non tantum utilem, sed revera necessariam dicendam esse. « Non potest enim oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii » (*1 Cor.* 12, 21).

Sub a) tractandum est de eorum immediata cooperatione ad aedificationem Ecclesiae, non tantum per preces et sacrificia, sed etiam per testimonium vitae et, opportunitate data, per actionem apostolicam in sensu stricto. Hic in memoriam revocetur etiam laicos « esse Ecclesiam », quod implicat eorum officium conferendi ad id quod vultus Christi pro omnibus qui intra sunt et extra, in Ecclesia resplendeat; etiam eorum enim est, vi mandati et virtutis sacramenti Confirmationis, testimonio vitae et verbi Ecclesiam reddere « signum levatum inter nationes ». Speciali modo necessitas eorum cooperationis indicetur ut Ecclesia sit vere praesens in familia, in officina, in vita publica etc.

Sub b) tractandum est de eo quod valet eorum activitas in rebus mundanis pro aedificatione Ecclesiae. Quae in schemate dicuntur sub *b*) et *c*) semel iterumque diversa permiscent, quia non satis distinguunt quid ipsa activitas fidelium in ordine ad res mundanas pro fine Ecclesiae valeat, quid autem effectus huius activitatis.

In ordine ad effectum huius activitatis primo indicetur ipsum mundum hominibus esse datum et concreditum ad eorum salutem, hunc finem autem non attingi nisi per hominum cooperationem. Haec cooperatio ad id tendere debet quod mundus labore humano ita excolitur ut omnes vere humane in eo vivere possint. In eo ergo operandum est in spiritu solidaritatis et servitii, ita ut figura mundi per laborem humanum efformata, fiat expressio iustitiae et caritatis et tamquam corpus coniunctionis et communionis hominum. Ad hunc finem operantes christiani voluntatem Dei implent — una cum Deo socios homines amant, eius mundum talem dare volentes qualem Deus eis ad eorum salutem dare intendit —, mundum Christo et Patri subiiciunt in praeparationem et praefigurationem regni Dei, eius instituta et conditiones iustitiae ac caritati conformantes ab infectione peccati sanant et promotioni vitae moralis et diffusioni fidei magis idonea reddunt.

Opportune addantur animadversiones de eo quod promotio valorum mundanorum qua talium propriis principiis regitur; de relatione huius activitatis cum principiis moralibus in quantum agitur de ordinatione rerum mundanarum in bonum vere humanum; de his quae revelatio in Ecclesia, magistra vitae, tradita ad haec principia cognoscenda valet; de cooperatione cum omnibus hominibus bonae voluntatis.

Pro ipsa hac activitate sequitur quod in ea apparere debeat quid Ecclesia de rebus mundanis sentiat, de eorum valore relativo sed etiam omnino positivo, de earum perturbatione per infidelitatem et egoismum, virtute redemptionis Christi sananda. Ipsa activitas debet esse testimonium sollicitudinis Ecclesiae, se ad omnes necessitates humanas extendentis.

In ea aspectus mundanus vel cosmicus elucere debet illius amoris Christi et Patris, qui in vita Ecclesiae visibilis reddi debet. A. v. ipsa activitas partem facere debet testimonii vitae de quo sub *a*) tractatum est.

Per modum conclusionis enuntietur quanti sunt momenti pro aedificatione Ecclesiae tum ipsa haec activitas tum eius effectus in mundo. In eo speciale officium laicorum invenitur, quia id quod in ordine ad res mundanas officium est Eccle-

siae, ab aliis neque praestabitur neque praestari potest. Illi enim sunt qui in laboribus huius mundi partes agunt et quorum existentia officiis mundanis quasi contexitur.

Magis in speciali tantum scripto quoad textum schematis animadvertimus:

Ad pag. 9, linn. 3-5: omittantur verba: « vel etiam a sacra hierarchia addito, quin tamen propter hunc ultimum titulum laici ex suo statu exeant »; pertinent enim ad ordinationem iuridicam et ideo melius ponantur et discutiantur in schemate « de apostolatu laicorum ».

Ad pag. 9, linn. 11 et 23: verba « valores religiosi », « diffusioni religionis » et « valores morales » mutentur in verba quae minus abstracte et magis christiane sonant.

Ad pag. 9, lin. 19: verba: « pro regno Dei omnibus renuntiantes » ex evangeliis et ex vocabulario christiano alium sensum habent quam hic intendi potest.

Ad pag. 10, lin. 18: verba « indoles laica » ne adhibeantur, quia vox « laica » hic introducitur in sensu a toto contextu capitis alieno; insuper extra regiones linguae gallicae difficulter intelligi videntur.

H. J. M. v. d. Burgt, arch. Pontianak; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; F. A. H. v. d. Hurk, arch. Medan; G. Manek, arch. Endeh; N. M. Schneiders, arch. Makassar; A. E. J. Albers, ep. Malang; P. M. Arntz, ep. Bandung; W. v. Bekkum, ep. Ruteng; R. Bergamin, ep. Padang; W. Demarteau, ep. Bandjermasin; P. N. J. C. Geise, ep. Bogor; Jac. Grent, ep. Amboina; G. Grimm, ep. Sibolga; A. Hermelink, ep. Tandjung Karang; L. v. Kessel, ep. Sintang; J. Klooster, ep. Surabaja; M. Mekkelholt, olim ep. Palembang; J. H. Romeijn, ep. Samarinda; P. Sani, ep. Denpasar; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; G. Sillekens, ep. Ketapang; J. H. Soudant, ep. Palembang; A. H. Thijssen, ep. Larantuka; Th. v. d. Tillaart, ep. Atambua; T. v. Valenberg, olim ep. Pontianak; N. Verhoeven, ep. Manado; N. P. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; R. J. Staverman, vic. ap. Kotabaru (Hollandia); H. Tillemans, vic. ap. Merauke; M. v. Diepen, praef. ap. Manokwari; G. Legeland, praef. ap. Sumba/Sumbawa.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO

Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Quae de laicis dicuntur, venerabiles Patres, in cap. III schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* ad substantiam quod attinet, placent.

Laicorum enim in Ecclesia dignitas, regale sacerdotium, vocatio ad sanctitatem, missio et navitas apostolica, fuse illustrantur, ac relationes laicatum inter et hierarchiam, utriusque essentialis distinctio et concreta unitas in populo Dei, salva potestatis, munerum atque officiorum inaequalitate divinitus constituta, dilucide proponuntur. Sacerdotium enim universale christifidelium et sacerdotium hierarchicum

essentialiter et non tantum gradu inter se differre dicuntur, utrumque vero suo quodque modo ab uno Christi sacerdotio profluere. Quod ex sacro divinae revelationis deposito sane constat...[1]

Quaedam vero de universali christifidelium sacerdotio, de laicorum ...[2] notione, de indole laica Civitatis terrenae, parum accurata minusve perfecta in schemate leguntur, quae emendanda vel perficienda esse censeo.

1. N. 24, linn. 22-23, ne videatur populi sacerdotalis sacra indoles restringi ad solam praxim sacramentalem, cum revera totam amplectatur vitam christianam maximeque vitam theologalem, sic textum emendandum propono: « Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis sacramentis innititur iisque et supernaturalium virtutum, maximeque fidei, spei, caritatis et religionis exercitio ad actum deducitur ».

Velim dein eodem n. 24, linn. 28 ss., innuatur ordo sacramentorum ad Eucharistiam ...[3], totius ministerii sacramentalis *Ecclesiae*[4] fontem et finem, qua unitas populi Dei, communione Dei et hominum in Christo, apte significatur ac mirabiliter perficitur. Textus ita emendari potest: « Christifideles sacrificium eucharisticum, ad quod omnia sacramenta ordinantur, participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungentes, divinam Victimam, verbis consecrationis a sacerdote in altari positam, per manus eiusdem Deo offerunt atque seipsos cum ea, ac sacra Corporis Christi communione sese reficientes unitatem populi Dei, quae hoc augustissimo sacramento apte significatur et mirabiliter perficitur, concrete exhibent ».

Notare demum auserim coniuges sacramentum matrimonii non tantum suscipientes sed etiam administrantes, typico laicorum sacerdotali ministerio fungi. Textus ita perfici potest: « Coniuges christiani, sacramentum matrimonii, quo repraesentatur mysterium unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam ...[5], *administrantes*[6] et suscipientes, quodam laicorum sacerdotali ministerio funguntur, se invicem in vita coniugali et prolis educatione sanctificant... ».

2. *De laicorum notione.*[7] Quamvis laicorum in Ecclesia dignitas sit maxime positiva et *conamen*[8] positive determinandi notionem laicorum in Ecclesia laude *sit dignum,*[9] numquam haec notio patebit, nisi a sacerdotio hierarchico cetera populi Dei membra distinguantur. *Sacramentum enim Ordinis*[10] ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium (can. 948). Est igitur ...[11] discrimen in ipsa sacramentali Ecclesiae structura fundatum.

N. 23, linn. 31 ss., praeter distinctionem ab ordine hierarchico,

schema aliam distinctionem a statu ...[12] religioso effert et duo elementa positiva ad notionem laicorum ...[13] efformandam praebet: cooptationem per baptisma in populum Dei et Dei servitium in communi christifidelium statu. Quae revera non satis placent. Iuxta hanc schematis mentem catechumeni, qui fide integra Christum profitentur et ad baptismum properant, ad populum Dei non pertinerent, cum e contra baptizati qui extra visibilem Ecclesiae compagem degunt, membra populi Dei essent.

Quaestio de laicis, ut patet, quaestionem de Ecclesiae membris, de qua in cap. I huius schematis actum est, praesupponit. In nota 3 ...[14] intentio Concilii dicitur esse *heic*[15] loqui de iis qui sensu vulgato laici appellantur. Quod sane in constitutione dogmatica mihi non licere videtur. Quod ceteroquin cum veritate non congruit. Sensu enim vulgato, qui non semper univoce constans est, ecclesialem significationem vox « laicus » fere amisit, quinimmo *vox*[16] saepius animum a religione alienum denotat.

3. *De indole laica civitatis terrenae.*[17] Doctrina quae in schemate traditur de autonomia, quae dicitur, civitatis terrenae deque cum eadem populi Dei relationibus, paucis et quandoque ambiguis verbis absolvitur. Damnatur enim ex una parte confusio *indebita*[18] religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus, et ex altera laicismus, qui societatem extra quamlibet religionem exstruere contendit et christianam libertatem impugnat et eruit.

N. 25, linn. 17 ss. dicitur: « ... merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis ». Indolem temporalem civitatis terrenae laicam appellari non placet. *Certe*[19] vox *laica* in casu non eumdem sensum habet, quo schema utitur *ad laicos in Ecclesia designandos.*[20] Si ad sensum vulgatum attendamus, civitas laica ea dicitur, quae se extraneam esse a qualibet religione affectat.

Civitas terrena, saecularibus curis addicta, dicitur in schemate regi propriis principiis. Quod si bene intelligatur mihi videtur esse verum. Tamen, *ob rationes pastorales,*[21] cum haec locutio ansam praebere possit nefastis laicismi erroribus, doctrina magis definite ...[22] et perspicue proponenda est.

Autonomia civitatis terrenae sicut autonomia Ecclesiae haec postulant: ordinem civicum ...[23] ab ordine ecclesiali plane distinctum; utrumque suam habere perfectionem iuridicam ...[24]; utrumque pollere *suprema*[25] potestate; utrumque ...[26] fine immediato specificari: ordo civicus enim respicit bonum hominis commune temporale *adsequendum,*[27] ordo vero ecclesialis ad bonum hominis aeternum tendit.

Uterque ordo regitur iure proprio...[28]

Quaestio exsurgit cum de principiis agatur, quibus ordo civicus *constat.*[29] Quonam sensu dicuntur propria ...[30], et quaenam est competentia Ecclesiae, si qua *forte sit,*[31] circa ea? *Ordo autem civitatis iuridicus ad ordinem ethicum ex intrinseca sua constitutione refertur.*[32] A lege enim naturali principia fundamentalia de homine ac de societate haurire debet. *Omnis ordo iuridicus in quodam humanismo fundatur.*[33]

In quibus principiis *enucleandis et*[34] autonomia civitatis *et*[35] competentia magisterii Ecclesiae ea ...[36] authentice interpretandi ac proponendi, affirmanda sunt. Ex una parte *autonomia civitatis, cum principia in natura hominis rationali fundantur, obiective et abstracte loquendo,*[37] naturali rationis lumine (sicut quaelibet veritas religiosa et moralis naturalis), comparari possunt; *ita ut ordo iuridicus civitatis sit vero ordinatio rationis*[38]; ex altera parte Ecclesiae magisterio competit officium et ius, integram legem naturalem authentice interpretandi, cum ipsa legis naturalis observatio ...[39]

Moderator: Exc.me Domine, tempus tuum exhaustum est!
[*Orator tacet et discedit*].

In textu scripto tradito: [1] (cf. S. Augustinus, *De civ. Dei,* XX, 10). [2] in Ecclesia. [3] (S. Thomas, *S. T.* III, q. 65, a. 3). [4] deest. [5] (cf. *Eph.* 5, 32). [6] ministrantes. [7] deest. [8] conamina. [9] digna sunt. [10] Ordo enim. [11] essentiale. [12] nempe. [13] in Ecclesia. [14] ad schematis caput apposita, explicite. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] ac permixtio. [19] Equidem. [20] cum de laicis in Ecclesia loquitur. [21] deest. [22] ac perfecte. [23] (ordinamento dello Stato). [24] (sovranità). [25] sua suprema specifica. [26] ex. [27] deest. [28] ac propria ratione. [29] constituitur. [30] civitatis terrenae. [31] est. [32] In textu notatur nulla humana activitas Dei imperio subtrahi posse. Quod verum est, sed ad solvendam quaestionem de principiis parum iuvat. Recolendum est ordinem civitatis iuridicum ad ordinem ethicum ex intrinseca sua constitutione referri. [33] deest. [34] evolvendis sive. [35] sive. [36] principia. [37] affirmatur autonomia civitatis; agitur enim de principiis iuris naturalis, in natura hominis rationali proxime fundatis, quae, si obiective et abstracte loquimur. [38] deest. [39] in actuali providentis Dei oeconomia, ad viam concrete referatur, qua homo ad finem ultimum supernaturalem assequendum tendit. In qua via magistra et custos hominum est sola Christi Ecclesia (cf. Leo XIII, *Diuturnum illud, Immortale Dei;* Pius XII, Rad. Mess. 24 dec. 1951; Disc. ai cardd. e vescovi 2 nov. 1954). Momentum practicum huius Ecclesiae magisterii, quod Summi Pontifices — recentiores praesertim — tam fuse ac fructuose exercuerunt atque exercent, neminem fugit, cum principia iuris naturalis, obnubilata passionibus ac erroribus, naturali rationis lumine, saepe ignorentur, negentur vel negligantur. Propono igitur ut textus ita emendetur: « Sicut enim merito probari debet indolem temporalis

ac laicalis terrenae civitatis, quae saecularibus curis addicta, suo proprio consistit ordine, ac suo proprio iure suaque propria ratione regitur, ita pariter infensus laicismus, qui civitatem extra quodlibet religionis vinculum exstruere contendit, et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur ».

11

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Evidens est inclusionem *et divisionem*[1] huius capitis, de populo Dei et de laicis, in schemate *de Ecclesia,* omnino fuisse *necessarias ut offeratur mundo visio Ecclesiae adeo desiderata.*[2] Quapropter laudanda est merito commissio.

Sed nihilominus videntur in hoc capite deficere: unitas, accurata expressio et pastoralis dimensio *conveniens. Quare necessarium puto reordinari haec capita.*[3]

...[4] Quae *ad populum Dei referuntur non sunt stucturata; quae,*[5] et quidem per partes, tradam secretariae generali...[6]

II. *Circa laicos et eorum munera.*

1. Momentum actionis temporalis non satis perpenditur *in hoc capite*[7]; in introductione, a lin. 8 ad 11, sermo est de apostolatu hierarchico *et communi seu universali*[8]; sed nulla est mentio eorum actionis temporalis in mundo. Dicit enim « ad commune opus explendum ». Et introductio debet esse prooemium totius tractationis. Quae omissio consonat cum modo agendi circa hanc actionem temporalem; nam in n. 25 ...[9], de actione temporali agitur *sed ultimo loco et sub littera c*);[10] et praeterea, ut si esset aliquid supererogatorium vel aliquid minoris momenti, addit in lin. 36: « id etiam spectat ».

2. In pag. 9, a lin. 1 ad 5 definit apostolatum, illum distinguendum inter communem et hierarchicum. Et supponitur consequenter divisiones sequentes sub *a, b* et *c*, tractari secundum illam definitionem. Nihilominus ...[11] non secundum illam definitionem *tractat,*[12] sed ratione materiae; *quae non placent.*[13]

3. Urget clara expositio missionis laici in Ecclesia. *Aedificatio paulina*[14] Ecclesiae non est possibilis sine actione laicorum. Iam sunt superata illa tempora historica, in quibus separatio primum et hostilitas *posterior*[15] inter societatem civilem et Ecclesiam habita est, ita ut clericalismo laicismus opponeretur. Alia ex parte, Ecclesia iam non sese defendere tenetur ab inimicis tam internis quam externis.

4. Hodie igitur affirmare possumus et debemus laicorum missionem non esse *negativam,* neque *peiorativam,* neque *simplicis cooperationis ad hierarchiam.* Debet esse instrumentum Dei ad mundum *re-creandum,* ad applicandam redemptionem huic mundo. Agitur de illa consecratione mundi, de qua luculentissime locutus est Pius XII *saepe saepius.*[16]

5. Qua de causa, primo agere debet schema de laicorum munere in mundo, de actione sua temporali seu cosmica, ut ita dicam. Non quia haec actio sit nobilior in genere, *est enim inferior,*[17] sed quia est munus radicale seu fundamentale. Si mundus, *societas, « estamenta » socialia non essent*[18] Creatoris neque suo modo a Christo *redempta, necessario essent fugienda.*[19] Et praeterea, quia est functio laicorum propria et exclusiva. *Cum quo maxime cohaeret apostolatus communis seu generalis laicorum qui, vi baptismatis, est proprius sed non exclusivus,*[20] et apostolatus hierarchicus *qui*[21] est functio delegata et dependens. *Quare hic alio in numero debet tractari, utpote apostolatus non proprius sed dependens et ut accurate tractetur.*[22] Qua de causa, non sumus conformes cum verbis annotationum schematis, in n. 17, sub littera *a*). Certum est laicos de quibus agimus non esse profanos. Sed non est minus certum opera saecularia non esse extra ordinem creationis et redemptionis; ...[23] immo, quia, teste historia, usque ad nostra tempora res profanae extra Deum et Christum fuerunt consideratae, tamquam saecularizatae, maximi momenti est primus labor, *utpote radicalis,*[24] sit ordinare mundum ad Deum.

His praesuppositis vel simul factis, testimonium fidei exempli et verbi (apostolatus generalis) feliciter erit efficacius.[25]

III. Necesse est offerre definitionem laicorum, quae debet esse positiva et optimista ...[26]. Haec iudico consideranda:

1. Laicus *est christianus,*[27] membrum Corporis Christi; sunt Ecclesia. *Haec est prima*[28] veritas theologica cum effectibus iuridicis et socialibus.

2. Laicus suam habet vocationem ...[29], affirmationem amoris Dei in mundum et reditus ...[30] mundi ad Deum. Haec missio laici in mundo, *sive quoad actionem temporalem, sive quoad apostolatum communem*[31] debet esse altera nota essentialis huius definitionis, sicut differentia specifica, utpote munus eorum *vel simpliciter proprium vel simul et*[32] exclusivum. Quae duae notae et dignitatem et responsabilitatem simul laicorum affirmabunt...[33]

IV. Sed cum agamus in hoc capite de laicis, ...[34] *videtur proprium et ex iustitia* aliquem locum dare piis unionibus et specialiter Institutis saecularibus, quae revera sunt verum subsidium Ecclesiae ...[35] et fer-

mentum *evangelicum* [36] huius mundi, ...[37] ut aiebat sapientissime Pius XII in constitutione *Provida Mater Ecclesia* a. 1947...[38]

Haec Instituta primo, ut par est, plenam perfectionis vitam authentice profitentur et, secundo, utpote saecularia, in quo charactere tota ratio ipsorum exsistentiae reponenda est, ad apostolatum huius mundi et ex mundo operam dant. Ut ait Motus Proprius Pii XII *Primo feliciter.*

Ideo existimo optime excogitatum fuisse nomen « saecularia », ut ...[39] nemini dubitari liceat de eorum conditione saeculari. Sed quaero, si licet: estne figura eorum iuridica, quae concretio laicorum doctrinae esse debet, iam perfecta? Consonat cum eorum missione in mundo? Ipsa verba schematis in nota 3 in fine capitis, in secunda paragrapho, non bene sunt redacta, seu non bene proponunt quaestionem. Certe non sunt religiosi membra Institutorum saecularium sed *fortasse apparent vel assimilantur. Melius esset promissiones seu vota sua ignorare* [40] utpote res privatae eorum, alioquin fortasse magis *aptetur* [41] suo scopo et *mundi* [42] necessitatibus structura piarum unionum.

Magni momenti esset pro Ecclesia et pro mundo, cuius apostolatum curant, ut revera appareant in toto suo complexu *organizationis,* uti sunt: laicorum et pro laicis. Ut fideles omnes et Status cuiuscumque nationis, sive catholicae sive non catholicae, illa existiment ut talia, ut suum munus perfecte adimplere possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] necessariam ad offerendam visionem Ecclesiae adeo desideratam. [3] deest. [4] I. Circa populum Dei debet agi de *a*) eius ortu et origine; *b*) de natura vel constitutione formali; *c*) de sacerdotio improprio fidelium; *d*) de mutuis denique relationibus omnium civium huius populi. Et haec omnia ad obtinendam unitatem, per veritatem et caritatem. De his omnibus agitur in schemate; sed confuse et inordinate. [5] haec referuntur. [6] *a*) de origine agitur in tribus locis praecipue: in n. 22, linn. 5-8; in n. 23, linn. 32-34 et in n. 24, linn. 4-10. Si haec tria loca ad invicem conferuntur, apparet improprietas locutionis et permixtio quatuor quaestionum de quibus supra diximus; *b*) mihi videtur ad constitutionem formalem populi Dei posse referri illa verba n. 22, linn. 5-6, scil.: « est communitas caritatis et veritatis »; ideo fortasse additur verbum « constitutus ». Sed hoc verbum invenitur in forma particulari, tanquam anterius et in ordine ad finem huius populi, finem pastoralem nempe; *c*) de sacerdotibus loquitur n. 24 in prima paragrapho. Melius esset loqui de sacerdotio improprio, quamvis postea addatur verbum « universale ». Nihil dicitur de charactere baptismatis, relate ad hoc sacerdotium. Et denique non enuntiat functiones sacerdotales ab eo emanantes, seu iura et officia huius sacerdotii; *d*) nihil dicit in specie de relationibus ad invicem civium seu fidelium, ex quibus revera sese manifestet ut talis populus Dei. [7] deest. [8] laicorum; fortasse etiam de apostolatu communi seu universali. [9] sub littera *c*). [10] ultimo loco. [11] in nota 17, in fine schematis, affirmat dividere tractationem. [12] deest. [13] deest. [14] Sine ullo metu possibilis abusus; construc-

tio. [15] deinde. [16] deest. [17] deest. [18] non esset. [19] redemptus; necessario esset fugiendus. [20] Dum, e contra, apostolatus communis seu generalis laicorum, vi baptismatis est propria, sed non exclusiva. [21] deest. [22] deest. [23] ideoque non possunt considerari ut extranea Ecclesiae. Sed de his agere debent laici, modo christiano. [24] laicorum. [25] deest. [26] laicum collocans in suo loco. [27] non est christianus secundae lineae vel classis, sed. [28] deest. [29] quam totis viribus adimplere debet. [30] huius. [31] deest. [32] deest. [33] Et conscientiam suam in Ecclesia, in tota sua vita sociali, professionali, et familiari efformabunt. [34] de eorum natura et missione in mundum. [35] in hac re. [36] deest. [37] Nam. [38] « Benignissimus Dominus... mirabili divinae Providentiae suae consilio disposuit ut etiam in hoc saeculo, tot vitiis depravato... plures floruerint ac floreant animarum selectarum copiae, quae peculiari Dei vocatione *in mundum manentes,* optimas novas possint invenire consociationibus formas... ». [39] appareat finis et scopus, et. [40] quare his assimilantur? Aut promissiones seu vota privata *ignorentur* ab Ecclesia. [41] accommodentur. [42] populi christiani.

Moderator: Loquetur nunc exc.mus secretarius generalis ut communicet exitum votationis anteactae.

Secretarius generalis: Suffragatio circa cap. III *de sacra Liturgia* hunc dedit exitum:

Praesentes votantes	2.217
Dixerunt *placet*	1.130
non placet	30
placet iuxta modum	1.054
Suffragia nulla	3

Oportet igitur commissio studeat omnibus his modis, ut definitiva suffragatio fiat.

Utor hac occasione ut recolam venerabilibus Patribus crastina, sabbato, die 19 octobris, hora 17, exsecutioni datum iri in Auditorio, Via della Conciliazione, concertum symphonicum chorale quod offeret omnibus Patribus conciliaribus « Associatio sub titulo S. Caeciliae pro omnibus Germanicae linguae terris ». Omnes Patres humanissime ac vehementer invitantur, hora 17, crastina. Si quis non poterit participare concerto crastina, poterit adesse hodie sero, hora 17, experimento finali, nempe « prove generali ». Etiam ad hoc experimentum omnes humanissime invitantur quotquot non poterunt participare crastina ipsi exsecutioni solemni. Gratias.

12

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Loquor de cap. II, sub titulo de populo Dei in genere... etiam nomine quorundam episcoporum, qui mecum collaboraverunt et in rebus oecumenicis sunt periti.

Valde placet, etiam sub aspectu oecumenico, quod in capite speciali tractatur de populo Dei eiusque regali sacerdotio.

Nova materiae distributio praeprimis laudanda est, quia prius agitur de populo Dei, antequam de hierarchia et de laicis sermo fiat. Hoc modo clarius ostenditur, totum populum Dei opus et vitam Christi continuare eiusque Evangelii testimonium reddere debere.

Praeterea, attentis discussionibus inter theologos circa doctrinam Corporis Christi mystici vigentibus, melius esse videtur statum catholicorum, ceterorum christianorum et non-christianorum describere relate ad mysterium populi Dei. Si enim in mysterio Corporis mystici de non-catholicis tractatur, sub aspectu membri considerandi veniunt, quod multis confusionibus obnoxium est.

Quod ut vere oecumenice fiat, ratio habenda erit in definitiva redactione de iis quae a quibusdam Patribus iam tamquam adiungenda notata sunt, scil. de Baptismo et Eucharistia tamquam elementis formativis vel constitutivis communitatis salutiferae et Ecclesiae localis. Baptismo enim in Spiritu Sancto homo non tantum sanctificatur sed etiam ad Ecclesiam ordinatur.

In Eucharistiae celebratione novum foedus apparet simul cum novo populo Dei, cuius unitas in Eucharistia et significatur et vere efficitur. Hoc modo in lucem ponitur etiam relatio Ecclesiarum particularium ad Ecclesiam universalem. Qui enim veram Eucharistiam celebrant eadem iam in Ecclesiam localem vere congregantur, quamquam ii, qui fide et regimine cum tota Ecclesia non cohaerent, perfectam communionem non attingunt (cetera de Eucharistia tamquam unitatis principio in scriptis secretariatui tradam).

Placet praeterea in schemate dilucide tractari de doctrina biblica regalis sacerdotii in populo Dei et hoc sacerdotium considerari tamquam basim seu fundamentum eorum munerum quae universo christianorum consortio ut tali a Christo committuntur.

Quaedam tamen puncta textum sub respectu oecumenico notabili-

ter meliorem reddere possent et quidem sine speciali doctrinali difficultate. Liceat igitur sequentia breviter attentioni Patrum committere:

1. In novo n. 8, lin. 4, loco « conditionem » scribatur « mysterium ». Populi Dei ne videatur oppositionem quamdam exsistere inter cap. I et cap. II, ac si in cap. II non ageretur de intima natura Ecclesiae.

2. In nn. 9 et 10 clarius et profundius dicatur novum populum Dei esse continuationem vitae Iesu Christi in ipso praesentis. Ipsa vita Christi non accurate describeretur, si tantummodo sermo fieret de eius natura, eius iuribus et eius missione et nihil dicatur de Christi vita sub crucis mysterio peracta. Pari modo etiam non solummodo natura et missio populi Dei, sed etiam eius in terris sub cruce peregrinatio describenda videtur. Huic accedit quod Ecclesia, etsi natura sua sancta, de facto in multis membris suis, immo in integris partibus suis nonnisi imperfecte voluntati Christi et gratiae Spiritus Sancti correspondet. Iesus Christus a christifidelibus quodammodo offenditur et ipsa continuo cum Christo confixa est cruci.

Modus enim, quo Ecclesia in schemate describitur, magis realistica esse debet quam abstracta. Ita apparebit Ecclesia in via, sicut describitur in Apocalypsi, exspectans suam redemptionem in adventu Domini et interea Redemptoris crucem participans in multis tribulationibus et persecutionibus.

3. In hac reali Ecclesia datur coniunctio seu solidarietas inter membra sicut datur, in faustis et in adversis, solidarietas in una familia. Populus Dei est vere familia Patris in qua omnes filii et fratres alii ab aliis dependent, alii in alios verum influxum exercent, sive quando ad sanctitatem tendunt, sive quando peccando a recta via deficiunt.

4. In n. 10 ubi de sacerdotio universali agitur, desideratur magis accurata indicatio similitudinis et dissimilitudinis inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium universale. Verba « essentialiter et non gradu differunt » non satis clare et recte explanant, quid habent commune et in quo differunt. Inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium universale hoc commune est quod et sacerdotes ministeriales et membra sacerdotii universalis in Spiritu Sancto consecrata sunt et veram dignitatem habent, ita ut se sistere possint coram Patre aeterno tamquam persona ipsi adscripta et agnita ad offerendas preces et hostias pro salute mundi.

Id quod *non* commune est, invenitur in *speciali* consecratione et in ecclesiastica delegatione. Sacerdotes enim ministeriales specialiter vocati, instituti et consecrati sunt ad repraesentandam Ecclesiam catholicam apud Patrem et Iesum Christum apud Ecclesiam. Hoc repraesentativo munere membra sacerdotii universalis non funguntur.

5. In n. 11 in descriptione sacramentorum desideratur indicatio muneris Spiritus Sancti in initiatione christiana, praesertim in sacramento confirmationis. Nexus inter baptismum et confirmationem exponatur.

6. In eodem n. 11, pag. 8, lin. 8 melius indicari deberet in quo consistat participatio muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi.

Cetera omnia in scriptis tradam secretariatui.[1] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] *a*) Doceatur populum sacerdotalem teneri ad vivendum in unione cum Iesu summo sacerdote *ad offerendum cultum spiritualem,* ducendo vitam sanctam, incumbendo orationi et exercendo abnegationem christianam, eo fine ut Deus glorificetur et peccata expientur. *b*) Doceatur populum sacerdotalem debere uniri cum Christo propheta, offerendo Patri suam quotidianam instantiam *ad testimonium perhibendum de veritate* Christi eiusque doctrinam evangelizandam. *c*) Doceatur populum sacerdotalem debere in Christo rege offerre Patri sua conamina, cum libertate filiorum Dei peracta, *ad omnia instauranda in Christo* ac eius regali potestati submittenda, ita ut mundus Deo consecretur et ad Dei gloriam ordinetur, exspectando beatam spem et adventum Domini. 7. In n. 12 sensus fidei coniungendus esset cum munere prophetico populi Dei.

Animadversiones additae:

Placet quoad substantiam novum cap. II de populo in genere. Cum autem *eucharistia tamquam unitatis principium* in hoc schemate antea tantum tangitur eiusque expositio desideratur, ut iam exc.mus Volk declaravit, ideo brevem de hoc textum secretariatui tradam.

Rationes autem talis emendationis sunt sequentes:

1. In n. 9 vocatur prophetia Ieremiae (*Ier.* 31, 31-34) de foedere novo concludendo. Quae prophetia implebatur, cum Christus in ultima coena panem eucharisticum apostolis dedit edendum et calicem dicens: « Hic calix novum testamentum est in sanguine meo... » (*1 Cor.* 11, 25; *Lc.* 22, 20; cf. *Mt.* 26, 28; *Mc.* 14, 24). Quare manducantes corpus et sanguinem participes fiebant novi et aeterni testamenti in sanguine Christi constituti. Et sicut in Veteri Testamento ita etiam in Novo unum tantum adest foedus et unus populus. In eucharistiae celebratione novum foedus apparet simul cum populo novo Dei, cuius unitas in eucharistia et significatur et vere efficitur.

2. Ex primaevae Ecclesiae tempore verbum « Koinonia » vel « Communio » relationem dicit ad eucharistiam condentem unitatem populi Dei. Etenim « koinonia » significat tam ipsam participationem eucharistiae quam communionem fidelium in Ecclesia, quae communio efficitur per illam participationem. Inquantum ideo fideles participant eucharistiae, in tantum uniuntur communione Ecclesiae. Unitas ergo Ecclesiae fundamentum ontologicum habet in sacra eucharistia. Hoc modo in lucem ponitur etiam relatio Ecclesiarum particularium ad Ecclesiam universalem. Nam « ecclesia » in Novo Testamento significat tam Ecclesiam particularem seu localem celebratione eucharistica congregatam quam totum populum Dei vel Ecclesiam universalem sacra eucharistia unitam.

3. S. Paulus in prima epistola ad Corinthios hoc adhuc clarius explanat dicens: « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Chri-

sti est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus » (*1 Cor.* 10, 16-17). Verba « corpus Christi » significant et corpus Christi eucharisticum et Corpus Christi mysticum, hoc est communionem fidelium cum Christo et per Christum in Spiritu Sancto inter ipsos. Apostolus loquitur de reali corpore Christi in eucharistia, quod realiter sumitur. Et haec est ratio, quare participatio eucharistica realiter efficit unitatem fidelium. Sicut unus tantum est Christi corpus eucharisticum, ideo unum et unicum tantum est etiam corpus Christi mysticum, cui participantes eucharistiae incorporantur. Ex quo videri potest, quanti momenti est realis praesentia Christi pro unitate christianorum in una Ecclesia. Nam ubi haec realis praesentia evanescit, validissimum vinculum communionis ecclesialis tollitur, etiamsi remanet baptismatis vinculum, quod iam fundamentaliter et inchoative coniungit cum corpore Christi (*1 Cor.* 12, 13).

4. Unitas fidelium in eucharistia per Spiritum Sanctum caritate divina efficitur. Hinc S. Paulus tantopere exaltat caritatem, quae unitatem Ecclesiae in Spiritu Sancto manifestat. Quae caritas fugit omnem separationem et servat unitatem Ecclesiae in vinculo pacis et fidei, ut Paulus declarat in epistola ad Ephesios (4, 1-6).

5. S. Augustinus explanavit, eucharistiam significare et efficere unitatem corporis Christi, quod est Ecclesia, et quidem in Spiritu Sancto. Hac unitate Spiritus Sanctus coniungit singula membra vinculis caritatis, quae non debent separari a visibilibus vinculis unitatis. Nam qui adspectabilem unitatem Ecclesiae lacerant, egent caritate et Spiritum Sanctum non habent, ait Augustinus (*Serm.* 7, 11-13).

Textus inserendus in novo cap. II de populo Dei in genere (antea cap. III) in n. 13 post lin. 12 pag. 9 Emendationum (pars II) in cap. III et IV schematis *de Ecclesia*:

Adimplens prophetiam Ieremiae Christus in coena Dominica novum foedus cum uno populo Dei in sanguine suo instituit. Exinde Eucharistiae perpetua celebratio huius novi populi unitatem significat et efficit in Spiritu Sancto. Inquantum fideles participant eucharisticum Corpus Christi, intantum Spiritus Sanctus caritatis vinculis eos vivificans unit in mystico Corpore Christi (cf. *1 Cor.* 10, 16-17).

13

Exc.mus P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Venerabiles Patres,

...[1] Multa sapienter et recte dicta inveniuntur in cap. III de apostolatu laicorum. Attamen videtur quod character proprius huius apostolatus in clariore luce poni deberet. Liceat mihi insistere in ambitu universali et aspectu ecclesiali huius apostolatus.

1. *Ambitus universalis.*

a) *Tota vita* laicorum debet esse apostolica. Non necesse est ut

laici exeant e suo proprio munere ut fungantur missione sua. *Hoc iam dictum est sed hoc addo*:

Multi laici arctissime vinciuntur paupertati, doloribus, angoribus generis humani. In his omnibus — activitatibus sed doloribus — in quibus vivunt laici, problemata inveniuntur quae non habent solutionem, saltem solutionem perfectam, nisi christianam. In his omnibus agitur de bonis essentialibus vitae humanae et societatis. Aliquando ipse homo in summo periculo versatur.[2] Pars laicorum est discernere in vita quotidiana aspirationes profundas hominum, et promovere bona essentialia quae a Deo veniunt et quibus homines ad vitam vere humanam et ad Deum tendere possint...[3]

b) Apostolatus laicorum « totum hominem complectitur », ut scripsit Pius XI ad card. Bertram ...[4], hominem quippe tuendum et salvandum.

c) Omnes filii Ecclesiae sine ulla distinctione ...[5] ad hanc actionem vocantur, unusquisque in suo loco et secundum suam mensuram.

Sed attendendum est quod saepius laici vivunt in medio hominum diversarum religionum et etiam hominum sine religione. Inter hos homines inveniuntur qui sincere parati sint ad promovenda haec bona essentialia sine quibus societas vitam non potest gerere humanam. Ut apostolatus laicorum obtineat dimensionem suam plenam, ipsorum est suscitare, ad mentem Encyclicae *Pacem in terris,* cooperationem hominum « bonae voluntatis », qui, etsi extra limites visibiles Ecclesiae sint, tamen ducuntur a Spiritu Sancto et, consilium Dei implentes, suo modo concurrunt ad regnum Dei instituendum; nam defensio et promotio bonorum essentialium hominis est manifestatio ...[6] praesentiae Dei in mundo et eius amoris in historia generis humani. Saepe infideles inveniunt Evangelium in sua ...[7] vita, scil. cum, interveniente amicitia christianorum, cooperantur ...[8] Evangelio. Haec veluti extensio apostolatus *laicorum*[9] est consolatio et motivum spei pro catholicis qui parvam minoritatem constituunt in regionibus ubi maior pars hominum non est christiana.

2. *Aspectus ecclesialis,* nedum contradicat ambitui universali apostolatus laicorum, ipsum extollit, cum Ecclesiae sit « omnia instaurare in Christo »...[10]

Hic aspectus ecclesialis haec secum fert:

a) *Fundamentum sacramentale, quod iam dictum est.*

b) *Apostolatus laicorum*[11] fundatur consequenter in lege caritatis, quia caritas est lex discipulorum Christi. Haec obligatio caritatis erga Deum et proximum urgenda est ut dixit heri exc.mus D. ep. Civardi. Sed dicendum est quod caritas non solum est obligatio apostolatus

latus exercendi, est etiam pro apostolatu finis et medium. De apostolatu praesertim valent quae dixit S. Franciscus Salesius, vestigia sequens S. Pauli ...[12]: « In Ecclesia omnia fiunt per caritatem, propter caritatem et in caritate »...[13]

c) Cum non sufficiat apostolatus individualis, sed requiratur apostolatus collectivus, convenienti ordine seu « organizatione » dispositus, necessarius est interventus hierarchiae. Hic interventus non laedit libertatem fidelium, sed eam tuetur praeservando fideles ab errore, eam extollit per coadunationem virium christianarum in eumdem finem tendentium. Ecclesia fidem facit laicis in ipsorum missione propria; non immemores sumus quod laici nostri temporis habent suos martyres et quod multi eorum in pluribus regionibus gravissima patiuntur propter testimonium Christi. Ipsi quoque sunt « gloria Christi »...[14]

Cetera exc.mo secretario generali tradam.[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nomine episcoporum Algeriae, Tunisiae, et Marocco. [2] (cf. *1 Cor.* 7, 20). Ecclesia vult dialogum instituere cum mundo. In hoc dialogo pars laicorum magni pretii facienda est.

Etenim, sicut optime dicitur in fasciculo Emendationum, pag. 10, laici in mundo degunt.

Ac primo quidem sunt in ipso fonte vitae humanae, i. e. in familia. Fraterne vivunt cum hominibus cuiusvis generis in exercenda professione, in activitatibus socialibus et politicis, in vacationibus et etiam in cessationibus a labore, in otiis, in ludis... etc. Aliqui eorum, inquisitionibus suis, praesentes sunt in progressu scientifico, ergo in conaminibus ad materiam homini subiiciendam; alii operam dant activitati scientificae. Multi eorum arctissime vinciuntur paupertati, doloribus, angoribus generis humani.

In his omnibus in quibus vivunt laici problemata inveniuntur quae non habent solutionem, saltem solutionem perfectam, nisi christianam. In his omnibus agitur de bonis essentialibus (gallice « valeurs ») vitae humanae et societatis. Aliquando ipsa dignitas humana in summo discrimine versatur. [3] Praesertim per laicos fit instauratio creationis de qua scripsit S. Paulus in epistola *ad Romanos* cap. VIII. [4] die 13 nov. a. 1928. [5] (l. c.) [6] « epiphania ». [7] ipsorum. [8] implicite. [9] deest. [10] (*Eph.* 1, 10). [11] *a*) apostolatus laicorum fundamentum suum habet in receptione sacramentorum, praesertim baptismi, confirmationis *et* Eucharistiae; *b*). [12] (*1 Cor.* 16, 14). [13] (Introd. ad Tract. *de amore Dei*). [14] (*2 Cor.* 8, 23). [15] *d*) Tandem apostolatus laicorum ecclesialis est quia ducit ad Ecclesiam, sive ut accipiatur eius influxus vitalis, sive ut ei explicite adhaereatur.

Observationes minoris momenti:

Pag. 7 Emendationum, n. 9. Cum gaudio legimus populum Dei iam ante adventum Christi exstitisse, sed attendendum est quod populus Dei maiorem extensionem habet quam populus electus, i. e. populus israeliticus, nam complectebatur tum populum electum, tum homines in gentilitate secundum Deum viventes; omnes

isti, meritis futuri sacrificii Christi, iam vivebant de eius Spiritu et divinae Providentiae obsecundantes, aedificabant civitatem Dei.

Eadem pagina, circa medium, loco « ex Iudaeis et Gentibus », melius esset dicere: « ex filiis Abrahae et Gentibus ».

Par. 22 schematis, pag. 5, lin. 5, loco « in communitatem caritatis et veritatis », dicatur: « in communitatem veritatis et caritatis ».

Par. 23, pag. 5, lin. 18, ut textus sit sufficienter explicitus, transferantur verba « eadem salus » in fine propositionis et addatur: « omnes ad eamdem beatitudinem aeternam a Deo ordinantur, non pro dignitate officiorum sed pro excellentia amoris quo Deo fideliter inhaeserint ».

Par. 23, pag. 6, lin. 17. Non recte dicitur quod distinctio « simul est coniunctio ». Dicatur melius: « Distinctio enim quam ipse Dominus inter hierarchiam et populum posuit, ad unionem ordinatur, cum... etc. ».

Par. 24, pag. 8, lin. 1, loco « parentes saepe sunt primi fidei praecones », dicatur « parentes debent esse primi fidei praecones ».

Lin. 28, loco « Quae charismata... secundum ordinem fiant » dicatur brevius: « Quae omnia ad caritatem ordinentur sub paterno ductu rectorum Ecclesiae ut « omnia honeste et secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40) ».

Par. 25, pag. 9, lin. 13, loco « sacrificio » dicatur « abnegatione sui ».

Pag. 10, lin. 11, deleantur verba « infaustae separationis earumdem vel immo »; haec enim verba aequivocationem faciunt.

Lin. 35, auferantur citationes S. Scripturae, utpote quae, non ad pastores, sed ad omnes fideles dirigantur.

Observationes generales:

1. *Relate ad populum Dei.* Ut notio populi Dei aptius manifestetur cum aspectu suo universali, necesse est ut iste populus praesentetur iam in Antiquo Testamento vivens et agens sub ductu Dei, etiam in suis peccatis. Neque praetermittenda est pars quam habuerunt in aedificatione populi Dei « Abraham summus, Pater fidei nostrae », Patriarchae, Moyses et Prophetae.

Certe populus Dei perfectus est redemptione a Christo peracta; sed iusti Veteris Testamenti, meritis futuri sacrificii Christi, iam vivebant de eius Spiritu et divinae Providentiae miserentis Dei obsecundantes, aedificabant civitatem Dei.

Ceterum, non bene intelligeretur populus Dei si praesentaretur sicut accidens in historia hominum; revera semper fuit velut anima generis humani.

2. *Relate ad laicos.* Optime dicitur quod activitas laicorum est supernaturalis, tendens ad extensionem Corporis Christi. Sed videtur quod *munus proprium* laicorum deberet melius in lucem poni. Ecclesia vult dialogum instituere cum mundo moderno. Laici non solum pertinent ad Ecclesiam sed, una cum hierarchia, sunt Ecclesia (S. Augustinus, Pius XII). Atqui laici sunt in mundo. Ac primo quidem sunt in ipso fonte vitae humanae, scilicet in familia. Fraterne vivunt cum hominibus in exercenda professione, in activitatibus socialibus et politicis et etiam in ludis. Praesentes sunt in inquisitione scientifica et in navitate artistica. Multi eorum arctissime vinciuntur paupertati, doloribus et angoribus generis humani. Per laicos praesertim fit consecratio mundi seu instauratio creationis de qua loquitur S. Paulus in epistola *ad Romanos,* cap. VII. Hic esset locus loquendi de aspectu cosmico influxus Ecclesiae secundum ea quae nuper dixit em.mus card. Ler-

caro arch. Bononiensis. Laicis non necesse est ut exeant de suo proprio munere ut sint apostoli Christi (*1 Cor.*, 7, 20).

Aspectus universalis apostolatus laicorum adserendus est. Vivunt cum hominibus diversarum religionum et etiam cum hominibus sine religione. Atqui ubique inveniuntur authentici « valores » humani qui a Deo veniunt et ad Deum tendunt. Promotio istorum « valorum » est secundum Deum et in ista promotione fundatur evangelizatio mundi, nam isti « valores » non inveniunt suam plenam expressionem nisi in Christo. In ista promotione laici adiutores habent homines cuiusvis generis qui, vel extra limites visibiles Ecclesiae viventes, tamen ducuntur a Spiritu Sancto et suo modo concurrunt ad regnum Dei instituendum.

Aspectus collectivus apostolatus laicorum debet clare affirmari. Sicut episcopi efficiunt unum collegium ita analogice apostolatus laicorum non est mere individualis sed collectivus. Evangelium Christi debet transformare ipsam societatem. Ceterum laici inter se vinciuntur in Corpore Christi per eamdem fidem, eandem vitam spiritualem, eamdem caritatem.

Aspectus ecclesialis apostolatus laicorum fundatur in sacramentis, praesertim in Baptismo et Confirmatione, fundatur etiam in missione quam recipiunt a pastoribus Ecclesiae, quae missio, nedum laedat libertatem iustam laicorum, ipsam e contra extollit et tuetur. Affirmandum est a Concilio Ecclesiam firmam fidem facere laicis in ipsorum munere proprio. Nonne laici hodierni temporis habent suos martyres, v. g. martyres ex Uganda, multi eorum gravia passi sunt et adhuc patiuntur propter testimonium Christi in variis regionibus mundi.

14

EXC.MUS P. D. MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Locuturus sum nomine Poloniae episcoporum. In schemate *de Ecclesia,* sub puncto 30 *c*) iuxta novam ordinationem, cui omnino assentimus, sermo fit de Ecclesia utpote lumine totius societatis ibique innuuntur quaedam — utique paucissima — de relatione membrorum Ecclesiae ad Statum. Quaestio haec merito ponitur in nostro schemate, cum hic optimus locus sit determinandi relationem populi Dei ad civitatem terrenam, in qua christifideles vivunt, immo quam ipsi ex parte saltem constituunt. Problema vero uberius tractandum videtur, forte in fine capitis ubi agitur de populo Dei in genere, in peculiari quadam paragrapho, cui subtitulus praeponi potest: De nexibus Ecclesiae cum civitate terrena.

Oporteret ibi pressius determinare campum activitatis civitatis terrenae, prae oculis habendo infaustas pro Ecclesia experientias Statuum totalitarium, ratione etiam habita carentiae alicuius altioris ideae Status democratici. Valores enim morales quasi ubique praetermittuntur, immo

reiciuntur. Quod accidit etiam in sphaera iuris internationalis a pluribus Statibus practice parvipensi. Activitas politica plurium Statuum hodiernorum tantopere abit a naturalibus ethicae legibus, ut Ecclesia hac de re tacere nequeat. Praeterea, Ecclesia definire debet campum, in quo ipsa competens est, ut confusio vel indebita permixtio religionis cum rebus mere civilibus praecaveantur. Ministeriale et pastorale munus Ecclesiae, eius officium praedicandi veritatem, libertatem, iustitiam et amorem in relationibus socialibus et internationalibus, pressius determinabunt eius positionem respectu Status.

Dantur vero duo possibiles modi solvendi problema de relatione mutua inter Ecclesiam et Statum, nempe concordatum et systema separationis. Per se vinculum concordatarium maiora habere potest emolumenta pro societate tum ecclesiastica, tum civili, meliusque correspondet in theoria doctrinae catholicae de concordia tuenda necnon de regimine rerum mixtarum, uti sunt praesertim matrimonium et educatio iuvenum. Ex altera tamen parte, vinculum concordatarium saepe subordinat Ecclesiam Statui, praesertim sub aspectu oeconomico, sicque minuitur apud christifideles sensus generositatis et conscientia obligationum versus Ecclesiam. Ulterius, praestando communitati fidelium quaedam servitia, Status tendit quoque ad sese immiscendum in res internas Ecclesiae. Temporibus novissimis concordata saepe non fuerunt fideliter servata vel immo aliquando unilateraliter fracta. Tunc, experientia teste, maior oritur discordia et peiores evadunt mutuae relationes quam in systemate separationis Ecclesiae et Status. Si separatio illa reapse exsistit, i. e., si Status non sese immiscet in res internas Ecclesiae, tunc habetur malum minus.

Accidit etiam, quod Status diversis sub speciebus communitatem christifidelium persequitur. Tunc praesertim separatio, recte intellecta, magna emolumenta Ecclesiae offert: in tali systemate Ecclesia independens est in exprimendo iudicio suo de modo agendi Status, quando Status ille laedit ius morale personae humanae vel communitatis credentium. Ita Ecclesia vicinior fit populo, qui vult Ecclesiam suam independentem esse et sine velamine veritatem proclamare, etiam coram maximis potestatibus laedentibus iura moralia et naturalia. Sic Ecclesia auget etiam venerationem erga haec ethicae principia. Clerus quoque vicinior est Christo et christifidelibus, si non alligatus est potestatibus terrenis. Independentia Ecclesiae ab omni auctoritate, praeter illam divinam, creat conditiones etiam pro potestate civili faustiores, cum Ecclesia omnibus libera voce inculcare potest obligationem sequendi viam iustitiae moralitatisque, obligationem praebendi bonum exemplum et — in re politica et relationibus internationalibus — officium innitendi

iure morali, quod non est nisi ius divinum afferens hominibus ordinem, prosperitatem et relativam in terris felicitatem.

Concludo. Hae quaestiones maiorem tractationem in peculiari quadam paragrapho constitutionis *de Ecclesia* habere deberent, forte in fine capitis de populo Dei in genere — vel, si ita melius videbitur, in schemate XVII *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno*. In omni vero hypothesi, punctum schematis *de Ecclesia* — antea 25, nunc vero 30 *c*) — ita saltem emendandum videtur sit:

1. Pag. 10, lin. 11, substituantur alia expressione verba « infaustae separationis », quae ab aliquibus intelligi possent tamquam implicita damnatio systematis — in pluribus nationibus vigentis — separationis inter Ecclesiam et Statum.

2. Affirmetur ibi explicite obligatio populi Dei ad vindicandum — in quantum fieri potest — ius suum ad utendum omnibus iis mediis, etiam technicis modernis, quibus *faciliter*[1] evadit fidei diffusio et *efficienter*[2] valorum moralium defensio, a *quarum*[3] vero usu populus Dei non raro a potestate civili arcetur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] facilior. [2] efficacior. [3] quorum.

Animadversiones additae:

1. Nota de nova ordinatione capitis. Haec nova ordinatio optima videtur. Etenim prius loquendum est de populo Dei quam de hierarchia Ecclesiae, cuius membra e populo Dei seliguntur et cuius munus est illi populo Dei servitium praestare ad salutem consequendam. « Omnis namque pontifex, dicit Scriptura, *ex hominibus* assumptus *pro hominibus* constituitur in iis, quae sunt ad Deum » (*Hebr.* 5, 1).

2. Nota de schemate XVII. In schemate hoc sermo fieri poterit de dignitate personae humanae, de vocatione christiana in mundo, de relatione religionis christianae ad civilizationem hodiernam, de iustitia sociali et ordine oeconomico, de problemate pacis tuendae tam faustis verbis iam tractato in duabus encyclicis Ioannis XXIII.

15

EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH M. DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres,

In cap. III, optime exponitur doctrina biblica sacerdotii universalis quod omnibus christifidelibus a Christo tribuitur. Attamen quando in nn. 25 et 26 *describitur*[1] vita salutifera et apostolica laicorum, sermo iam non est de universali sacerdotio. Prius *tam bene*[2] enuntiata doctrina

nunc *vita laicorum* [3] non applicatur. Hoc nocet unitati et harmoniae nostri schematis.

Nomine plus quam 60 episcoporum e variis nationibus, petere liceat ut in schemate doctrina sacerdotii universalis applicetur vitae laicorum.

Iesus Christus est supremus et aeternus pontifex. Ipse hic pontifex a Patre triplex munus accepit: munus sacerdotale seu sanctificandi; munus propheticum seu docendi; munus regale seu regendi.

Iesus Christus in laicis sibi baptismo unitis nunc actualiter vivit et eos active muneris sui sacerdotalis, prophetici et regalis participantes reddere conatur. Ideo [4]:

1. *Laici vocantur ad vivendum in unione cum Christo munus suum sacerdotale exercente. ...*[5] Iesus Christus in laicis vult adimplere cultum spiritualem ut Pater glorificetur et peccata expientur. Laici qui baptismo et confirmatione in Christo sacerdote sunt consecrati, *sunt factae personae consecratae, isti laici* [6] cum ipso, in ipso et per ipsum seipsos *constanter* [7] offerre debent. Non sufficit *observatio* [8] alicuius legalismi externi, sed intima vita laicorum debet esse *religiosa, seu* [9] ad Deum directa *in Christo.*[10] Cum Christo, laici debent orare, opera sua quotidiana adimplere *et contrarietates vitae cum patientia tolerare,*[11] ad expianda peccata *familiae humanae,*[12] ut exhibeant membra sua hostiam viventem sanctam Deo placentem, rationabile obsequium suum ...[13]. Haec laicorum unio cum Christo Sacerdote suum culmen *attingit* [14] quando eius sacrificium eucharisticum participant.

2. *Laici vocantur ad vivendum in unione cum Christo munus suum propheticum exercente.* Laici in Christo Patri offerre debent suam quotidianam instantiam ad testimonium perhibendum de veritate. Spiritu *Christi illuminati,*[15] laici, et personaliter et cum aliis coniuncti, debent esse lux mundi. In medio vitae saecularis laici intellectum suum, voluntatem, sensus, corpus et instrumenta laboris considerare debent ut res *destinatione sacras, res* [16] sacras sibi a Christo commissas *quibus* [17] in sua familia, apud suos vicinos, in locis laboris, in locis ludorum, in publicis negotiis uti debent ad ostendendum quomodo verus christianus practice vivat. Doctrina Christi non est theoria, sed regula vitae qua tota vita *consecrata et* [18] concreta informari debet. *Christus olim in Palaestina inter homines vivens exemplum dedit ut et nos ita faciamus. Ipse* [19] Christus propheta hodierno tempore mediantibus laicis quasi experimentaliter monstrare vult quid sit *christianismus, quid sit* [20] Evangelium...[21]

Sed praeterea Christus propheta doctrinam suam verbo praedicavit. Ipse nunc, mediantibus laicis, *familiae humanae*[22] valores morales et veritates fidei annuntiare intendit. Quapropter laici, de doctrina Christi

bene[23] edocti, cum ipso, *cum Iesu*[24] humiliter, confidenter et audacter verbum Dei in sua familia et in vita sociali annuntiare debent ut sermo Dei currat et clarificetur *et ut societas moderna de solutione christiana suorum problematum edoceatur.*[25]

3. *Laici vocantur ad vivendum in unione cum Christo munus regale exercente.* Christus non tantummodo veritatem intellectui humano praedicavit, sed omnia in se instaurare incepit. Quid *erat super terram*[26] munus regale Iesu Christi? *Non vita gloriosa sed conamina laboriosa*[27] ut concreta vita humana sub respectu naturali et supernaturali progressivo modo *ordinaretur*[28] secundum voluntatem Creatoris et Patris caelestis atque caritate *informaretur. Vita Iesu in terra novum ordinem incepit.*[29] Christus *nunc*[30] hodierno tempore adiuvantibus laicis hanc mundi consecrationem gradatim perficere intendit. Quapropter ipsi laici rogantur ut *primo*[31] in semetipsis regnum pacis extendant, *paulatim*[32] induentes novum hominem ...[33]. Hoc modo anima, corpus et omnes res materiales, quibus *unusquisque*[34] laicus christianus secundum ordinem naturae utitur, ordinabuntur ad gloriam Dei et bonum societatis humanae.

Sed praeterea Christus, mediantibus laicis, regnum suum pacificum progressivo modo extendere vult *ad totum mundi ordinem.* Laici christiani suo humili servitio in societate cum omnibus hominibus bonae voluntatis collaborare debent ut educatione et legislatione instaurentur concordia familialis, socialis, civilis, internationalis, uno verbo integer ordo christianus. Christus, mediantibus laicis, progressum technicum et scientificum adhibere vult ut tota humanitas vivere possit modo magis humano, latius accedere ad bona culturae, perfectius attingere pacem veram, felicitatem ac libertatem filiorum Dei, *exspectans beatam spem et adventum Domini.*[35] Tali modo redemptio Christi « incarnatur » in realitatibus terrestribus, gradatim consecrantur universa et instaurantur et *assumantur*[36] omnia sub novo capite, sub pacifico regno *Iesu Christi, Domini Nostri.*[37] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] exponitur. [2] deest. [3] laicis. [4] Nomine plurimorum episcoporum hic ostendere conabor quomodo doctrina sacerdotii universalis applicata vitae laicorum hanc intime et profundissime connectit cum sacerdotio Iesu Christi et cum muneribus sacrae hierarchiae. Quae hic dicentur iam saeculo elapso spiritu quasi prophetico innuebantur a card. Newman. Laici ad munus sacerdotale, propheticum et regale Iesu Christi participandum destinantur. [5] Animadvertere liceat quod in schemate inter munera laicorum non nominatur cultus. Omnia quae dicuntur, diriguntur ad hominem et mundum sanctificandum. Sed laicus praeprimis vivere debet ad laudem gloriae Dei, ad glorificandam Trinitatem. [6] deest. [7] deest. [8] observantia. [9] deest.

[10] deest. [11] eaque cum voluntariae paenitentiae actibus miscere. [12] mundi. [13] (cf. *Rom.* 12, 1). [14] attinget. [15] Sancto potati. [16] deest. [17] His. [18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] sicut ipse olim in Palaestina inter homines vivens exemplum dedit ut et nos ita faciamus. [22] in medio saeculo. [23] deest. [24] deest. [25] (*2 Thess.* 3, 1). Laici initialiter audiunt doctrinam catholicam ab apostolis eorumque successoribus, sed in subsequenti intellectione doctrinae ipsi suo supernaturali sensu fidei habent partem activam, magisterio ecclesiastico subordinatam, tanquam organum Christi prophetae qui Ecclesiam suam adiuvat ne a veritate declinet eamque profundius intelligat et in vita fidelius applicet. Haec omnia dicuntur in schemate pag. 9 sub *a* et *b*, sed ibi exponuntur sine relatione cum munere prophetico Christi et modo nimis abstracto. Nunc prima vice aliquod Concilium de laicis loquitur. Nonne nunc loquendum est modo qui ab ipsis intelligitur. Haec etiam valent de iis quae sub *c* exponuntur. Etenim: [26] est. [27] nisi eius conamina. [28] ordinetur. [29] informetur? Christus vita sua terrestri mundo novum ordinem proposuit et hominibus renovatam capacitatem dedit. Cum Christi adiutorio humanitas capax facta est ut rebus et laboribus humanis acquirat finem supernaturalem et participationem gloriae quam ut primogenitus sua resurrectione et ascensione inchoavit. [30] deest. [31] deest. [32] deest. [33] qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (*Eph.* 4, 23-24). [34] deest. [35] deest. [36] assumuntur. [37] Christi (*Eph.* 1, 10). Ut laici hoc munere sacerdotali, prophetico et regali fungi possint, Iesus Christus ipsis ius tribuit ut sustententur, doceantur et regantur sacro hierarchiae ministerio. Ipse Summus Sacerdos in sacerdotio ministeriali operatur ut laici accessum habeant ad oblationem eucharisticam sacrificii redemptionis nostrae et ad sacramenta et gratias ab ipso promanantia.

Iesus Christus munere prophetico hierarchiae commisso laicis securam viam aperit ad veritatem evangelicam credendam et profundius scrutandam.

Iesus Christus munere regali sacrae hierarchiae laicos « in medio nationis pravae et perversae » (*Phil.* 2, 15) non relinquit orphanos sed vadit et venit ad eos ut gaudeat cor eorum et gaudium eorum nemo tollat ab ipsis.

Si in textu de hac visione muneris laici christiani ratio habetur, tota expositio fiet magis harmonica et unita. Laici, ut iam ampla pastorali experientia constat, vitam et apostolatum suum modo magis religioso, profundius christiano concipient, vera doctrina Christi nutrientur et maiori gaudio cum hierarchia collaborabunt.

Qua de causa, nomine plurimorum episcoporum rogo ut textus examinatus in aliquibus punctis emendetur iuxta propositionem quam nostrae secretariae tradam.

Animadversiones additae:

Emendationes proponuntur nomine 120 Patrum conciliarium propter sequentes rationes: 1. ut maior *harmonia* et profundior *unitas* obtineatur inter dicta de sacerdotio universali (n. 24 ad speciale caput remittendum) et de vita salutifera laicorum (n. 25); 2. ut doctrina sacerdotii universalis non maneat sine *applicatione* in vitae laicorum doctrina; 3. ut laicorum vita magis coniuncta appareat *cum vita Christi*, iuxta dicta a Summo Pontifice in inaugurali sermone huius sessionis.

Pag. 8, linn. 37-38 sic mutentur: « Laici *ad populum Dei vocati* et sacerdotium universale participantes, ... ».

Pag. 9, post lin. 9 sequentia inserantur: « Supremus et aeternus Pontifex Iesus

Christus in laicis baptismo et confirmatione sibi unitis actuose vivit eosque per Spiritum Sanctum indesinenter impellit ut suum sacerdotale, propheticum et regale munus generose participent.

a) Laici vocantur ad vivendum in unione cum Christo, qui virtute sui muneris *sacerdotalis* in ipsis cultum spiritualem adimplere intendit ut Pater glorificetur et peccata hominum expientur.

Qua de causa laici ut personae Christo consecratae et a Spiritu Sancto animatae, non legalismo externo Deo serviunt, sed vitam intime religiosam seu ad Deum directam ducere aspirant. Cum Christo in oratione perseverantes, opera sua quotidiana adimplent, molestias vitae cum patientia sustinent et generose Eucharisticum sacrificium participant ad expianda peccata familiae humanae: ut exhibeant membra sua hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum (cf. *Rom.* 12, 1) ».

Pag. 9, linn. 10-14 sic mutentur: « *b*) Laici praeterea vocantur ad vivendum in unione cum Christo munus suum *propheticum* in familia humana exercente. In ipso suam quotidianam instantiam ad testimonium perhibendum de veritate Patri offerre tenentur.

Sicut olim Filius hominis in Palaestina inter homines vivens, exemplum dedit, ut et nos ita faciamus (cf. *Io.* 13, 15), ita nunc per Spiritum Sanctum inclinat laicos ut intellectum suum, voluntatem, sensus, corpus et instrumenta laboris considerent atque adhibeant tamquam res sacras, divinitus sibi commissas, *ad testificandum* de Evangelio. In vita sua familiali ceterisque humani commercii negotiis Christi testes sunt illius regulae vivendi quam Salvator mundi in Ecclesia manifestat.

Sed laici christiani a Christo etiam ut *fidei praecones* adhibentur, quibus *veritates fidei et normas* VALORESQUE MORALES revelare intendit. Quapropter laici, hierarchiae sacro magisterio associati, *sollerter in profundiorem cognitionem veritatis revelatae atque catholicae doctrinae* incumbentes, cum Christo humiliter, confidenter et audacter verbum Dei evangelizare debent, ut sermo Dei currat et clarificetur (cf. *2 Thess.* 3, 1) et societas humana de solutione christiana quaestionum vitae instruatur ».

Pag. 9, linn. 14-21 maneant sicut sunt.

Pag. 9, linn. 22-35 scribantur sub *c*), ut infra exponitur.

Pag. 9, linn. 37-41 sequenti modo mutentur: « *c*) Denique laici vocantur ad vivendum in unione cum Christo, qui munere suo *regali* omnia in se instaurare intendit.

Quemadmodum Christus per totam vitam suam laboriosam patienter conamina fecit ut existentia humana secundum voluntatem Creatoris et Patris caelestis ordinaretur et infusa caritate informaretur, ita nunc idem Iesus Christus, in caelo regnans, regnum Dei in laicorum *vita interna* dilatari cupit eosque per Spiritum Sanctum impellit ut induant novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (cf. *Eph.* 4, 23-24).

Laici praeterea, collatis viribus, CONDICIONES DIFFUSIONI RELIGIONIS IDONEAS *promoveant, ut Ecclesiae spatium vitae et operositatis obtineant atque communiant, ut instituta et condiciones mundi, si qua mores ad peccatum conducant, ita sanent, ut haec omnia ad iustitiae normas conformentur et virtutum exercitio potius faveant quam obsint.*

Ad laicos etiam *id spectat, ut* PER OPERA ETIAM SAECULARIA *seipsos aliosque*

sanctificent, ita ut mundus Spiritu Christi imbuatur, atque in iustitia et pace finem suum efficacius attingat. Valide conferant operam ut... ».

N. B. Partes *linea* indicatae proveniunt ex textu schematis et tantummodo alio loco ponuntur.

Em.mi cardd. Liénart, Lille; Gerlier, Lyon; Feltin, Paris; Lefebvre, Bourges; Suenens, Malines; exc.mi arch. Heenan, Westminster; Guerry, Cambrai; Garrone, Toulouse; Martin, Rouen; Grimshaw, Birmingham; Murphy, Cardiff; Dupuy, Albi; Weber, Strasbourg; Villot, coad. Lyon; Gouyon, coad. Rennes; Jäger, Paderborn; Sevrin, AT Mossina; Perraudin, Kabgayi; Morel, AT Eno; Cornelis, Elisabethville; Scalais, Léopoldville; Mels, Luluabourg; Van den Bergh, Lisala; exc.mi ep. Grauls, Kitega; Martin, Burusi; Ntugahaga, Ngozi; Makara, Usumbura; Sibomana, Ruhengeri; Yahamangi, Astrida; Masurati, Maroniti; Bouve, Kongolo; Charrière, Fribourg; Himmer, Tournay; van Zuylen, Liège; Charue, Namur; Calewaert, Gent; Schoenmaekers, aux. Malines; Oste, Jehol; Van Melckebeke, Ningsia; Guffens, Germaniciana; Verhoeven, Manado; De Kesel, aux. Gent; De Keyzer, aux. Bruges; Mustu, aux. Namur; Nezić, Porec Pula; Boillon, Verdun; Mouisset, Nice; Schmitt, Metz; Verdet, La Rochelle; Volksaert, South Afrika; Dlamini, Umzimkulu; van Velsen, Kroonstadt; Ketteler, Bethlehem S. A.; Vermeiren, Pedactoe; Grent, Amborna; Schoemaeker, Purwokerto; O'Loughlin, Darwin; Terrienne, Menelaite; Stemper, Eleuteropolis; Van Waeyenbergh, aux. Malines; Van Hoeck, Cissita S. A.; Aruswalmi, Kumbakonam; da Veiga Coutinho, Sagalasso; D'Mello R., Mangalore; D'Mello L., Ajmer Jaipur; Fernandez, aux. New Delhi; Gomes, aux. Bombay; Lourdusami, aux. Bangalore; Picachy, Jambedpur; Rosario, Amravati; Daem, Antwerpen; De Smedt, Bruges; Heuschen, aux. Liège; Hart, Dunkeld; Demedts, Cadorma; Geeraerts, Lagania; Lesourd, Nouna; Durieux, Waraigi; Ancel, aux. Lyon; Puech, Carcasonne; Pioger, Sées; Vion, Poitiers; de Cambourg, Eutime; Donze, Tulle; Rougé, Nîmes; Barthe, Fréjus; Riopel, Neocesarea; Maziers, Augustopoli; Caillot, Bononia; Hermil, Marida; Renard, Versailles; Goupy, Blois; Douillard, Soissons; Dupont, aux. Lille; Kettel, Kabinda; Jacques, Boma; Coba, aux. Matadi; Zitta, Gindaro; Lehaen, Sakania; Van Cauwelaert, Inongo; van Rengen, Mweka; Bouve, Kongolo; Kimbondi, Kisantu; Ndudi, Matara; Nganga, Atira; Morlion, Baudouinville; Restieaux, Plymouth; Ellis, Nottingham; Brunner, Middlesbrough; Beck, Salford; Rudderham, Clifton; Dwyer, Leeds; Petit, Menevia; Grasar, Shrewsbury; Holland, Etenna; Degryse, S. G. Scheut; Van Kerckhoven, S. G. Miss. S. Cord.; McGrath, aux. Panama.

16

Exc.mus P. D. AEGIDIUS HENRICUS ALEXIUS BARTHE

Episcopus Foroiuliensis-Tolonensis

Venerabiles Patres,

Nonnulli oratores dolendum censuerunt quod in primis duobus capitulis *de Ecclesia* nimis modice in lucem ponatur aspectus missionarius Ecclesiae.

Cap. III eumdem defectum non exhibet; attamen et ibi non suffi-

cienter explicatur quomodo populus christianus conferre potest ad diffundendum nuntium evangelicum, speciatim sub respectu spei, quam mundus exspectat.

1. *De populo Dei in genere.* Stricto sensu quid est populus Dei? Ille est qui genuinam spem a Christo allatam plene possidet et eam retinet, non solum ut ipse ex ea vivat, sed etiam ut eam universo mundo communicet.

Sic etenim scribit Paulus ad Romanos: « Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc »...[1]

Homines, praesertim in mundo hodierno, sane sibi conscii sunt de necessitate sperandi; sed quoniam sibi falsas rationes spei adstruunt, ab illis decipiuntur.

Iam Israelitae veram spem tamquam depositum divinum servabant, in quantum populus Dei et consequenter in quantum populus promissionis erant.

Post adventum Messiae, populus Dei spem illam annuntiat cum maiore certitudine, et cum missione eam praedicandi omnibus hominibus qui promissioni divinae alieni sunt.

Etenim spes non est solummodo virtus privata uniuscuiusque fidelis, sed vis est quaedam insita communitati credentium in hoc mundo ad beatitudinem aeternam tendente.

Declarat enim apostolus, verba prophetae Oseae renovans: « Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit: in loco ubi dictum est: non plebs mea, ibi vocabuntur filii Dei vivi »...[2]

Sic *a*) non relinquitur pseudo-prophetis messianismi temporalis, et eorum damnosae seductioni, veritas quae in ipsa structura regni Dei includitur. Populus Dei innectitur huic mundo, ut eius legitimas adspirationes purificet, et ad rectum finem perducat.

b) Ecclesia tamquam « signum » in nationibus manifestatur, iuxta Evangelium Domini Iesu, iuxta verba prophetica S. Ioannis Baptistae: « Erunt prava in directa et aspera in vias planas » ...[3], iuxta etiam praedicationem apostolorum, doctrinam Patrum et documenta Romanorum Pontificum, praesertim in litteris quae corda omnium nuper valde commoverunt: *Pacem in terris.*

Deinde *c*) hoc modo missio laicorum in plenam lucem reapse ponitur.

Unde 2. *De laicis.* In proclamando spem communem omnibus membris populi Dei, laici missionem habent peculiarem, quae ex ipsorum genere vitae scaturit. Spem christianam debent praesertim annuntiare,

sicut dictum est: *in vita familiari, in vita professionali, in relationibus socialibus et in vita politica.*[4]

a) In vita familiari: quia omnes ad felicitatem cordis tendunt per amorem qui plenam satisfactionem affert. Saepius autem amor ille impurus est, ergo fallax. Dum autem familiam contemplant, in qua parentes et filii vere in Christo sese diligunt, et in qua coniugalis amor in ipso Christo virescit et floret, eo ipso viam invenient ad verum amorem obtinendum.

b) In vita professionali: hodierni homines magni faciunt laborem, progressus scientiae et technicae artis; eorum autem pondus aeternum non perspiciunt, et fructibus proprii laboris male utuntur.

Sed christiani, qui in conatibus illis collaborationem vident cum actione creatrice divina, necnon instrumentum Redemptionis et medium ad maxima bona ventura adipiscenda, alios adiuvant ad spes falsas purificandas, et cum Christo omne quod bonum est in mundo, ad regiones quas spectare debent, constituunt.

Item 3. *In relationibus socialibus et in vita politica.*

Omnes iustitiam et pacem quaerunt; a Christo autem seiuncti nullomodo eas obtinere possunt.

Splendidis encyclicis Summus Pontifex mentes hominum illuminat, episcopi et sacerdotes spem certissimam Evangelii praedicant. Sed semper haec auditur eadem quaestio: « Quomodo spes illa nobis vera et viva efficitur? ». Soli possunt laici demonstrationem practicam huius doctrinae praebere. Haec est eorum missio propria in populo Dei.

Et efficacior erit haec missio, si, in quantum fieri potest, testimonium collectivum redderint et si illam convinctionem tenuerint quod non sufficit vitam suam illa spe imbuere, sed etiam eiusdem spei rationem reddere, ut et alii eam cognoscant et intelligant quid sit ille populus Dei, in cuius sinum, et ipsi vocantur.

Si omnia ista saperent, quae saepius ignorant, quam maiorem animum haberent nostri laici, ad propriam sanctificationem, et ad regnum Dei efficacius promovendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 8, 19-22). [2] (*Rom.* 9, 25-26). Hoc autem in schemate non sufficienter exprimitur; quapropter aliquas additiones proponere intendo, quarum textum, in hoc sensu exaratum, secretario committam. [3] (*Lc.* 3, 5). [4] deest.

Moderator: Antequam disgredimur, liceat mihi, venerabiles Patres, attentionem vestram brevibus dirigere in solemnem actionem liturgicam, quae proxima die Dominica, hora 8, in hac S. Petri Basilica peragetur,

qua nempe Summus Pontifex ipse consecrabit quatuordecim episcopos, qui maiore ex parte populo Dei in Ecclesiis missionum servient vel speciali delegatione a Summo Pontifice accepta dissitas orbis Ecclesias cum centro unitatis firmiter coniungent.

Grata occasio nobis erit, et ideo Patres religiose invitantur ut diem mundialem missionum hoc eximio ac singulari modo possimus celebrare in Concilio Vaticano II uniti cum Christi Vicario.

Iam saepius his ultimis hebdomadis audivimus in hac aula conciliari de Ecclesia, quae est in statu missionis et quae munere evangelizandi urgetur.

Post duos dies ad S. Petri Confessionem hic congregati, sub ritu sacramentali videbimus Ecclesiam ex successione apostolica crescentem, ut sit nostris diebus lumen gentium et signum salutis elevatum inter nationes.

Rogamus vero in precibus nostris Dominum, ut fratres nostri ad episcopale munus electi, divino praeveniente et adiuvante gratia, inveniri mereantur fervidi ac fideles Domini et fratrum eius sibi concreditorum ministri.

Proxima congregatio erit sequenti die, feria II, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LII

21 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LII

21 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 52 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Hodie, antequam prosequatur disceptatio circa cap. III schematis *de Ecclesia,* habebitur per exc.mum D. Albertum Martin relatio super cap. IV schematis *de sacra Liturgia,* nempe de Officio divino.

Dum fiet disceptatio, habebuntur suffragationes circa singulas emendationes propositas, ut semper factum est. Et suffragatio fiet per *placet* et *non placet* tantum.

Lego nunc nomina Patrum, qui verba facere postulaverunt circa cap. III schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Alfredus Ottaviani; exc.mi DD. Raimundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Carolus Wojtyla, vic. cap. Cracoviensis in Polonia, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali, Adam Kozłowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia, Ioannes Hervás, ep. Cluniensis in Hispania, Henricus Golland, arch. Botucatuensis in Brasilia, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia, Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, Iulius Daem, ep. Antverpiensis in Belgio, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico, Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia, Vincentius Enrique, ep. Celsonensis in Hispania, Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D., Marius Maziers, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Marcus McGrath, ep. aux. Panamensis in Panama, Iacobus Ménager, ep. Meldensis in Gallia, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano, Alfonsus Uribe, ep. aux. Carthaginensis in Columbia, Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chilia, Ioannes Healy, ep. Gibraltariensis in Gibraltaria, Ioannes Przyklenk, ep. Ianuariensis in Brasilia, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Raphaël Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania, Villelmus Van Zuylen, ep. Leodiensis in Belgio, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

[5]

EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput IV Schematis

AD PROOEMIUM

1 — Pag. 185, post lineam 6, addatur: « ILLUD ENIM SACERDOTALE MUNUS PER IPSAM SUAM ECCLESIAM PERGIT, quae non tantum Eucharistia celebranda, sed etiam ALIIS MODIS, PRAESERTIM Officio divino persolvendo, Dominum sine intermissione laudat et pro totius mundi salute interpellat ».

2 — Pag. 185, lineis 12-15, textus ita mutetur: « CUM VERO MIRABILE ILLUD LAUDIS CANTICUM RITE PERAGUNT SACERDOTES ALIIQUE AD HANC REM ECCLESIAE INSTITUTO DEPUTATI VEL CHRISTIFIDELES UNA CUM SACERDOTE FORMA PROBATA ORANTES, TUNC VERE VOX EST IPSIUS SPONSAE, QUAE SPONSUM ALLOQUITUR, IMMO ETIAM ORATIO CHRISTI CUM IPSIUS CORPORE AD PATREM ».

3 — Pag. 185, post lineam 21, addatur nova haec paragraphus: « SACERDOTES SACRO PASTORALI MINISTERIO ADDICTI EO MAIORE FERVORE HORARUM LAUDES PERSOLVENT, QUO VIVIDIUS CONSCII ERUNT SIBI OBSERVANDUM ESSE MONITUM PAULI: " SINE INTERMISSIONE ORATE " (1 Thess. 5, 17); OPERI ETIAM IN QUO LABORANT DOMINUS SOLUS EFFICACITATEM ET INCREMENTUM DARE POTEST, QUI DIXIT: " SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE " (Io. 15, 5); PROPTEREA APOSTOLI DIACONOS INSTITUERE DECREVERUNT DICENTES: " NOS VERO ORATIONI ET MINISTERIO VERBI INSTANTES ERIMUS " (Act. 6, 4) ».

[6]

AD ART. 68

4 — Pag. 186, lineis 8-10, textus ita mutetur: « Hora quae Matutinum vocatur, quamvis in choro indolem nocturnae laudis *retineat,*

ita *accommodetur* ut qualibet diei hora recitari *possit,* ET E PSALMIS PAUCIORIBUS LECTIONIBUSQUE LONGIORIBUS CONSTET ». [6]

5 — Pag. 186, post lineam 10, addatur: « HORA PRIMA SUPPRIMATUR ».

6 — Pag. 186, lineis 11-12, textus ita mutetur: « IN CHORO, HORAE MINORES TERTIA, SEXTA, NONA SERVENTUR. EXTRA CHORUM E TRIBUS UNAM SELIGERE LICET, DIEI TEMPORI MAGIS CONGRUENTEM ».

NOVUS ARTICULUS

7 — Pag. 186, post lineam 12, addatur novus articulus: « CUM PRAETEREA OFFICIUM DIVINUM, UTPOTE ORATIO PUBLICA ECCLESIAE, SIT FONS PIETATIS ET ORATIONIS PERSONALIS NUTRIMENTUM, OBSECRANTUR IN DOMINO SACERDOTES ALIIQUE OMNES DIVINUM OFFICIUM PARTICIPANTES, UT IN EO PERSOLVENDO MENS CONCORDET VOCI, AD QUOD MELIUS ASSEQUENDUM, LITURGICAM ET BIBLICAM, PRAECIPUE PSALMORUM, INSTITUTIONEM SIBI UBERIOREM COMPARENT.

IN INSTAURATIONE VERO PERAGENDA, VENERABILIS ILLE ROMANI OFFICII SAECULARIS THESAURUS ITA APTETUR, UT LATIUS ET FACILIUS EO FRUI POSSINT OMNES QUIBUS TRADITUR ».

AD ART. 69

8 — Pag. 186, lineis 16-17, textus ita mutetur: « Opus *recognitionis* Psalterii, feliciter inchoatum, QUAMPRIMUM perducatur ad finem, respectu habito latinitatis CHRISTIANAE, usus liturgici ETIAM IN CANTU, NECNON TOTIUS TRADITIONIS LATINAE ECCLESIAE ».

AD ART. 72

9 — Pag. 186, lineis 32-36 et pag. 187, lineis 1-2, omittatur art. 72: « *a*) In Laudibus ac Vesperis feriarum per annum dicantur *Orationes matutinales ac vespertinales,* quae praesto sunt in Sacramentariis. - *b*) Vesperis cotidie *Preces* inserantur pro variis necessitatibus mundi et Ecclesiae. - *c*) In fine Horarum minorum, loco orationis diei, dicatur oratio dominica seu *Pater noster* ».

[7]

NOVUS ARTICULUS

10 — Pag. 187, post lineam 23, addatur: « OPPORTUNAE COMMUTATIONES DIVINI OFFICII CUM ACTIONE LITURGICA A RUBRICIS DEFINIANTUR ».

11 — Pag. 187, post additionem praecedentem [textus emendati], ponatur: « IN CASIBUS SINGULARIBUS IUSTAQUE DE CAUSA, ORDINARII POSSUNT SUBDITOS SUOS AB OBLIGATIONE OFFICIUM RECITANDI EX TOTO VEL EX PARTE DISPENSARE VEL ID COMMUTARE ».

AD ART. 77

12 — Pag. 188, lineis 4-6, textus ita mutetur: « Iuxta saecularem traditionem *ritus latini,* in Officio divino lingua latina clericis servanda est, FACTA TAMEN ORDINARIO POTESTATE USUM VERSIONIS VERNACULAE AD NORMAM ART. 36 CONFECTAE CONCEDENDI, SINGULIS PRO CASIBUS, IIS CLERICIS, QUIBUS USUS LINGUAE LATINAE GRAVE IMPEDIMENTUM EST QUOMINUS OFFICIUM DEBITE PERSOLVANT ».

AD ART. 78

13 — Pag. 188, linea 17, post verba: « *vox Ecclesiae* », addatur: « SEU TOTIUS CORPORIS MYSTICI Deum publice laudantis, CURANDUM EST UT CLERICI CHORO HAUD OBLIGATI AC PRAESERTIM SACERDOTES CONVIVENTES VEL IN UNUM CONVENIENTES, ALIQUAM SALTEM DIVINI OFFICII PARTEM IN COMMUNI PERSOLVANT ».

2 – TEXTUS SCHEMATIS [31]

Textus in Schemate propositus *

Caput IV
DE OFFICIO DIVINO

Summus Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos, Christus Iesus, « humanam naturam assumens, terrestri huic exilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eandemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat ».[1]

Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo Capite insignita, et divinam ipsius missionem in terris pergens, « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »,[2] ut Deum sine intermissione laudet et pro singulis interpellet. Quod munus absolvit non solum per celebrationem Eucharistiae, sed etiam per mirabile illud laudis canticum, in Officio divino exstans, quod christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis.[3]

Omnes proinde qui hoc munere funguntur tum gravem Ecclesiae obligationem, tum sum-

Textus a Commissione emendatus **

Caput IV
DE OFFICIO DIVINO

83. Summus Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos, Christus Iesus, humanam naturam assumens, terrestri huic exilio hymnum illum invexit, qui in supernis aedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eandemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat.[1]

ILLUD ENIM SACERDOTALE MUNUS PER IPSAM SUAM ECCLESIAM PERGIT, *quae non tantum Eucharistia celebranda,* sed etiam ALIIS MODIS, PRAESERTIM *Officio divino persolvendo, Dominum* sine intermissione laudat et pro *totius mundi salute interpellat.*

84. *Divinum Officium ex antiqua traditione christiana ita est constitutum ut totus cursus diei ac noctis per laudem Dei consecretur.* CUM VERO MIRABILE ILLUD LAUDIS CANTICUM RITE PERAGUNT SACERDOTES ALIIQUE AD HANC REM ECCLESIAE INSTITUTO DEPUTATI [2] VEL CHRISTIFIDELES UNA CUM SACERDOTE FORMA [32] PROBATA ORANTES, TUNC VERE VOX EST IPSIUS SPONSAE, QUAE SPONSUM ALLOQUITUR, IMMO ETIAM ORATIO CHRISTI CUM IPSIUS CORPORE AD PATREM.

85. Omnes proinde qui *haec praestant, tum Ecclesiae officium explent,* tum summum Spon-

* Dispositio materiae huius Capitis in textu emendato aliquando mutata est. Textus proinde Schematis hic traditur ordine ipsius textus emendati.

** Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

32] mum Sponsae Christi honorem participant, quia unusquisque in Officio divino orando ante thronum Dei stat nomine Matris Ecclesiae.

Huiusmodi Ecclesiae precatio ex antiqua traditione ita est constituta, ut totus cursus diei ac noctis per sacrificium laudis, a labiis confitentium Deo oblatum, consecretur.

Quo vero divinum Officium a sacerdotibus aliisque Ecclesiae membris, in fragilitate humana atque difficillimis temporum adiunctis constitutis, « tamquam sanctificatio diversarum horarum diei »[4] facilius et perfectius peragatur, Sacrosancto Concilio quae sequuntur placuit decernere:

68. [*Cursus Horarum*]. Cum sanctificatio diei naturalis sit finis Officii divini, cursus Horarum ita instauretur ut « Horis » veritas, in quantum fieri potest, reddatur, ratione tamen
33] habita diversarum condicionum vitae hodiernae in determinatione iuridica temporis ad satisfaciendum obligationi Officii divini recitandi.

Ut autem cursus traditionalis Officii divini servetur ac simul hodiernae vitae necessitatibus cleri congruenter aptetur,[5] hae normae prae oculis habeantur:

a) *Laudes* ac *Vesperae,* ex venerabili

sae Christi honorem participant, *quia laudes Deo persolventes stant* ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae.

86. SACERDOTES SACRO PASTORALI MINISTERIO ADDICTI EO MAIORE FERVORE HORARUM LAUDES PERSOLVENT, QUO VIVIDIUS CONSCII ERUNT SIBI OBSERVANDUM ESSE MONITUM PAULI: « SINE INTERMISSIONE ORATE » (1 Thess. 5, 17); OPERI ETIAM IN QUO LABORANT DOMINUS SOLUS EFFICACITATEM ET INCREMENTUM DARE POTEST, QUI DIXIT: « SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE » (Io. 15, 5); PROPTEREA APOSTOLI DIACONOS INSTITUERE DECREVERUNT DICENTES: « NOS VERO ORATIONI ET MINISTERIO VERBI INSTANTES ERIMUS » (Act. 6, 4).

[Cf. art. 84].

87. Ut *autem* divinum Officium, sive a sacerdotibus *sive ab aliis* Ecclesiae membris *melius et* perfectius *in rerum adiunctis* peragatur,[3] Sacrosancto Concilio, *instaurationem ab Apostolica Sede feliciter inceptam persequenti, de Officio iuxta ritum romanum ea* quae sequuntur placuit decernere.

88. Cum sanctificatio diei sit finis Officii,[4] cursus Horarum *traditus* ita instauretur ut Horis veritas *temporis,* quantum fieri potest, reddatur, *simulque ratio habeatur* vitae hodiernae condicionum *in quibus versantur praesertim ii qui operibus apostolicis incumbunt.*

89. *Itaque, in instauratione Officii, hae normae serventur*:

a) Laudes, *ut preces matutinae,* et Ve-

traditione Ecclesiae universalis duplex cardo Officii divini cotidiani, ubique tamquam Horae praecipuae celebrandae sunt.

b) *Completorium* ita instruatur, ut aperte appareat ipsius natura ultimae precationis in fine diei.

c) Hora quae *Matutinum* vocatur, quamvis indolem nocturnae laudis retinens, ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat.[6]

d) *Horae minores* ita instruantur ut tempore competenti recitari possint, ad sanctificandum laborem cotidianum.

69. [*Psalmi*]. Ut cursus Horarum, in articulo praecedenti propositus, reapse observari possit, psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.[7]

Opus revisionis psalterii, feliciter inchoatum, perducatur ad finem, respectu habito latinitatis et usus liturgici.

sperae, *ut preces vespertinae,* ex venerabili *universae* Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani, Horae praecipuae *habendae sunt et ita* celebrandae; [33

b) Completorium ita instruatur, *ut fini diei apte conveniat;*

c) Hora quae Matutinum vocatur, quamvis *in choro* indolem nocturnae laudis *retineat,* ita *accommodetur* ut qualibet diei hora recitari *possit,* ET E PSALMIS PAUCIORIBUS LECTIONIBUSQUE LONGIORIBUS CONSTET;

d) HORA PRIMA SUPPRIMATUR;

e) IN CHORO, HORAE MINORES TERTIA, SEXTA, NONA SERVENTUR. EXTRA CHORUM E TRIBUS UNAM SELIGERE LICET, DIEI TEMPORI MAGIS CONGRUENTEM.

90. CUM PRAETEREA OFFICIUM DIVINUM, UTPOTE ORATIO PUBLICA ECCLESIAE, SIT FONS PIETATIS ET ORATIONIS PERSONALIS NUTRIMENTUM, OBSECRANTUR IN DOMINO SACERDOTES ALIIQUE OMNES DIVINUM OFFICIUM PARTICIPANTES, UT IN EO PERSOLVENDO MENS CONCORDET VOCI, AD QUOD MELIUS ASSEQUENDUM, LITURGICAM ET BIBLICAM, PRAECIPUE PSALMORUM, INSTITUTIONEM SIBI UBERIOREM COMPARENT.

IN INSTAURATIONE VERO PERAGENDA, VENERABILIS ILLE ROMANI OFFICII SAECULARIS THESAURUS ITA APTETUR, UT LATIUS ET FACILIUS EO FRUI POSSINT OMNES QUIBUS TRADITUR.

91. Ut cursus Horarum, in art. 89 propositus, reapse observari possit, psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.[5] [34

Opus *recognitionis* Psalterii, feliciter inchoatum, QUAMPRIMUM perducatur ad finem, respectu habito latinitatis CHRISTIANAE, usus LITURGICI ETIAM IN CANTU, NECNON TOTIUS TRADITIONIS LATINAE ECCLESIAE.

34] 71. [*Lectiones*]. In revisendis lectionibus,[8] haec serventur:

a) Lectiones *Sacrae Scripturae* ita distribuantur, ut thesauri Verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint.

b) Doctrina Patrum debitum suum locum et modum, iuxta Ecclesiae traditionem, obtineat; proinde *lectio ex Patribus* et sublimioribus theologiae spiritualis Magistris, dummodo agatur de textibus a structura et mente Liturgiae non discrepantibus, mensura largiore instauranda est et simul revisenda.

c) Passiones seu *vitae Sanctorum* ad fidem historicam reddantur.

92. *Ad lectiones quod attinet,* haec serventur:

a) *lectio sacrae Scripturae ita ordinetur,* ut thesauri verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint; [6]

b) *lectiones de operibus Patrum, Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum depromendae melius seligantur;* [7]

c) Passiones seu vitae Sanctorum fidei historicae reddantur.[8]

70. [*Hymni*]. Hymni, in quantum fieri potest, ad pristinam formam restituantur, iis mutatis quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii, qui in hymnorum thesauro inveniuntur.

93. Hymni, *quantum expedire videtur,* ad pristinam formam restituantur, iis *demptis vel* mutatis quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii qui in hymnorum thesauro inveniuntur.

72. [*Orationes*]. a) *In Laudibus ac Vesperis feriarum per annum dicantur « Orationes matutinales ac vespertinales », quae praesto sunt in Sacramentariis.*[9]

b) *Vesperis cotidie « Preces » inserantur pro variis necessitatibus mundi et Ecclesiae.*

c) *In fine Horarum minorum, loco orationis diei, dicatur oratio dominica seu « Pater noster ».*

5] 76. [*Tempus recitandi Officium divinum*]. Praestat, sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

94. Praestat, sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur, quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

73. [*Obligatio*]. Cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur, et aliunde totum pensum divini Officii servandum sit, hae normae erunt observandae:

a) *Communitates choro obligatae* tenentur Officium divinum cotidie in choro celebrare, et quidem:

— *totum Officium,* Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium;

— saltem *Laudes aut Vesperas,* Capitula residentialia;

— *totum Officium aut partem illius,* ceteri Ordines et Congregationes religiosae, secundum proprias Constitutiones.

Omnes autem illarum Communitatum clerici, si sunt in Ordinibus maioribus, et omnes sollemniter professi, exceptis conversis, tenentur ad recitationem totius Officii, etiam a solo factam, si totum aut partem in choro non absolvunt.

b) *Clerici choro non obligati,* si sunt in Ordinibus maioribus, cotidie, sive in communi, sive a solo, tenentur totum Officium persolvere.

c) *Fratres, Sorores, ac laici cuiusvis Instituti status perfectionis observent Constitutiones proprias. Ipsis autem enixe commendatur ut, in quantum fieri potest, Laudes ac Vesperas celebrent sicut in Breviario.*

95. Communitates choro obligatae, *praeter Missam conventualem,* tenentur Officium divinum cotidie in choro celebrare, et quidem: [35]

a) totum Officium, Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium, *aliorumque Regularium ex iure vel constitutionibus choro adstrictorum;*

b) Capitula *cathedralia vel collegialia, eas partes Officii, quae sibi a iure communi vel particulari imponuntur;*

c) Omnes autem illarum Communitatum *sodales, qui* sunt aut in Ordinibus maioribus *constituti aut* solemniter professi, conversis exceptis, *debent eas Horas canonicas soli recitare, quas in choro non persolvunt.*

96. Clerici choro non obligati, si sunt in Ordinibus maioribus *constituti,* cotidie, sive in communi, sive *soli, obligatione* tenentur totum Officium persolvere, *ad normam art. 89.*

97. OPPORTUNAE COMMUTATIONES DIVINI OFFICII CUM ACTIONE LITURGICA A RUBRICIS DEFINIANTUR.

IN CASIBUS SINGULARIBUS IUSTAQUE DE CAUSA, ORDINARII POSSUNT SUBDITOS SUOS AB OBLIGATIONE OFFICIUM RECITANDI EX TOTO VEL EX PARTE DISPENSARE VEL ID COMMUTARE. [36]

74. [*Sodales religiosi*]. Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi Constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt. Item, publicam Ecclesiae orationem agunt, si quod parvum Officium, vi Constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit.

98. Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi Constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt.

Item, publicam Ecclesiae orationem agunt, si quod parvum Officium, vi Constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit.

36] 78. [*Officium divinum in choro vel in communi*]. Cum Officium divinum sit vox Ecclesiae Deum publice laudantis, choro obligati et omnes in communi celebrantes munus sibi concreditum quam perfectissime, sive interna animi devotione, sive externa agendi ratione, peragant.

99. Cum Officium divinum sit vox Ecclesiae SEU TOTIUS CORPORIS MYSTICI Deum publice laudantis, CURANDUM EST UT CLERICI CHORO HAUD OBLIGATI AC PRAESERTIM SACERDOTES CONVIVENTES VEL IN UNUM CONVENIENTES, ALIQUAM SALTEM DIVINI OFFICII PARTEM IN COMMUNI PERSOLVANT.

Omnes autem sive in choro sive in communi Officium persolventes munus sibi concreditum quam perfectissime, *tam* interna animi devotione *quam* externa agendi ratione, peragant.

Praestat insuper ut Officium divinum in choro et in communi, pro opportunitate, cantetur.

Praestat insuper ut Officium in choro et in communi, pro opportunitate, cantetur.

75. [*Fidelium participatio in Officio divino*]. Curent animarum pastores ut Horae praecipuae, vel ad minus Vesperae,[10] potissimum diebus dominicis et festis sollemnioribus in ecclesiis et oratoriis celebrentur communes. Commendatur ut et ipsi laici celebrent Officium divinum, vel cum sacerdotibus, vel inter se congregati, vel immo unusquisque solus.

100. Curent animarum pastores ut Horae praecipuae, *praesertim* Vesperae,[9] diebus dominicis et festis sollemnioribus, in ecclesia *communiter* celebrentur. Commendatur ut et ipsi laici *recitent* Officium divinum, vel cum sacerdotibus, vel inter se congregati, *quin* immo unusquisque solus.

77. [*Lingua adhibenda in recitatione Officii divini*]. *a*) Iuxta saecularem traditionem Occidentalis Ecclesiae, in Officio divino lingua latina clericis servanda est.

101. § 1) Iuxta saecularem traditionem *ritus latini,* in Officio divino lingua latina clericis servanda est, FACTA TAMEN ORDINARIO POTESTATE USUM VERSIONIS VERNACULAE AD NORMAM ART. 36 CONFECTAE CONCEDENDI, SINGULIS PRO CASIBUS, IIS CLERICIS, QUIBUS USUS LINGUAE LATINAE GRAVE IMPEDIMENTUM EST QUOMINUS OFFICIUM DEBITE PERSOLVANT.

[37]

b) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, tam in choro aut in communi quam a solo celebrando, a proprio Ordinario, annuente Sancta Sede, concedi potest ut lingua vulgari utantur.

§ 2) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, *etiam* in choro celebrando, concedi potest *a Superiore competente* ut lingua vernacula utantur, *dummodo versio approbata sit.*

c) Quivis Officio divino adstrictus, si Officium divinum una cum fidelibus laicis, vel cum iis qui sub *a*) et *b*) nominantur, lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit legitime approbatus.

§ 3) Quivis clericus Officio divino adstrictus, si Officium divinum una cum *coetu fidelium vel cum iis qui sub § 2 recensentur,* lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit approbatus.

NOTAE

[1] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 573.

[2] Hebr. 5, 1.

[3] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 573.

[4] *Codex rubricarum,* l. c., n. 142.

[5] Ecclesia numquam admisit formam Breviarii, quae recitationem communitariam excludat. Officium divinum semper pro pluribus simul voluit: nam sic melius repraesentatur Ecclesia orans. Quare desiderandum non videtur duplex Breviarium, communitarium unum, privatum alterum, etsi plures favent huic duplici formae Officii divini (cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 303-305). E contra, Breviarium eius qui a solo recitat semper apertum sit fratribus, sacerdotibus sociis et plebi fideli.

[6] Commendandum videtur, sicut est in votis plurium Antistitum (cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 316-318), ut generatim uno tantum Nocturno constet. Officia vero perpulchra et antiquissimae traditionis, tribus « Nocturnis » insignita, ne destruantur, immo instaurentur, si opus sit.

[7] Quaedam desideria circa distributionem Psalterii per spatium temporis maius quam unam hebdomadam et circa aliqualem selectionem psalmorum faciendam, videri possunt in *Acta et Documenta,* l. c. pp. 314-316.

[8] Plura desideria circa lectiones s. Scripturae vide in *Acta et Documenta,* l. c. pp. 318-322, nn. 1-32; quoad lectiones historicas, *ibidem,* pp. 322-325, nn. 33-50; quoad lectiones Ss. Patrum, *ibidem,* pp. 325-326, nn. 52-59.

[9] Vide, v. gr., *Sacramentum Gregorianum* (ed. Lietzmann), n. 203, in quo habentur 8 orationes matutinales, et n. 204, qui continet 37 orationes vespertinales seu matutinales.

[10] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 575; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 45.

NOTAE [38]

[1] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 2 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 573.

[2] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 573; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 1, 40: AAS 50 (1958) pp. 632, 645; vide etiam *Pontificale Romanum,* pars prima, editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis [1963], pp. 162-163 (in consecratione Virginum, traditio Breviarii); CIC, can. 1256; *Acta et Documenta,* cit., III, pp. 259-260.

[3] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 290-336.

[4] Cf. *Codex Rubricarum,* 25 iul. 1960, n. 142: AAS 52 (1960) p. 622.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 314-316.

[6] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 318-322 nn. 1-32.

[7] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 322-325 nn. 33-50.

[8] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 325-326 nn. 52-59.

[9] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 575; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 45: AAS 50 (1958) pp. 645-646.

3 – RELATIO

EXC.MI D. ALBERTI MARTIN, EPISCOPI NICOLETANI, COMMISSIONIS CONCILIARIS DE SACRA LITURGIA SODALIS, CIRCA EMENDATIONES PROPOSITAS.

Venerabiles Patres,

Caput IV Schematis de sacra Liturgia maximae omnium, ut opinor, disceptationi in Aula Conciliari subiectum est, emendationesque numerosissimae a Vobis ad illud propositae sunt. Nec mirum, cum de re maximi momenti ageretur, seduloque Vobis invigilandum visum esset ut simul et traditio thesaurusque saecularis enixe servaretur et hodiernis adiunctis paterno erga presbyteros nostros affectu provideretur.

Itaque, summa diligentia, omnes Vestrae observationes et emendationes a Subcommissione primum, deinde a Commissione ipsa perpensae sunt; immo *Memoriam* anno 1957 a Commissione speciali confectam, de qua Em.mus Cardinalis Bea locutus erat in Aula Conciliari, nobis largiter tradidit Em.mus Praeses, ita ut perquirere omnia potuerimus quae tam ante Concilium quam in Concilio de Officio divino Episcopi scripserunt vel dixerunt.

Exponam successive, si caritas vestra id patietur:

1) De Officio divino quaestiones doctrinales seu generales a Vobis agitatas, ad prooemium capitis IV schematis (quod nunc numeris 83-87 indicatur);

2) Ipsam rationem Breviarii reformandi in genere, secundum vestras observationes, ad articulum schematis olim 68, nunc 88-89 propositas;

3) Singulorum Officii elementorum instaurationem, ad articulos schematis olim 69-72, nunc 91-93;

4) Modum edicendae obligationis de Officio persolvendo, ad articulos schematis olim 73-76, nunc 94-98, addita commendatione de celebratione communi fovenda ad articulos olim 75 et 78, nunc 99-100;

5) Quaestionem sat intricatam de lingua in Officio adhibenda, ad articulum schematis olim 77, nunc 101.

PRIMA PARS

DE OFFICIO DIVINO QUAESTIONES DOCTRINALES VEL GENERALES AD PROOEMIUM CAPITIS IV SCHEMATIS

(*nunc art. 83-87*)

Plures quaestiones Patres moverunt de natura Officii divini in genere, vel emendationes proposuerunt, praecipue circa prooemium capitis, quae doctrinam in schemate assertam tangerent.

A) *De doctrina in prooemio, lineis 1-12* (*nunc art. 83*), *exposita, observationes et emendationes.*

Istud prooemii initium non paucis difficultatibus ansam praebuit, nam de eo multae censurae a Patribus prolatae sunt, pluresque emendationes propositae.

1) Unus enim ex Vobis obiicit: « Videntur plus aequo dividi Ecclesia a Christo, quasi Ecclesia posset concipi sine Christo... ». Haec obiectio nobis tam aequa visa est ut loco « Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo Capite insignita et divinam ipsius missionem in terris pergens », modo, si Vobis placet, haec alia proponamus: « *Illud enim sacerdotale munus per ipsam suam Ecclesiam pergit* »;

2) Multi Patres iure meritoque questi sunt quod locus ex Epistola ad Hebraeos allegatus sensu aequivoco adhibitus est. Ideoque illum suppressimus;

3) Unus Pater haec locutus est: « Si statuitur Ecclesiam suum officium laudandi Deum et interpellandi, per celebrationem tantum Eucharistiae et per Officium divinum absolvere, hoc modo concipiendi negligitur illa oratio Ecclesiae, quae fit sine intermissione per totum orbem a populo christiano, tum communiter, tum privatim a singulis ».

Certe respondere licet non omnia in tali prooemio esse dicenda, quod capiti disciplinari imponitur. Attamen, ut satisfiat aliquomodo isti rectae observationi, addidimus: « *aliis modis, praesertim* Officio divino persolvendo »;

4) Denique, ut ratio habeatur de egregia observatione ab uno Patre proposita, mutavimus « pro singulis interpellet » in « *pro totius mundi salute interpellat* ».

B) *Quinam deputari valeant ad orandum nomine Ecclesiae, ad lin. 12-15 prooemii* (*nunc art. 84*).

Hanc quaestionem plures moverunt, duplici sub respectu.

1) Alii queruntur quod notio officii in prooemio exposita uni Occidentali Ecclesiae convenit: Orientales enim plures distinguunt inter officium ecclesiarum et officium monachorum atque sacerdotibus vix ullum officium imponunt, nisi quod in ecclesia ante Missam cum fidelibus peragitur. In eodem sensu, observatur officium latinum ita esse orationem Ecclesiae ut ad illud omnibus christifidelibus aditus patere debeat, praesertim ad Vesperas dominicales et officia hebdomadae sanctae. Et ideo emendationem ab uno Patre propositam libenter accipimus, utpote qua satisfiat etiam aliquatenus Orientalibus, scilicet ut addatur linea 12: « *vel Christifideles una cum sacerdote forma probata orantes* »;

2) E converso tres Patres queruntur quod latior aequo in schemate praebetur deputatio ad orandum nomine Ecclesiae: « Publica oratio, ait quidam, fit a solo sacerdote qui etiam in oratione personam Christi gerit; ... Supplicationes fidelium (Monialium quoque) sunt semper privatae equidem magnopere commendandae ». Quibus quidem in Aula Conciliari iam contradixerunt alii Patres, allegantes litteras Encyclicas *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 1947, p. 573): « Est igitur divinum officium ... Mystici Iesu Christi Corporis precatio, quae christianorum omnium nomine ... adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et a religiosis sodalibus fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis ». Praeterea, in Codice Iuris Canonici, can. 1256, de actionibus liturgicis dicebatur: « a personis ad hoc legitime deputatis peraguntur »; quod ad verbum repetitur in Instructione S. R. C., die 3 sept. 1958 data (n. 1 et 40).

Unus Abbas argumentum addidit e liturgia consecrationis virginum depromptum, quia Pontifex virginibus consecratis breviarium tradit dicens: « Accipite librum ut ... legatis officium in Ecclesia, in nomine Patris, etc. ». Addi potest auctoritas Constitutionis Apostolicae *Sponsa Christi* (*A.A.S.*, 43, 1951, p. 14) et Statutorum huic Constitutioni coniunctorum (art. V, § 1).

Unde omnia quae in schemate dicuntur de deputatione ad orandum nomine Ecclesiae, firma et probata sunto.

3) Ut denique de articulo nunc 83, id est de ista parte doctrinali prooemii, conficiamus, notanda est adiunctio quaedam a nobis, uno Patre optime suggerente, in textu allata, quae sic sonat: « *tunc vere vox est ipsius Sponsae, quae Sponsum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum*

ipsius Corpore ad Patrem ». Ita speramus melius descripsisse intimam naturam huius actionis liturgicae.

C) *Ad lineas 15-18 prooemii* (*nunc art. 85*) *addenda vel mutanda.*

1) Duo ex Patribus desideraverunt ut aliquid adderetur de oratione privata et mentali. - Nobis vero assentiendum non videtur, quia iam in capite primo aliquid ad rem dictum est, et fusior declaratio pertinet non ad schema de Liturgia, sed ad schema de disciplina cleri.

2) Uni Patri displicent ea quae leguntur lin. 15-16: « tum gravem Ecclesiae obligationem ... participant », utpote quae Orientalibus non conveniant, officio non obligatione adstrictis. - At textus respiciebat non clericorum sed Ecclesiae obligationem; fatemur tamen clarius loquendum esse, ideoque proponimus sic emendandam sententiam: « *Ecclesiae officium explent* ».

3) Linea 17, legebatur in schemate formula incerta: « Unusquisque in officio divino orando ante thronum Dei stat nomine Matris Ecclesiae », ideoque censuratur ab uno Patre; nobis vero satis esse videtur, si paululum corrigatur et melius cum rebus quae praecedunt colligetur: « *quia laudes Deo persolventes stant ante thronum Dei* etc. ».

4) Istae tres emendationes erant minoris momenti. En vero gravior observatio. Multi enim Patres senserunt fusius, quam in prooemio legitur, insistendum esse in oratione nomine Ecclesiae commendanda; collatis inter se rationibus et emendationibus ab iisdem propositis, censemus addendum in fine secundae paragraphi prooemii, seu post articulum nunc 85, novum articulum qui 86 inscribitur et sic sonat:

« *Sacerdotes sacro pastorali ministerio addicti eo maiore fervore Horarum laudes persolvent, quo vividius conscii erunt sibi observandum esse monitum Pauli: " Sine intermissione orate "* (*1 Thess.* 5, 17); *operi etiam in quo laborant, Dominus solus efficacitatem et incrementum dare potest, qui dixit: " Sine me nihil potestis facere "* (*Io.* 15, 5); *propterea Apostoli diaconos instituere decreverunt dicentes: " Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus "* (*Act.* 6, 4) ».

D) *Ad lin. 22-26 prooemii seu ad articulum nunc 87 addenda vel mutanda.*

1) Improbat unus Pater verba quae facilitatem et quietem nimis optent, dum orationem inter aspera et praelia protrahendam dici oportuisset. Unde expungenda libenter censuimus: « in fragilitate humana atque difficillimis temporum adiunctis ... facilius (peragatur) ».

2) Rursus vero nobis ultro visum est addendum aliquid de instauratione iam ab Apostolica Sede abhinc quinquaginta annos incepta.

3) Abbates Ordinis Sancti Benedicti aestimant generaliorem aequo esse, prout sonat, etiam pro Occidentalibus, textum totius capitis. Patet enim Concilium Romani tantum breviarii reformationem intendere, non vero per se aliorum officiorum in Ecclesia Latina veneratorum, et praecipue officii secundum Regulam Sancti Benedicti in monasteriis celebrati.

Sed hoc clare nullibi dicitur, ne in prooemio quidem schematis. Quare necesse duximus addendum saltem in fine prooemii nostri capitis IV: « *de Officio iuxta ritum romanum ... decernere* ».

SECUNDA PARS

DE IPSA RATIONE BREVIARII REFORMANDI IN GENERE AD ARTICULUM SCHEMATIS 68

(*nunc 88-89*)

Art. 68 schematis, cum sit cardo totius capitis IV, iure graviores et maioris momenti controversias suscitavit, quae nimirum has respiciunt quaestiones:

1) quanam mente et ratione sit officium generaliter instaurandum;

2) utrum legitime an non definiatur officium ut cursus horarum et sanctificatio diei, meritoque prosequenda « horarum veritas »;

3) utrum an non abbreviandum sit officium;

4) et in casu, quanam ratione cursus horarum sit aptandus.

A) PRIMA QUAESTIO: *De ratione officii instaurandi in genere.*

Etsi maxima orta est contentio utrum an non breviandum esset officium, rationes tamen ex utraque parte allatae ita certae et fundamentales sunt, ut merito a nobis videantur tamquam ratio officii instaurandi habendae, praescindendo ab omni peculiari horarum reformatione.

Principium generale, multoties laudatum et illustratum hoc fuit: Breviarium est quidem oratio publica Ecclesiae, quam non confundi licet cum spiritualibus privatis exercitiis; officium nomine Ecclesiae persolutum, valorem in se habet. Attamen fieri debet etiam oratio personalis uniuscuiusque sacerdotis, vere sincera ac fructuosa: orationis enim proprium est, per ineffabile commercium divinum, animo dare cibum spiritualem, iuvamen et gaudium. Oportet proinde ut sacerdotes, ore exprimendo quod est in corde, et divinas laudes persolvant et seipsos curamque suam pastoralem sanctificent. Hisce quasi verbis multi Patres locuti sunt, optantes ut breviarium « tali modo aptetur ut ab omnibus

possit intelligi, amari et cum devotione recitari », « fiat fons uberrimus et delectans », « verum nutrimentum vitae spiritualis et quotidiani laboris apostolici, nedum sit aliquod addititium et quasi mere disciplinare in vita sacerdotum ».

Nobis hoc generale principium melius profitendum esse videtur, atque ideo novum articulum in schema inserendum proponimus, sub numero 90, scilicet:

« *Cum praeterea officium divinum, utpote oratio publica Ecclesiae,* « *sit fons pietatis et orationis personalis nutrimentum, obsecrantur in* « *Domino sacerdotes aliique omnes divinum officium participantes ut* « *in eo persolvendo mens eorum concordet voci, ad quod melius asse-* « *quendum, liturgicam et biblicam, praecipue psalmorum, institutionem* « *sibi uberiorem comparent* ».

« *In instauratione vero peragenda, venerabilis ille Romani Officii* « *saecularis thesaurus ita aptetur, ut latius et facilius eo frui possint* « *omnes quibus traditur* ».

At fatendum est hodie de facto breviarium non esse sacerdotibus tali adiumento: et hoc quidem asserunt multi Patres. Cur res ita se habent? Quatuor causae enumerantur.

1) Certe, ut optime notat Pater quidam, res ex eo partim provenit quod vita spiritualis cleri, male efformata et nutrita, dualismum inducit inter propriam spiritualitatem et illam biblicam necnon liturgicam quae in breviario patet et sacerdoti connaturalis fieri deberet. Et de hac re insistendum erat in schemate. Itaque pauca verba in articulum mox lectum inseruimus ad commendandam sacerdotibus eam biblicam institutionem quae saporem officii ipsis gustandum praebeat.

2) Non tamen sufficiet haec recta spiritualis cleri institutio: multa enim sunt, in breviario, quae corrigi vel reformari debent ut sit « verum nutrimentum » et « fons uberrimus et delectans »: « non ut tempus orationis brevietur, sed ut sacerdotes tempus habeant melius orandi, non iam breviarium currendo legentes ». Quaestio itaque exurgit de lectionibus aptandis, de calendario sanctorum revisendo, de hymnis deque multis adiunctis de quibus infra.

3) Attendendum est certe ad venerabilem thesaurum saecularem officii romani, quo tot sacerdotes laudes Deo dederunt. Attamen, ut observat aliquis Pater, « licet usus millenarius Ecclesiae in hac re habeat suum momentum, ex altera parte spiritus verus orationis sacrificari nequit cuidam considerationi nimis historico-archeologicae. Inde, aiunt plures, « recognitio non attendat tantum ad quasdam rationes historicas morose ac mordicus perpensas, sed potius, ad hodiernam conditionem et necessitatem cleri ad opus pastorale vocati ».

4) At plurimis Patribus videtur longe maior causa difficultatum in eo esse, quod veritas horarum graviter hodie perturbatur. De hoc nunc fuse dicendum est, et est secunda quaestio a nobis elucidanda.

B) SECUNDA QUAESTIO: *Utrum horis veritas reddenda sit necne.*

Officium est cursus horarum quae « ordinantur ex earum constitutione ad sanctificationem diversarum horarum diei naturalis », ut dicit novus Rubricarum Codex, art. 142, quod patet vel leviter officium percurrendo. Aut probatur aut improbatur haec definitio.

Sunt qui improbent proptereaque petant ut tollatur, initio art. olim 68, nunc 88, schematis, paragraphus « Cum sanctificatio diei naturalis sit finis officii etc. »; vel saltem, illud principium ideale retinendum esse fatentes, rogant ne in praxi urgeatur quia impossibile est, ideoque delendum aestimant etiam art. olim 76 (nunc 94) schematis.

Sunt vicissim qui sanctificationem diei horarum magni aestiment, et principium in Codice Rubricarum et in praesenti schemate descriptum retinendum et commendandum censeant: « Etenim, aiunt, distinctiones temporis necessariae sunt ut vita integra hominis in laudem gloriae gratiae Dei referatur; haec exigentia, ex natura humana orta, divinitus demonstratur in distinctione hebdomadarum; nec sine periculo distinctiones in die amitterentur ».

At sive improbetur, sive probetur hoc principium, urgens et maxime necessaria apparet reformatio breviarii.

Si improbatur, et si libenter admittitur officium quacumque hora persolvi posse, sine ullo respectu ad breviarii horarum nomen et precum textum, grave damnum spirituale pro sacerdote inducitur: formalismus, mendacium admittitur in oratione. Ita pensum et opus servile fit breviarium ut illud legant sacerdotes dum alii actioni liturgicae intersunt, quod notavit acutissime unus e Patribus.

Si vero horarum veritas requiritur, aliae difficultates exurgunt, cum quotidie, tum maxime diebus de praecepto et festorum pervigiliis, non pauci presbyteri, die dominica, extenuati perveniunt ad horas noctis quin antea tempus invenerint primam, tertiam et alias breviarii horas, imo etiam laudes, persolvendi. Quotidie vero ancipites remanent, quo tempore nocturnum dicant, dum eos labor pastoralis impediat quominus nocte surgentes vigilent. Rithmus enim hodiernae vitae pastoralis longe distat ab eo qui, aetate media, vitam sacerdotum regebat, imo, ut notant aliqui Patres, horarum circulus in breviario propositus partim provenit ex cursu monastico.

Nobis vero, re mature in Commissione perpensa, visum est horarum

veritatem retinendam esse, ideoque breviarii aptationem omnino secundum hanc rationem faciendam. Ad eamdem conclusionem iam pervenerant sodales Commissionis Pianae postquam vota omnium orbis metropolitarum quaesiverant (*Memoria,* suppl. IV, 1957, pp. 39, 49-51, etc.).

Unde, si Concilio placebit, retinendum censemus in schematis articulo olim 68 (nunc 88) principium istud scilicet: « *Cum sanctificatio diei sit finis Officii, cursus Horarum traditus ita instauretur ut horis veritas temporis, in quantum fieri potest, reddatur* ». Attamen, quo clarius res pateret, suppressimus quae de « determinatione iuridica temporis ad satisfaciendam obligationem » hic dicebantur, sufficientia existimantes ea quae in articulo olim 76, nunc 94, asseruntur.

C) TERTIA QUAESTIO: *Utrum an non abbreviandum sit officium.*

Ex hac disputatione, quae tam late patuit in Concilio, nostrum est seligere omnia quae ad unanimitatem vestram fovendam et ad solutionem quamdam inveniendam iuvare possint. Et primo, rationes expendamus ab iis allatas qui officium minime breviandum censuerint.

1) *Rationes ab iis allatae qui officium minime breviandum censuerint.*

Multi in Aula loquentes censuerunt breviarium non esse minuendum nec substantialiter reformandum. En praecipua eorundem argumenta:

a) Sufficiunt instaurationes iam a Pontificibus et nuperrime a Ioanne XXIII peractae, quae rectam officio rationem restituerunt et aequam orationis copiam detinuerunt. At multi alii Patres censent id non sufficere. Imo in publicanda recenti instauratione, papa Ioannes XXIII nuntiavit se profundioris reformationis principia huic sacro Concilio commissurum esse.

b) Omnino colenda et servanda monumenta antiquae traditionis venerabilia, seu thesaurus orationis a tot antenatis peractae et amatae. Quod clarius dicendum duximus in schemate; unde, n. 90, aliqua verba adiunximus ut laudetur « venerabilis ille romani officii saecularis thesaurus ». Attamen, ut iam allegavimus, multi Patres cavere nos monent ne archaeologismo cuidam nimio cedamus.

c) Oratio pernecessaria est sacerdoti ad animam suam nutriendam, ad perfectionem obtinendam et ad castitatem servandam; quo magis hodie in periculis versantur, eo magis orationem colere debent. In quo tamen argumento exponendo, melius distinguere oportuisset inter orationem liturgicam et orationem privatam. Quidquid est, nos huic rationi iam aliqualiter satisfecimus, inserendo in schema novum, supra descriptum, articulum 86.

Rursus vero notatu dignissimum est, articulum olim 68, nunc 89, a paucis Patribus ita laudari ut nullam in eo emendationem proponant. Imo, ii etiam qui abbreviare officium abnuunt libenter fatentur officii pondus diversis modis alleviandum esse sacerdotibus qui gravius onerantur.

2) *Quomodo officium alleviare intendunt etiam ii qui abbreviare renuunt.*

Quatuor ipsi solutiones proponunt:

a) Prima solutio: Ut in Concilii constitutione, clare praevideantur tam commutationes a iure ipso facto admittendae quam facultas dispensandi Ordinario concessa. Quod nobis magni momenti visum est et fusius proponemus, cum emendationes ad art. 73 schematis propositas expendemus.

b) Secunda solutio: Ut aliter edicatur in art. 73 obligatio officii recitandi et ita allevietur pondus, remanente intacto numero et ordine horarum breviarii, aliis horis sub gravi, aliis vero sub levi vel etiam laudabiliter dicendis.

Ex hac ratione, ut infra dicemus, aliquid desumimus ad solvendam intricatissimam quaestionem de Horis Minoribus, non tamen eam passim accipiendam censuimus. Etenim, in hodierno breviario, cursus psalterii disponitur per omnes horas totius hebdomadae, ita ut ad totum psalterium dicendum necesse sit ut omnes horae totius hebdomadae dicantur. Ille sacerdos cui sic quasdam tantum horas dicere liceret, paucos tantum psalmos diceret, aliis semper omissis; quod esset regredi ad eam breviarii conditionem quae ante Pium X vigebat.

Alii quo melius, dignius et devotius officium dicatur, proponunt ut obligatio versetur, non circa numerum horarum persolvendarum, sed circa tempus in persolvendo insumptum, exempli gratia unam horam. Quod revera aliqualem considerationem meretur, attamen negligit forsan eam rationem orationis publicae nomine Ecclesiae, quae officio primarie inhaeret.

c) Tertia solutio: Ut praevideantur plura officia vel plures modi officii persolvendi. Hoc serio considerandum est, et infra expendemus; at hic sufficiat notare hanc solutionem reincidere in officii pro clero breviationem.

d) Quarta solutio: Ut omnes horae breviarii traditionales retineantur, at breviores reddantur, et sic alius cursum quotidianum excogitavit qui undecim tantum psalmos complecteretur, alius alium qui decem et octo, et caetera huiusmodi. Quae solutio nobis videtur saepe nimio artificio fortasse indulgere.

Quidquid est, nobis visi sunt, ni fallimur, re viciniores esse binarum

opinionum propugnatores quam verba in aula resonantia sperare permittebant. Omnes quasi consentiunt aptandum esse cursum Horarum, nedum mutetur; si quid ex cursu traditionali supprimere oporteat, hoc caute et quam minime, veritate horarum ad hoc impellente. At aliquid faciendum esse patet, nec nos subducere fas est huic decreto quod potissimum praestamus. Longa in nostra Commissione fuit de hac re deliberatio.

Etsi enim ad particularia Concilium descendere non decet, estque difficile talem officii instaurationem proponere quae duas e tribus partibus suffragiorum obtineat, nostrum tamen est aliqua altiora principia proponere, viam mediam delineantia inter tot discrepantes sententias. En sententia in quam tandem quasi unanimes post maturam deliberationem convenimus et vobis proponimus.

D) QUARTA QUAESTIO: *Qua ratione cursus Horarum aptandus sit.*

Praenotare debemus hic agi tantum de officio ab iis dicendo qui vitam activam agunt, sive ipsi sint clerici saeculares sive religiosi, omnino praescindendo ab officio ab iis dicendo qui vitam contemplativam agunt. Haec distinctio enim pluries a Patribus in Aula Conciliari proposita est et nobis haud negligenda videtur. Nam Officium Romanum, forsan a monachis Romanarum basilicarum primitus confectum et indolem monasticam retinens, a fere omnibus canonicis regularibus, monachis, monialibus, mendicantibus qui officium benedictinum non habebant, usurpatum fuit. Iam pluries hoc officium reformatum est et nuperrime abbreviatum ut satisfaciat necessitatibus pastoralibus clericorum, et ipso facto ii frustrati sunt, qui contemplativam vitam agunt, et quidem praecipue officiis solemnibus dominicarum. Si ulteriorem reformationem et abbreviationem officii Concilium decernet, non deceret hoc officium, ministerii animarum gratia abbreviatum, imponi monialibus et aliis. Itaque vobis proponimus in articulum olim 68, nunc 88, addendam hanc restrictionem « *in quibus versantur praesertim ii qui operibus apostolicis incumbunt* », ne praeiudicetur quaestio officii pro contemplativis quam solvere nolumus. His praenotatis:

1) *Laudes et Vesperae ab unanimi Patrum consensu* non tantum retinentur, *sed magni fiunt,* ut oratio matutina et oratio vespertina, ad mentem schematis. Piget vota singillatim enumerare. Imo, unus e Patribus vellet ut pressius dicatur: « Sunt Laudes cardo officii divini ante meridiem, Vesperae cardo officii divini post meridiem ». Quae emendatio, etsi non ad verbum, aliquo modo tamen retinenda nobis visa est.

2) *Maior, ni fallor, numerus Patrum supprimendam censet Horam*

Primam, utpote quae inutiliter Laudes duplicet et cum damno Laudum; de hoc locuti sunt duo cardinales et plures episcopi. In eandem sententiam venerat Commissio Piana, anno 1957 (*Memoria,* suppl. IV, pp. 42-43). Unde Commissio vobis proponit supprimendam horam Primam, relicta Commissioni postconciliari facultate, si forte id opportunum censuerit, quasdam preces e Prima transferre ad aliam horam.

3) *Completorium servetur.* De completorio quidem pauci Patres expresse locuti sunt, alii illud retinentes, imo extollentes, alii dimittentes nec ullum ei locum in cursu praevidentes. Commissio vero Piana, anno 1957, in eam sententiam devenerat, ut servaretur Completorium, et psalmis dominicalibus (4, 90, 133) semper constaret (*Memoria, suppl.* IV, pp. 45-46). Attamen, si oportuerit, forsan ita abbreviari posset ut uno tantum psalmo constet, nempe 90.

4) *De Tertia, Sexta et Nona magna controversia orta est.*

a) Sunt non pauci Patres qui, loco Tertiae, Sextae et Nonae, « horam meridianam » proponant. Ex iis tamen quidam hanc horam meridianam confundunt cum « hora lectionis » de qua infra dicemus, dum alii eam distinguunt;

b) Sunt vero non pauci qui ad tenorem schematis Tertiam, Sextam et Nonam servare intendunt, utpote quae laborem cotidianum sanctificent, primaeva et perenni traditione consecratae sint, orare sine intermissione doceant.

c) Duo Cardinales et plures Patres breviores esse et ita dispositas has horas exoptant ut memoriter dici possint, quod fieri posset, exempli gratia, si unaquaeque uno tantum psalmo constet.

Nostra Commissio diu anceps remansit inter tam discrepantes sententias. Post longam et maturam disceptationem, vobis proponimus solutionem quandam quae utrique parti, ut optamus, satisfiat, videlicet:

« *In choro, Horae minores, Tertia, Sexta et Nona serventur. Extra chorum, e tribus unam seligere licet, diei tempori magis congruentem* ».

Sic sacerdos quodam otio gaudens, vel exercitiis spiritualibus vacans, his horis integris frui poterit; qui vero ministerio incumbit, modo Tertiam, modo Sextam, modo Nonam, prout libertas tempore competenti ei relinquetur, persolvet, nulla omnino derelicta. Ita ab Ecclesia sine intermissione orare invitatur, at molestiam oneris nondum impleti fere nunquam iam percipiet.

5) *De hora quae nunc Matutinum vocatur.*

Multi Patres locuti sunt de hac hora quae ex traditione Nocturnum vocabatur, quaeque dein in Breviario Romano ita infeliciter « Matutinum » nuncupata est, ut hoc vocabulum confusionem pariat cum traditionali Laudum nomine.

a) Primo, optant permulti ut nocturnum brevius evadat, tribus tantum psalmis constans (in festis vel diebus qui pulchra et venerabilia officia trium nocturnorum habent, laudabiliter extra chorum sed non obligatorie dici posset); quae solutio, a Commissione Piana repellebatur, sed ex rationibus quae forsan rem non dirimerent; fatendum est nonnisi psalmodiam breviando posse lectiones dilatari ut multi proposuerunt et mox dicetur.

b) Praeterea in schemate, sic legebatur: « hora quae Matutinum vocatur, quamvis indolem nocturnae laudis retinens, ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat ». Eiusmodi textus contradictionem exhibebat quam ostenderunt innumeri Patres. At duae viae tantum remanent ad hanc contradictionem removendam: — aut retinendo indolem nocturnam istius horae, tempus eam dicendi coarctare ut veritas temporis servetur, sed hoc difficilius esset clero saeculari; — aut abiiciendo indolem nocturnam, horam nuncupare « lectionum » vel « lectionis divinae ». Hanc alteram solutionem proponunt multi Patres, saepe etiam illam lectionis horam describentes, alii tamen alio modo. Notandum tamen velim, quocumque modo conficiatur « hora lectionis », non esse merum exercitium spirituale, sed orationis publicae indolem retinere oportere.

c) Nobis vero in Commissione facile visum est componere propositionem eorum qui « horam lectionis » volunt, cum propositione supra descripta eorum qui Nocturnum servare et abbreviare postulant. Sufficit enim ut e Matutinis conficiatur « officium lectionis », paucioribus psalmis constans, cum longioribus lectionibus. Hymni nocturnales in appendice colligantur, ut laudabiliter dicantur ab iis qui, nocturno tempore, orationi vacent. Lectiones e Scriptura eo facilius dilatabuntur quo brevior psalmodia facta fuerit.

TERTIA PARS

De singulorum officii elementorum instauratione ad art. 69-72 schematis

(*nunc 91-93*)

Tam in schemate (n. 69-72) quam in Patrum Conciliarium orationibus, laudatur ut necessaria ea singulorum Officii elementorum instauratio, quae fieri debeat etiamsi nulla substantialis breviarii mutatio aut abbreviatio Concilio placeat. Agitur scilicet de psalmis, de lectionibus, de hymnis, de precibus ad absolvendas horas disponendis, de indole chorali et communi orationis.

Quae omnia antequam singillatim examinentur, perpendi oportet quaestio praevia ab uno ex Patribus posita, utrum pertineant ad altiora principia a Concilio definienda an sint res particulares ad commissionem postconciliarem relinquendae. Cum vero iam per plura saecula frustra harum rerum reformationem tot et tanti viri necnon synodi postulaverint, videtur quam utilissime de iis aliquid a Concilio dici, ita tamen ut normae tantum generaliores attingantur.

Itaque, multas ex observationibus Patrum quae nobis visae sunt in particularibus versari, quamvis egregiae sint, hic omittendas censuimus; sedulo tamen eas collegimus ut ad Commissionem postconciliarem transmittantur. Inter eas praesertim numerantur, quae de orationibus, de *Pater Noster, Credo, Ave Maria* et de aliis huiusmodi dicta sunt. Imo, nobis visus est articulus 72 schematis omittendus, si vobis placet, utpote qui de altioribus instaurationis principiis non agant. E contra, nobis necessarium videtur loqui de psalmis, de lectionibus, de hymnis, et de indole communitaria officii.

1) *De psalterio, ad art. schematis olim 69, nunc 91.*

De psalmis, duo asserebantur in textu schematis. Primo, ut psalmi distribuerentur per longius temporis spatium quam hebdomadam, et de hoc parum disputatum est, cum nulla exinde oriatur difficultas. Secundo, ut latina versio psalmorum ita aptaretur, ut non solum intelligeretur, sed ut linguam Patribus et traditioni consuetam adhiberet et usui liturgico, praesertim cantui, conveniret.

Sed quo clarius et sine dubio e textu res pateret, multi Patres emendationes proposuerunt quas Commissio libenter accepit, ita ut sic sonet nunc paragraphus secunda artic. 69 (nunc 91):

« Opus revisionis Psalterii, feliciter inchoatum, *quamprimum* perdu-
« catur ad finem, respectu habito latinitatis *christianae,* usus liturgici,
« *etiam in cantu, necnon totius traditionis latinae Ecclesiae* ».

Ad suam mentem illustrandam, quatuor Cardinales et quatuor alii Patres laudaverunt nuperrimam versionem a Benedictino Weber confectam, quae egregie simul servat et hebraicam veritatem et Vulgatae latinitatem.

At alia quaestio aeque non parvi momenti orta est de psalterio, quae quidem non e textu originem repetit. Aliquot enim Patres optaverunt ut e breviario expungerentur ii psalmi qui imprecationes et vindictam exprimant, vel etiam ii qui revelationem insufficientem de novissimis praeberent, imo psalmi historici vel qui « minus pietatem foveant ». Has sententias repulerunt alii Patres, quibus nostra Commissio adhaesit: totum Psalterium ad thesaurum sacrae Scripturae pertinet et etiam in iis partibus

inspiratum esse credimus, quae a nobis non plene nunc intelliguntur propter fragilitatem et debilitatem intellectus nostri. In hac arbitraria psalmorum selectione indulgeretur fortasse ingenio « rationalistico »; praeterea verendum esset ne fratres nostri, qui a nobis discesserunt, id mirum haberent. « Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt » (*Rom.* 15, 4). Aliter expungendae essent etiam illae sacrae Liturgiae partes quae, e Novo etiam Testamento excerptae, eadem loquuntur.

2) *De lectionibus, ad art. schematis olim 71 nunc 92.*

a) *De lectione Scripturarum,* optaverunt Patres ut plures paginae Scripturarum legantur quam in hodierno breviario, et imprimis ut melius seligantur eae paginae quae leguntur. Multi praeterea votum emiserunt ut pleraeque lectiones e Novo Testamento hauriantur, sed iure observatum est Missam esse locum proprium, ab antiqua Romana traditione electum ad Novum Testamentum legendum, dum Vetus Testamentum in officio fuse legebatur; semel una eademque ratione cursum lectionis tum missalis tum breviarii harmonice reformare oportet. Sunt denique qui exoptent ut quaedam libertas relinquatur ei qui Officium privatim dicit, seligendi vel commutandi pericopas Scripturarum a se legendas.

Commissio censuit haec omnia ad instaurationem post Concilium faciendam remittenda esse, atque interim talem emendationem vobis proponendam quae generaliorem reddat textum schematis: « *Lectio* sacrae Scripturae ita ordinetur etc. »; sic nulla porta clauditur praedictis desideriis et formula includit etiam lectiones breves et capitula in Horis diurnis occurrentia.

b) *De lectione Patrum.*

Nos ultro abbreviandam censuimus paragraphum de lectione Patrum, ad quam quidem spectant paucae emendationes a Patribus propositae; videtur saltem assentiendum esse libenter iis qui postulant ut melius seligantur loci SS. Patrum legendi, tum quia « interdum habentur subtilitates rhetoricae et cavillationes quae hodie non probantur », tum quia initia tantum sermonum vel tractatuum quasi mechanice proponuntur. Caveatur denique ne, contextu nimis reducto, excerptae Patrum expositiones arbitrarie imo violenter manipulentur.

c) *De legendis hagiographicis.*

Plures, ad laudandam urgendamque paragraphum de legendis hagiographicis, queruntur quod remanent adhuc in breviario, etiam post abbreviationem anno 1960 factam, tam multa quae veritati historicae repugnent, quaeque non solum in legendis vel vitis sanctorum, sed etiam in

hymnis, antiphonis et responsoriis prostant, dum res certae meliorem et pulchriorem orationem praebere possent; exempli gratia, lectio epistolae sancti Clementis papae plus iuvaret quam tot apocrypha in eius festo lecta vel cantata.

3) *De hymnis, ad art. schematis olim 70 nunc 93.*

De hymnis vero id tantum vobis proponimus, ut, aliquali interposita emendatione, art. 70 se referat ad suppressionem quorundam hymnorum et non tantum ad eorundem restitutionem vel mutationem.

4) *De indole chorali et communitaria officii.*

Duae series observationum proponuntur a Patribus circa indolem choralem et communitariam Officii.

Prima series, de fovenda celebratione in choro et in communi et cum plebe, versatur circa art. 73 *a*), 75 et 78 schematis, et suo loco expendetur.

Altera series observationum occasionem trahit e nota 5 ab art. 68 schematis pendente et pertinet ad altiora principia instaurationis: Utrum an non servari debeant etiam in recitatione a solo ea elementa quae indolem choralem retineant et communem orationem supponant.

Alii Patres tenent ea elementa, scilicet multiplices antiphonas, absolutiones, benedictiones, responsoria, aut saltem repetitionem partium cuiusque responsorii, vel amovenda esse et expungenda e breviariis ad usum sacerdotum impressis, vel potius in libris conservanda quidem, sed in recitatione privata omittenda.

Sed horum Patrum opinioni adversantur alii Patres qui indolem communitariam breviarii etiam in recitatione a solo omnino servandam tenent. Officium enim non est precatio privata sacerdotis et religiosi, sed oratio publica Ecclesiae ad quam omnibus fidelibus aditus patere semper debet, quae ad communem psalmodiam allicit clericos. Imo, hodie, non pauci sunt sacerdotes qui frequenter in communi officium sponte psallant, sive quando conveniunt ad laborandum vel orandum, et etiam in magnis Congressibus, sive quando in domo communi degunt. Denique, compertum est has partes Officii quae arctius connecti videntur cum celebratione chorali, eas esse simul quae saepe melius ad orationem et contemplationem alliciant, ut sunt tot antiphonae et responsoria; unde Commissio specialis quae rubricas noviter collegit anno 1960 censuit eas ideo retinendas ne thesaurus pretiosus pietatis amittatur. Fatendum vero est libenter aliquas esse reformandas, quae minus aptae reperiantur.

De quibus omnibus rebus, nullam additionem vel emendationem proponimus, sufficiens aestimantes eas ad Commissionem postconciliarem remittere.

QUARTA PARS

De modo edicendae officii obligationis in articulis schematis olim 73-76

(*nunc 94-98*)

1) *De prooemio art. 73.*

Prooemium art. 73, scilicet « Cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur, et aliunde totum pensum divini Officii servandum sit, hae normae erunt observandae », tantis et tam gravibus censuris plectitur, ut eius suppressionem proponere debeamus. Imo, suppressio textum nullatenus infirmat.

2) *De obligatione conventuali, ad art. olim 73 a), nunc art. 95.*

a) Plures e Patribus mirantur, quod de Missa conventuali nihil dicitur. Opportuna itaque videtur emendatio quae initio articuli sic dicat: « Communitates choro obligatae, *praeter Missam conventualem,* tenentur officium divinum... »;

b) In paragrapho 73 *a*), de Regularibus aliisque Religiosis aequiparatis (can. 609), textum ultro corrigimus ut melius conveniat iuri vigenti, nulla innovatione vel emendatione ab ullo proposita;

c) In paragrapho eadem, de Capitulis, ut recte notat unus e Patribus, corrigenda est formula « capitula residentialia » quae insolita et aequivoca est. De extensione vero choralis obligationis ita disputatum est in Aula et adiuncta tam diversa significata sunt, ut maluerimus rem in incertum relinquere, scribendo: « *eas partes Officii, quae sibi a iure communi vel particulari imponuntur* ». Providebitur in reformatione Iuris Canonici et in statutis particularibus approbandis.

d) Suppressimus quae, semper in paragrapho de obligatione chorali, minus considerate inscripta erant de Congregationibus religiosis. Nunquam fuit mens Constitutionis de sacra Liturgia extendere obligationem choralem ultra ius vigens.

3) *De obligatione clericorum choro non adstrictorum, ad art. olim 73 b), nunc 96.*

Hoc argumentum fuit forsan prae ceteris examinatum et discussum. Et quidem emendationes et vota a Patribus emissa quinque quaestiones respiciunt.

Prima quaestio.

Utrum de obligatione Officii in nostro schemate dicendum sit, an res ad schema de disciplina cleri remittenda? Commissio vero censuit nobis de ea dicendum esse, quia unum totum efformat obligationis enunciatio cum officii instauratione, obtentis autem praeviis necessariis licentiis.

Secunda quaestio.

Utrum obligatio gravis retinenda sit an levis asserenda? Alii gravem retinendam esse censent. Solutio vero huius quaestionis pendet a solutione trium subsequentium cum quibus stricte ligata est. Notanda egregia, quamvis schemati extranea, propositio unius Patris librum breviarii tradendi subdiacono in ritu ordinationis.

Tertia quaestio.

In casu quo obligatio gravis servetur, utrum haec attingere debeat singulas horas indiscriminatim, an limitari principalioribus Horis? Equidem sunt qui limitare intendant gravem obligationem ad laudes, vesperas et lectionem divinam, vel ad laudes, vesperas et unum nocturnum, imo ad laudes et vesperas recitandas tempore praescripto, lectionem divinam qualibet hora in die.

Advertendum autem est, in emendatione quam vobis proposuimus de articulo olim 68, nunc 89, duas e tribus Horis Minoribus diurnis fieri facultativas. Unde addidimus in articulo 96 mentionem de articulo 89. De cetero nihil mutavimus in lege vel in textu schematis.

Quarta quaestio.

Quomodo conscribi debeat lex, ut spiritus cum littera praebeatur, vitetur multiloquium et formalismus, Deus corde et non solis labiis honoretur? Unus Pater proponit ut in textu addatur « fideliter, digne, attente ac devote ». Alii ad quos iam antea nos retulimus, malunt ut obligatio cadat in spatium orationis, nedum in quantitatem formularum. Ad haec vero, si vobis placuerit, sufficit novus articulus sub n. 90 iam recitatus.

Quinta quaestio.

Nonne in Concilii Constitutione clare praevideri debent tam commutationes officii a iure ipso facto admittendae quam facultas dispensandi cum subditis sive Ordinario sive Episcoporum coetui concessa?

a) Commutationes a iure ipso facto admittendae essent extensio iuris iam in Hebdomada Sancta vigentis, « horae canonicae scilicet suppressio quae cum alia actione liturgica, ut administratione sacramentorum, concione, Missa solemni concurrat », sic unus Pater. In eandem quasi sententiam, etsi alia vel nulla formula proposita venerunt multi

Cardinales et episcopi. Quod praecipue valeret de diebus dominicis, de festis de praecepto et de pervigiliis festorum.

Propterea novam dispositionem inseruimus sub n. 97, § 1, quae sic sonat:

« *Opportunae commutationes divini Officii cum actione liturgica a rubricis definiantur* ».

b) Facultas dispensandi Ordinario concessa, illos casus peculiares sanaret, sive ob infirmitatem, sive ob extraordinaria temporum vel locorum adiuncta, qui nec a lege nec a sola epikeia remedium sumpsissent. Ideoque ab innumeris Patribus petitio fit ut in schema inscribatur sive emendatione proposita sive minus. Unde alteram novam dispositionem sub n. 97, § 2, inseruimus quae sic sonat:

« *In casibus singularibus iustaque de causa, Ordinarii possunt subditos suos ab obligatione Officii recitandi ex toto vel ex parte dispensare vel id commutare* ».

4) *De ratione officii ab institutis status perfectionis persolvendi, ad art. olim 73 c) et 74, nunc 98.*

Praeter quaestionem iam a nobis excussam de officio chorali, duplex subest quaestio circa officium ab iis institutis status perfectionis persolvendum, quae e iure vigente nullam obligationem choralem habent.

Prima quaestio.

Num liceat et deceat talium institutorum sodalibus eam deputationem dare, quae, e can. 1256 Codicis anno 1917 confecti et ex art. 1 Instructionis 3 sept. 1958 S. Congregationis Rituum, ad cultum publicum nomine Ecclesiae exercendum necessaria est et efficax?

Iam superius dictum est licere; utrum an non deceat, sub iudicio est Concilii. Laudant ex hac parte articulum 74 schematis plures Patres.

Attamen, unus censet dignitatem orationis publicae conferendam esse tantum « cum officii recitatio obligatione sive ex iure generali, sive ex iure particulari manante innititur ».

Unde primam partem articuli 74 intactam relinquendam vobis proponimus.

Secunda quaestio.

Num valorem publicum seu liturgicum conferre liceat et expediat iis parvis officiis quae, vi Constitutionum vel consuetudinis, quorumdam Institutorum sodalibus recitanda imponuntur?

Ad hoc plures Patres restricte se habent; unus sic emendare vult art. 74: « ... in modum officii divini, non solum quoad ipsius structuram, sed praesertim quoad spiritum anni liturgici ». Alius observat:

« Quoad moniales necnon sodales, sive viros non clericos sive mulieres, institutorum status perfectionis, recitatio in lingua vernacula maxime confert ad optatissimam convergentiam versus Officium divinum et ad abrogationem parvorum officiorum, emendatis, si opus sit, etiam Constitutionibus quae eadem praescribebant ».

Attamen, post disceptationem in Commissione nostra, nonobstantibus hisce obiectionibus, firmam retinuimus etiam secundam partem articuli 74 (nunc 98).

Articulum vero olim 73 *c*) suppressimus utpote inutilem, iuri particulari relinquentes obligationem officii quae respiciat istos religiosos sodales.

5) *De celebratione communi et populari fovenda, ad art. olim 75 et 78, nunc 99 et 100.*

Nobis videntur propius admovendi ambo articuli 75 et 78, et art. 78 ante 75 ponendus, ita ut fiant nunc 99-100.

Art. 75 (nunc 100), de participatione fidelium in officio divino, nullam emendationem passus est nisi de paucis verbis.

Ad art. 78, nunc 99, unus Pater proposuit sequentem emendationem: « *Cum officium divinum sit vox Ecclesiae seu totius Corporis Christi* « *mystici Deum publice laudantis, curandum est ut clerici choro haud* « *obligati ac praesertim sacerdotes conviventes vel in unum convenien-* « *tes, aliquam saltem divini officii partem in communi persolvant* ».

De hoc in mentem revocare libet n. 42 Instructionis 3 sept. 1958 S. Congregationis Rituum. Unde libenter accipienda nobis videtur emendatio.

6) *De tempore recitandi Officium divinum, ad art. olim 76, nunc 94.*

Art. 76 expendendus est ad mentem dictorum quae Commissioni placuerunt de veritate Horarum servanda.

Enervant hunc articulum aliqui Patres, imo unus illum reprobat et supprimendum censet.

E contrario, tres Patres addendam hanc subtilitatem proponunt: « obligatio pro Laudibus meridie cessat, pro Vesperis et Completorio meridie incipit »; aliquid simile excogitaverat Commissio Piana (*Memoria,* suppl. IV, p. 38).

Nobis vero interim videtur articulus ille ut iacet relinquendus, at melius inserendus ante articulum 73, ita ut fiat nunc 94.

QUINTA PARS

DE LINGUA IN OFFICIO PERSOLVENDO ADHIBENDA AD ART. SCHEMATIS OLIM 77 (*nunc 101*)

Articulus 77 schematis tribus constat paragraphis.

Duae paragraphi *b*) et *c*), paucis controversiis obnoxiae fuerunt in Aula Conciliari. Paragraphum *b*), quae monialibus et religiosis non clericis officium in vernacula lingua permittit, laudant multi Patres; immo sunt qui emendent ut latior pateat. Duo tantum improbaverunt. Nos vero subtilius loquendum censentes, sic emendavimus: « *Concedi potest a Superiore competenti ... dummodo versio approbata sit* ».

Paragraphus *c*) a Patribus adhuc paucioribus allegatur; unus vero emendationem proponit quae sic sonet: « *una cum coetu fidelium* laicorum »; quam Commissio libenter accepit.

Paragraphus autem *a*) de clericis, crebrissimas animadversiones excitavit tam in Aula quam in nostra Commissione, quia de re agitur difficillima.

In Aula, textus prout absolute in schemate legebatur, id est « In Officio divino lingua latina clericis servanda est » approbatus est a quatuor Patribus Cardinalibus et quatuordecim Episcopis qui suam sententiam aperte expresserunt, stricte clericis servandam esse linguam latinam in Officio persolvendo. At in eundem sensum loquentes, admiserunt tamen quidam Patres ut episcopus vel pro suis clericis vel in casu peculiari, sive latius sive strictius, dispensationem dare queat, aut ab Apostolica Sede postulet.

Sententia contraria ut sacerdotibus latior usus concedatur linguae vernaculae in breviario, exposita est a quinque Patribus cardinalibus et viginti et uno episcopis; duodecim emendationes ab iis propositae sunt, quas piget singillatim allegare.

Ex illis tamen emendationibus, duae nobis visae sunt eminere. Una a duobus cardinalibus proposita haec est:

« Ubi tamen agnitio linguae latinae valde insufficiens est, neque adest spes legitima rem funditus mutatum iri, auctoritatis territorialis de qua in n. 22 erit in singulis regionibus normas statuere circa usum alterius linguae, ad normam art. 36 ».

Altera vero ad sequentem formulam reducitur, collatis textibus e duobus Patribus exaratis:

« Facta tamen Episcopo potestate usum versionis vernaculae ad nor-

mam art. 36 confectae concedendi iis clericis quibus usus linguae latinae, in peculiaribus adiunctis, grave impedimentum est quominus officium cum vero fructu spirituali recitent ».

Unde tres propositiones factae sunt: scilicet, prima, ut lex generalis remaneat inconditionate sicuti est; secunda, ut liceat Auctoritatibus territorialibus normas statuere circa usum alterius linguae; tertia, ut lege vigente adhuc, praevideantur secundum casus particulares, exceptiones pro presbyteris.

Omnibus inspectis argumentis sive contra usum linguae vernaculae sive pro relaxatione legis generalis, haec praecipua notanda sunt: alii, ex una parte, graviter obiiciunt quod licentia utendi lingua vernacula pro sacerdote in officio persolvendo periculosa sit pro unitate Ecclesiae et pro disciplina intellectuali cleri, quae pendet a cognitione perfecta linguae latinae. Alii, ex alia parte, pro caritate paterna erga illos sacerdotes qui nimiam habent difficultatem in usu linguae latinae, bonum personae et spirituale horum sacerdotum respicientes, in memoriam vocant praeceptum Domini, ut omnes laudent Deum in « spiritu et veritate ». Concedendum est haec argumenta sive pro sive contra esse maximi momenti. Videntur ita sese opponere ut vix nulla media via appareat possibilis et conveniens inter duo extrema in Concilio audita.

Attamen vobis textum emendatum proponimus humillime, in quo sategimus in unum componere et bonum commune totius Ecclesiae et bonum particulare sacerdotis. Sic textus legitur:

« *Iuxta saecularem traditionem ritus latini, in Officio divino lingua latina clericis servanda est, facta tamen Ordinario potestate usum versionis vernaculae ad normam art. 36 confectae concedendi, singulis pro casibus, iis clericis quibus usus linguae latinae grave impedimentum est quominus Officium debite persolvant* ».

Ex hoc textu patet legem generalem intactam remanere pro illis gravibus causis fusius in Aula a multis expressis. Quoad secundam partem, Commissio nostra, mature perpensa utraque emendatione, priorem unanimiter censuit non esse in textum introducendam. Etenim, in hoc casu, non agitur de moderando cultu populari, in quo actuosam optamus populi participationem, sed de providendis casibus sacerdotum qui hac indigent dispensatione ad debite persolvendum officium divinum. Difficilius et periculosius nobis esse videtur decernere de hac re pro clericis totius regionis, dum adiuncta personalia aut privata sunt consideranda et diiudicanda. Posterior emendatio nobis videtur respondere multorum Patrum votis et illam proponimus cum aliqua mutatione, et hoc modo:

1) Vocabulum « Episcopo » mutatur pro « *Ordinario* », ut etiam Superiores Maiores religionum clericalium exemptarum comprehendantur.

2) « In peculiaribus adiunctis », mutavimus in « *singulis pro casibus* ». Sensus est: nulla datur potestas concedendi dispensationem generalem a lege de usu linguae latinae in Officio divino, quod nobis videtur esse damnosum. Sed singuli casus, quoad gravitatem impedimenti, sunt humaniter considerandi et expendendi a nobis Ordinariis pro caritate erga presbyteros nostros.

3) Loco « cum fructu spirituali recitent », dicitur: « *debite persolvant* », ne nimia subiectivitas inculcetur in leges sed iudicium Ordinarii cum magnanimitate feratur de condicione physica, morali, intellectuali et spirituali eius qui talem petit licentiam. Nihil certe praeiudicatur de necessitate pro candidatis ad sacerdotium addiscendi perfecte linguam latinam in Seminariis.

Exinde Vestrae Caritati fraternae illum textum sic emendatum proponimus. Nobis videtur esse honestus, rationabilis, desideriis multorum ex Vobis obtemperans.

Addimus observationem egregiam a Patre conciliari factam, ut in breviariis cum textu latino versio linguae vernaculae iuxta posita imprimi possit, quo fiat ut clericis latine psallentibus, cum quendam locum passim non intellexerint, illico iis praesto sit versio conferenda.

* * *

Et postremo, conclusionis causa, nobis liceat diversas observationes a Vobis prolatas tantum colligere, nullo interiecto iudicio, circa methodum ad reformationem post Concilium complendam.

Cum altiora tantum principia a Concilio elicienda sint, necesse est ut constituatur Commissio, quae post Concilium totam breviarii instaurationem perficiat et compleat. Sufficeret forsan ea Commissio de qua in art. olim 16, nunc 25, agitur, sicut observat unus Pater.

Item methodus laboris huiusmodi Commissionis a quibusdam adumbratur: « Periti ad recognitionem designati non solum quae a Patribus hic et nunc verbo vel scripto suggeruntur prae oculis habeant, sed etiam studia quae facta fuerant a Commissione praeparatoria »; immo habeant studia quae a Commissione speciali sub Pio XII constituta confecta sunt et praecipue Memoriam anno 1957 redactam. Opus a se peractum Commissio postconciliaris ad Conferentias Episcopales, ut illud examinent, mittant antequam a Romano Pontifice promulgetur.

Cum pertineat ad Primatum Sanctae Sedis hanc Commissionem postconciliarem instituere, nihil in textu includimus de hac constituenda et de eius ratione agendi.

Circa tandem futurorum editionem breviariorum, iam vota quaedam

a Patribus proponuntur, quae transmittenda sunt ad Commissionem postconciliarem et ea enumerare interim nos non pigebit:

— Libri sint bilingues, quidquid de art. 101 Concilio placeat.

— Psalmi didascaliis vel titulis illustrentur. Quod iam consuetum est fieri in libris Cisterciensibus, et hoc Commissio Piana anno 1957 laudavit (Memoria, suppl. IV, p. 22).

— Libri biblici et sermones Patrum praeviis notulis introducantur.

— Denique indices Breviario adnexi ita conficiantur, ut facile inveniri possint loci Scripturarum et Patrum.

Sic, Venerabiles Patres, huius relationis ad vos de capite IV finem attingimus, vobis gratias agentes de benevolentia erga humilem relatorem et optantes ut vestro suffragio confirmetur nostrae Commissionis propositum.

Moderator: Gratias agimus relatori et commissioni! Nunc legatur prima emendatio.

Secretarius generalis: Cap. IV schematis. Ad prooemium. Prima emendatio: Pag. 185, post lin. 6: videatis etiam pag. 31, n. 83, partem alteram huius fasciculi [*cf. pag. 114*].

PATRUM ORATIONES

De Ecclesia, cap. III (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. ALBERTUS CARD. MEYER

Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Caput nostrum [1] schematis quod de populo Dei tractat optime exponit positivam doctrinam de gratiis, privilegiis et praerogativis quae omnes recipiunt qui baptizantur in Corpus Christi.

Nihilominus haec imago vitae christianae, quamvis vera, non est adaequata et, *ut ita dicam,*[2] neque realistica est. Non est adaequata, credo, nam negligit commemorare duo facta in hac re fundamentalia:

1. Omnes nos, qui a Christo in Ecclesiam vocati sumus, peccatores sumus, membra generis lapsi.

2. Etiam postquam in Ecclesiam ingressi sumus, semper conscii sumus nostrae infirmitatis et debilitatis moralis et aliquando, *proh*

dolor!,[3] nostrorum lapsuum in peccatum. Nam, ut dicit Concilium Tridentinum ...[4]: « Iustorum illa vox est et humilis et verax: Dimitte nobis debita nostra ».

Ergo non sufficit ut schema nostrum se restringat ad privilegia nobis a Deo data, quin etiam in clara luce ponat eorum habitudinem ad summam difficultatem vivendi vitam vere christianam dum in hac vita sumus.

Quaeret quispiam: « Quaenam est ista difficultas vivendi vitam christianam »? Difficultas, ut scimus ex experientia, est duplex: Interna: quia manet in nobis illa tendentia ad peccatum quae concupiscentia appellatur. Experientia teste, illa non solet remanere sola tendentia quin ad actum etiam transeat. Itaque insistit Sacra Scriptura: « in multis offendimus omnes »...[5]. Externa autem difficultas: quia existit diabolus, qui secundum verba S. Petri, « circuit tamquam leo rugiens quaerens quem devoret »...[6]

Haec est ratio ob quam Deus in Novo Testamento semper exhibet duos et contrarios aspectus vitae christianae, nempe caelestem et humanum. Vita christiana, ex una parte, est participatio divitiarum ineffabilium Christi; ex altera vero parte, est colluctatio constans contra potestatem tenebrarum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus...[7]

Quapropter epistola ad Hebraeos depingit nobis Christum summum sacerdotem viventem in Ecclesia non solum ut nobis positive gratias communicet, sed etiam ut compatiatur infirmitatibus nostris et ut condoleat iis qui ignorant et errant...[8]

Haec conscientia summae difficultatis vivendi vitam christianam elucet in sacra Liturgia Ecclesiae. Nam sacerdos sacrificium Missae celebrans petit in Offertorio clementiam divinam pro innumerabilibus peccatis, offensionibus et negligentiis suis et omnium fidelium christianorum. Et ante communionem idem celebrans, qui indignus est sumere Corpus Christi, petit ne perceptio haec proveniat in iudicium et condemnationem sed pro pietate Christi prosit ad tutamentum mentis et corporis. Quae omnia confirmantur oratione quam quotidie ante nostras congregationes generales oramus quando dicimus: « Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti ».

Eadem conscientia difficultatis vitam christianam digne vivendi movit viros sanctos in Ecclesia ut sese tamquam peccatores potius quam sanctos haberent. Nota enim sunt verba S. Ioannis a Cruce in lecto mortis. Quando confratres eius conabantur eum consolari, revocando in memoriam opera eius bona, ille respondit: « Nolite opera mea bona in memoriam revocare; nullum est enim opus meum, quod nunc coram Deo non me accuset ».

Quam ob rem, ut schema nostrum tangat corda hominum nostrae aetatis — hominum, *dico*,[9] qui laborant sensu *et* peccati *et* suae incapacitatis moralis —, hanc emendationem pro hoc capite de populo Dei proponere audeo. Vellem ut, antequam populus Dei describitur tamquam sine macula et ruga, praemittamus paragraphum in qua, explicitis verbis, omnibus hominibus proclamamus Ecclesiam esse illam domum Patris misericordiarum in qua lapsus filiorum prodigorum remittuntur, vulnera ligantur, infirmitates sanantur, necessitudines eorum adimplentur.

Sic, clara voce, resonabunt iterum in nostro mundo hodierno illa verba olim a Deo pronunciata: « Non veni vocare iustos sed peccatores » ...[10], et clara luce patebit veritas in Concilio Vaticano I enunciata: « Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, *ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet,* sanctam aedificare Ecclesiam decrevit »...[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Hoc caput. [2] igitur. [3] deest. [4] (D. 804). [5] (*Iac.* 3, 2). [6] (*1 Petr.* 5, 8). [7] (cf. *Eph.* 6, 12). [8] (cf. *Hebr.* 4, 15). [9] deest. [10] (*Mc.* 2, 17). [11] (D. 1821).

Animadversiones additae:

Ex iis quae in cap. III habentur de charismatibus (n. 24, pag. 8, linn. 24 ss. praesertim), atque ex iis quae in aula conciliari a variis oratoribus prolata sunt, apparet, ut opinor, maxima necessitas praecisis verbis definiendi sensum exactum huius vocabuli « charismatis », ita ut nullus relinquatur ambigendi locus de sensu et de mente Concilii quando et ubi vocabulum hoc « charisma » in schemate *de Ecclesia* vel *de apostolatu laicorum* forte apparet vel apparebit.

2

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Antequam meam humilem sententiam proferam de vocatione et actione missionali laicorum, liceat mihi palam conqueri quod quidam periti — pauci quidem, tres — folia quaedam distribuerunt quibusdam categoriis episcoporum eos allicientes ut suffragium ferant pro institutione diaconatus sine caelibatu. In hac re mihi videntur istos peritos praetermisisse limites suos. Ipsi debent relinquere illis qui habent auctoritativum magisterium et regimen, ut dirigant. Habent directionem laborum Concilii; non debent igitur pendere a suggestione peritorum, neve periti possunt eos anteire.

Quod attinet ad vocationem et actionem missionalem laicorum, firmo manente diaconatu cum caelibatu, quomodo potest occurri necessitatibus

quorumdam locorum sive missionum sive aliarum nationum, v. g. Americae meridionalis, in quibus defectus est ministrorum sacrorum? Humilis mea sententia esset: conferre acolythatum quibusdam laicis, selectis ab episcopo. Acolythatus quidem conciliari potest cum absentia caelibatus, nam ordines minores conferuntur quidem cum quadam obligatione servandi caelibatum, sed non constituunt impedimentum. Illi qui habent ordines minores non sunt impediti. Igitur, possunt esse acolythi uxorati quibus datur sic gratia, per istum ordinem minorem, gratia et missio ad quaedam munia sacra exercenda, v. g. ad quaedam sacramentalia administranda, facienda, sicut propositum est in suffragium quod tulimus in ultima sessione generali, propositum in schemate *de sacra Liturgia*: matrimoniis officialiter assistere, baptizare, conciones habere, functiones sacras in ecclesia dirigere, ubi non sunt ministri sacri.

Factis his concessionibus, certe etiam ministris sacris de se essent concedenda, v. g. diaconis et ministris, si sunt in iisdem locis, et praesertim si sunt praesentes in loco ubi necesse est adhibere haec media, tunc cessat facultas acolytharum.

Hoc modo providetur, ut iura hierarchiae serventur et simul etiam provideatur necessitatibus fidelium in locis ubi desunt ministri sacri. Dixi.

Textus scripto traditus:

Antequam humilem meam sententiam circa quaestionem arcte connexam cum problemate de laicis eorumque spiritu missionario proferam, liceat mihi palam conqueri quod tres periti conciliares folium quoddam distribuere non dubitaverint quo Patres em.mi et exc.mi votum suum pro diaconatus sine caelibatus lege institutione promere rogantur. Quidquid porro Patres sentiunt in hac re, periti fines suos transgrediuntur cum taliter eos impellere student: peritorum est suo consilio, sua scientia, Patribus adesse cum requiruntur, non autem eis quasi anteire.

Nunc autem ad meritum rei quod spectat, sine tergiversationibus fateor mihi videri summum discrimen impendere caelibatus etiam sacerdotum legi si diaconorum uxorem habentium institutum in Ecclesiam ritus latini introducatur; ceterum etiam si periculum huiusmodi quis diffiteri velit, et salva reverentia erga rituum orientalium ius, vel id dissuadet diaconorum coniugatorum institutionem quod superexcellens dignitas Ordinis sacri, hactenus in ritu latino perfectiori statu caelibatus expressa, proposita mitigatione in fidelium veneratione imminuetur.

Minime vero me latent necessitates earum regionum in quibus copia operariorum pro dominica messe desideratur: sed optime his necessitatibus satisfieri arbitror si laicorum opera ordinate adhibeatur: prout hic his diebus passim dictum est cum de laicorum actione missionaria ageretur. In praxi, ita fieri posse credo ut laici spectatae virtutis qui studia media quae vocant compleverint (qui nimirum saltem eum gradum scientiae attigerint quem solent habere pro locorum consuetudine viri civilis conditionis), et postea curriculum aliquod theologiae fundamentalis, catecheticae et Liturgiae laudabiliter persolverint, acolythatus confe-

ratur, etiamsi uxorem habeant: nam relate ad minores ordines, vigens disciplina ritus latini circa caelibatum relaxari posse videtur sine detrimento quod est timendum quoad maiores Ordines: cuius signum etiam est quod iam hodie, quamvis sint incompossibilia status clericalis et matrimonium, tamen qui ad solos ordines minores promoti sunt non impediuntur quin matrimonium contrahant.

Huiusmodi acolythis concedendae essent diversae potestates: ut, exempli gratia, absente sacerdote matrimoniis adsistere, baptismum conferre, sacramentalia administrare: quorum ultimum iam in schemate *de sacra Liturgia* locum habet. Alia munera ordinaria possent etiam ipsis attribui, etiam praesente sacerdote exercenda. Ita gratiam ordini suscepto congruentem ministri non sacerdotes nec diaconi recipientes idonei fierent muneribus sibi commissis et publicam haberent ab Ecclesia missionem.

Patet autem sine ullo negotio quod diaconi vel subdiaconi forte praesentes pari potestate pollerent et simplicibus acolythis essent anteponendi ad munia illa sacra explenda.

3

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS TCHIDIMBO
Archiepiscopus Konakriensis

Fratres, carissimi Observatores,

Neque novum *de Ecclesia* schematis ordinem neque emendationes proponimus: theologici enim non sumus, sed pastores tantum. Nobis solum liceat cum fervore gratias agere omnibus qui capitulum de laicorum praesentia in Ecclesia universali fecerunt.

In hoc capitulo, evidentia fiunt multa vera quae practice quidam obliviscuntur. Etenim, etsi colonizatio, sub politico respectu, in maiori parte continentis Africae cessavit, sub spirituali respectu non semper idem est, praesertim in campo de apostolatu laicorum, in quo e parte Internationalium Organizationum, quidam *dirigismus* fieri videtur.

Sicut autem dicitur in pag. 6, lin. 40, activitas communis totius populi Dei faciet ut Corpus mysticum Christi ad plenam staturam suam perveniat; sed haec communis activitas omnium christianorum coetuum non solum activitatem singularem non tollit, sed praesupponit...[1]

In cap. III, bene scribitur, pag. 5, lin. 20: « Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas spectata natione, condicione sociali, sexu, etc. » ...[2].

S. Paulus, ut praeviam condicionem sine qua non, ad spiritualem personarum nec non Ecclesiarum particularium hoc proponebat et defendebat: qui duos collaboratores habens alterum circumcidit, Timotheum, quia e matre Iudaea; alterumque circumcidi noluit, Titum, e

stirpe Graeca; quique etiam annum ubi Romae occisus foret, non exspectavit antequam *indigenos* [3] collaboratores formabat et *in suis ecclesiis particularibus* [4] officia eis dabat.

Secundum linn. 15 ss., in pag. 6, dicere velimus non solum quomodo sentiamus sanctificari summam obligationem esse quam in Ecclesia nemini fugere licet; sed etiam sanctificationem istam fieri oportere in solo spiritu ministerii quin altera persona alterve coetus alteri praestet. Itaque quamquam in Actione catholica adiumentum ab Internationalibus Organisationibus Iunioribus Tertii Mundi dioecesibus datum, per se bonum est, consociari tamen nequit cuicumque coactioni in vita Ecclesiarum particularium.

Nos primi operarii et primi factores nostrorum spiritualium progressuum ...[5]. Spiritus det fidelibus varia dona et munera...[6]

Quapropter, ut explicite loquamur, sequentia dicimus:

1. Internationales Organisationes, quia pecuniae earum adiumentum, pro quo gratias agimus, in favore Tertii Mundi evidens est, non credant se simul a Deo missas esse ut nobis ostenderent quomodo apostolatus ordinari deberet in terra nobis nota sed eis aliena. *Ita dixisset Pacem in Terris* [7]: « Florentiores igitur Respublicae, dum egentioribus multis modis succurrunt summopere vereantur necesse est peculiares cuiusque gentis notas earumque civilia instituta a maioribus tradita, itemque cavere a quovis dominandi consilio »...[8]

Hoc ipso anno, litteras habui a specialista Organisationum Internationalium, dicente: « Specialista sum... apud vos veniam ut motus existentes videam et activitatem eorum cum nostra coordinem ». Dixit: « Veniam », sed non interrogavit an mihi opus esset ministerio eius. Itaque respondi modo telegraphico: « Noli venire; litterae sequentur »...[9]

Utinam Europa nobis favorem det ut ministerium suum primi quaerere possimus. Opinamur primum specialistam in dioecesi episcopum esse, pastorem populi sui. Ipse missus est, ut solus coram Deo et Petro, de apostolatu in Ecclesia sua respondeat.

2. Specialistae quaesitus, magni viatores coram Deo, tempus eligant sedendi et intuendi, cum apud nos veniunt, se in terra cognita victaque non putantes.

Franciscanus quidam e Belga Congo-Leo, in mense novembris novissimi, Conakriensis veniens, ecclesiam cathedralem visitavit, inventaque in campanillo campana pulvere operta, exivit stupore motus ad parochum loci: « Pater, inquit, vere pessimum est Gubernium Guineae, quia campanas vestras nequidem pulsare potestis »; ...[10] sed tantum agebatur de campana fracta ibi posita antequam ad fabrum mittetur. *Meliora transeo quia tempus urget nos.*[11]

3. Catholica Europa apud nos non ferat spirituales pugnas suas. Nos ipsi, *pro nostris fidelibus, nolumus* [12] tum « Verbe », cum « Vie nouvelle » ...[13], sed solum Evangelium et semper Evangelium. Nobis, Christus non dividitur, itaque nolumus esse Apollonos aut Cephae, sed Christi Iesu mortui et resuscitati.

4 et ultimo: Congregationes missionariae et praesertim ordines religiosi nuper in Africa venti tempora mutata esse sciant; vicariatibus apostolicis successerunt dioeceses; et *evidens est quod* [14] iuvenes episcopi *residentiales,*[15] necnon archiepiscopi, omnes responsabilitates suscipere velint.

Itaque apud nos venire non debent cum propriis programmatibus *super apostolatum laicorum* [16] et devotionibus diffusandis, sed pauperes Christi, ut divites fieri possint e iussis episcoporum Ecclesiarum peculiarium, novorum pastorum suorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] « ita scil. ut suo quisque instituto, iudicio officiique conscientia agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis » (*Pacem in terris*). [2] (*Gal.* 3, 28). [3] deest. [4] deest. [5] quia e linn. 24 ss., pag. 8. [6] ad servitium seu diaconiam. [7] deest. [8] (*Pacem in terris*). [9] Europa saepe nos negare cogit, etsi Africa philosophiam negationem ignoret. [10] Meliora transeo. [11] deest. [12] in dioecesi nostra nolumus scripta. [13] tum « Aspects de France » cum « Témoignage chrétien ». [14] deest. [15] africani. [16] deest.

Moderator: Legatur secunda emendatio.

Secretarius generalis: Emendatio secunda: pag. 185, linn. 12-15 (videatis etiam pp. 31-32, n. 84 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 114*].

4

Exc.mus P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Venerabiles Patres,

Liceat mihi nonnulla proferre ad n. 24 cap. III: de sacerdotio laicorum.[1]

Ad evitandas confusiones et notiones erroneas, distinctio inter sacerdotium hierarchicum et sacerdotium omnium fidelium ...[2] clare definienda est. Sed verba « ministeriale » et « universale » nec in se nec ad distinctionem inter utramque exprimendam apta esse videntur. Eorum ergo loco, velim suggerere alia verba, nempe « sacramentale » et « spi-

rituale », ita ut sacerdotium hierarchicum vocetur « sacerdotium sacramentale » et sacerdotium omnium fidelium « sacerdotium spirituale ».

Sacerdotium enim Novae Legis digniori modo debet appellari quam illud Veteris ...[3], quod etiam nomine ministerii vocabatur. Ulterius, sub dispensatione Veteri, sacerdotium per se non sanctificabat animas credentium. E contra, sub Nova Lege, sacerdotium vere est causa, quamvis instrumentalis, sanctificationis animarum.

Quibus perpensis, relate ad sacerdotium hierarchicum Novi Testamenti, verba « sacerdotium sacramentale » valde apta videntur, nam sacerdotium hierarchicum in se habet omnia elementa « sacramenti », nempe ...[4] « sacramentum tantum », ...[5] « res et sacramentum », *et*[6] « res ».

1. « Sacramentum tantum », seu signum externum est ipse sacerdos humanus visibilis.

2. « Res et sacramentum » est Christus sacerdos. In Nova enim Dispensatione, secus ac in Vetere, unicus est sacerdos, nempe unus Mediator inter Deum et homines, Christus Iesus, prout habetur apud Paulum ad Hebraeos: « Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes (i. e. sub Veteri Dispensatione) idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod manet in aeternum, sempiternum habet sacerdotium » ...[7]. Sacerdotes vero humani participant illud unicum sacerdotium Christi et sunt instrumenta seu media externa quibus Christus ipse operatur.

3. « Res tantum » est sanctificatio animarum quae per sacerdotium hierarchicum operatur.

Unde repeto quod verba « sacerdotium sacramentale » magis apta sunt pro sacerdotio hierarchico.

Sacerdotium autem omnium fidelium ...[8] vere est sacerdotium in quantum habet eamdem originem, i. e. Christum, et eumdem finem, nempe mediationem inter Deum ac homines et sanctificationem animarum, *ergo eumdem finem*[9] ac sacerdotium hierarchicum. Sed illa sanctificatio non fit per signa ritualia externa sicut in sacerdotio hierarchico, sed per media spiritualia sicut sunt preces et deprecationes ad Deum, sacrificium internum seu abnegatio sui ipsius in unione cum Christo Victima, testimonium fidei verbo et exemplo, opera apostolatus, uno verbo per irradiationem sanctitatis in mundo, tam in vita personali quam in vita sociali, ita ut fiat consecratio mundi Deo. Unde potius quam sacerdotium universale, melius vocatur « sacerdotium spirituale ».

Ita distinctio inter sacerdotium hierarchicum et sacerdotium omnium fidelium ratione nominis et ratione operationis. Differentia autem realis seu ontologica ponenda est in charactere sacramentali.

Fideles omnes ...[10], per characterem baptismi et confirmationis sunt *membra* mystici Corporis Christi sacerdotis et ita participant eius sacerdotium.

Sacerdotes hierarchiae, per characterem sacramenti Ordinis, incorporantur cum Christo capite Corporis mystici in suo munere capitis, et ita eveniunt participes eius sacerdotii.

Votum meum ergo humillimum est:

1. Ut ubicumque in hoc contextu — *non ubicumque, sed in hoc contextu — ubi declaratur distinctio inter sacerdotium hierarchicum et laicorum,*[11] loco « ministeriale », sacerdotium hierarchicum vocetur « sacerdotium sacramentale », et loco « universale » sacerdotium omnium fidelium vocetur « sacerdotium spirituale ».

2. Ut distinctio realis inter utrumque sacerdotium clare declaretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad n. 24 de sacerdotio laicorum. [2] (tam ex clero quam ex laicatu). [3] Legis. [4] tum. [5] tum. [6] tum. [7] (8, 23). [8] (tam ex clero quam ex laicatu). [9] deest. [10] (tam ex clero quam ex laicatu). [11] deest.

5

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

Venerabiles Patres et Fratres dilecti,

I. Propositio novae coordinationis capitum in schemate *de Ecclesia* recta mihi videtur et melior quam illa vetus, quae adhuc in schemate invenitur. Praesertim autem aptius videtur tractari de populo Dei in cap. II antequam de hierarchica Ecclesiae constitutione, seu episcopatu fit sermo.

Rationes talis coordinationis capitum plures apparent, quarum quasdam hic afferre volo.

1. Quod iam aliquoties dictum est, *ad populum Dei pertinent omnes,* ministris Ecclesiae inclusis, est enim notio universalissima.

2. *Constitutio hierarchica Ecclesiae supponit constitutionem populi Dei.* Immo natura et indoles regiminis in qualibet societate naturae et indoli ipsius societatis correspondeat oportet. Hierarchica constitutio Ecclesiae multo melius intelligitur, quando in schemate ponitur doctrina de populo Dei anteposita.

3. Haec hierarchica constitutio Ecclesiae melius tum apparebit ut *instrumentum ad bonum commune* totius populi Dei i. e. Ecclesiae obtinendum. Quod concordat sensui naturali regiminis in qualibet societate, sed praesertim sensui Evangeliorum, in quibus « praeesse » convenit cum « ministrare ».

4. In coordinatione capitum, prout antea erat, bene apparet *divisio communitatis ecclesiasticae per status,* i. e. per clericos, laicos et religiosos. Haec tamen divisio etiam supponit constitutionem totius populi Dei cum omnibus illis, quae ipsi in genere sunt propria. Ergo etiam ipsa divisio Ecclesiae per status — vel potius per vocationes — melius apparebit, quando antea de populo Dei in genere sermo fit.

Propter istas rationes, nova coordinatio capitum, ubi de populo Dei in genere loquitur cap. II, aptior mihi apparet ex parte logicae compositionis totius schematis *de Ecclesia.* Si post cap. I de Ecclesiae mysterio, statim de hierarchica eiusdem constitutione loqueremur, aliquid deficeret.

Pro nova capitum in schemate coordinatione loquendo, utique tamen in mente habeo coordinationem talem novam etiam elaborationem cap. I, i. e. de Ecclesiae mysterio, postulare. Quando enim in nova propositione ex cap. I tam multa in cap. II translata sunt, caput illud omnino pauper remanet. Est autem caput pro Ecclesia ut obiectum fidei fundamenale.[1]

II. *De modo tractandi populum Dei.*[2]

In modo tractandi populum Dei in genere bene apparet indoles sacramentalis Ecclesiae, quod *videtur*[3] fundamentale. Populus enim Dei ab intra constituitur per fidem et gratiam, quae ope sacramentorum Ecclesiae obtinentur et roborantur. Cum ergo virtute fidei et gratiae iste populus Dei omnes formationes sociales ordinis naturalis transcendit, tunc transcendentia ista supernaturalis ope sacramentorum Ecclesiae simul evadit *aliquid visibile.* Haec autem transcendentia populi Dei in fide viva ope sacramentorum *supponatur* oportet transcendentiae ipsius Ecclesiae respectu cuiusvis societatis in ordine naturali et respectu totius civitatis terrenae. Hoc modo etiam populus Dei in Ecclesia similitudinem facit ipsius mysterii Incarnationis, simul enim intime manet in humanitate in qualibet scil. societate et communitate humana simulque eam transcendit. Haec magni videntur esse momenti, attamen — ut mihi videtur — in capite de populo Dei non sufficienter exponuntur.

Ipsa praeterea notio « populus Dei », etsi in se optima ad elucidandam Ecclesiae naturam socialem, non videtur tamen optime designare Ecclesiam in actu, quia rationem societatis perfectae explicite non ponit. Populus ...[4] qua talis etiam in ordine naturali ...[5] rationem perfectae so-

cietatis non attingit. Ecclesia autem in supernaturali ordine est *societas perfecta,* i. e. omnibus mediis ad finem supernaturalem obtinendum disponens. Ut hoc ei proprium evadat, necessaria apparet constitutio hierarchica Ecclesiae, tam pro ratione regiminis, quam etiam pro populo Dei in statu societatis perfectae constituendo...[6]

III. Nunc adhuc aliqua, quae ad caput de populo Dei ...[7] *in specie* pertinent.

In n. 24, ...[8] profertur doctrina de sacerdotio universali seu de participatione sacerdotii Christi ab omnibus christifidelibus ope sacramentorum. Sacerdotium universale a sacerdotio ministeriali optime distinguitur. Si tamen in schemate distinctio haec tantum remaneret, *non videtur indoles populi Dei plene explicari.* Populo Dei enim etiam illud videtur proprium, quod verba ista innuunt « omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur » ...[9]. Verba haec immediate loquuntur de assumptione pontificis *ex populo* et de constitutione eiusdem *pro populo Dei.* Mediate tamen, i. e. quando profundius perscrutentur, intimam et ut ita dicam vitalem coniunctionem inter sacerdotium universale et sacerdotium ministeriale seu hierarchicum nobis annuntiant. Et haec coniunctio ...[10] est aliquid populo Dei proprium eique specificum.

Iesus Christus assumpsit de populo Israel, in quo Ecclesia praefigurabatur, duodecim, quos ad constituendum et aedificandum populum Dei apostolatu et sacerdotio donavit. Ad instar illius primae vocationis, continuo assumit Ecclesia eorum successores in sacerdotio et apostolatu. Sed haec assumptio simul est aliquid ad supernaturalem vitalitatem ipsius populi Dei pertinens. Videmus hoc in omni paroecia, in omni dioecesi, in omni gente, ubi vocationes sacerdotales et pontificales oriuntur...[11]

Ultimo, vellem[12] aliqua verba facere de *notione « apostolatus »* respectu laicorum.

Apostolatus iste in n. 25 ...[13] definitur descriptive, et postea in eodem numero quoad sua elementa explicatur, saltem si sensus apostolatus laicorum obiective consideretur, optime. Oportet tamen adiicere quod apostolatus simul sit aliquid subiectivum ex fide et caritate in anima christifidelis ortum. In notione « *apostolatus* »[14] etiam pro laico adhibita includitur conscientia vocationis personalis christianae, quae tandem differt a sola passiva possessione fidei. Est ergo in apostolatu etiam laicorum quaedam actualisatio fidei coniuncta cum responsabilitate pro bono supernaturali divinitus concredito in Ecclesia cuilibet personae humanae.

Cetera secretario generali tradam.[15] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] est. [4] enim. [5] etiam. [6] Pro nova capitum in schemate coordinatione loquendo, utique tamen in mente habeo coordinationem talem novam etiam elaborationem cap. I, i. e. de Ecclesia mysterio postulare. Quando enim in nova propositione ex cap. I tam multa in cap. II translata sunt, caput illud omnino pauper remanet. Est autem caput pro Ecclesia ut obiectum fidei, fundamentale. [7] sive in veteri sive in nova coordinatione capitum. [8] (pag. 7). [9] (*Hebr.* 5, 1). [10] — non tantum distinctio sive divisio —. [11] Et hoc speciale signum coniunctionis inter fideles et ministros i. e. pastores in Ecclesia, non videtur in textu capitis sufficienter expressum, etsi coniunctio inter populum Dei et pastores generali modo affirmatur (pag. 6, linn. 18 ss.) et aliquod verbum de vocationibus sacris etiam adiungitur (pag. 8, lin. 2). [12] IV. Vellem denique. [13] (pag. 9). [14] « apostolus ». [15] Et haec omnia saltem innuantur oportet, cum de vita apostolica laicorum fit sermo. Eo magis, quia speciale in hoc concilio praesentatur schema, quod de apostolatu laicorum tractabit.

V. Vellem adhuc toto corde adhaerere illis, quae in hac aula ab aliquo Patre iam prius sunt prolata quoad momentum familiae christianae in structura populi Dei. Non sine fundamento a quibusdam antiquis familia vocata etiam fuit « ecclesia ». Haec omnia in capite de populo Dei inveniantur oportet, non obstantibus illis, quae in alio schemate de familia sub aspectu potius ethico et normativo adhuc dicentur.

VI. Ultima animadversio, quae formaliter ad caput I schematis pertinet, sed in nova ordinatione capitum illud tangit, quod in capite de populo Dei invenietur. Secundum ea, quae in n. 8 (pars I schematis *de Ecclesia*) dicuntur, *conditio fidelium catholicorum,* qui in sinu Ecclesiae vivunt, videtur *non tantum maiore responsabilitate onerata,* sed etiam difficilior et quasi peior conditione eorum, qui sine propria culpa extra Ecclesiam degunt. Nihil enim in hoc numero invenimus de his, quae revera Ecclesia iis offert in via salutis ad finem supernaturalem facilius et melius obtinendum.

Animadvertendum videtur, ne in explicatione illius sententiae « extra Ecclesiam nulla salus » aliqualiter in favorem eorum, qui sine propria culpa *extra* Ecclesiam sunt — quod iustam apparet — salus *intra* Ecclesiam ostendatur nimis rigide et parce, quod etiam his verbis contrairet: « iugum meum suave est et onus meum leve ». Et sunt verba ipsius Salvatoris.

6

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Em.me Moderator, venerabiles Patres,

Quoad cap. III schematis *de Ecclesia,* sapienti interventioni exc.mi D. Philbin, ep. Dunensis et Connorensis, plene assentio; et simul cum eo censeo schema conditionem ac vocationem humanam laicorum, ab Ecclesia sanctificandam, non satis considerare. Par. ergo 25 (de vita salutifera et apostolica laicorum) amplificatione indiget et *etiam* [1] eluci-

datione, maxime quod spectat ad linn. 7-22 pag. 10, quae meo saltem iudicio, ambiguitatibus scatent, et quas nunc particulari modo examini subicere vellem.

1. Verba evangelica citata: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo », mentem conducunt ad exspectandam declarationem de relationibus quae vigent inter Religionem et Statum, nam « Caesar » symbolum est civilis potestatis. Frustra tamen, in iis quae sequuntur, mentionem Status quis quaereret, cum de eo non agatur, sed de civitate terrena, seu de societate humana in tota sua latitudine. Iamvero societas humana multo latius patet quam Status, cum omnes sociales activitates hominum comprehendat, non tantum rem politicam stricte dictam, sed etiam rem domesticam, educationis, recreationis, remque oeconomicam ac culturalem. Vox « Status » ad rem solummodo et stricte politicam se refert, ad ea nempe quae ad societatis civilis regimen pertinent. Ideoque non recte Ecclesia Statui comparatur; sed recta locutio exigeret ut Ecclesiam comparemus toti societati terrenae, hierarchiam vero Statui. Etenim, hierarchia est ad Ecclesiam id quod Status est ad terrenam societatem.

2. In pag. 10, lin. 9, monentur fideles ut sedulo vitent « ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus » et, in lin. 11 eiusdem paginae, ut legitime adversentur « ex altera parte infaustae separationi earumdem vel immo oppositioni civitatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam... cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit ». Permixtionem vitare, separationi adversari. Iam audio fideles quaerentes. Quid hoc significare potest? Et sane videmur eis praecipere: faciatis sic dictam « omelette » quin tamen ova frangatis!

Melius igitur, meo *iudicio,*[2] textus ita erit exprimendus: « Edoceantur fideles ut, claram facientes distinctionem inter iura et officia quae eis incumbunt quatenus Ecclesiae aggregantur, et ea quae iis competunt ut sunt humanae societatis membra, haec omnia inter se harmonice consociare satagant, memores se in quavis re temporali christiana conscientia duci debere, cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit ».

Liceat mihi in elucidatione huius textus paulisper immorari. Ut enim eius sensus clare perspiciatur, accurate distinguendum est inter duplicem aspectum qui cuilibet humano actui in ordine temporali inest, aspectum nempe moralem, et aspectum qui pertinet ad proprium et immediatum actus obiectum, sive hoc sit indolis domesticae, sive oeconomicae, sive culturalis, sive politicae. Quod attinet ad primum aspectum, moralem scil., membrum christianum societatis temporalis semper et

ubique ut christianus agit, ut membrum Ecclesiae, lumine suffultus conscientiae ab Ecclesia formatae et Ecclesiae iudicio subditae. Quoad secundum aspectum (vocemus illum « technicum », cum verbum aptius desit), seu respectum ad proprium et immediatum obiectum actus in ordine temporali, membrum christianum societatis temporalis ut civitatis terrenae civis agit et hic aspectus eius actus Ecclesiae auctoritati non subicitur.

In ordine enim temporali non dantur actiones christiani quae mere temporales, mere « laicae » sint; omnes enim eius actiones christiana conscientia impelluntur, et per hunc christianae conscientiae impulsum efficitur illa mundi consecratio quae tam sublime elementum vocationis laicorum constituit...[3]

Vellem denique ut in eadem par. 25 fortibus et indubiis verbis haec sequentia proclamentur:

Ecclesia, quae christianam conscientiam in filiis et filiabus suis formare nititur, nihil melius cupit quam ut, ipsa conscientia duce, freti auxilio spirituali ipsius Ecclesiae, roborati fiducia quam Ecclesia in eis collocat, liberi et expediti ad opus suum in mundo properent. Et sane hoc opus non tantum arduum est et periculis plenum; multoties ita est obscuratum ut vix appareat ubi christiana obligatio iaceat. Equidem munus episcopi principia statuentis non raro facilius est quam munus laicorum ea applicantium. Quapropter maximam nostram merentur fiduciam, maximum quoque nostrum incitamentum, dum in mundum imprimere conantur quattuor illas humanas et christianas qualitates a beatae memoriae Papa Ioanne XXIII in Encyclica *Pacem in terris* laudatas: veritatem nempe et iustitiam, caritatem atque libertatem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sensu. [3] 3. Ex his ad tertium punctum transeo quod emendatione indiget. In linn. 17-19 affirmatur: « sicut enim merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addictae, *propriis regitur principiis...* ». Quid sibi volunt haec verba? Significantne terrenam civitatem ita propriis regi principiis ut a lege morali independens fiat? Nonne hoc in illum ipsum errorem inducit « infensi laicismi » et « saecularismi » verbis statim in schemate subiunctis reprobati?

Ut autem haec opportune emendentur, item apparet necessitas clare distinguendi inter principia moralia (quae sane pro catholico sunt principia ab Ecclesia proclamata) et principia quae applicantur ad proprium et immediatum obiectum activitatis temporalis in ordine domestico, oeconomico, culturali aut politico.

Moderator: Legatur tertia emendatio.

Secretarius generalis: Tertia emendatio: pag. 185, post lin. 21 (videatis pag. 32, n. 86 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 114*].

7

EXC.MUS P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et Auditores, carissimi Periti,

Me refero primo ad textum emendatum huius schematis,[1] art. 8, ...[2] pag. 7, vv. 3-4. *Versus non sunt numerati sed vv. 3 et 4.*[3]

Asseritur Sacram Synodum mysterium Ecclesiae *in tota sua amplitudine* ante oculos posuisse. Propono ut haec verba — quae nescio cur in textu emendato addita sunt — omittantur. Dubito enim utrum verum sit nos mysterium Ecclesiae in cap. I *in tota sua amplitudine* ante oculos revera posuisse, praesertim quia:

1. plura elementa originali textui cap. I nunc subtracta sint;
2. perdifficile *nobis*[4] in praesentibus sit structuram totius schematis perspicere, cum *a*) textus continuus capitulorum prae manibus nobis non sit et *b*) ex officio nobis dictum sit « in proposito id esse » ut schema *de B. Virgine Maria* huic constitutioni adiungeretur, quin tamen ullo modo sciamus utrum et quonam modo hoc propositum in actum deducetur.

Unum autem iam nunc profecto certum est, nempe quod mysterium Ecclesiae *in tota sua amplitudine* ante oculos eatenus non ponemus, quatenus data opera et sufficienti cum amplitudine non agemus de Ecclesia triumphante et de nostra cum ipsa unione, aut, uti alii praeferunt, de fine ultimo Ecclesiae.

Missa quaestione de loco opportuno in quo haec quaestio tractari possit, tamen, si praetendimus iam in initio cap. II nos mysterium Ecclesiae *in tota sua amplitudine* ante oculos posuisse, patet saltem principaliora fundamenta huius futurae expositionis iam in cap. I adumbrari debere.

Talis necessitas etiam in praesenti capitulo deprehenditur. Hoc enim capitulum inscribitur de populo Dei in genere; *et legamus in hoc textu emendato versum 5,*[5] legimus verba illa — verba nescio cur *addita* in hoc textu emendato — non agi hic nisi de populo Dei *in terra commorante.* Repeto me nescire cur haec verba a sapientioribus in commissione theologica addita sint praesenti textui emendato. Liceat mihi tamen suggerere ut verba haec omittantur. *Populus enim Dei* nec biblice nec theologice simpliciter cum Ecclesia in terra commorante identificari potest, sed e contra et quidem essentialiter Ecclesiam triumphantem amplecti-

tur. Iterum patet structuram huius schematis valde imperfectam remansuram esse, nisi aliquo modo agatur etiam de populo Dei in caelesti Ierusalem cum Christo regnante et una cum Christo cum Ecclesia terrestri coniuncto, seu — uti alii volunt — nisi de fine Ecclesiae ultimo ex professo tractetur. Tractatio talis ob rationes theologicas, pastorales, liturgicas et oecumenicas cum tractatu de B. Virgine Maria coniungenda est. *Has rationes vobis non infligam sed mittam secretariatui.*[6]

Sed ne putemus hanc exteriorem materiae divisionem totum problema resolvere: nam ad structuram Ecclesiae terrestris essentialiter pertinet, ideoque semper ante oculos habendum est quod scil. sumus *viatores,* ad definitivam unionem cum Christo glorioso, cum B. Virgine Maria et cum sanctis adspirantes, immo etiam cum Christo glorioso et in ipso cum B. Virgine Maria et sanctis arctissimo, licet imperfecto adhuc modo, coniuncti.

Locus hic est seriae expositionis huius articuli fidei: « Credo in communionem sanctorum »...[7]

Nunc[8] ad n. 26 textus originalis, pag. 10, versus 36 ss. Hic monemur ne Spiritum extinguamus, sed coepta, vota et desideria a fidelibus proposita attente consideremus. Dixerim tamen haec adhuc modo ampliore et pleniore dici debere. Iam hodiedum nos, episcopi, saepe numero potius administratores dioecesium esse cogimur, quam Patres ac pastores cleri et fidelium. Multa audivimus de decentralisatione supremae administrationis in Ecclesia, sed caveamus ne exhinc maioribus obligationibus administrativis nos ipsi premamur. Sapientia proinde praecise in hac situatione postulare videtur ut nosmetipsos moneamus, ne omnia quae in dioecesibus fiunt, a nostro iudicio dependentia faciamus, sed utrique clero et laicis illa decernenda potius relinquamus, quae ex indole sua interventum episcopi haudquaquam postulant, vel immo dissuadent.

In genere dixerim notionem *gubernii* ecclesiastici profundius adhuc et accuratius esse elaborandam. Nos omnes admittimus triplicem dari potestatem in hierarchia, potestatem nempe docendi, sanctificandi et regendi seu gubernandi. Sed, dum de duabus prioribus (*docendi et sanctificandi*[9]) potestatibus satis claras ideas habere videamur, de potestate gubernandi, e contra, potius dicendum videtur eius intimam naturam non iam satis perspectam esse, scil. inquantum est servitium et ministerium. Si hac in re maior claritas vigeret, nonne multae apparentes saltem confusiones et difficultates in praecedentibus quibusdam discussionibus evitari aut saltem abbreviari potuissent?

Pro exemplo huius confusionis sit: *n. 23,* pag. 6, vv. 20 et 21. Pastores dicuntur populo « inservire », populus vero dicitur pastoribus « oboedire ». Iamvero hi duo termini « inservire » et « oboedire » ne-

quaquam sunt correlativi vel contrarii, ita ut talis propositio nec iuridice nec theologice mutua iura et officia pastorum et laicorum describat.

Tandem [10] ad n. 24, pag. 8, vv. 10 et 11. Valde placet in schemate momentum caritatis in vita populi Dei emphatice sublineari. Attamen definitio descriptiva caritatis tautologica et inutilis est. Sic enim dicitur: « Caritatem, videlicet, qua proximos amamus ea dilectione qua Ipse prius dilexit nos... ». Terminus « caritas » ergo per terminos « amare » et « diligere » explicatur, qui tamen nihil clarificant sed potius idem per idem definiant: *quid est caritas? Caritas est amor. Quid est amor? Amor est dilectio. Quid est dilectio? Dilectio est caritas...* [11]

Quamvis haec ultima observatio, aliquibus forsan, mera nuga videri possit, in rerum veritate tamen manifeste revelat seriam deficientiam quae non solum hic sed in toto hoc schemate constanter recurrit.

Et alia, circa praesertim hanc notionem caritatis, quae iterum recurrit in cap. IV, secretariatui tradam. [12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad « Emendationes ». [2] (Introductio). [3] deest. [4] deest. [5] sed in v. 5. [6] deest. [7] Ad n. 23, pag. 6, v. 16: « inter omnes viget *aequalitas* quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus *communem* » tautologiam sapit, cum idem est dicere dari communem dignitatem et aequalitatem. Melius fortasse ita diceretur: « plura tamen fidelibus omnibus, cuiusvis sint status ac condicionis in Ecclesia, communia sunt, seu nullam diversitatem dignitatis admittunt ». Generatim plus placet expressio « varietas » quam « inaequalitas ». Ad n. 23, pag. 6, v. 31 et ss.: definitio status laicorum mihi videtur deficiens esse, cum valde parum positive clarificetur per assertionem laicos *ex parte sua* missionem totius populi christiani in mundo exercere, reliqua vero elementa exclusive negativa sint. Schema laborat evidenti difficultate statum laicorum definiendi et explicandi, cum eorum statum nimis ex comparatione cum statu clericali et statu perfectionis acquirendae comparet. Sanatio methodologica huius difficultatis tunc tantum obtineri poterit, si prius modo positivo de statu, obligationibus et iuribus omnium fidelium qua talium ageretur, et nonnisi postmodum de illis quae variis statibus sunt specifica. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] Etenim si pulchritudinem et ipsum immo mysterium Ecclesiae cum vera profunditate theologica exprimere et adaequate hominibus exhibere volumus, non sufficit profecto terminum tantum caritatis adducere et multiplicare. Requiritur e contra, ut momentum et functio virtutis infusae caritatis in Ecclesia, apta definitione vel descriptione theologica elaboretur et ergo caritas exhibeatur — sicut paucos ante dies hoc perpulchre expressit card. Bueno — uti *mutua communicatio* non tantum suorum bonorum, verum etiam sui ipsius inter amantem et amatum, uti communicatio seu participatio gratiosa in illa vita divina qua Pater et Filius in Spiritu uniuntur, et qua totum genus humanum in Verbo Incarnato, Capite mystici Corporis, quod est Ecclesia, ad se unire desiderant et de facto modo progressivo ac in caelo consummando ad se aduniunt illos qui huic vocationi ac invitationi correspondent mutua oblatione. Si talis definitio descriptiva theologica, quae in S. Scriptura et traditione Patrum apprime innititur, a principibus scholae

(S. Thoma, S. Bonaventura et Scoto) scholastice elaboratur, et a magnis doctoribus vitae spiritualis (S. Francisco Salesio, et S. Ignatio de Loyola) radicitus evolvitur, in schemate nostro elaboraretur et hominibus nostrorum temporum proponeretur, non solum hoc capitulum, sed totum hoc schema novam dimensionem theologicam et practicam acquireret, quibus, proh dolor, in hac re carere videtur.

Animadversiones additae:

Rationes aliquae quae suadent ut in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* data opera et fusius, de fine ultimo Ecclesiae et ergo de Ecclesia consummata deque nostris cum ipsa relationibus agatur.

Rationes theologicae. Iesus Christus sanguine suo acquisivit populum Dei. Quae acquisitio in Ecclesia terrestri incipit, in Ecclesia caelesti consummatur. Non autem duo sunt populi Dei, terrestris scilicet ac caelestis, sed unus tantum quamvis alia sit conditio viatorum et beatorum.

Unum est « regnum Dei » quod Ecclesiam tum peregrinantem tum triumphantem amplectitur, et unum est Corpus mysticum quod ex Ecclesia terrestri et Ecclesia caelesti constat et ex uno Capite Christo quam arctissimam unitatem haurit.

Quae unitas secundum claram doctrinam biblicam et theologicam nequaquam tamquam iuxtapositio vel externa additio concipienda est, sed tamquam viva et organica cohaesio quae lege intercommunicationis vitalis regitur.

Una est anima huius Corporis, Spiritus nempe Dei qui eamdem caritatem Dei et proximi in omnibus membris mystici Corporis diffundit, illam nempe caritatem seu vinculum mutuae unionis quod numquam evacuabitur sed in aeternum permanebit.

Una est adoratio qua tota Ecclesia, caelestis scilicet et terrestris, per Christum, cum Christo et in Christo Patrem in Spiritu adorat, illius unitatis memor qua novum genus humanum a Christo in unum collectum ac ad novam unitatem socialem elevatum Deum in Spiritu et veritate colit.

Qui unus cultus Dei non tamen illa qua potest ac decet plenitudine sociali gaudet si Ecclesia terrestris conscio et explicito modo non se adsociet orationi Ecclesiae triumphantis et unitatem ontologice iam existentem secundum leges omnis socialis contactus humani evolvat.

Tales autem contactus ex utraque parte procedunt: ab una enim parte caelites non solum exemplum ac incitamentum illis sunt qui in hac terra a Domino adhuc peregrinantur, sed etiam et praesertim tamquam prae-eminentia mystici Corporis membra totam compaginem in sanitate ac sanctitate nonnihil confirmant consolidantque. Insuper autem, praeeunte B. Maria Virgine, orationibus suis nos sufful ciunt ac intercessione sua efficiunt ut fructus redemptionis Christi efficacius ac copiosius nobis applicentur.

Ab altera autem parte Ecclesia terrestris in caelestibus membris Ecclesiae efficaciam gratiae Christi modo utut concreto contemplatur, Christi praesentiam in illis admiratur ac spe futurae vitae in caelesti illa Ierusalem, cuius lux est Agnus, ardentius inflammatur. Quo fit ut sicut iam viatores aliorum viatorum preces sollicitant ita etiam et immo magis ad caelestium orationes auxiliumque confugiunt, illos amant et venerantur.

Ex quibus omnibus patet nos nec structuram nec vitam concretam Ecclesiae dogmatice et pastoraliter in tota sua amplitudine describere posse nisi de fine

ultimo Ecclesiae seu de Ecclesia caelesti ac de nostris cum illa relationibus fusius ac data opera in constitutione *de Ecclesia* agamus.

Ratio oecumenica. Quamvis plura elementa huius doctrinae et praxis nobis cum fratribus separatis sint communia, neminem tamen fugere potest in aliis elementis illos, proh dolor, nonnihil adhuc a nobis separari. Si autem doctrina et praxis nostra rite explicatur non solum spes est multa praeiudicia e medio ablatum iri, sed etiam omnia rectiore in luce intelligi posse. Etenim iusti — tum illi qui in terra reapse membra plena Ecclesiae fuerunt, tum illi qui bona fide modo minus perfecto ipsi fuerunt unita — in caelesti Ierusalem identico vinculo unitatis cum Christo et invicem adunientur. Ea ergo quae homines bonae fidei in terris separant, in caelo evacuabuntur, ita ut tandem fiat grex unus, unus populus, unum regnum, unum Corpus.

Quae veritas quam maximum solacium sed insimul incitamentum optimo sensu oecumenicum affert. Immo supra hoc fundamentum conceptio theologica solide in Sacris Litteris fundata proponi potest etiam quod ad homines a-cristianos attinet. Qui enim bona fide nonnisi in Ens Supremum, bonorum remuneratorem crediderint — quocumque nomine id designent: Theos, Deus, Yahwe, God, Gott, Dio, Dieu, Bóg, Boh, Lesa, Mulungu, immo etiam Allah — omnes tamen tandem aliquando in caelis nobiscum Agnum adorabunt et Illum cuius nomen est supra omne nomen et cui omne genus flectatur oportet caelestium, terrestrium ac infernorum.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Venerabiles Patres, Fratres omnes,

Aliquid paravi circa sensum fidei in Ecclesia, sed haec omnia trado secretariae generali et vestram attentionem occupare audeo, indicans aliquid aliud, mea quidem opinione, vere necessarium quod in schemate deesse videtur et ad structuram ideologicam totius cap. III refertur.[1]

Cap. III de laicis maximi momenti est, cum Concilium huius doctrinae explanatione intendat edocere laicos quaenam sit eorum conditio seu locus in Ecclesia, et quaenam ipsorum missio, ut laici certiores et magis conscii fiant vocationis qua insigniuntur, *ut*[2] collaboratores apostolatus hierarchici, ad Evangelium nuntiandum et viam salutis parandam omnibus hominibus...[3]

Hoc caput de laicis recte exarari non potest, nisi prae oculis habeatur schema *de apostolatu laicorum,* cum alterum alteri respondeat, et in schemate *de apostolatu laicorum* praesupponuntur fundamenta apostolatus, quae in capite de laicis locum habere debent ...[4]. Attamen neque in capite de laicis neque in schemate *de apostolatu laicorum* invenitur aliquid quod vere necessarium et fundamentale esset: i. e. notio *verae*[5]

vitae christianae in suis propriis et essentialibus delineamentis, et *praesertim* [6] intima connexio vitae christianae seu supernaturalis cum efficacitate et fecunditate apostolatus. Sed has notiones fundamentales omittere non licet, ut Concilium doctrinam completam et solidam praebeat, qua laici re vera fiant fermentum vitale hodiernae societatis, lux mundi et sal terrae.

Cap. III de laicis, post tractationem de aequalitate et inaequalitate membrorum in Ecclesia et de sacerdotio universali, immediate transitum facit ad actionem apostolicam laicorum pertractandam, et solummodo per transennam vitam salutiferam modo vago nominat; sed haec vita salutifera, i. e., vita supernaturalis seu interior, est anima et fundamentum totius apostolatus, sine quo nec concipi quidem potest verus apostolatus christianus, et multo minus eis fecunditas et efficacitas ad salutem hominis procurandam et hodiernam societatem Evangelii doctrina vivificandam.

Similiter in schemate *de apostolatu laicorum* certo agnoscitur apostolatus tamquam testimonium et manifestatio caritatis; sed haec obiter dicuntur, velut doctrina parvi momenti; immo haec affirmatio obscuratur verbis sequentibus, in quibus ponuntur rectitudo moralis, idoneitas professionalis, et procuratio conditionum favorabilium ad vitam ducendam, quasi elementa primaria et fundamenta actionis, qua laici fierent, *ut dicitur in schemate,*[7] « centrum radiationis spiritualis » ...[8]. Haec quidem sunt necessaria et laudanda, sed verum fundamentum et principium certum apostolatus est vita supernaturalis in gratia et caritate fundata.

Forsan arguetur ...[9] quod de his opportunius dicetur in cap. IV, cum de universali vocatione ad sanctitatem sermo fiet. Sed, mea humili sententia, non sufficit.

Si in hoc cap. III de laicis non additur paragraphus in qua lucide, clare, fideles edoceantur quaenam sit essentia et notio *verae* [10] vitae christianae et *praesertim* [11] eius intima connexio cum apostolatu, tamquam anima et fundamentum vitale omnis actionis vere apostolicae, tunc apostolatus christianus oculis fidelium appareret quasi simplex activitas exterior (« activismus »), ut agitatio externa operum et idearum, ut actio « propagandistica », *quae dicitur* [12]; sic efficacitas apostolatus laicalis infirmaretur, et ingravescerent mala « *burocratiae* [13] », ut ita dicam, quae saepe saepius vituperamus in operibus et consociationibus apostolicis. Sic tandem nostri laici repetere et suum facere possent lamentum illud apostolorum: « Per totam noctem laborantes, nihil cepimus ».

Votum ergo sic humiliter propono:

1. In pag. 8, linn. 37 ss., antequam tractetur de apostolatu laico-

rum, cum debita amplitudine, explanetur necessitas sanctitatis et eius essentia, tamquam forma et finis (in hac terra) vitae christianae, et tamquam fundamentum necessarium veri apostolatus christiani, ex quo fecunditas bonorum fructuum spectari possit.

2. Exponatur intima connexio inter vitam sanctam fidelium et fecunditatem apostolatus eorum, ita ut, si sanctitas non detur, clare appareat apostolatum esse aliquid mortuum, tamquam corpus sine anima, tamquam structura sine fundamento...[14] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quasi. [3] ita ut Ecclesia, ope omnium fidelium, etiam laicorum, infundat « virtutem perennem, vitalem divinamque Evangelii in venas eius, quae hodie est, humanae communitatis », uti optabat Ss.mus Pontifex Ioannes XXIII (const. ap. *Humanae salutis,* 25 dec. 1961: *AAS,* 54, 1962, p. 6). [4] Sic interpretanda sunt verba, in quibus ex professo affirmatur in schemate *de apostolatu laicorum* explanationem doctrinae et principiorum pastoralium conficiendam esse « iuxta tractationem de laicis eorumque apostolatum iam habitam in constitutione dogmatica *de Ecclesia* » (cf. schema decreti *de apostolatu laicorum,* prooemium generale, n. 1, linn. 10-11). [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] (cf. schema *de apostolatu laicorum* pag. 8, linn. 19-23; et pag. 9, linn. 1-5). [9] contra me. [10] deest. [11] deest. [12] (quam hodie vocant). [13] « burocratizationis ». [14] 3. Item humiliter petere audeo ut recognoscatur ordo logicus idearum et modus pedagogicus in earundem expositione, ut cap. III efficacius inserviat ad efformandam conscientiam laicorum.

Animadversiones additae:

Pag. 8, linn. 13-23, de sensu fidei.

1. Omnes qui per longa tempora ad laicorum apostolatum promovendum, eorumque opera et consociationes dirigendas adlaboravimus, magno cum gaudio animum convertimus in hanc memorabilem diem qua Concilium Oecumenicum, agens de Ecclesia, capitulum speciale dicat laicis, ad considerandam eorum conditionem et missionem in Ecclesia.

Sic laicorum missioni seu actioni in Ecclesia dabitur illa fundamentatio theologica, qua omnis disciplina canonica seu iuridica fulcitur. Valde necessarium erat hanc fundamentationem exponere, quam nostris temporibus exigebant, afflatus Spiritu Sancti qui laicorum actionem promovit, et documenta pontificia quibus laici alacriter impulsi sunt, et necessitas ipsorum fidelium qui se Ecclesiam esse sciebant et hoc animo ducti operabantur (ut membra viva, activa et efficacia Corporis mystici Christi), et tandem id postulabant angustiae nostrae aetatis, quae ad paganam vivendi formam compellitur ab inundante progressu technico et scientifico.

2. Cap. III de laicis optime respondet directioni et afflatui Spiritus Sancti, et optatis laicorum et hodiernis necessitatibus. Nostrum ergo est huius capitis textum perpolire et ad unguem perficere.

Hac intentione motus quasdam considerationes et aliqua perficienda humiliter proponam, et in nova textus redactione commissioni conciliari offeram.

Loquor de textu, qui in pag. 8, linn. 13-23 continetur et in quo agitur de *sensu fidei* in Ecclesia.

Textus quodammodo complet et perficit ea quae in schemate I *de fontibus revelationis* dicebantur (cap. I, n. 4: « Quare quae divina traditio ratione sui continet, non ex libris, sed ex vivo in Ecclesiae praeconio, fidelium fide et Ecclesiae praxi hauriuntur »), et similiter ea quae in novo schemate de divina Revelatione dicuntur (cap. I, de verbo Dei revelato, n. 10: « sensu quoque fidelium subordinate concurrente »).

Textus tamen non feliciter redactus est et quamdam obscuritatem affert, quae falsis interpretationibus locum dare posset.

3. Laudandum sane est quod in capite speciali de laicis duae paragraphi agant *de sensu fidei.* Hoc praeclaro signo satis demonstratur quanti fit munus laicorum in Ecclesia et quanti habeatur eorum collaboratio in apostolatu. Quasi diceretur quod laici non tantum possunt esse quasi longa manus sacrae hierarchiae in apostolatu, sed etiam quod munus praestantissimum agunt in Ecclesia quasi custodes depositi fidei.

De his omnibus valde gavisus sum, cum multa, uti credo, auspicari liceat et spectare a laicis collaborantibus, quibus munus maximi momenti concreditum est in *consecratione mundi* i. e., in opere instaurandi omnia in Christo.

4. Sed gaudium quod mihi afferebat lectio et meditatio huius capitis (quod totum versatur in praedicanda dignitate et missione laicorum et in exhortatione ad opus apostolicum adimplendum, iuxta proprium statum), non impedivit me in memoriam revocare et iterum perlegere paternas exhortationes et documenta sapienter a Pio XII prolata, in quibus una cum praecipuis argumentis de magisterio, de sacerdotio et de regimine Ecclesiae, egit de iuribus et muneribus laicorum (cf. Encycl. *Mystici Corporis, Humani generis,* et allocutiones ad episcopatum 31 maii et 2 nov. 1954).

5. Quibus prae oculis habitis, humiliter postulo ut in linn. 13-23 cap. III omittatur verbum *consensus,* quod aliquem sensum non rectum nec orthodoxum inducere, saltem remote, posset (cf. Denz. 768, 1325, 1839).

Item omittantur vel de novo redigantur incisa quae textum obscurant.

Textus sic redigatur ut clarissime appareat quod *sensus fidei*

a) verbo Dei et scripto et tradito, sub assistentia Spiritus Sancti, inhaeret;

b) et a Magisterio Ecclesiae, sive ordinario sive extraordinario, ducitur et sustentatur.

6. Nova ergo textus redactio, quam humiliter propono, haec est:

« Ecclesia tota, quae in credendo indefectibilis est, hanc suam peculiarem proprietatem etiam in supernaturali sensu fidei universi populi christiani manifestat. Hic sensus fidei, a Spiritu Veritatis excitatus, verbo Dei scripto et tradito, sub eius assistentia, inhaeret et a Magisterio Ecclesiae (sive ordinario sive extraordinario), ducitur et sustentatur; cui etiam adiuvat veritates in deposito Revelationis quandoque praesentiendo, eas semper iam a Magisterio propositas profitendo, non unquam illas profundius perspiciendo et in vita fidelius applicando ».

Secretarius generalis: Communicantur exitus duarum suffragationum.

Attendatis, venerabiles Patres: initio huius congregationis generalis, Patres erant 2.204.

Emendatio I:

Praesentes votantes	2.165
Dixerunt *placet*	2.153
non placet	8
placet iuxta modum	2
Vota nulla	2

Ergo placuit haec emendatio.

Emendatio II:

Praesentes votantes	2.022
Dixerunt *placet*	2.009
non placet	12
Votum nullum	1

Etiam haec emendatio placuit.
Exitus tertiae suffragationis crastina dabitur.

Moderator: Congregatio proxima erit feria tertia, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LIII

22 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LIII

22 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc quinquagesimam tertiam congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Communico Patribus exitum ultimae suffragationis heri peractae, nempe III emendationis:

Praesentes votantes	2.141
Dixerunt *placet*	2.130
non placet	9
Vota nulla	2

Ergo placuit emendatio.

Hodie prosequentur, durante disceptatione circa schema *de Ecclesia,* suffragationes circa emendationes de cap. IV schematis *de sacra Liturgia,* nempe de Officio divino.

Durante hac congregatione distribuentur etiam emendationes circa cap. V schematis *de sacra Liturgia,* et suffragatio circa has emendationes incipiet feria V proxima: nempe hodie et crastina fiet suffragatio super emendationes de cap. IV; feria V et VI, suffragatio de cap. V.

Etiam hodie secretaria generalis, cum permissione em.mi praesidis, distribuet Patribus libellum, confectum a Commissione Permanenti Conventuum Internationalium Apostolatui Laicorum provehendo (COPECIAL), cui titulus *De laicorum apostolatu organizato hodie toto in orbe terrarum diffuso*. Est libellus bene riteque confectus, in quo prostant omnes formae organizatae apostolatus laicorum in hoc mundo. Ex hoc libello mire patet quot optimis modis laici possunt apostolatum suum exercere et ministros Christi, nempe episcopos et sacerdotes, adiuvare, in fine vitae aeternae consequendo.

Ut videtis, venerabiles Patres, hodie fient, una cum schedula praesentiae, octo distributiones. Cogitetis laborem assignatorum locorum. Ergo parcatis si praesertim his diebus secretaria generalis coacta est respondere negative ad eos qui petunt ut circulares distribuantur, etiam

si circulares proveniunt ab organis publicis. Non semper hoc est facile. Aliqui Patres questi sunt quod in aliquo sectore non pervenirent vel non pervenerint aliquae distributiones. Sed ego rogo omnes vos, venerabiles Patres, ut omnes vos nos adiuvetis, quia labor assignatorum locorum, praesertim in his rebus, est valde arduus et defatigans. Gratias.

Nunc lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa cap. III schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis in Argentina, Leo-Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; exc.mi DD. Henricus Trindade, arch. Botucatuensis in Brasilia, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia, Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, Iulius Daem, ep. Antverpiensis in Belgio, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico, Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia, Vincentius Enrique, ep. Celsonensis in Hispania, Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D., Marius Maziers, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Marcus McGrath, ep. aux. Panamensis in Panama, Iacobus Ménager, ep. Meldensis in Gallia, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano, Alfonsus Uribe, ep. aux. Carthaginensis in Columbia, Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chilia, Ioannes Healy, ep. Gibraltariensis in Gibraltaria, Ioannes Przyklenk, ep. Ianuariensis in Brasilia, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Raphaël Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania, Villelmus Van Zuylen, ep. Leodiensis in Belgio, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph da Silva, ep. tit. Thiavensis, Ioseph Arnerić, ep. Sibenicensis in Iugoslavia, Emmanuel Conde, ep. Cordubensis in Hispania, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Moderator: Legatur nunc alia emendatio *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis: Videatis pag. 6 fasciculi, ad art. 68, emendatio 4: pag. 186, linn. 8-10 (videatis pag. 33, n. 89 *c*) huius fasciculi) ... [*cf. pag. 114*].

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. CAGGIANO
Archiepiscopus Bonaërensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres conciliares, carissimi Fratres Observatores et Auditores,

Nova ordinatio capitum schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia*, ab em.mo D. card. Suenens proposita, placet ac proinde ipsi adhaereo. Tamen titulus cap. IV: *de laicis in specie* magis placeret si ita mutaretur: *de laicis in Ecclesia Christi,* sicuti bene expressit exc.mus Pater conciliaris D. Ludovicus Carli, ep. Signinus. Ratio est quia non solum vita christiana laicorum sed etiam ipsa eorum activitas apostolica semper eminenter socialis est in unitate mystici Corporis Christi quod est Ecclesia.

Multa bene et pulchre in capitibus de Ecclesia, de populo Dei et de laicis dicta sunt quae non repetam. Observationes tamen aliquas liceat mihi proponere.

Et quidem, in primis, relate ad « regale sacerdotium ».

Ad vitandam confusionem, plus quam conveniens videtur clare exponendum esse discrimen inter sacerdotium omnium fidelium — quod improprie vocatur universale — et sacerdotium hierarchicum.

Etenim sacerdotium universale utrumque complectitur, *scil. sacerdotium omnium fidelium et sacerdotium hierarchicum.*[1] Ac proinde minus recte eorum discrimen exprimeretur si sermo fieret de « sacerdotio universali » pro fidelibus, et de « ministeriali » pro sacerdotibus Ordinis sacramento consecratis. Exc.mus Pater conciliaris D. Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, discrimen significare proposuit his verbis: « sacerdotio *spirituali* » pro primis, et « sacerdotio *sacramentali* » pro secundis.

Exc.mus, vero, Pater conciliaris D. Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania, de sacerdotio « improprio » fidelium locutus est.

Ambo, certe, discriminandi necessitatem bene perceperunt et, propositionibus suis, lucem novam indiderunt. Tamen, adhuc locus datur novae propositioni quae rectius fortasse discrimen hoc acclarare potest.

« Regale sacerdotium », de quo Petrus in prima epistola, cap. II, vers. 9, loquitur, est regale sacerdotium populi Dei, « universale » quidem, de quo scil., omnia membra Corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, participant, quod quidem est vere et proprium sacerdotium quo summum et aeternum sacerdotium ipse Christus Iesus, per parti-

cipationem, in terris perpetuare instituit. Tamen, cum sacerdotium fidelium a « ministeriali » certo distinguatur, rectius — *saltem mihi videtur* [2] — « sacerdotium *inchoativum* » diceretur relate ad « ministeriale », cum ambo eiusdem sacerdotii Christi Iesu distincti modi participationis sint. Inchoatur quidem *sacerdotium* [3] baptismate, in omnibus fidelibus; deinde Ordinis sacramento perficitur in sacerdotio « ministeriali » presbyterorum; et ad plenitudinem denique evehitur, consecratione sacramentali episcoporum.

Secundo autem, relate ad apostolatum laicorum notare vellem:

1. Patet, sine dubio, hoc problema esse maximi momenti pro Ecclesia Dei in Evangelii diffusione toto orbe terrarum.

2. Nostrum Concilium, inter alias res graves, hanc certe gravissimam solvendam habet; nempe: populum Dei, non solum de iure sed etiam de obligatione apostolatus conscium reddere, ita ut « pastores qui instituti non sunt ut totum onus sanctificandi Corporis in se suscipiant, fideles ita pascant ac regant, ut cuncti suo modo ad commune opus explendum cooperentur », sicuti in introductione novi cap. IV de laicis in specie optime scriptum est.

3. Si missio evangelizandi mundum, recte et intelligatur et agatur a cuncto populo Dei, ab integro Corpore Christi mystico, i. e.: tum a pastoribus tum a laicis omnibus in unitate Ecclesiae, facies universae terrae certe immutabitur rapidius quam cogitari possit.

Totum Corpus Christi mysticum, nullo membro excluso, ex natura sua, eminenter missionarium est, cuius missio essentialis est diffundere Evangelium in universo mundo; unusquisque secundum dona a Deo accepta et saltem oratione, exemplo et testimonio suae vitae et laboris, si verbo fidem diffundere et defendere possibile non esset.

Igitur prima res est, et quidem urgens et gravis, ita laicos in Ecclesia docere, informare et instituere ut apti reddantur fide illustrata et ardenti caritate ad apostolatum exercendum diversis modis et formis, quibus rerum circumstantiae in nostro mundo hodierno exigunt.

Diffusio enim et defensio regni Dei pendet a vigore vitae supernaturalis totius populi Dei.

Affirmandum igitur est, laicorum apostolatum esse de essentia vitae christianae et complere apostolatum hierarchicum, cum ambo necessarii sint ad expansionem totius Ecclesiae *Christi*.[4]

Exc.mus Pater conciliaris Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus, proposuit « ut fusiori ratione exponatur fundamentum theologicum sacramenti confirmationis, cum sit sacramentum maturitatis vitae christianae » et « indicetur etiam fundamentum historicum apostolatus laicorum ».

Ad rem quod attinet, in hoc casu sufficeret exponere fundamentum

theologicum, quod quidem adest et est ontologicum in ordine supernaturali.

Hoc tamen fundamentum datur in schemate, cum de Ecclesia ut mystico Corpore Christi, in cap. I de Ecclesiae mysterio, n. 5, pag. 9, eius doctrina exponitur; etiam cum de sacerdotio universali, necnon de sensu fidei et charismatibus christifidelium exponit « indolem sacram et organice exstructam communitatis sacerdotalis in sacramentis inniti et per ea ad actum deduci », sicut videri potest in pag. 7, linn. 22-40.

Tamen quomodo connexa videri possunt haec fundamenta theologica cum apostolatu laicorum novi cap. IV, cum de Corpore mystico agatur in prima parte *de Ecclesia,* pag. 9; et de sacramentis baptismatis et confirmationis in secunda parte, pag. 7?

Propterea cum res maximi momenti sit, saltem fundamentum theologicum innuere, cum in concreto de apostolatu laicorum agitur, necessarium videtur.

Multa tamen alia quae cum apostolatu laicorum evidenter connexa sunt et determinanda quidem erunt ut recte procedatur, non tamen in hoc capite includi necesse est, cum *revera* [5] exstet schema *proprium,*[6] decimum, *de apostolatu laicorum,* in quo concrete de eius natura, de finalitate et de modis ipsum exercendi agetur. Conveniens, igitur, videtur ad cap. X remittere tractandas quaestiones a Patribus propositas circa notas constitutivas et organizativas apostolatus laicorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

2

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Fratres,

In n. 24 ...[1] pauca dicuntur de charismatibus christifidelium, quae pauca impressionem possent *dare* [2] ac si tractaretur hic tantummodo de aliquo phaenomeno peripherico et accidentali ...[3]. Iamvero oportet *ut iste aspectus clarius, et proinde fusius, exponatur.*[4]

Omnino vitandum est ne structura hierarchica Ecclesiae appareat ut apparatus administrativus sine intima connexione cum donis charismaticis Spiritus Sancti in *ipsa Ecclesia.*[5] Encyclica *Mystici Corporis* hac de re profundius loquitur quam schema nostrum.

...[6] Tempus Ecclesiae quae peregrinatur ...[7] usque ad parousiam Do-

mini tempus est *Spiritus Sancti.* Per Spiritum Sanctum nempe Christus ...[8] populum Dei ...[9], eius debilitatibus ac peccatis non obstantibus, *de quibus optime heri cardinalis Meyer,*[10] *Ecclesiam, populum* vivificat atque in omnem veritatem inducit ...[12]. Ecclesia igitur vocatur habitaculum Dei in Spiritu...[13]

Hinc Spiritus Sanctus datus est non pastoribus tantum, sed *omnibus* omnino christianis: « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitet in vobis? », dicit Paulus ...[14]. Omnes christiani in baptismo ...[15] recipiunt Spiritum Sanctum ...[16]. Ecclesia tota igitur essentialiter est realitas vere *pneumatica,* superaedificata non tantum super fundamentum apostolorum sed ...[17] et prophetarum. In Ecclesia Novi Testamenti Deus « dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas »...[18]

Spiritus Sanctus sese manifestat in Ecclesia in multitudine et plenitudine donorum suorum spiritualium quae vocantur in Scriptura pneumatica ...[19] aut charismata ...[20]. Certe, tempore S. Pauli, charismata etiam valde extraordinaria ac mira, sicut « glossolalia extatica » ...[21] aut charisma sanitatum ...[22] in Ecclesia manifestabantur. Sed ne cogitetur charismata Spiritus exclusive aut praesertim in istis phaenomenis potius extraordinariis et miris consistere.

Iam Paulus loquitur, e. g., de charismate sermonis sapientiae ac scientiae ...[23], de charismate fidei ...[24], de charismate docendi ...[25], exhortandi seu consolandi ...[26], atque ministrandi ...[27], de charismate discretionis spirituum ...[28], de charismate opitulationum et gubernationum ...[29], etc. etc.

Ita S. Paulo Ecclesia Christi viventis non apparet tamquam aliqua organizatio administrativa, sed ut vivens complexus donorum, charismatum, ministrationum. Omnibus et singulis christianis datus est Spiritus, qui omnibus et singulis dat sua dona, sua charismata, « secundum gratiam quae data est nobis, differentia »...[30]

Audiamus *Paulum dicentem*[31]: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores... Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores? »...[32]

Schema de Ecclesia quod loqueretur tantum de apostolis eorumque successoribus nec loqueretur etiam de prophetis et doctoribus deficeret in re *gravi.*[33]

...[34] Qualis esset Ecclesia nostra sine charismate doctorum seu theologorum? Et qualis esset Ecclesia nostra sine charismate prophetarum seu hominum ex inspiratione Spiritus loquentium, qui instantes « opportune importune » ...[35] Ecclesiam aliquando dormientem excitabant, ne Evangelium Christi in praxi negligeretur?

Ecclesia non tantum *temporis*[36] S. Thomae vel S. Francisci ...[37] indi-

get charismatibus doctorum et prophetarum et aliarum ministrationum, sed *etiam* [38] et hodie et quidem in vita sua quotidiana et ordinaria... [39]

Certe charismata in Ecclesia sine ministerio pastorum essent inordinata, sed *e contra* [40] ministerium ecclesiasticum sine charismatibus esset pauper et sterile.

... [41] *Pastorum* ...[42] est charismata Spiritus in *Ecclesia* [43] detegere, promovere et augere.

Pastorum ...[44] est laicos qui omnes *eorum donorum ac charismatum gaudent* [45] et saepe saepius maiorem experientiam *spiritualem in mundo hodierno* [46] habent, diligenter et aperto corde audire et cum eis dialogum vivum iterum atque iterum inire.

Pastorum est denique et ipsi charismata meliora aemulari...[47] Sane, pastoribus reverentia ac oboedientia debetur ab omnibus fidelibus, *etiam maximis donis praeditis.*[48] Sed viceversa charismatibus et impulsibus Spiritus Sancti, qui saepe saepius per christianos laicos nec in dignitate positos spirat, pariter reverentia debetur. Unde Paulus omnes christianos necnon pastores admonet: « Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete »...[49]

Concludendo: *in ordine theologico,* propono ut caput de populo Dei, secundum ea quae dicta sunt, *amelioretur* [50]:

1. Simul cum structura ministeriali, *eruatur in toto capitulo structura charismatica Ecclesiae, sensu lato sumendo vocem structurae.*[51]

2. Momentum charismaticum in populo Dei fusius et magis concrete extollatur.

3. Speciatim momentum prophetarum ac doctorum in Ecclesia consideretur.

4. Habitudo pastorum ad charismata fidelium modo magis positivo et constructivo describatur.

5. Ne oblivioni detur doctrina S. Pauli de libertate filiorum Dei in Ecclesia.

Concludendo: *in ordine practico,* concludo his votis: ut appareat etiam in Concilio, et oculis omnium, *fidem nostram in charismatibus Spiritus Sancti in* [52] christifidelibus:

1. Augeatur numerus et universalitas auditorum laicorum.

2. Invitentur ut auditores etiam *mulieres* quae, ni fallor, dimidiam partem humanitatis constituunt.

3. Invitentur tandem fratres et sorores *magnarum Congregationum* [53] quia et ipsi et ipsae pertinent ad *Ecclesiam Dei,*[54] Spiritum Sanctum acceperunt et Ecclesiam inserviunt *tam generose* [56] ut pars electa gregis Domini. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] cap. III schematis. [2] suggerere. [3] in vita Ecclesiae. [4] momentum vitale horum charismatum pro aedificatione Corporis mystici clarius, ac proinde fusius, exponere. [5] tota Ecclesia diffusis. [6] Charismata pro omnibus christianis. [7] per saecula. [8] glorificatus. [9] eschatologicum. [10] deest. [11] coadunat, purificat. [12] Spiritus Sanctus ita est primitiae (*Rom.* 8, 23), est pignus Ecclesiae (*2 Cor.* 1, 22; 5, 5) in hoc mundo. [13] (*Eph.* 2, 22). [14] (*1 Cor.* 3, 16). [15] fidei sacramento. [16] Omnes christiani « lapides vivi » sunt aedificandi in « domum spiritualem »: oikos pneumatikos (*1 Petr.* 2, 5). [17] ut dicitur *Eph.* 2, 20. [18] alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores... » (*Eph.* 4, 11; cf. 3, 5). [19] (*1 Cor.* 12, 1; 14, 1). [20] (*Rom.* 12, 6; *1 Cor.* 12, 4. 9. 28. 30 s.; *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6; *1 Petr.* 4, 10). [21] (*1 Cor.* 12, 10. 28. 30; 14, 18. 26; *Act.* 19, 6). [22] (*1 Cor.* 12, 9. 28. 30; cf. *1 Cor.* 12, 10; 12, 28 s.; *Gal.* 3, 5). [23] (*1 Cor.* 12, 8). [24] (*1 Cor.* 12, 9). [25] (*Rom.* 12, 7; *1 Cor.* 12, 28 s.; 14, 26). [26] (*Rom.* 12, 8). [27] (*Rom.* 12, 7). [28] (*1 Cor.* 12, 10). [29] (*1 Cor.* 12, 28). [30] (*Rom.* 12, 6). « Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem » (*1 Cor.* 12, 7), i. e. « ad aedificationem Ecclesiae » (*1 Cor.* 14, 12). Unusquisque christianus sive litteratus sive illitteratus in vita sua quotidiana suum charisma habet, sed — uti dicit S. Paulus — « omnia ad aedificationem Ecclesiae fiant » (*1 Cor.* 14, 26; cf. 14, 3-5). [31] iterum apostolum affirmantem. [32] (*1 Cor.* 12, 28 s.). [33] gravis momenti. [34] Charismata in Ecclesia hodie. [35] (*2 Tim.* 4, 2). [36] saeculis praeteritis, non tantum tempore. [37] Assisiensis. [38] deest. [39] Relinquamus enim illa « charismata clariora » et veniamus ad ista « charismata simpliciora » ad quae alludit schema *de Ecclesia.* Nonne cognoscimus omnes, singuli pro uniuscuiusque dioecesi, laicos viros vel feminas, qui vere a Domino quasi vocantur et charismatibus variis a Spiritu donantur, in re catechetica, in opere evangelizationis, in campo actionis catholicae cuiuscumque formae, in actione sociali et caritativa? Nonne ex experientia quotidiana scimus et perspicimus actionem Spiritus Sancti non esse extinctam in Ecclesia? [40] vice versa. [41] Officium pastorum quoad charismata. [42] sive Ecclesiarum localium et particularium, sive Ecclesiae universalis. [43] Ecclesiis instinctu quodam spirituali. [44] Ecclesiae. [45] ac singuli suis donis ac charismatibus ditantur. [46] in vita mundi hodierni. [47] (*1 Cor.* 12, 31). [48] ab illis etiam qui maximis donis instruuntur. [49] (*1 Thess.* 5, 19-21). Ille complexus donorum, charismatum ac ministrationum nequit in aedificationem Ecclesiae actuari et inservire, nisi in libertate filiorum Dei quae, ad exemplum S. Pauli, ab omnibus pastoribus tuenda atque promovenda est. [50] perficiatur. [51] elaboretur in toto capite « dimensio » charismatica Ecclesiae. [52] fides nostra in charismatibus datis a Spiritu Sancto omnibus. [53] fratres et sorores religiosi. [54] populum Dei. [55] deest.

Moderator: Legatur nunc emendatio circa caput *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio V: pag. 186, post lin. 10 (conferatis pag. 33, n. 89 *d*) huius fasciculi) ... [*cf. pag. 115*].

3

Exc.mus P. D. HENRICUS HECTOR GOLLAND TRINDADE
Archiepiscopus Botucatuensis

Minimus omnium, audeo, in hac magnifica aula conciliari, duo verba facere, humiliter, coram vobis, venerabiles Patres, auditores et observatores carissimi — sed firmiter, magno cum animo, quia haec verba faciam etiam coram Deo, cui nos, omnes, de hac permagna gratia, quae est Concilium Oecumenicum Vaticanum II, pastorale definitum vel *pastorale* [1] nominatum, tempus opportunissimum ad faciem Ecclesiae renovandam, sicut dixerunt Ioannes XXIII et, nuper, Paulus VI, pontifices maximi, secundum cor Christi — nos omnes rationem reddituri sumus.

Primum verbum est de « introductione » ad cap. III, de Ecclesia, ubi legitur (pag. 5, lin. 8): « Pastores scil. instituti sunt, non ut totum onus aedificandi mystici Christi Corporis in se suscipiant ». Haec enuntiatio mihi minus bene sonat, quia in forma negativa, et quia false interpretari posset, tamquam si pastores (qui sunt etiam legislatores) partem oneris sui super laicorum humeros reponere vellent, ad seipsos liberandos, quod Deus avertat. Nos, enim, pastores, vere instituti sumus ut totum onus aedificandi mystici Christi Corporis in nobis suscipiamus — pastoribus enim, non laicis, dictum est: « Ite, praedicate Evangelium omni creaturae... » ...[2]. Nobis, non laicis, dictum est a Domino, sacerdote et victima: « Hoc facite in meam commemorationem... » ...[3]. Propterea tamquam nobis dicta, libenter legimus verba Pauli: « Qui altari deserviunt, cum altari participant... qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant... » ...[4]. Et praesertim, non de laicis, sed tantum de pastoribus sunt verba Isaiae prophetae, sanctificata a Summo Sacerdote Christo Iesu, qui de se ipso affirmare potuit: « Ego sum Pastor bonus », *et verba sunt haec* [5]: « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus » (de quibus — proh dolor — vix loquitur hoc schema *quod « de populo Dei » nominatur*), *sic « evangelizare pauperibus »* [6] misit me, « sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum... » ...[7]. Haec est *clarissima* [8] consecratio nostra!

Verum est quod hoc onus gravissimum, nos soli portare non possumus. Ea propter introductio humanissime concluditur his verbis: « Pastores... ita pascant et regant (*puto,*[9] e. g., verbis et factis bonitatis, abnegationis, paupertatis et multiformis caritatis), sic, ita pascant, ut cuncti

suo modo et in suo ordine ad commune opus explendum cooperentur ». Et meminisse iuvat laicos, qui vitam degunt perfectam christianam — *saltem conantur vivere vitam vere christianam* [10] — ut medicos, scriptores, magistros, operarios, negotiatores, et praesertim ut patres et matres familias *vere christianos,*[11] iam realiter et efficaciter adiuvare pastores ad Corpus Christi mysticum aedificandum, summa vi exemplorum, laborum, dolorum et orationum eorum. Sed vivant! Et vivant alii, qui in vita Ecclesiae a principio et semper, numquam defuerunt, qui sponte sua apostolatum verum vel specificum nobiscum facere volunt, quod det nobis semper bonus Pastor, Iesus Christus.

Secundum verbum et ultimum erit de adhortatione in fine huius capitis (pag. 11, lin. 21), ubi legitur: « Etiam in difficilioribus adiunctis positi, ne erubescant Evangelium ».

In memoriam revocemus quod haec verba scripta sunt iis qui iam nobiscum Evangelium, aliquo modo, docent et aliquod apostolatum faciunt. Parcite mihi, venerabiles Patres, si audeo humiliter et sincere dicere quod haec locutio « ne erubescant Evangelium », sicut aliquid periculosum mihi videtur. Praeceptum enim Evangelium non erubescendi episcopis, clericis, religiosis et laicis commune est. Si nos vero, legislatores, haec verba in memoriam revocare volumus tantum laicis qui nos adiuvare volunt, timeo ego ipsos (qui in mundo versantur et frequenter audiunt voces operariorum et iuvenum et non christianorum et, praesertim, voces pauperum et indigentium *multis* [12] cum lacrimis) ipsos nobis respondere posse quod nullo modo erubescunt Evangelium Iesu Christi, sed non raro erubescunt eos — pastores, religiosos, sacerdotes, clericos —, qui praedicant Evangelium Christi, sed non vivunt secundum Evangelium Christi, quod, puto, forsitan impedimentum maximum esse pro apostolatu laicorum, et etiam pro vocationibus sacerdotalibus authenticis.

Verbum hoc paulinum « *non erubesco Evangelium* »,[13] vere splendidum, apostolus non ad alios nec de aliis dixit, sed audacter dixit ad Romanos illius temporis, dominatores, divites, elatos, carnales, paganos, qui et humiles et pauperes et leprosos, amicos speciales Iesu Christi, aspernebantur — et de seipso romano ad Romanos dixit: « Non erubesco Evangelium », i. e. non erubesco Evangelium humilitatis, Evangelium paupertatis, Evangelium verae fraternitatis et iustitiae et caritatis.

Conclusio. Ad primum, submisse propono ut in introductione simpliciter dicatur: « Pastores instituti sunt ut onus aedificandi mystici Christi Corporis in se suscipiant, sed ita pascant et regant, verbis et

exemplis, ut cuncti, suo modo et in suo ordine, ad commune opus explendum libenter cooperentur ».

Ad secundum, sic propono: « Etiam in difficilioribus adiunctis positi, officium suum ardenter impleant, ut fiat voluntas Dei, sanctificatio nostra, et Patris, qui in caelis est, regnum adveniat ».

Verbum autem Pauli sit nobis semper in corde et in vita: « Non erubesco Evangelium pauperum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Mc.* 16). [3] (*Lc.* 22). [4] (*1 Cor.* 9). [5] (*Io.* 10). [6] deest. [7] (*Lc.* 4). [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest.

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus-S. Mariae Leucadensis

Venerabiles Patres conciliares,

Schema *de populo Dei* et speciatim *de laicis,* quod est cap. III *de Ecclesia,* laudandum mihi videtur propter expositionis claritatem et propter afflatum pastoralem, quo imbutum est. Nonnulla tamen videntur contrahenda et alia addenda quoad tractationem de laicis.

Tractatio completa, si consideretur etiam schema X (*de apostolatu laicorum*) apparet longior quam opus sit; ipsum puto posse contrahi in unum schema, exponendo tantum principia generalia et excludendo normas practicas, quae in ipsis statutis societatum enuntiantur et evolvuntur, vel in frequentibus adhortationibus Summorum Pontificum.

Quoad caput, de quo discussio fit et quod maximi momenti est pro tota tractatione, haec mihi videntur addenda:

1. Quodnam est fundamentum theologicum huius apostolatus? *Noto quoad hanc rem quod aliquomodo accepto observationes nunc factas ab em.mo card. Caggiano. Meum desiderium esset ut omnia quae de apostolatu laicorum dicuntur in unum schema fundantur.*

Quodnam est fundamentum theologicum huius apostolatus [1]? Si inspicitur schema, n. 23, pag. 5, fundamentum theologicum reponitur in baptismate, in quo remote ipsum sacerdotium universale habet fulcrum.

Sed, praeter baptismum, *confirmatio* videtur sacramentum — ut ita dicam — specificum quoad laicorum apostolatum. De hoc sacramento in schemate fit tantum brevis enucleatio, cum dicitur in pag. 7, n. 24,

linn. 26-27: « Sacramento confirmationis perficiuntur et roborantur ut fidem verbo et opere simul diffundant et defendant ».

In Actibus Apostolorum confirmatio repraesentatur ut fidelium Pentecostes. Legitur enim in cap. 8 ...[2]: « Cum autem audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum ».

Insuper dicendum est quod character confirmationis perficit baptismi characterem et christianum aptum reddit ad fidem *ex officio* profitendam, defendendam et propagandam; unde participem facit fidelem vitae publicae Ecclesiae.

Consequenter confirmatio posset vocari — ut ita dicam — sacramentum *virilitatis* uniuscuiusque fidelis christiani: pertinentiam ad sacerdotium universale roborat in servitium Ecclesiae Christi, organismum supernaturalem perficit, ut ait S. Thomas ...[3], et ipsum Corpus mysticum ditius reddit vitae supernaturalis.

2. Quodnam est fundamentum historicum?

Etiam hoc explicandum puto, quia laicorum apostolatus non debet concipi tamquam novitas temporum nostrorum. Novae sunt societates laicorum, sed apostolatus natus est cum Evangelii praedicatione.

Si exempla trahunt, liceat saltem memorare, praeter viros et mulieres, qui toto corde Iesum ipsum adiuvarunt una cum apostolis et discipulis, S. Marcum et S. Lucam, qui apostolatus Petri et Pauli socii fuerunt et duo Evangelia, ductu Spiritus Sancti, confecerunt.

Durante Ecclesiae Christi historia antiqua et recenti quot viri, quot mulieres, quot pueri testes fuerunt Salvatoris doctrinae, praeceptorum et consiliorum vita exemplari et non raro sanguinis effusione.

3. In n. 25, pagg. 8 et 9, sermo fit etiam de cultura religiosa sufficienti in laicis. Ad rem puto esse constituenda Collegia laicorum Romae et in praecipuis dioecesibus orbis catholici.

Necessarium enim est ut nonnulli laici perficiantur pietate, studiis seriis et disciplina ita ut fiant quasi « élite » inter laicos: associationes dirigant, Christi Evangelium defendant et propagent, errores confutent et veritatem diffundant verbo, scriptis et vita — ut ita dicam — « spalla a spalla » cum sacerdotibus. Studio doctrinae, quod uno vel duobus annis evolvi deberet, virtutum exercitium coniungendum est, ut animi laicorum Dei gratia magis magisque imbuantur, quam aliis effundant suo tempore mediante actione apostolica, in qua ipsi, ut aiebat S. Bernardus, « non canalem, sed concham se exhibebunt »...[4]

Studia deberent esse praesertim christologica, sicut nunc fit in Italia Assisi apud Institutum saeculare iuris pontificii, quod appellatur « Pro Civitate Christiana ».

Sicut Seminaria clericorum fuerunt efficax demonstratio vitalitatis Concilii Tridentini, haec Collegia, quae Seminaria laicorum vocari poterunt, plene respondent exspectationi Pauli VI ...[5], qui internum vigorem Ecclesiae nobis ostendit « ut fermentum vivificum et instrumentum salutis humanae consortionis »...[6]

4. In nn. 26 et 27, pagg. 10 et 11, specialis fovetur animorum consentio inter laicos et hierarchiam: ut haec plene habeatur, humiliter propono constitutionem novae Congregationis Romanae, in qua sint ecclesiastici mixti laicis peritis in apostolica actione. Rationes sunt: *a*) ut pateat momentum associationum laicalium; *b*) ut compertum sit omnibus quod ipse Summus Pontifex laicos vocat et missionem ipsis confert in servitium animarum; *c*) ut concentus concordiae et amoris instauretur et perseveret inter hierarchiam et laicos.

Conclusio. Patres conciliares, his mediis nos libenter acceptamus vigorosam locutionem Summi Pontificis Pauli VI *feliciter regnantis*[7] laicis Actionis Catholicae recenter expressam: « Haec est hora laicorum ». Cum gaudio repetimus: haec est hora laicorum, et viribus unitis laicos plures in apostolos convertamus ut et ipsi agant ad societatem moraliter et religiose perficiendam et *sic dictos laicistas* vincant et ad bonam frugem perducant. Maria, regina apostolorum, nos omnes adiuvet ad gloriam Dei et animarum profectum! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (14-17). [3] (P. III, q. 72, a. 8 ad 4). [4] (*In Cantica Sermo* XVII, 3). [5] feliciter regnantis. [6] (Alloc. diei 29 sept. 1963). [7] deest.

Moderator: Legatur emendatio alia circa schema *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis: Emendatio VI: pag. 186, linn. 11-12 (conferatis huius fasciculi pag. 33, n. 89 *e*) [*cf. pag. 115*].

5

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZALEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres conciliares, Observatores et Auditores dilectissimi,

Tres partes brevissime exponendas et inter sese intime connexas complectitur meum votum: definitionem theologicam laici, sacerdotium uniuscuiusque christifidelis et consecrationem mundi a laicis peragendam.

1. Definitio laici theologica, non canonica, non negativa, desideratur uti constitutioni dogmaticae convenit et in hac aula petita est primo ab em.mo card. Bueno Monreal, postea, ni fallor, ab auditoribus laicis extra aulam. Ideo puto non inutilia habenda esse conamina definitionem tradendi. Quantum in me est, sequentem venia vestra proponere audeo:

« Laicus est homo qui per baptismum Christo concorporatus et populo Dei adscitus, ad hierarchicam potestatem tamen non accedens, vitam hominibus communem in mundo degit Deo deditam, ut seipsum, hominum actiones et opera, hominum genus et ipsum cosmon Deo offerat et consecret ».

In hac exponenda definitione nunc non immorandum quia ex infra dicendis explicatio fluet. Satis sit venerabile illud *Epistolae ad Diognetem* (saec. II) testimonium hic afferre: « ...[1] Christiani, *dicit epistola,*[2] neque regione neque sermone neque vitae institutis distincti a ceteris sunt hominibus...[3] Uxores ducunt ut omnes, liberos procreant...[4] In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt...[5] In terra degunt, sed in caelo civitatem suam habent...[6] Obsequuntur legibus constitutis, et suo vitae genere superant leges...[7] Ut autem simpliciter dicam, quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani »...[8]

2. Quidnam est iste laicus sub data definitione comprehensus? Est homo a Christo consecratus et homo sacerdotio Christi configuratus.

a) *Homo consecratus*: Homo a Christo consecratus est ontologice per Incarnationem qua humanitas assumpta est ad personam Verbi; consecratus est vitaliter per passionem et mortem Christi ex quibus supernaturalis vita in homines manat per sacramenta; consecratus est ecclesialiter et dynamice per effusionem Spiritus Sancti qua christifidelis organice unitur Ecclesiae ut de Ecclesia et cum Ecclesia vivat et operetur; consecratus est eschatologice « ad bravium supernae vocationis Dei »...[9] per glorificationem Christi qui est « primogenitus ex mortuis »...[10] et « primitiae dormientium »...[11]

Haec hominis consecratio evolvitur et perficitur ex parte Dei in duabus periodis, nempe, in ea quam apostolus vocat « dispensationem sacramenti absconditi a saeculis in Deo »...[12] et in ea quae ab ipso Paulo dicitur « dispensatio plenitudinis temporum »...[13] Ex parte hominis initium sumit in verbo Dei praedicato et dociliter recepto; iter percurrit baptismi et communionis cum Christo et cum Ecclesia; et augetur et completur ceteris sacramentis quae fidem, spem et caritatem perficiunt hominemque ducunt ad Deum per viam amoris fraternitatis erga proximum.

Homo sic consecratus est ille « novus homo qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis »...[14] de quo in epistola ad Ephesios.

b) *Homo sacerdotio Christi configuratus*: Alii Patres de sacerdotio universi populi Dei agant. Brevissime de sacerdotio uniuscuiusque christifidelis nunc loquor.

Ipsa participatio gratiae capitalis Christi est etiam quaedam participatio sacerdotii Christi quia baptismus hominem reddit participem unctionis sacerdotalis quam Verbum Incarnatum suscepit. Sed character sacramentalis, semen incorruptibile per Verbum Dei ...[15], proprius dicitur et est participatio sacerdotii Christi.

Duplici charactere, baptismali et chrismali, insigniri potest laicus: a charactere baptismali accipit concorporationem perpetuam cum Christo summo sacerdote, communionem cum Ecclesia civitate sacerdotali ...[16], quamdam potestatem sacerdotalem ad offerendum sacrificium privatim, prout persona particularis non aliorum nomine et nonnisi in unione cum Ecclesia exercendam, ac, denique, potestatem ad apostolatum privatim et in ambitu privato peragendum. A confirmatione eiusque charactere accipit laicus potestatem ad communicandum aliis suas actiones et ad promovendum totius Corporis Christi bonum, aliis verbis, accipit munus propheticum quod aliud non est nisi munus evangelizandi sub pluribus formis apostolatus.

Laicus, ergo, sic configuratus sacerdotio Christi, devenit membrum generis electi et regalis corporis sacerdotalis ...[17] ut annuntiet virtutes Dei, non ut immolet victimam sacrificii eucharistici.

3. Quaenam, vero, *missio,* quodnam *munus istius laici* a Christo consecrati et sacerdotio Christi configurati? Absque dubio, ipsa missio Christi, ipsa missio Ecclesiae.

Ut iam notatum est, Christus primario et directe, tamquam « primogenitus in multis fratribus » ...[18], homines conformavit propriae suae imagini ...[19] per Incarnationem, redemptionem et glorificationem. Indirecte, vero, i. e. mediante homine, ceteras omnes creaturas « sive quae in

terris sive quae in caelo sunt » ...[20] instauravit ...[21], reconciliavit ...[22] in seipso « primogenito omnis creaturae » ...[23]. Instauratio haec et reconciliatio nonnisi radicalis est et ab homine perfici debet.

Laicus christifidelis primo seipsum et sua devovere tenetur Deo: seipsum per conformationem imagini Filii Dei; sua, i. e., cogitationes et opera suae intelligentiae, scientiam et artem populos regendi, dispensationem iustitiae, scientiam et artem educationis, laborem scientificum, applicationem scientiae per artes technicas, laborem manuum suarum, institutiones humanas cuiuscumque generis.

Secundario autem et indirecto modo laicus tenetur Deo offerre et consecrare cetera omnia quae Deus posuit in mundo ut homini inservire possint sive tamquam argumenta sapientiae et omnipotentiae Dei, sive tamquam instrumenta ad vitam, ad intelligentiam, ad spiritualem salutem perficiendas.

Ibi, vero, munus propheticum seu missio apostolica laici incipit ubi alium invenit hominem cui communicare tenetur « magnalia Dei » ...[24] et « investigabiles divitias Christi » ...[25]. Tunc, vero, non autem in apostolatu individuali, professionali et familiari qui muros domi propriae non excedit, laicus agere debet in communione cum sacra hierarchia et sub eius ductu.

Munus et officium, ergo, laicorum in Ecclesia constitutionale est, nobilissimum est, activum est, necessarium est, et nobis in honore maximo habendum atque a nobis frequentius in posterum utendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 5, 1. [2] deest. [3] 5. Patrias habitant proprias, sed tamquam inquilini; omnia cum aliis habent communia tamquam cives, etiam omnia patiuntur tanquam peregrini; omnis peregrina regio eorum est patria, et omnis patria peregrina. 6. [4] sed non abiiciunt fetus. 7. Mensem communem habent, sed non lectum. 8. [5] 9. [6] 10. [7] 11. Amant omnes, et omnes eos persequuntur. 12. Ignorantur, et condemnantur, morte afficiuntur, et vivificantur. 13. Mendici sunt, et ditant multos; omnibus rebus indigent, et omnia illis redundant. 14. Dedecorantur et inter dedecora afficiuntur gloria; fama eorum laceratur, et iustitiae eorum testimonium perhibetur. 15. Obiurgantur et benedicunt, contumeliose tractantur, et honorem deferunt. 16. Cum bonum faciant, tanquam improbi puniuntur; dum puniuntur, gaudent, tanquam vivificentur... 6, 1. [8] (R. 97). [9] (*Phil.* 3, 14). [10] (*Col.* 1, 18). [11] (*1 Cor.* 15, 21-23). [12] (*Eph.* 3, 9). [13] (*Eph.* 1, 10). [14] (*Eph.* 4, 14). [15] (cf. *1 Petr.* 1, 23). [16] (cf. *Summ. Theol.* III, c. 35, a. 7). [17] (cf. *1 Petr.* 2, 9). [18] (*Rom.* 8, 29). [19] (cf. *Rom.* 8, 28). [20] (*Col.* 1, 20). [21] (cf. *Eph.* 1, 10). [22] (cf. *Col.* 1, 20). [23] (*Col.* 1, 15). [24] (*Act.* 2, 11). [25] (*Eph.* 3, 8).

6

Exc.mus P. D. IULIUS VICTOR DAEM

Episcopus Antverpiensis

Venerabiles Fratres,

Eminenti titulo cap. III (prout iacet) *de populo Dei...,* Concilium Vaticanum II huic populo, in Christo restaurato, novarum dimensionum mensuram in lucem ponere intendit. Quod sacerdotibus et fidelibus nostris magno gaudio et praesertim utilitati erit quippe quod tantopere illorum exspectationi correspondeat.

Liceat mihi: 1. Insistere in characterem *novitatis* populi Dei novi testamenti atque propterea vobiscum perpendere aspectum transcendentiae christianismi. De his non agit cap. III prout iacet. In emendationibus, parte II, pag. 7, *verba* [1] iam fit de foedere Dei cum populo Israelitico « in figuram foederis illius perfecti *etc.*[2]... ». Oportet tamen novus textus his verbis « in figuram » totam suam significationem et valorem praebeat relate ad novitatem absolutam novi foederis.

Liceat mihi: 2. Paucis verbis ostendere quantum Ecclesia, horum conscia, e doctrina de populo Dei pro sua praedicatione haurire debeat in ordine ad suas rationes ac orientationes principales suamque foecunditatem pastoralem.

1. Vocabulum « populus Dei » saepissime legitur in Veteri Testamento, aliquoties in Novo. In utroque autem vocabulum exprimit amorem et misericordiam Dei atque exspectationem populi.

Doctrina Domini nostri Iesu Christi et apostolorum ut ideas fundamentales continet certe, ex una parte, continuitatem revelationis ad veterem populum electum factae, sed etiam, ex altera parte, sit venia verbo, discontinuitatem, ratione praesertim transcendentiae totalis novi populi.

a) Iesus Christus doctrinam de regno Dei super populum suum ut thema principale suae praedicationis tradidit ad ostendendam *novam* relationem inter Deum et homines.

Praedicatio Iesu Christi revera ut *nova* audientibus in synagoga apparet: « ... [3] Quaenam doctrina haec nova » divina auctoritate fulciente...[4]

Iesus Christus, continuationis antiquae oeconomiae memor ...[5] in mentes revocat Sacram Scripturam, Moysen, David et prophetas, ut nempe pro sua doctrina et missione testarentur...[6] Populus Dei ...[7] novi testamenti est populus universalis, qui spiritualia bona exspectat et de

Spiritu vivit. Vivit enim in « diebus Sponsi » et, ideo, ei non amplius convenit ieiunare. « Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri... et nemo mittit vinum novum in utres veteres »...[8] In suo sermone montano, Christus auctoritatem Moysi praetergreditur et suam imponit: « Dictum est antiquis... et ego dico vobis... » ...[9] Novum regnum limites veteris populi electi solvit et universalismus in cultu Deo reddendo instauratur. In novo regno, totus homo Dei est et suis actibus et suis cogitationibus: « Estote ergo vos perfecti ...[10] ». Ipse Deus faciem suam immutatam ostendit et ab hominibus suo novo nomine invocatur: « Abba, Pater »...[11]

Mysterium salutis [12] discipulis novae salutis oeconomiae, claris verbis, explicatur, non tantum in imaginibus: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei... [13] ».

Perfectio et transformatio ad quas homines novi foederis vocantur in ipsa persona Christi eminenter coniunguntur. Est enim Filius dilectus Patris quem audire oportet ...[14]. « Non venit ut ministraretur ei sed ut ministraret ...[15] ». Numquam ullus homo locutus est sicut ipse Christus; nemo suae propriae personae tam altam conscientiam habuit.

Christus de se ipso dixit [16]: « Ego sum lux mundi » ...[17]; « Ego sum via et veritas et vita » ...[18]. Quae verba plena auctoritate ...[19] coniungenda sunt cum aliis verbis quibus invitationem Christi proclamat: « discite a me quia mitis sum et humilis corde »...[20]

Discontinuitas haec in continuitate talis ac tanta est ut unicum tantum verbum sit quod novas realitates exprimere valeat: « Novum Testamentum », i. e. bonum ac certe novum nuntium utique a prophetis praedictum sed tamen in amplitudine divitiarum ab antiquis incognitum.

b) Hanc novitatem praedicationis Iesu Christi *apostoli* intellexerunt in mysteriis mortis et resurrectionis Domini et in descensu Spiritus Sancti, atque eam in suis scriptis exaltaverunt. Haec est novitas de qua loquitur S. Paulus in suis epistolis ad Galatas ...[21] et ad Romanos ...[22]: est « plenitudo temporis » et « revelatio mysterii » ab angelis et a generationibus hominum praeteritis incognita, a Christo autem et apostolis revelata. Harum divitiarum spiritualium summa continetur in prima epistola S. Petri (*cap. 2*).[23]

Per modum conclusionis.[24]

2. Quae cum ita sint:

a) Amplius in cap. III ostendatur quod in christianismo omnia nova sunt, etsi Iudaismus Christum praeparavit et oracula de Christo servavit. Populus Dei Novi Testamenti est nova creatio. Totum nuntium salutis accepit et novum cultum Deo dedicavit. Suo duci resuscitato unitur et a Spiritu ducitur ac sanctificatur. Vivit in communitate

supernaturali, quae est Ecclesia. Advenit oeconomia plenitudinis gratiae. Pater « transtulit nos in regnum Filii dilectionis suae »...[25]

b) Vivificetur textus capituli nostri in lucem ponendo tendentiam eschatologicam Ecclesiae per historiam peregrinantis expressam in spe populi Dei in adventum Domini exaltati, et renovationem spiritualem terrae Spiritui Christi concreditam qua ascensus populi ad thronum Dei perficitur.

Haec sunt elementa maximi momenti pastoralis quae praedicatio Ecclesiae in lucem ponere debet pro populo Dei, tam pro clericis quam pro laicis. Constituunt enim fundamentum doctrinae populo tradendae et formationis christianae fidelium. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] verbum. [2] ... quod cum genere electo sub Christo capite (Deus) iniret ». [3] Quidnam est hoc? [4] (*Mc.* 1, 27). « Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens » (*Mc.* 1, 22). [5] (« non veni legem solvere sed adimplere » (*Mt.* 5, 17). [6] Populus electus Veteris Testamenti fuit natio religiosa, cultui veri Dei medios inter paganos dedita, cuius membra tamen beneficia Dei imprimis temporalia exspectabant. [7] autem. [8] (*Mc.* 2, 19-22). [9] (*Mt.* 5, 17-18). [10] sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 49). [11] (*Mt.* 5, 19). [12] Mysterium Dei in nova oeconomia salutis ex libera voluntate misericordiae ipsius revelatur: « Et nemo novit filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (*Mt.* 11, 27; *Lc.* 10, 21-22). Hoc mysterium. [13] Illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiant » (*Mc.* 4, 11-12). [14] (*Mc.* 9, 7). Hic Filius. [15] et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45). [16] Audiamus et haec. [17] qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitae » (*Io.* 8, 12). [18] (*Io.* 14, 6). [19] et. [20] (*Mt.* 11, 29). [21] (4, 4-7). [22] (16, 25 ss.). [23] « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti » (2, 9-10). [24] deest. [25] (*Col.* 1, 13).

Moderator: Legatur nunc alia emendatio circa schema *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis: Emendatio VII: *Novus articulus*: pag. 186, post lin. 12 (conferatis pag. 33, n. 90 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 115*].

7

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Carissimi Patres, Auditores et Observatores amplissimi,

Liceat mihi aliquas observationes facere circa cap. III schematis propositi...[1]

1. De titulo huius capitis.
2. De ordine paragraphorum huius eiusdem capitis.
3. De necessitate aliqua huius doctrinae puncta profundius exponendi.

1. *De titulo huius capitis.* Postquam in cap. II, de Summo Pontifice, de episcopis, de presbyteris et de diaconibus, iam multa dicta sunt, non mihi videtur necessarium esse caput speciale *de populo Dei et speciatim de laicis ...*[2]. Nam in Ecclesia Dei non est populus Dei et laici sed Summus Pontifex, episcopi, presbyteri, diaconi, religiosi et laici tantum. Et isti omnes populum Dei constituunt. Mihi ergo videtur sufficiens esse titulum hoc simpliciter: *de laicis.*

Agendo autem de laicis tantum, in capite hoc, certo certius sufficienter ageretur de omnibus illis qui in statu laicali fuerunt, sunt et erunt. Omnes nos et omnes alii vere scimus Summum Pontificem, episcopos, presbyteros, diaconos et omnes qui in aliquo gradu Ordinis sunt itemque religiosos vere laicos fuisse, et sicut laicos per aliquod tempus victos esse, antequam in statum Ordinis vel in statum religionis ingressi sunt. Propterea omne illud quod de populo Dei dicitur vel dicendum est, de laicis dicatur, quia illi omnes de quibus agitur vere laici sunt.

Praeterea per hunc modum dicendi talis vel qualis confusio vitatur circa expressionem illam « populum Dei » quae directe et immediate referri debet omnibus qui Ecclesiae pertinent, sive laici sint sive non. Revera pulcherrima est expressio illa verbalis sed ad totam Ecclesiam significandam modo generico tantum.

Si hoc autem non acceptatur, tunc praevaleat illa distributio capitum a commissione de laboribus Concilii coordinandis proposita iuxta notam in pag. 5 huius schematis, licet talis distributio, *mihi videtur,*[3] satis complexa videatur.

2. *De ordine paragraphorum huius eiusdem capitis.* In capite huius schematis paragraphi per hunc ordinem ita sonant: I. Introductio. -

II. De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate, etc., sicut in schemate.

Secundum modestum iudicium meum necessaria non est secunda paragraphus in capite hoc enuntiata, scil. de membris in Ecclesia..., sed, in eius loco, ponatur illa alia paragraphus de sacerdotio universali, quae in schemate tertia est. Dispositio haec paragraphorum erit magis logica quoad expositionem doctrinalem et efficacior in re pastorali, praesertim in ordine ad actionem laicorum.

Non requiritur quod in paragrapho speciali agatur de membris in Ecclesia sed e contra valde convenit in primo loco, post introductionem, exponere doctrinam de sacerdotio universali vel sacerdotio non hierarchico, quia christianus est christianus quia est sacerdos et non est sacerdos quia est christianus. Etenim ingressus in Ecclesiam fit per baptismum et elementum baptismale quo specifice homines fiunt christiani est character. Sed character baptismatis per illud quo hominem facit christianum illum facit sacerdotem. Nam sacerdotium universale ...[4], de quo nunc ago, nihil aliud est nisi participatio sacerdotii Christi quod hominibus communicatur per characterem baptismalem. Mensura participationis sacerdotii Christi, ex parte hominum, et mensura eius communicationis, ex parte ipsius Christi, est character sacramentorum et propterea nullus homo christianus esse potest quin sacerdotio hoc fungatur et nullus homo sacerdotium habet quin sit christianus. Attamen effectus ontologice primus sacramenti baptismatis est character, ita ut, si character est, sacramentum habitum est et si character non est, nullum fuit sacramentum. Ergo per baptismum homo fit sacerdos Christi et tantum quia est sacerdos Christi christianus est, membrum Ecclesiae est. Iterum, unice quia sacerdos est, homo baptizatus ut membrum Ecclesiae habetur et non quia est membrum Ecclesiae sacerdos est.

Tamen prae oculis semper atque semper habeamus quod de sacerdotio universali ...[5] agatur, non autem de sacerdotio proprie dicto vel hierarchico, quod ab Ordinis sacramento tantum confertur et propterea in expositione textus bene hoc distinguatur...[6]

Momentum tamen huius doctrinae est vitare reale periculum considerandi in genere membra Ecclesiae sicut classis hominum sine officio et *propterea*[7] magna cum claritate et vi exponere peccatum individualismi et indifferentismi etiam in Ecclesia et simul in illa suscitare sensum socialem, collectivum et communitarium et ita conscientiam responsabilitatis sortis et situationis omnium aliorum excitare.

Post paragraphum de sacerdotio universali considerari debebatur immediate illa alia paragraphus de christifidelium relatione erga hierarchiam. Ratio est quia hierarchia elementum est essentiale in Eccle-

sia. Praeterea laici, suo modo, etiam ecclesia sunt. Ergo relatio laicorum erga hierarchiam ontologice est prima quam relationes ad alios; ideoque de illa et non de his, primo loco, tractandum est. Videamus comparationem valde simplicem. Sicut corpus et anima humana quae partes sunt essentiales hominis, relationes ad invicem primo habent quam relationes ad exteram, ita relationes laicorum erga hierarchiam primae esse debent quam relationes ad alios...[8]

3 et ultima observatio: *De necessitate aliqua huius doctrinae puncta profundius exponendi.* In hoc cap. III nucleum centrale totius doctrinae est quaestio de sacerdotio universali. Reapse sacerdotium hoc praerogativa non solum omnium christianorum est sed eorum ipsa essentia; et ideo oportet doctrinam hanc magis evolvere ut christiani veram et solidam conscientiam efformare possint eorum dignitatis, missionis et officii, in gravissimis temporibus hodiernis. Quamobrem affirmare non sufficit quod laici per baptismum christiani fiunt sed illis oportet notum facere quod character baptismalis est configuratio Christi et simul titulus exigitivus omnium gratiarum quae necessariae sunt ad munus sacerdotale bene fungendum in conditionibus saepe difficillimis saeculo actuali. Praeterea ut laici a nobis efficaciter vocati sint ad aciem ordinatam apostolatus Actionis Catholicae constituendam illi debent bene cognoscere characterem eorum baptismatis et characterem eorum confirmationis vere participationes esse sacerdotii Christi...[9]

In mysterio Unionis hypostaticae Verbum Divinum assumpsit, unxit, consecravit naturam humanam et factus est sacerdos aeternus, Christus Dominus Noster. In baptismate autem character sacramentalis a Verbo Incarnato participatus, etiam, aliquo modo, ungit et consecrat totum hominem baptizatum et ita...

Moderator: Velis, exc.me Pater, concludere!

Orator: ... illum facit sacerdotem. Realitas haec divina, modo indelebili in anima impressa, est in christiano et in simplici religioso tota sanctitas metaphysica vel obiectiva et ...[10] vis imperativa omnis sanctitatis *realis* [11] vel subiectiva...[12] Et dixi!

In textu scripto tradito: [1] Tales observationes meae sunt sequentes. [2] addendum. [3] deest. [4] vel non hierarchicum. [5] vel de sacerdotio non hierarchico. [6] Haec doctrina invenitur sufficienter clara apud *1 Petr.* 2, 4-5 et apud *Io.* 1, 6 ut in ipso schemate constat. Conferantur etiam propositiones aliquae Originis et S. Augustini sicut in nota 6 ipsius schematis et cetera. [7] praeterea. [8] Post hanc paragraphum autem exponatur ergo illa de vita salutifera et apostolica laicorum, quae maximi momenti est tempore praesenti et, denique,

illa adhortatio finalis. [9] Ideoque characteres isti laicos constituerunt perenniter sacerdotes et eos consecraverunt cultui SS. Trinitatis ab illis semper exhibendo. [10] simul. [11] moralis. [12] Doctrinae universalis sacerdotii dimensio est valde magna, sed proh dolor parum nota.

8

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN
Episcopus Celsonensis

Venerabiles Patres,

Si cap. III ...[1] in duas partes dividatur ...[2] — quod mihi placet omnino —, necesse est ut caput *de laicis,* quod unum meo sermone attingere intendo, ea omnia et sola contineat, quae laicis specialiter seu *specifice* conveniant, reliqua remittenda capiti de populo Dei.

Ut vero doctrina de laicis modo organico, ipsis plane accommodato et quidem integre statuatur, hunc ordinem, seu cap. IV ...[3] structuram proponere audeo. Post introductionem: 1ª paragraphus: Quid veniat in Ecclesia nomine laici, seu eius definitio; 2ª: De potestate seu functione sacra laicorum; 3ª: De spiritualitate specifica laicorum; 4ª: De eorum apostolatu; 5ª: De laicorum relatione ad hierarchiam. Ultimo, autem, scholion *de opinione publica in Ecclesia.*

Aliquid de his omnibus breviter dicam ut propositum clarius pateat.

1. Introductio novae structurae capitis adaptari debet. Mihi placet emendatio proposita ab em.mo card. Suenens.

2. Definitio laicorum, a nonnullis theologica dicta, magis consentanea videretur. Attamen cum, etsi schema dogmaticum vel doctrinale sit, finem pastoralem huius Concilii, praesertim in iis quae de laicis in Ecclesia dicuntur, oblivisci non possimus, melius esset, meo saltem iudicio, lautiorem definitionem tradere, quam pastoralem vocarem, ita ut fidelium captui esset magis accommodata et ipsis indicaret, saltem innueret, status, iura et obligationes eorum. *Sed* [4] quoniam de his iam alii Patres luculenter egerint hoc in sensu, ipsis adhaereo.

3. Certum est laicos potestate docendi et regendi in Ecclesia non pollere, sed habent potestatem aliquam *sacram,*[5] vel si magis placet, functionem sacram in Ecclesia ...[6]. Ipsi enim sunt ministri sacramenti matrimonii, et in casu necessitatis sacramenti baptismi. Immo possunt et debent offerre sacrificium, se ipsos simul offerentes, una cum sacerdote ministeriali et per ipsius manus...[7]

Laici de munere sacerdotali, prophetico et regali Christi participant, sicut iam ...[8] dictum *est, Deo consecrati sunt,*[9] ad Dei cultum et ad

Christi corpus evolvendum sunt destinati. Clarius, in hoc capite, *de his rebus loquendum est.*[10]

4. Laici sanctitatem personalem indesinenter prosequi debent — etiam ad sanctitatem vocantur sicuti in ultimo capite huius schematis clare dicitur — at non eadem via eodemque gressu ac sacerdotes et religiosi.

Pro laicis etiam est perfectio evangelica; omnibus enim evangelium sanctitatis viam pandit, quamvis consilia evangelica non profiteantur, quia spiritus trium consiliorum, paupertatis nempe, castitatis et obedientiae, est spiritus proprius vitae christianae authenticae. Sed consilia evangelica non eodem modo iisdemque mediis profiteri tenentur.

Ideoque dicendum est laicos sanctitatem persequi debere in sua vitae conditione in mundo, et *ipsius conditionis ope,* nempe in matrimonio et per matrimonium, in professione et per professionem, etc., ita ut media sanctificationis, oratio nempe, mortificationes, etc., suis officiis familiaribus, professionalibus regulari immo et subordinari debeant.

Via ascetica qua ad sanctitatem tendimus peculiares modos iuxta diversitatem status et munerum in populo Dei habere debet. Fortasse via ascetica pro laicis adhuc non clare proposita fuit. Traditionalis enim via quae pro omnibus in theologiae asceticae manualibus proponitur non plane ipsis accommodatur.

De quo tamen pauca *et non ordinate* [11] in schemate dicuntur, dum multa de laicorum spiritualitate dicantur et conscribantur nostris temporibus et non semper recte proponantur.

5. Laicis, iure proprio, apostolatus testimonii convenit, apostolatus in ambitu temporali cui nomen « consecrationis mundi » a Pio XII inditum, et specificus apostolatus inter certos coetus vel ordines personarum, quia doctrinae propria accommodatio et labores et navitas Ecclesiae ab eis tantum exsequi possunt qui eadem mente cogitant et in simili ambitu vivunt. Hac de causa Pius XI scripsit: « Primi et proximi opificum apostoli, opifices sint oportet »...[12]

Iure proprio, dixi, nempe qua laici, ideoque responsabilitatem omnino propriam habent immo et directionem ipsius apostolatus dummodo auctoritati hierarchiae, quae populum Dei regit, fideliter subsint in his omnibus quae ad fidem et ad disciplinam in Ecclesia ab ea proponantur.

Laici, tamen, quin laici esse desinant, opitulari hierarchiae possunt, certis et fixis actibus apostolatus officialis, dummodo eos hierarchia vocet. Hac ratione nititur « Actio Catholica », opus laicorum, quam novissimi Romani Pontifices vel Paulus VI, ut necessariam Ecclesiae et his in rerum adiunctis optimam existimarunt. Tunc vero, etiamsi directioni

hierarchiae intimius subdantur, propriam responsabilitatem in executione praesertim habent nam ipsi personae adultae ...[13] in Ecclesia manent.

6. Aliquid etiam addendum paragrapho schematis in qua de christifidelium relatione ad hierarchiam agitur, nempe, scholio. Quia opportunitas et occasio adest loquendi de « opinione publica » in Ecclesia, et de eius significatione. Ita invenimus apud Pium XII: « Opinio publica revera patrimonium est omnis societatis naturalis *etc.* ...[14] », idemque « aliquid deesset vitae Ecclesiae, si opinio publica deesset, quod dedecus pastoribus atque fidelibus imputaretur ». Necessarium igitur duco de ea loqui, viamque eius manifestationis signare.

Quod magnum pastorale momentum habet, atque ambitu hodiernae societatis postulatur. Eam admittere est necesse. Tunc laici onus boni Ecclesiae melius suscipient.

Attamen etiam necesse est eius limitem definire, et formas sese significandi, ut crebrae imprudentiae arceantur. Opinio enim publica in Ecclesia — quia societas hierarchica et non democratica Christi voluntate est — alias normas aliasque formas sese significandi habet quam in societate civili.

Sic enim — meo iudicio — doctrina de laicis optime ordinata manebit, ut nostra tempora exigunt et laici a nobis fidenter expectant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schematis. [2] ut propositum fuit a commissione de laboribus Concilii coordinandis, quarum prior de populo Dei in genere, altera vero de laicis in specie inscribatur. [3] novi schematis. [4] deest. [5] deest. [6] proprio iure, hoc est qua laici, homines baptizati nempe? Abs dubio affirmative respondendum erit. [7] Et tali modo ut tota ipsorum vita sacrificium Deo acceptabile sit, quod quidem sacrificium valorem habet praecise quia cum Missae sacrificio coniungitur, quod et ipsi cum sacerdote vere offerunt. [8] in hac aula. [9] fuit et munus vere sacrum habent quia Deo, charactere baptismali consecrati. [10] de sacerdotio universali laicorum et de eorum munere prophetico sermo fieri debet. [11] deest. [12] apostoli vero inter artificii commerciique asseclas ex iisdem hominibus esse debent » (Quadr. An. 1931: *AAS*, 28, p. 226). [13] et liberae. [14] constitutae hominibus qui, conscii de propria actione individuali et sociali, communitati, cuius membra sunt, intime tenentur.

Moderator: Legatur alia emendatio circa schema *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis: Emendatio VIII: ad art. 69: pag. 186, linn. 16-17, textus ita mutetur (videatis pag. 34, n. 91, partem alteram, huius fasciculi) ... [*cf. pag. 115*].

9

REV.MUS P. D. IOANNES SCHUETTE
Superior generalis S.V.D.

Venerabiles Patres conciliares,

...[1] 1. Toto corde assentior novae divisioni capitum propositae, nempe ut ponatur proprium caput *de populo Dei* ut cap. II, ita ut cap. III ageret ...[2] *de episcopis,* cap. IV *de laicis* et cap. V *de religiosis,* seu de statu consiliorum Evangelii.

Et hoc quidem ob rationes ab aliis iam allatas, *quas, brevitatis causa, non repeto.*[3]

2. Propono ut in hoc cap. II *de populo Dei* transferatur prima pars capitis nunc IV *de vocatione ad sanctitatem.*

Rationes sunt duplicis naturae. Una et quidem theologica iam ab aliis dicta est...[4]. Altera ratio magis *indolis practicae,*[5] sed ut mihi videtur, maximi momenti, haec est: sic relinqui potest totum *cap. V*[6] et quidem integrum, statibus consiliorum Evangelii seu religiosis.

Si in hoc schemate *de Ecclesia* habetur caput speciale de hierarchia, speciatim de episcopis, quamvis alterum schema integrum agit de episcopis, — et si habetur proprium caput de laicis, quamvis posterius schema tractet de apostolatu laicorum: quare non haberi possit caput proprium et speciale de religiosis ...[7]?

Non subsumendi sunt *in schemate de Ecclesia*[8] religiosi tantum sub aspectu vocationis ad sanctitatem, quia etiam activitas eorum, nempe educativa, caritativa, socialis, pastoralis, praesertim autem *missionalis,*[9] gravissimi est ponderis pro tota Ecclesiae vita.

Inter membra huius Concilii Vaticani II, *etsi non omnes praesentes,*[10] numerantur plus quam mille quinquaginta religiosi (episcopi, praefecti apostolici, superiores), plus quam tertia pars. Tertia etiam pars omnium sacerdotum sunt religiosi. Habentur undecies centena milia (1 milione centomila) religiosi et religiosae iuris pontificii, et summatim *circa*[11] vicies centena milia (cioè due milioni) animae Christo consecratae, quae sequuntur statum consiliorum Evangelii.

Quare ergo quasi erubescere videamur loquendi de religiosis modo proprio *et claro, distincto*[12] et explicito, et quidem non solum de eorum vocatione ad sanctitatem, sed etiam aliquo modo de eorum activitate fructuosa et necessaria pro vita Ecclesiae?

3. Propono, ut in hoc novo cap. II de populo Dei addatur paragraphus nova: De obligatione *missionali*[13] populi Dei.

Cap. I, § 10 loquitur modo satis generali de fine missionario Ecclesiae in genere. Ideoque cap. II statuere debet, cuius haec obligatio sit.

Finis missionarius Ecclesiae est notio essentialis, aspectus necessarius Ecclesiae. Christus, ut ait S. Augustinus, « per Ecclesiam suam venit ad gentes et per Ecclesiam loquitur gentibus »...[14]

« Praedicatio ergo Evangelii in toto mundo ad salutem omnium gentium... ita cohaeret cum natura Ecclesiae, ut ipsa sine supradicto officio concipi omnino nequeat »...[15]

Quapropter obligatio missionaria Ecclesiae est maximi momenti. Sed non est obligatio theoretica et doctrinalis, sed nimis concreta, practica, et spectat ad universam Ecclesiam, ad totum populum Dei.

Responsabilitas pro missionibus Ecclesiae non restat cum aliquibus societatibus missionariis earumque episcopis, sed cum tota Ecclesia universali: cum episcopis, tum religiosis et laicis.

Opus missionale non est aliquod studium, aliquod, *uti aiunt,*[16] " Hobby ", quod interest aliquorum idealistarum ...[17], sed opus divinissimum totius Ecclesiae, omnium sacerdotum, laicorum, praesertim autem omnium episcoporum, i. e. totius populi Dei.

Populus Dei qui non est vere missionarius, non est membrum Corporis Christi vivum et activum, sed dormiens.

Ecclesia, et in specie hierarchia, quae negligit responsabilitatem suam missionariam, neglegit Christum primum missionarium, missum a Patre et mittentem omnes nos: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».

Propono igitur, ut in capite *de populo Dei* haec responsabilitas missionaria totius Ecclesiae, universi populi Dei, modo claro et specifico statuatur ideoque omnibus luce clarior appareat Ecclesia catholica uti vere catholica, i. e. missionaria. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Brevitatis causa omitto rationes iam ab aliis allatas. [2] de hierarchia seu. [3] Post tractationem mysterii Ecclesiae in genere loqui liceat de subiecto concreto Ecclesiae, quod est novus Israel, populus Dei electus, cuius cives sunt membra viva Corporis Christi mystici. Unus est enim populus Dei electus, eadem nobilitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, eadem filiorum Dei gratia, eadem vocatio ad perfectionem, eadem salus, eadem spes, eadem caritas, eadem media salutis pro omnibus « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5). Priusquam loquatur hoc schema de episcopis, loqui igitur decet de populo Dei uti toto, cuius etiam pars sunt episcopi. [4] Vocatio ad sanctitatem est generalis et universalis pro tota Ecclesia et omnibus eius statibus, sicut dicitur in cap. IV: « In mysterio Ecclesiae omnes, sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascantur, ad sanctitatem vocantur... Pro omnibus et singulis, cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, una est christiana sanctitas ». [5] practica. [6] cap. IV (V). [7] vel de

statu consiliorum Evangelii. [8] deest. [9] missionaria. [10] deest. [11] plus quam. [12] claro, distincto, aperto. [13] missionaria. [14] (*Tract.* 89 *in Io.*: PL 35, 1875). [15] Non enim ad aliud nata est Ecclesia, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando et universos homines salutaris redemptionis participes efficiendo, « plenitudinem Christi » (*Eph.* 4, 13) perficiat. [16] deest. [17] et typorum eccentricorum.

10

Exc.mus P. D. MARIUS MAZIERS

Episcopus tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Obiectum emendationis meae est par. 25 cap. III...[1] In par. 25 reapse continentur varia elementa doctrinae missionis apostolicae laicorum: sed, non sufficienter in lucem ponitur participatio laicorum ad opus creationis, et modus quo respondere debent eorum vocationi per baptismum, in expletione propriarum missionum in vita terrestri. In par. 25, lin. 15, legitur: « ... Laici non exclusive curis temporalibus deputantur, sed pretiosissimam actionem ad evangelizationem mundi exercent ». Haec phrasis videtur seiungere in vita laicorum curam temporalem ab officio evangelizationis mundi. Atqui, proprie per medium expletionis suae missionis temporalis, potest et debet laicus manifestare caritatem Christi, et sic nuntium evangelicum proclamare coram omnibus hominibus.

Considerari debetur quod laicus baptizatus eodem tempore et in eodem labore membrum est societatis humanae et membrum Ecclesiae.

In quantum membrum est societatis humanae, missionem habet explendi omnia munera quae Deus omnibus hominibus concredidit, dum eos exsecutioni voluntatis suae in opere creationis consociavit. Hoc facere debet cum sapientia et vigore, rationem habens finis specialis uniuscuiusque operis temporalis.

In quantum membrum Ecclesiae, finem suum supernaturalem in Christo perspicit, per quem Filius Dei efficitur; perspicit etiam finem ultimum Dei creantis, i. e. « instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt »...[2]

In conscientia uniuscuiusque baptizati duo illi aspectus propriae missionis arcte coniungendi sunt, quia intimam relationem habent ad invicem.

Vita humana et vita christiana unum et idem esse debent.

Sed, earum scissio apud multos christianos tanquam absonum quid apparet, et graviter obstat manifestationi veritatis christianae in hodierno

mundo, quia Ecclesia non sufficienter apparet in rebus humanis sicut instrumentum salutis et transfigurationis totius mundi.

Fides christiana in Ecclesia minime avertere debet fideles ab expletione missionis eorum terrestris, sed, e contra, fides illustrat sensum huius missionis, et christianos adiuvat ut eam facilius et alacrius adimpleant, in conformitate plena cum ordine a Deo praescripto.

Quinimmo, in sua vita terrestri tanquam paterfamilias, vel opifex, vel patronus, vel membrum coetus socialis, adimplenda est a baptizato vocatio sua ad sanctitatem, ad unionem cum Christo in caritate viva, tanquam hostia vivens et Deo per omnia placens.

Eodem modo, proprie per missionem suam terrestrem christianus testis Christi esse debet inter omnes cum eo conviventes homines.

Tota vita sua et tota sua activitas ab Evangelio inspirari et de Christo loqui debent.

Ex eiusmodi modo essendi et vivendi omnes homines possibilitatem haurire debent Christum inveniendi et desiderium percipere eum cognoscendi.

Ex modo quo laicus christianus, rationem suae vitae necnon suae actionis temporalis illustrare poterit, etiam rationem suae fidei et suae spei omnibus notam faciet. Tunc per ipsum et cum ipso ceteri homines cum gaudio divitias Christi in Ecclesia condivisuri sunt.

Conclusio. Laicus christianus, qui sibi conscius est suae vocationis ad filiationem divinam in expletione missionis suae terrestris, manifestat actionem salvificam Ecclesiae in mundo.

Per ipsum Ecclesia efficitur et lux et fermentum mundi. Per ipsum Ecclesia hominibus apparet tanquam signum salutis, tanquam patria in qua denique omnes homines redemptionem a servitute inveniunt, in qua eorum adspirationes mirabiliter verificantur et ultra spem transformantur in veram realitatem.

Formatio talium laicorum, qui futuri sunt apostoli per totam eorum vitam, mihi apparet tanquam maximum officium sacerdotis.

Opto ergo ut per decursum paragraphi elucescat melius vinculum inter vitam humanam laicorum et vitam *eorum* [3] apostolicam.

Propterea assentior emendationi ab em.mo card. Suenens propositae, in fine par. 23, cum aliquibus modificationibus, et opto ut exaratio textus par. 25 minus abstracta evadat, et rationem habeat exercitii sacerdotii christifidelium « in omnibus et singulis saecularibus officiis et operibus, in rebus profanis et mundanis quibus exsistentia quasi contexitur ». Cum aliquibus episcopis Galliae, propono novam redactionem par. 25 ...[4]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Obiectum emendationis meae est par. 25 cap. III. Imprimis vellem momentum enuntiare illius paragraphi in schemate *de Ecclesia*. *a*) Quia fundamentum est doctrinale schematis *de apostolatu laicorum*; *b*) Quia fundamentum est etiam ex quo in praxim deducetur futurum schema *de Ecclesia et mundo moderno*. Per laicos etenim Ecclesia praesens fit, saltem magna ex parte, hominibus huius temporis, modo vivo et actuoso. Sine actione laicorum infructuosae manerent et illae pulcherrimae declarationes doctrinales, sicut sunt *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*. [2] in ipso (*Eph.* 1, 10). [3] deest. [4] Ad populum Dei vocati et in uno Corpore Christi, *per baptismum* constituti quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusdem iugem sanctificationem *totam vitam suam, gratia Christi creatoris et redemptoris,* conformare tenentur. Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius missionis Ecclesiae a Christo Iesu commissa et in Spiritu Sancto absoluta.

Omnibus igitur fidelibus onus incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis manifestetur, ut iam patet in primaeva communitate, in qua baptizati oratione, exemplo, verbo, eleemosynis, sacrificio Ecclesiam aedificabant (cf. *Act.* 2, 42; 4, 31; 8, 14; 11, 19-20).

Omnes obligatione tenentur apostolatum pro viribus exercendi, et propterea omnis christifidelis, utpote membrum Corpori Christi unitum, sic vivere debet, ut ad plenitudinem Christi strenue conferat, utque amorem Christi erga Patrem et erga homines plene condividat. Unusquisque christifidelis in mundo constitutus debet in proprio loco, in suo labore quotidiano, signum esse regni Dei, secundum illud: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (*Mt.* 5, 16).

Baptizatus etenim, qui in mundo vivit, duplicem operam explere debet. Utpote membrum Ecclesiae, per unionem suam cum Christo Domino ad eius incrementum et manifestationem concurrit. Utpote membrum societatis humanae, partem actuosam gerere debet in organizatione civitatis terrestris, ut bona creata secundum creatoris ordinationem eius Verbi illuminationem, humano labore, arte technica, civilique cultura, ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in christiana et humana libertate conducant.

Haec autem duplex missio ab eadem persona, eodem tempore et in eodem labore adimpletur.

In christifideli expletur unicum consilium Dei qui omnia in Christo et in Christum creavit.

Per suam actionem Christo unitam, christifidelis mundum purificat et ordinat secundum voluntatem Dei et per eum Ecclesia reapse tanquam lumen pro tota societate apparet.

Ex modo quo agit, et quo eiusdem rationem reddit, christifidelis finem ultimum consilii Dei super nos manifestat, « qui nos elegit ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate; qui nos praedestinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 4-5).

Attamen, adventus regni Dei non idem est ac incrementum civitatis terrestris.

Alius etenim finis est civitatis terrestris, alius finis ipsius Ecclesiae. Regnum Dei in ipso mundo aedificatur, sed non est de hoc mundo. Aliunde et mundus aedificari non potest nec debet secluso vel negato fine ultimo creationis. Fideles, memo-

res verborum Domini: reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21) ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera parte infaustae separationi earumdem vel immo oppositioni civitatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit. Ita plurimi christifideles, imprimis laici, spiritu apostolico imbuti, conspicuam conferunt operam ut missio divina Ecclesiae hodiernis necessitatibus plenius respondere valeat. Sicut enim merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita pariter doctrina quae scilicet societatem extra omnem religionem extruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.

11

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres,

Una cum innumeris Ecclesiae filiis et filiabus, in hoc capite *salutamus* [1] unum ex fundamentis et incitamentis potioribus pro auspicata reviviscentia vitae ecclesialis in mundo universo. Profecto gaudere debemus nos in hoc sacrosancto concilio veritatem a multis iamdudum veluti oblitam solemniter proclamare: *scil.* [2] baptizatos omnes, non *solum* [3] clericos, activa Christi membra esse, quae facultates supernaturales et proinde etiam vocationem divinam habent, ut pro suo quisque modo et secundum mensuram propriae vocationis ad opus salutare Christi in hoc mundo perpetuandum adlaborarent. Laici non sunt merum obiectum — *ut ita dicam* [4] — ecclesialitatis, sed verum subiectum; non sunt profani et pars huius saeculi nequam, sed sacerdotes Dei et Agni, ex mundo assumpti ac in vivo Templo Dei quod Christus est tamquam lapides vivi superaedificati! Nullus profecto in hoc pontificali coetu dabitur, qui ex incongruo metu atque diffidentia caput hoc essentialiter mutilare vellet, proinde ac si laicis maiores quam licet partes in vita et opere Ecclesiae adiudicatae sint.

Fatendum tamen est permulta, quae hic praeclare dicta sunt, perfectam cohaerentiam et veram systematizationem nondum plene assecuta esse. Reflexio siquidem theologica in hoc campo conclusiones definitivas speculativas haud plene attigit. Fundamenta autem solida, ex Scriptura et traditione hausta, nihilominus poni possunt et debent.

Unam alteramve tantum animadversionem principaliorem profero.

Prima [5]: Clerici, sacramentum Ordinis suscipientes, nullatenus amit-

tunt facultates, iura, gratias et obligationes quae ex baptismo et confirmatione ipsis proveniunt.

Quapropter, *theologice* [6] loquendo, christianis laicis deputari nequit specialis campus ambitusque activitatis officiorumque qui ad ipsos *principaliter* pertineret, ad clericos autem nonnisi *modo subsidiario* et *suppletivo. Dogmatice* loquendo, tam clerici quam laici sunt *in mundo* sed non sunt *de mundo*. Dogmatice nullatenus dici potest laicos esse in peripheria Ecclesiae, cum ex mundo, quatenus in peccato positus est, non eximus per solum characterem sed per maius maiusque incrementum caritatis et gratiae in Christo Iesu. In hoc autem etiam laicus clericum praecedere potest. Clerici per susceptionem Ordinis novas obligationes assumpserunt, quibus principaliter et indispensabiliter satisfacere debent, sed exinde nullatenus minus habiles effecti sunt ad illas obligationes explendas, quas ex baptismo et confirmatione contraxerunt. *Hoc theologice.*[7]

Historice, solummodo — rerum adiuncta hodierna scil. respiciendo — dicere debemus, clericos ex mundo plus minusve expulsos esse (in *ecclesiam vel* [8] sacristiam) et exinde laicis eo maiorem obligationem incumbere, ut officiorum suorum, quatenus sunt membra Christi, conscii fiant eaque alacriori animo adimplere satagant! Sed haec consideratio historica ad schema *de apostolatu laicorum* remittenda videtur. Schema nostrum — *theologicum, dogmaticum* [9] — ab hac duplici consideratione confundenda prorsus immune esse non videtur. Certe, formula in pag. 9, linn. 40-41, ubi dicitur laicos habere « principem locum », haec formula sub hoc respectu reformanda est, forsan commutanda cum formula « praecipuum locum », *quod est aliud.*[10] Secus timere possimus, ne schema insano antagonismo inter clericos et laicos ansam praebeat.

Alia quaestio, quam schema laudabiliter tangit, sed quae maiorem forsan concinnitatem obtinere poterit, est de natura cooperationis laicorum in opere salutifero Ecclesiae. Cum laici vocantur ut vires suas in opus Christi et Ecclesiae impendant, tunc non intelliguntur solae vires corporales, sed etiam spirituales; non *tantum* [11] manus et pedes, sed etiam intellectus. Vocatio laicorum in Ecclesia nequaquam consistit in sola *exsecutione* — uti nonnulli putare videntur — sed quandoque etiam in *inventione* eorum quae exsequenda erunt. Decreta condere et praecepta nomine Christi imponere, id ad solam hierarchiam pertinet; at inveniendi in permultis casibus concretis quae decernenda sunt, id minime solis hierarchis reservatum est, nam Spiritus spirat ubi vult! Immo idem suo modo valere potest etiam pro scrutatione et investigatione theologica: ultimum iudicium de rectitudine cogitationis in materia revelationis et de congruentia idearum, quae proferuntur, cum de-

posito fidei, haec ad Magisterium Ecclesiae pertinent; at cogitatio ipsa et perscrutatio a capacitate intellectus et gratia illustrationis dependet, quod ...[12] neque laicis a Deo denegatum est.

Quapropter *optime in schemate nostro dictum est de laicis*: « *Pro sua cuiusque intellectuali cultura, sollerter incumbant in profundiorem cognitionem veritatis revelatae atque catholicae doctrinae, tum pro sua cuiusque aedificatione, tum etiam pro enodandis sui temporis quaestionibus* » (*pag. 9, linn. 33 ss.*). *Quapropter puto haec verba nullatenus e schemate delenda sunt,*[13] sed potius tota materia — pro posse — adhuc accuratius et magis harmonice describenda est.

Ecclesia enim nullum donum quod Deus ei offert spernere debet et nihil interest per quem donum offertur. Ecclesia omnes intellectus humanos in servitium gloriae Dei et salutis totius mundi assumere et integrare debet; Ecclesia nihil boni — speciali modo nullam ideam bonam! — perdere debet, sed tamquam optima dispensatrix omnium donorum quae a Deo accepit, tum supernaturalium tum naturalium, divina et humana semper coniungens, omnia in salutem et utilitatem totius humanitatis convertere debet. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] saluto. [2] deest. [3] solos. [4] deest. [5] deest. [6] dogmatice. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] tantummodo. [12] autem. [13] nullatenus e schemate delenda sunt verba in pag. 9, linn. 33-36 (« pro sua cuiusque intellectuali cultura... quaestiones ») uti nonnulli proponere videntur.

12

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Panamensis

Venerabiles Patres,

In schemate actuali... — dico primo: loquor in nomine plus quam 40 episcoporum ex variis nationibus Americae Latinae — in schemate actuali, praesertim in nova dispositione quam omnino approbamus, perpulchra de populi Dei magna dignitate dicuntur, et lineae principales apostolatus religiosi laicorum etiam indicantur, quamvis adhuc non satis clare.[1]

Sed[2] par. 25 et 26, quae speciatim de laicis agunt, principalem difficultatem habent ex eo quod laicos nimis exclusive sub respectu apostolatus respiciunt. Nonne primum est esse quam agere? Sed in textu

vita laicorum haud consideratur in se, nisi in quantum instrumentum sit apostolatus — et quidem apostolatus stricto sensu sumpti, i. e. illius qui fit ex mandato, ut dicitur, hierarchiae et religionem sive directe, sive indirecte spectat. Profecto sunt aliqua dicta de munere temporali laicorum, et quidem ex professo, sed idea non satis patefacta est (videatis pag. 9, lin. 38, et pag. 10, lin. 27) quando subito iterum absorpta est idea in contextu hierarchico.

Huiusmodi manca descriptione exstruitur aliqua imago irrealis Ecclesiae in qua tota vita christifidelium videretur resumenda in hierarchica submissione, seu in aliqua pyramidi clericali, in qua, in infimo gradu, sicut parvuli acolythi omnibus aliis subiecti, haberentur laici. Vel, si velitis, tota vita Ecclesiae in mundo se haberet sicut hodie nos invenimus in hac aula, maxime elucens Ecclesia in episcopatu, deinde in cleris peritis, et denique completa ab aliquo coetu parvulo laicorum qui nos in nostris laboribus inserviunt.

Patet quod huiusmodi imagines sunt irreales quia realitatem Ecclesiae non exhauriuntur, et hoc praecise quia non omnis vita christiana laicorum resumenda est sub respectu apostolatus hierarchici, quamvis sit maximi momenti, praesertim pro nostris regionibus pauciorum sacerdotum, huiusmodi collaboratio laicorum in operibus, sive directe sive indirecte religiosis.

De facto multi, quinimmo longe maior pars laicorum nullum vel saltem paucum tempus apostolatui hierarchico praestare possunt, sive propter eorum paupertatem sive propter eorum vocationem ad saecularia, et potius ex toto occupantur in sic dictis rebus mundanis. Certe adsunt valores morales in his omnibus et est conscientiae laici moraliter suo munere fungi. Sed ad hoc non eget nisi raro interventu hierarchiae; sufficit sua formata conscientia ad prudenter agendum; et munus cleri potius est illam conscientiam formare ad instar mentis Christi quam omnia iudicia pro laicis inferre. In omnibus autem actionibus et muneribus mere saecularibus laici ipsi sunt qui auctoritatem habent, etiam *quandoque super cleros*[3]: puta de medico, de « polizia », de rectore Status, quibus oboedire debemus in illorum competentia sicut et illi nobis oboediunt in religiosis rebus. Aliis verbis, nulla est ratio cur christiana civilizatio sit ecclesiastica, ne dicam clericalis.

Hoc quod videretur esse affirmatio nimis obvia et simplex magnam continet veritatem. Nos quidem episcopi et sacerdotes possumus facile omnia considerare in terminis de religioso apostolatu in quo positi sumus ut pastores gregis Domini. Facile exinde admittimus sensum valoris naturalis rerum. Sic aiebat Etienne Gilson: « Bonum est offerre scientiam Deo » sed, « ut vere et realiter quid offeratur Deo, requiritur

prius ut sit scientia », secus nihil offertur Deo. Omnibus nobis, in quantum homines sumus, etiam sine baptismate, competit missio organizandi hunc mundum modo humano. Hoc magni momenti est, ut vitetur tentatio parvi faciendi leges internas mundi socialis, culturalis ac scientiarum. Vero aliquo sensu potest et debet dici exsistere veros valores saeculares pro christianis. Laicus non debet hos valores — sub praetextu nescio cuius profundae religiositatis — spernere, sed totis viribus est ei adlaborandum ut ordo creationis in dies perfectior fiat, iuxta axioma christologicum « quod non est assumptum, non est sanatum ».

In hoc campo naturalis scientiae et naturalium virtutum, catholici possunt et debent agere cum omnibus hominibus bonae voluntatis ut tam luculenter nos docent in tantis pericopis Encyclicae Litterae Summorum Pontificum. Dolendum est ut catholici minus eminent in his disciplinis quam ex eorum numero sperare potuerimus. Nonne ratio invenienda esset in hoc quod nos nimis exclusive illis loquimur de apostolatu religioso, paucum dicentes de humanis rebus? Hoc gravius evadit nostro tempore quando ex una parte progressus technicus et nova mentalitas scientifica mundo dominantur; et ex altera quando multitudines crescentiae hominum in pluribus regionibus, in miseria versantur. Evangelium non praedicatur in vacuo. Magna problemata quae nunc nostris regionibus, v. g. Americae Latinae intersunt hominibus praecise versantur circa progressum desideratum et miseriam *actualem.*[4] Magni conatus fiunt ad civitatem terrenam magis conformem dignitati et libertati hominum construendam. Iamvero, saepe saepius, Ecclesia ibi apparet ut tantummodo sese praeoccupans de rebus supernaturalibus, quae res supernaturales vultum habent istius « philosophiae evasionis » — " *escape philosophy* "[5] — de qua em.mus card. Gracias iam locutus est.

Saepe etiam Ecclesia apparet in his regionibus uti arcto vinculo ligata « veteri ordini rerum » — sive intellectualium, sive socialium. Si ergo nos non possumus ostendere significationem humanam et christianam istius progressus hominum, si non luce clarius apparet quod illorum labor confert ad iustitiam et amorem inter homines, ita ut sit aliquomodo praeparatio longinqua vel adumbratio Regni Dei in mutuo servitio rerum quibus homines frui debent in hac vita..., *deinde nos non possumus pontem facere cum mundo quem Summus Pontifex Paulus VI indicat ut finem huius Concilii.*[6]

Scripta alia tradam cum aliis aliquibus emendationibus in hoc sensu.[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ante quinquaginta annos editores Codicis Iuris Canonici exiguam tantum mentionem fecerunt in eo de laicis. Nunc in Concilio autem loquimur de illis longe et late, et praecise ut, in medio maximae constitutionis *de Ecclesia,* dicenda de eis aptum locum et modum inveniant. Sane ex hoc liquet progressum respectu laicorum esse partem essentialem totius renovationis Ecclesiae (aggiornamento) quae tam vivide expectatur ab omnibus. De his, ut puto, omnes nos gaudemus.

Attamen adhuc perplures non tantum laici sed periti etiam necnon ipsi episcopi qui hoc cap. III inspexerunt illud aestimant non adaequate laicorum munus exprimere, propterea que nimis « clericalem » sonare. Quare hoc affirmant?

Respondeo dicendum quod caput deficit in secunda parte ubi praecise de laicis agit. In prima parte, quae est de populo Dei generatim et quae erit novum secundum caput, perpulchre describitur vitam supernaturalem omnibus christifidelibus communem. Haec omnia autem debent incarnari, ut ita dicam, in concretis adiunctis uniuscuiusque status in Ecclesia. Pro hierarchia et clero hoc fit in capite de constitutione Ecclesiae; pro iis qui consilia profitentur verbum est in capite de vocatione ad sanctitatem. Hic autem esset facienda applicatio pro laicis (par. 25 et 26), in hoc quod erit caput quartum, saltem in his quae eorum vitam et apostolatum respiciunt, relinquendo pro alio capite ea quae sanctitatem respiciunt. Huiusmodi applicatio in nostro capite autem in pluribus deficit.

1. *Definitio laici.* Tota paragraphus quae incipit in pag. 6, lin. 31, debet ex contextu ubi nunc invenitur (qui agit de populo Dei tantum in genere) transferri in partem secundam ubi de laicis proprie agitur. Definitio autem laici quam paragraphus proponit inepta videtur. Etenim cum laicus modo negativo definitur ut ille baptizatus qui « nec ad ordinem hierarchicum, neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinet », deficienter ille definitur per oppositionem ad duo quae nullo pacto in eodem plano versantur. Hierarchia enim ad ordinem sacramentalem pertinet, dum status religionis viam ad perfectionem arripiendam dicit. Ex hac manca definitione sequuntur nonnullae confusiones, v. g. religiosos nunquam esse laicos, etiam quando ordinibus sacris carent, quod contradicit affirmationibus in cap. 4, pag. 21, linn. 4 ss. de eadem re. Melius esset proinde simpliciter textum definitionis sequenti modo immutare: « Iamvero Sancta Synodus docet laicos esse fideles qui baptismate in populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent, sed ad ordinem hierarchicum non pertinent ». Alias emendationes scriptis tradam. [2] De apostolatu laicorum. [3] super nos episcopos. [4] realem. [5] deest. [6] ut vere humano modo vivant, si nos incapaces sumus theologiam istarum rerum sic dictarum terrestrium proponere, si fides nostra, caritate vivificata, opere et veritate, in socialibus effectibus, non se manifestat, periculum magnum adest ne, in sic dictis « novis regionibus mundi » proxima generatio in materialismum incidat. E contra, si attingimus hunc novum mundum ideologia christiana, amoris et iustitiae, in qua omnis veri nominis progressus melius intelligitur et ardentius desideratur, poterimus ultimum finem huius Concilii a Summo Pontifice Paulo VI indicatum adimplere, hoc est ut Ecclesia « humanam consortionem nostrae aetatis, quodam quasi ponte instituto attingat » (Alloc. ad Patres Conc. Oecum. Vat. II, die 29 sept. 1963). En, uno verbo, problema. Omnino consentio his quae dicta sunt ab exc.mo D. Hervás. Apostolatus laici qui non ex gratia et caritate procedit, nihil valet et brevi extinguitur. Praecise

nobis est nostris laicis magnalia supernaturalia plenius communicare, sicut optime fiat in illis cursibus christianismi (Cursillos de cristiandad) cuius fundator providentialis est ipse exc.mus Hervás, ut populus novus Dei mundum ei consecret in hymnum et laudem gloriae. Sed hoc non fit in vacuo, neque tantum in templo vel sacristia, potius Ecclesiae fide et sacramentis roborati homines christiani crebrius in mundo laborant et ibi salus ipsorum et proximorum sudore suarum frontium promerentur. Sanctitas populi Dei inserenda est in mundo reali eorum; et sacerdotium regale eorum exercendum est ad mundum dominandum pro Dei gloria et hominum servitio. [7] Scriptis tradam aliquos textus quibus haec dimensio temporalis realitatis laicorum potest forse explicitius tractari in hac parte. Ne dicant aliqui omnia haec videnda esse in schemate de apostolatu laicorum vel in alio XVII de Ecclesiae munere erga mundum, respondeo principia doctrinalia hic ponenda esse ut facilius consequentia ibi ostendatur.

[*Subscripserunt*] Alfredo Viola, ob. de Salto in Uruguay; Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis (Mexico); Aloisius Baccino, ep. S. Ioseph (in Uruquaria); Roberto Caceres, ob. de Melo (Uruguay); Fr. Valenzuela, ob. de Antofagasta (Chile); Eladio Vicuña A., ob. de Chillan (Chile); Marcelo Mendiharat, ob. coad. de Salto (Uruguay); Guillermo C. Hartl, vic. ap. de la Araucania; fr. Francisco Valdes S., ob. de Osorno (Chile); Teodoro Eugenin, ob. tit. de Gerisso; Enrique Alvear, ob. aux. de Talca; J. Manuel Santos A., ep. Valdiviensis; Vladimirus Borić, ep. de Punta Arenas (Chile); Augusto Salinas, ob. de Linares (Chile); B. Piñera C., ep. Temucensis (Chile); Juan Feo Fresno, ob. de Copiapò (Chile); Raul Zambrano C., ob. de Facatativá (Colombia); Miguel Antonio Medina, ob. aux. Medellin (Colombia); Bernardo Arango, ob. de Barranca Bermeja (Colombia); José Arango, pref. ap. de Guapi (Colombia); José M. Garrizo V., ob. de Chitré (Panama); Pedro José Rivera Mejía; Angel M. Ocampos B., ob. de Tunja (Colombia); Alfonso Uribe, ob. aux. de Cartagena (Colombia); Jorge A. Giraldo, ob. de Pasto; fr. Vicente Roig y Villalba, vic. ap. de Valledupar; Marceliano E. Canyes, pref. ap.; Tomás A. Clavel M., ob. de David; Juan J. Diaz Plata OP, prel. null. de Bertrania (Colombia); José Ioachim Florez, ob. Duitama; Alberto Rencoret, arz. de Puerto Montt; Al. Menchaca L., ob. tit. de Pinara (Chile); Laurentius M. Graziano, ep. aux. S. Annae; Antonio Rossi, ob. de Venado Tuerto; Alberto Devoto, ob. de Goya (Argentina); Francisco Beckman, arz. de Panamà; Vicente Zazpe, ob. de Rafaela (Argentina); Manuel Tato, ob. de Santiago del Estero; Antonio M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Antonius Quarracino, ob. de 9 de Julio (Argentina).

Animadversiones additae:

N. 25, pag. 9, linn. 3 s., ponatur: « est participatio ipsius missionis Ecclesiae salvificae, titulis omnibus christifidelibus communibus, scilicet baptismo, confirmatione et eucharistia, a sacra hierarchia determinatus, si opportunum fuerit, quantum ad modum diversis necessitatibus Ecclesiae accommodatum, quin tamen propter hanc determinationem laici ex suo statu in mundo, etiam si aliquam participationem sacramento ordinis receperint, in omni casu exeant ».

Eadem pagina, linn. 24-25, loco « evangelico nuntio », ponatur « evangelico *testimonio* ». Sic melius enucleatur sensus vocis « apostolatus ».

N. 25, pag. 9, lin. 9, compleatur textus hoc modo: « etiam operoso suo modo *prudentia sua supernaturali* participent ».

In n. 26, pag. 10, linn. 32-34, inversionem vocabulorum fiet hoc modo:

« semper vero cum prudentia et caritate, humilitate et veracitate, debita reverentia et fortitudine erga illos, qui ratione... ».

N. 26, pag. 10, lin. 39, haec addantur: « in Christo considerent, in omnibus rebus quae directe vel indirecte non spectant ad veritatem fidei, ad communitatis christianae regimen pastorale, vel ad sacrum Dei cultum, libertati filiorum Dei confidenter et reverenter consentientes ».

Sic melius ostenditur civilisationem « christianam » non esse necessario « civilisationem *ecclesiasticam* » vel « clericalem ».

Servetur textus propositus in *Emendationes,* fasc. II, pag. 10-11, circa « characterem saecularem laicis proprius et peculiaris ».

In n. 25, pag. 9, lin. 41, addantur haec verba: « Per suam in disciplinis profanis eminentiam, per activitatem suam gratia Christi intrinsecus elevatam etc. ».

In n. 25, pag. 10, lin. 14, ut vitetur impressio « imperialismi » proponitur loco « Dei imperio », sequentia verba: « Domini spiritu ».

Sic melius ostenditur momentum operum saecularium in conditione christiana laicorum fidelium in mundo et in Ecclesia.

13

Exc.mus P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

Venerabiles Fratres,

Propositionem practicam enuntiare vellem relate ad « definitionem » laicorum et eorumdem statum in Ecclesia (pag. 6, linn. 31-40).

1. *Auditores laici,* postquam cap. III nostri schematis *de Ecclesia* perlegerunt, mentem suam membris commissionis de apostolatu laicorum clare aperuerunt, exoptantes insuper ut votum suum ipsis Patribus Concilii exprimatur.

Omnes auditores praesentes, ex qualicumque regione, unanimiter aestimaverunt textum esse satis deficientem: quia descriptio fit in forma nimis adhuc negativa, ut iam dictum est; praeterea, descriptio insufficienter illustrat missionem splendidam laicorum, quam nullus alius substituere posset.

Enixe, igitur, cupiunt auditores laici ut alius textus exaretur cum maiori claritate, maiori praecisione et in forma magis positiva.

2. *Quomodo his votis satisfaciendum erit?*

a) *Ad formam mere negativam prorsus vitandam,* et nihilominus necessariam distinctionem inter clericos, religiosos et laicos retinendam, hoc proponerem, consentientibus nonnullis episcopis: ut forma positiva schematis *de apostolatu laicorum* adhibeatur (*in hoc schemate,*[1] pag. 5, lin. 15), vel qualiscumque formula huiusmodi, quae *in eodem textu* apte exprimat vocationem propriam clericorum, religiosorum et laico-

rum, *per modum enumerationis* et non iam per formulam negativam vel exclusivam. Dicerem, v. g.: « Iamvero in populo Dei *alii* ad statum clericalem vocantur, *alii* ad statum religiosum per Ecclesiam sancitum, *alii* tandem — quos Sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit — baptismate in populum Dei cooptati etc. ... ». Sic haberemus formulam positivam simul ac claram distinctionem.

b) *Quoad substantiam descriptionis laicorum* aliquis observare posset quod iam in cap. III multa elementa positiva contineantur, quae pariter in descriptione populi Dei et sacerdotii universalis fidelium apparent; sed notandum est quod multa ex illis elementis alium in locum distribuentur si cap. III, ut praevidetur, in duas partes dividetur.

Opportunum ergo esset in descriptione laicorum elementa essentialia denuo assumere, ut in pleniorem lucem appareant aspectus positivi eorum *vocationis propriae* in Ecclesia et ut melius determinetur et illustretur *eorum status* necnon *eorum missio.*

Proinde textum in melius mutatum proponere vellem, i. e. ipsum textum schematis cum aliquibus emendationibus. Textus ergo sic sonaret: « Iamvero in populo Dei alii ad statum clericalem vocantur, alii ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum, alii tandem — quos Sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit — baptismate in populum Dei cooptati, membra mystici Corporis Christi effecti et dignitate personae in Ecclesia Dei pollentes, *in communi christifidelium statu* Deo serviunt et ad caritatis plenitudinem assequendam vocantur, necnon ad missionem totius populi Dei in mundo explendam secundum suam propriam operationem munere funguntur ». *Et explico*:

a) *Cur addidimus*: « membra mystici Corporis Christi effecti et dignitate personae in Ecclesia Dei pollentes »?

Quia laici enixe desiderant ut habeantur sicut membra Ecclesiae iuxta plenissimum sensum huius vocabuli, i. e. sicut membra activa, subiecta iuris *et officiorum,* reapse adulti christiani qui ut tales aestimandi sunt, quod fit praesertim illos rogando ut per propriam capacitatem ac per suam multiformem activitatem in mundo et in Ecclesia regnum Dei promoveant.

b) *Cur addidimus*: « ad caritatis plenitudinem assequendam vocantur »?

Quia verba « Deo serviunt » a multis intelliguntur ut pura observatio mandatorum circa cultum Dei et sic aliquid « staticum » redolent. Praeter notionem « servitutis » addenda est ergo « vocatio ad sanctitatem » i. e. ad perfectionem caritatis, iuxta illud S. Pauli ad Ephesios scribentis (cap. 1, vers. 4): « Ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate ».

Ultimam phrasim tandem, a lin. 36 incipientem, in melius mutari vellem:

a) quia textus schematis sensum aliquomodo incertum exprimit. Etenim non agitur tantum *de sanatione* huius mundi in sua structura intima et de valoribus moralibus afferendis, *sed etiam manifestatione Evangelii salutis* omnibus hominibus, ut ad fidem in Christum Dominum perducantur.

b) Insuper ostendendum erat quod laici, *proprie per suam participationem* conditionum et laborum huius mundi, *missionem suam specificam* explere possunt.

Sic textus sonaret (ultima *verba*): « Laici, igitur, secundum vocationem suam specificam in laboribus huius mundi et in ordinariis conditionibus vitae familiaris et socialis partes ex officio agentes, spiritu evangelico ducti ad modum fermenti mundum velut ab intra sanctificant et testimonio vitae suae, fide, spe et caritate fulgentis, Christum manifestant et ad eum verbo et opere, fratres suos perducunt ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:

Hi diversi aspectus modo sat explicito exprimuntur in emendationibus ab em.mo card. Suenens propositis Pars II pp. 10-11.

His emendationibus plene assentio, paucis verbis exceptis, salva reverentia.

1. « *Saecularis character* » etc. mallem dicere « saecularis nota » ut confusio vitetur cum « charactere » baptismatis...

2. Lin. 3 huius par. « saeculari conditioni », mallem alia vocabula quia verbum « saecularis » etsi usuale, non facile intelligitur a laicis et quamdam aequivocationem prae se fert. Mallem dicere v. g. « secundum formam... et rerum adiuncta in mundo degunt, vivunt quae ex eorum intima praesentia in mundo et participatione eius negotiis dimanant ».

3. Lin. 6, « ad ipsos etc. ». Ut aequivocationes vitentur et magis appareat duplex et indivisibilis (in existendo) missio laicorum, mallem dicere: « Ad ipsos *proprie* pertinet non tantum res temporales omnes ut cooperatores Creatoris gerere, sed etiam illas ita illuminare atque ordinare ut secundum Christum et in Christo exsistant ac crescant » (omnia instaurare in Christo) *Eph.* 1.

4. Pag. 11, lin. 2 « coram saeculo », mallem dicere: « coram hominibus » (« luceat lux vestra coram hominibus... »).

5. Lin. 5, pag. 11, delerem « quibus augeantur » etc. usque « castitas » ut abbrevietur textus; et dicerem « *ut* in cunctis negotiis etc. » (lin. 7).

6. Lin. 8, « laici insuper » remitterem in fine articuli quia hic non agitur de apostolatu specifico laicorum. Sic praetermitterem: « Uno verbo quod anima est in corpore, hoc sunt in mundo christiani ».

7. Adderem tandem: « Quod autem facere non valent nisi consilium sequendo S. Pauli ad Romanos: « Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta ».

14

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Circa caput *de populo Dei* et speciatim *de laicis,* proponere vellem tantum animadversionem generalem quae videtur christianis orientalibus maximi momenti. Haec est: quidam enim fere abest ab hoc capite, scil. *Spiritus Sanctus.* Sermo quidem fit de Spiritu Sancto, in cap. I huius schematis, in par. 3, sed postea non satis apparet eius praesentiam unificare totum mysterium Ecclesiae. Porro, secundum traditionem Sacrae Scripturae et constantem traditionem Ecclesiae in oriente, non est theologia Ecclesiae nisi pneumatologica, i. e. Ecclesia mysterium est effusionis Spiritus in novissimis temporibus...[1]

Aetas Ecclesiae in historia salutis vocatur a Patribus « Oeconomia Spiritus ».

Necessitas emendandi huius capitis, et fortasse cuiusque capitis schematis *de Ecclesia* sub lumine illius realitatis centralis, diversis rationibus, apparet:

a) *Ratione renovationis Ecclesiae.* Theologia de Ecclesia evoluta est in occidente magis sub respectu Christi, modo potius iuridico, in oriente autem magis sub respectu Spiritus Sancti, modo potius mysterico. Hi duo aspectus complementarii sunt et uniri debent. Momentum adesse videtur accipere denuo totas divitias traditionis totius Ecclesiae.

b) *Ratione oecumenica.* In tali pleniore expositione fidei, tandem possumus cum fratribus nostris orientalibus alteri alteros intelligere et recognoscere in eadem Ecclesia, una et indivisa, non tantum iuridice sed praesertim mystice sumpta.

c) *Ratione pastorali.* Illa plenior traditio profundius explanare videtur realitatem missionalem, historicam, communitariam, sacramentalem et eschatologicam populi Dei in aetate Ecclesiae. Hodiernus mundus qui considerat saepius Ecclesiam ut magnam organisationem sociologicam et tamen Spiritu Dei esurit, sic non frustrabitur in exspectatione sua.

Ideo, quinque notationes proponi possunt de oeconomia Spiritus.

1. *De missione evangelica Ecclesiae.* Novus populus Dei est « Ecclesia » quia in ea Verbum Dei per Spiritum Sanctum « vocat », traditur, intelligitur et proclamatur. Proinde, missio Ecclesiae in istis novissimis diebus debet:

a) Vetus Testamentum intelligere in Spiritu Resurrectionis Christi ...[2] et illud adhibere ut paedagogum qui ducit ad Christum ...[3] ita ut assumantur valores positivi omnis gentis et omnis religionis.

b) Praedicare Evangelium secundum quatuor testes eius, qui, modo complementario, narrant actionem Spiritus Sancti in Christo, « uncto » Dei. Sicut olim tota vita Domini ducta est a Spiritu, ita nunc vita Corporis eius.

2. *De historia populi Dei in aetate Ecclesiae.* Actio pastoralis Ecclesiae, in nostro capite, inspirari deberet a sensu historiae salutis eiusque aetatis in qua vivimus. Notare sufficiat, v. g., quod Actus Apostolorum, qui narrant typice gesta Spiritus in Ecclesia, extenduntur a Hierosolymis ...[4] ubi stat « ecclesia-mater » secundum oeconomiam salutis, usque ad Romam ...[5], Babylonem novam ubi populus Dei manet in exsilio donec adveniat nova Ierusalem ...[6]. Hic est sensus « spiritualis » Romae in tempore Ecclesiae. « Ecclesia-mater » translata est in Romam, post amissionem primi populi Dei ...[7] non quasi illa fuisset origo omnium ecclesiarum ac ut imponeret illis indolem suam, sed ut fiat centrum visibile novi populi Dei in exsilio usque ad consummationem saeculi huius. Sic in Babel huius mundi, operat virtus Spiritus in adunationem hominum ...[8]. Roma igitur signum est conditionis apocalypticae Ecclesiae, nondum triumphantis sed iam testimonium perhibentis Resurrectioni Domini nostri in tribulatione.

3. *De charismatibus in tempore Ecclesiae.* Verbum « aequalitas » vel « inaequalitas » in par. 23, ambiguum et non concordans videtur cum Sacra Scriptura quae potius loquitur de diversitate « gratiarum et ministrationum et operationum » ...[9] in uno Spiritu. Sic ministratio episcopi Romae, i. e. « ecclesiae-matris » in exsilio, pertinet ad « servum servorum Dei » secundum appellationem semiticam ortam ex Ierusalem, prima « ecclesia-matre ». Quia modus proprius energiae Spiritus Sancti est colligere, datur in omni effusione charismatica aliqua collegialitas. Sicut episcopus Romae, in suo ministerio particulari, membrum est collegii episcoporum, cuius est principium unitatis, ita, mutatis mutandis, omnis minister, sive in hierarchia, sive in sacerdotio universali quo constituitur « laicus », i. e. « ex populo Dei », membrum est corporis ecclesiae localis circa episcopum, centrum eiusdem Ecclesiae, et, per episcopum, corporis totius Ecclesiae.

4. *De sacramentalitate novi populi Dei* (in par. 24). In oeconomia Spiritus, illa collegialitas est primario ontologica et sacramentalis, secundario tantum socialis et iuridica. Omne sacramentum, secundum traditionem orientalem, operatio est Spiritus Sancti qui extendit energiam Resurrectionis in prima creatione. Melius ostendi potest quod Eucha-

ristia non est tantum sacramentum quod « inter cetera » sed quasi forma ceterorum. Talis motio unificans Spiritus Sancti apparet in liturgiis orientalibus ubi omne sacramentum exprimitur modo eucharistico, cum lectionibus Sacrae Scripturae et in anaphora gratiarum actionis.

5. *De missione eschatologica Ecclesiae.* De hac indole eschatologica optamus fusius tractari in par. 25. Tempus Ecclesiae enim specificatur ab inchoatione novae creationis, i. e. Spiritu nobis dato, in prima creatione: adoptio filialis *iam* effusa est in Ecclesia sed *nondum* plene manifestata in mundo ...[10]. Inter illud « iam » et hoc « nondum » erumpit missio Ecclesiae. Ideo Spiritus movet Ecclesiam modo paschali tum in sacramento tum in re sacramenti quae est *Caritas*. Redemptio mundi fit nunc in spe ...[11], i. e. caritas Ecclesiae est fermentum Resurrectionis in farina huius creationis. Apostolatus igitur non est activismus sed parturitio novae creationis per medium Ecclesiae in qua Spiritus ingemiscit et ex qua effunditur...[12]

Conclusio. Optatur quod adhortatio finalis ...[13] verbum loquatur de novitate Spiritus, tum ad significationem sacramentalem laboris oeconomico-socialis laicorum, tum ad vitam eorum in vera libertate Spiritus ...[14] ut pulchrius effulgeat potentia Resurrectionis Domini qui, per Crucem, recapitulat universam creationem...[15] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Act.* 2, 17). [2] (*Lc.* 24, 45-48). [3] (*Gal.* 3, 24). [4] (cap. 1). [5] (cap. 28). [6] (*Apoc.* 17-21). [7] (*Rom.* 9-11; *Act.* 28, 28). [8] (*Gen.* 11, 1-9; *Act.* 2, 1-11). [9] (*1 Cor.* 12, 4-6). [10] (*1 Io.* 3, 1-2). [11] (*Rom.* 8, 24). [12] (*Rom.* 8, 19-27). [13] (par. 27). [14] (*Gal.* 5). [15] (*Rom.* 8, 12-18; *Eph.* 1, 10).

15

EXC.MUS P. D. ALFONSUS URIBE JARAMILLO

Episcopus tit. Aureliopolitanus in Asia, aux. Carthaginensis in Columbia

Carissimi Fratres,

Ut melius considerentur condicio et missio totius populi Dei, tum hierarchiae tum laicorum, necesse est realitatem sacerdotalem totius Corporis mystici clarius ostendere hoc in schematis capite.

Natura, etenim, corporis eadem est ac eius capitis. Iamvero Christus « quem posuit Pater caput supra omnem Ecclesiam » ...[1] est « Sacerdos in aeternum » ...[2] et sacerdotio substantiali pollet inde ab ipso instante incarnationis, quia eius missio cultualis et redemptrix est stricte sacerdotalis et sacerdotio ideoque indiget. Etenim sacrificio suo crucis

omnem gloriam et honorem Trinitati Beatissimae tribuit, simulque redemit nos.

Ergo quum Ecclesia sancta sua, missionem sacerdotalem ipsam Christi sui Capitis, et inseparata ab eo, prosequatur, necesse ad hoc est ut tota sit sacerdotalis, seu *ut sit* [3] corpus sacerdotale Christi sacerdotis ...[4], iuxta verba S. Leonis Magni: « Omnes enim in Christo regeneratos consecrat sacerdotes: ut praeter istam specialem nostri ministerii servitutem, universi *spirituales* [5] et rationabiles christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes »...[6]

Hoc utique fit per characterem sacerdotalem ut S. Thomas in Q. 65 partis III docet et ut Pius papa XII in Encyclica Mediator Dei asseruit.[7]

Charactere vero confirmationis fideles sacerdotium Christi intimius participant, novamque potestatem cultualem activam recipiunt, simul et apostolicam, defendendi scil. et dilatandi regnum Dei.

Haec participatio illuminat vitam christianam omnium fidelium, et in primis finalitatem cultualem totius populi Dei quae mediante participatione activa cultus a Christo instituti obtinetur, iuxta verba S. Augustini: « Tota redempta civitas offert et offertur per sacerdotem magnum Iesum Christum » ...[8]. Et ius simul et officium pastorale omnis baptizati clare apparent.

Apostolatus enim laicorum est participatio ipsius missionis Ecclesiae salvificae, eo quod haec missio a Christo sacerdote accepta essentialiter sacerdotalis sit et per characterem sacramentalem ad illam adimplendam fideles apti evadant, ita ut eorum opus, ad sic dictam mundi consecrationem, ducat mundum hunc totum ad finem suum ultimum qui est laudes Deo offerre.

Conscientia huius communis realitatis sacerdotalis erit elementum optimum ad unitatem arctam omnium fidelium attingendam, et fundamentum laicorum unionis cum sacra hierarchia, i. e. cum his fidelibus ad populum Dei etiam pertinentibus, qui sacramento Ordinis consecrantur, et quos omnes existimare ut ministros Christi et mysteriorum Dei dispensatores tenentur.

Haec *denique* [9] realitas sacerdotalis populi Dei ostendit etiam suam mirabilem continuitatem post peregrinationem eius quando caelum feliciter attingit. Ecclesia enim triumphans, in aeternum functionem sacerdotalem exercet per ipsum et cum ipso et in ipso suo capite. Ita in Apocalypsi in caelo degentes dicunt: « Redemisti nos sanguine Tuo et fecisti nos sacerdotes regni Tui ». In Patria sane Ecclesia missionem cultualem laeta adimplet illo cultu mirabilibus figuris in Apocalypsi descripto.

Unde concludimus: si totus populus Dei sub luce suae realitatis sacerdotalis inspiciatur, melius eius dignitas, missio et unio apparebunt.

Humiliter denique peto ut in pag. 7, lin. 18, loco verbi « essentialiter » ponatur « sacramentaliter », quia sacerdotium Christi quod hierarchia et laici participant unum est. Participatio autem huius sacerdotii differt prout characteres diversi in sacramentis baptismatis, confirmationis et Ordinis recipiuntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 1, 22). [2] (*Ps.* 109, 5). [3] deest. [4] Hoc utique fit per characterem sacramentalem baptismatis. [5] spirituales. [6] Et quid tam sacerdotale quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatam pietatis hostias de altari cordis offerre? Quod cum omnibus per Dei gratiam commune sit factum, religiosum tamen vobis atque laudabile est ut unum celebretur in toto Ecclesiae corpore pontificii sacramentum, quod, effuso benedictionis unguento, copiosius quidem in superiora profluxit, sed non parce etiam in inferiora descendit » (M. PL 54, 149). [7] deest. [8] (PL 41, 284). [9] deest.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Secretarius generalis: Communicantur exitus suffragationum mane peractarum:

Emendatio IV:

Praesentes votantes		2.234
Dixerunt	*placet*	2.113
	non placet	118
	placet iuxta modum, ergo nulla vota	2
Suffragia nulla		1

Emendatio V:

Praesentes votantes		2.231
Dixerunt	*placet*	1.722
	non placet	509

Emendatio VI:

Praesentes votantes		2.216
Dixerunt	*placet*	1.840
	non placet	371
	placet iuxta modum, ergo nulla vota	4
Suffragia nulla		1

Emendatio VII:

Praesentes votantes	2.123
Dixerunt *placet*	2.111
non placet	12

Emendatio VIII:

Praesentes votantes	2.110
Dixerunt *placet*	2.088
non placet	20
placet iuxta modum, ergo nullum	1
Suffragium nullum	1

Omnes emendationes, igitur, placuerunt.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LIV

23 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LIV

23 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 54 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Communico imprimis Patribus venerabilibus mortem piissimam exc.morum DD. Ranulfi da Silva Farias, arch. Maceiensis in Brasilia, et Ioseph Meysing, arch. tit. Dercensis, olim arch. Bloemfonteinensis in Africa Meridionali. Oremus pro ipsis!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT, alternatim cum Patribus, *De profundis* recitat, cum versiculis et oratione.

Secretarius generalis:

Attendatis, Patres venerabiles! Die prima proximi novembris, in festo omnium Sanctorum, et die 2, in commemoratione omnium fidelium defunctorum, vacabit, ut patet, congregatio generalis.

Die 3 novembris erit ritus beatificationis venerabilis Iosephi Murialdo, die autem 27 sequenti habebitur beatificatio venerabilis Dominici a Matre Dei, Congregationis Passionis. Iam alia beatificatio facta est durante hac periodo, igitur omnes normae serventur ut in prima beatificatione.

Die autem 4 novembris, cum praesentia augustissima Summi Pontificis, erit commemoratio instaurationis seminariorum factae a Patribus Concilii Tridentini. Dabitur libellus celebrationis ritus, cum omnibus caeremoniis, sequentibus diebus. Die autem 5 novembris erit denuo congregatio generalis.

Hodie, durante disceptatione de cap. III schematis *de Ecclesia*, prosequentur suffragationes de emendationibus circa cap. IV schematis *de sacra Liturgia*, nempe de officio divino. Et crastina habebitur suffragatio totius integri capitis; post hanc, fiet relatio super cap. V, et inchoabitur suffragatio de cap. V.

Nunc lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa cap. III schematis *de Ecclesia*: em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis in Gallia; beat.mus Paulus II Cheikho, patriarcha

Babylonensis Chaldaeorum; exc.mi DD. Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chilia, Ioannes Healy, ep. Gibraltariensis in Gibraltaria, Ioannes Przyklenk, ep. Ianuariensis in Brasilia, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Raphaël Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania, Villelmus Van Zuylen, ep. Leodiensis in Belgio, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph da Silva, ep. tit. Thiavensis in Lusitania, Ioseph Arnerić, ep. Sibenicensis in Iugoslavia, Emmanuel Conde, ep. Cordubensis in Hispania, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto, Pater Anicetus Fernandez, magister generalis O. P., Petrus Cantero, ep. Huelvensis in Hispania, Thomas Muldoon, ep. aux. Sydneyensis in Australia, Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Georgius Hakim, arch. Nazarethanus Melchitarum, Conradus De Vito, ep. Lucknovensis in India, Aloisius Borromeo, ep. Pisaurensis in Italia, Telesphorus Cioli, ep. Arretinus in Italia, Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria, Angelus Jelmini, adm. ap. Luganensis in Helvetia, Michaël Gonzi, arch. Melitensis in Malta, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia, Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis velit legere emendationem nonam in cap. IV schematis *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Videatis pag. 6 fasciculi. Ad art. 72: pag. 186, linn. 32-36, et pag. 187, linn. 1-2 (et conferatis, ad facilitatem, huius fasciculi pag. 34, n. 72) ... [*cf. pag. 115*].

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. LEFEBVRE

Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Libentissime in hac aula nuper audivimus exc.mum D. De Smedt exoptare, ut vita salutifera et apostolica laicorum appareat per decursum schematis in luce sacerdotii eorum, utpote baptizatorum.

Cum multis aliis Patribus tali voto plene assentior. Sic enim considerata, melius effulget eminens dignitas cuiuslibet christifidelis et missio ab eo in Ecclesia explenda.

Attamen, si optandum est ut sic magnificetur sacerdotium fidelium, Christo Domino per baptismum et confirmationem coniunctorum, non minus opportunum videtur, ut clare determinetur distinctio essentialis inter illud sacerdotium et sacerdotium ministeriale, necnon ut indicetur quantum ab hoc ultimo accipit, ut proprium exercitium in vita practice habere possit. Hac in re etenim valde interest, sicut iam notaverunt nonnulli Patres post em.mum card. Caggiano, ut prorsus vitetur quaelibet ambiguitas vel confusio. Ex altera parte maximi est momenti, ut perspicue ostendantur nexus strictissimi, qui sacerdotium fidelium cum sacerdotio hierarchico intime coniungunt. Hoc modo magis innotescet vocatio sacerdotalis in sua mira fecunditate, et procul dubio valor eius non minuetur prae oculis eorum, quos Christus forsan vocabit ad donum totale suiipsius. Praeterea sacerdotes et laici ad maiorem reciprocam aestimationem disponentur, necnon ad actionem ducendam inter se magis aptam et cohaerentem.

Exstat etenim differentia essentialis inter universale sacerdotium laicorum et sacerdotium presbyteri, qui propriam vitam et personam Christo redemptori, sanctificatori et salvatori devovit, charactere sacerdotali in aeternum signatus est, et exinde potestatem supernaturalem obtinet, ex qua fit in Ecclesia sicut fons vitae, et operari potest modo efficacissimo ad aedificationem Corporis Christi.

Huic sacerdotio ministeriali et hierarchico adnectitur, et quidem quoad ipsam existentiam et integram activitatem, sacerdotium fidelium.

Enimvero, sacerdotio hierarchico competit, per sacramenta baptismatis et confirmationis, fideles Corpori Christi cooptare, et sic eos participes efficere sui sacerdotii universalis. Ei competit, christifidelem *per sacramentum paenitentiae* [1] a servitute peccati liberare, et sic ei potestatem confert, hostiam immaculatam offerendi, quacum et seipsum immolare debet ex amore, in seipso vitia et concupiscentias crucifigens. Ei competit, Christum in Eucharistia fidelibus porrigere ita ut possint, in ipsum transmutati, quotidie sibimetipsi mori, et in ipso et per ipsum solummodo vivere. Ei competit, super altare sacrificium Christi et Christi totalis offerre, per participationem omnium suorum fratrum, quos in corde gerit et Summo Patri offert etiam si et ipsi de tali oblatione non cogitant. Ei competit, per sacramentum infirmorum, christifidelem adiuvare ad crucem Redemptoris tollendam et ad ultimum sacrificium offerendum quo in perpetuum cum Christo regnante coniungetur.

Hoc modo sacerdotium hierarchicum sustinet et vivificat sacerdotium fidelium, quod ad cultum divinum ordinatur.

Eodem modo sacerdotium hierarchicum, per exercitium muneris sui prophetici, laicis auxilium affert, ut veritatem evangelicam perspi-

ciant, ex ea vivant et de ipsa testimonium praebeant. Ei competit genuinitatem doctrinae accuratius servare, et fidelibus securitatem procurat in veritatibus fidei vel colendis vel manifestandis.

Ei denique competit, laicis securius exercitium eorum regalis sacerdotii in consecratione mundi ministrare. Dum eos illa principia docet, qui eorum activitatem dirigere debent, vel illa, si necesse est, eis in mentem revocat, rectam viam eis praestat, et eos devitat ab omni errore qui bono animarum obstaret necnon praestantissimae dignitati personae humanae.

Sic concluderem: si clare distinguere oportet sacerdotium hierarchicum et ministeriale a sacerdotio universali laicorum, impossibile est illa ab invicem seiungere. Secundum hoc sacerdotium recte concipi non potest sine relatione ad primum.

Proinde exopto ut haec relatio profundissima exprimatur et in claram lucem ponatur; et dum feliciter sacerdos laicorum extollitur, non silentio praetermittatur insignis magnitudo sacerdotii ministerialis, gratia gratis data, de qua certe non superbiam, sed confusionem sentire debemus, nostram indignitatem humiliter agnoscentes. Ex hoc autem fiet, ut simul et vocationes ad sacerdotium foveantur, et collaboratio sacerdotum cum laicis in fiducia peragatur ad missionem apostolicam corde uno et anima una rite adimplendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

2

BEAT.MUS P. D. PAULUS II CHEIKHO
Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum

Em.mi et exc.mi Patres,

Exponere desidero, nomine proprio, breves observationes circa cap. III *de Ecclesia.*

Titulus huius capitis est: de populo Dei et speciatim de laicis. Forsitan melius esset dicere simpliciter: de populo christiano.

Deinde neminem fugit doctrinam declarandam in hoc sacrosancto Concilio Vaticano II claram et certam esse debere. Propterea quaestiones quae nondum maturae sunt, aut praetermitti aut clarius declarari oportet, ne in futuro contrariae interpretationes oriantur et praesertim apud fideles. Inter quaestiones huius generis reputo esse illam de sacerdotio universali. Haec quaestio, maximi momenti, indiget clara expla-

natione ne aperiatur porta ingerentiae laicorum in rebus ad solam hierarchiam unice spectantibus. Praeterea nescitur quomodo haec doctrina, quae non est adeo explanata apud orientales, catholicos et non catholicos, ab eis recipietur.

Non habetur enim apud orientales haec distinctio inter sacerdotium ministeriale, regale, *hierarchicum* [1] etc. Sacerdotium, secundum conceptum orientalium, ut mihi constat, est sacramentum Ordinis, in quo partem non habent nisi illi qui Ordinem sacrum receperunt per sacram ordinationem. Christifideles utique debent doctrinam evangelicam aliis ostendere et illustrare, non tamen sicut sacerdotium habentes sed sicut testes fidei et discipuli Domini nostri Iesu Christi. Quapropter n. 26 in pag. 10 indiget revisione.

Hanc occasionem nactus aliquid de fratribus nostris Observatoribus dicere cupio. Quotidie, id est, quinquies in hebdomada, fratres nostri Observatores, cum magna diligentia nos audiunt, nobiscum sacrosancto Sacrificio Missae devote intersunt. Nos etiam valde optamus eos semel in hebdomada audire, sive in hac aula, sive in alia. Paratum est cor nostrum ad audiendum illos, ut possimus nos melius ad invicem cognoscere et amare. Haec omnia prudenti iudicio em.morum moderatorum et praesidum submitto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

3

Exc.mus P. D. EMMANUEL LARRAÍN ERRÁZURIZ
Episcopus Talcensis

Venerabiles Patres, carissimi Auditores et humanissimi Observatores,

Efformatio capitis *de populo Dei* maximi pretii esse censeo ad perficiendam visionem Ecclesiae, uti in hac aula iam dictum est.

In cap. I, enim, descriptio Ecclesiae erat necessario « essentialis »; pulcherrima quidem, sed, quodammodo, ut ita dicam, abstracta ac veluti intemporalis; dum vero Ecclesia peregrinans in terris est mysterium incarnatum in hominibus historiae.

Meo humili iudicio, necessarium evadit ut schema istud, a nostra Synodo pastorali et oecumenica redactum, indicet etiam elementa quaedam magis ad existentiam ipsam adiacentia.

In capite *de populo Dei* hoc proprie fieri potest ac melius quam in capite *de Ecclesiae mysterio.*

Ad hoc magis theologice faciendum opinor necessarium esse introduci in hoc caput descriptio triplicis muneris populi Dei, scil. muneris prophetici, sacerdotalis et regalis, in quo inveniri fas est veluti tota concretizatio missionis Ecclesiae in historia.

...[1] Caput *de hierarchia* bene applicat istud triplex munus praepositis; et cap. IV *de laicis* deberet hoc quoque applicare ipsis laicis. Sic haberentur eaedem categoriae theologicae in toto schemate et melius evaderet unitas schematis...[2]

Nomine meo et plus quam sexaginta episcoporum Americae Latinae secretariatui scripto tradam exemplum totius conspectus.

Nunc autem mihi licitum sit aliqua *de munere prophetico populi* Dei addere.

Munus propheticum populi Dei implicat grave officium pro omnibus praedicationis et testimonii.

Populus Dei est « testis », seu « martyr » mysterii Christi inter homines, suo verbo, suo opere et tota sua vita. Quod evangelista dixit de Ioanne Baptista bene applicatur toti populo Dei « non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine »...[3]

In consecratione baptismali, ex qua coalescit populus Dei, fidelis omnis signatur ad testimonium; regeneratio in Christo cum de morte ipsius participes nos facit, est revera vocatio ontologica ad testimonium et veluti supernaturalis insita tendentia ad martyrium.

Populus Dei ad hoc est in mundo, ut testimonium perhibeat veritati...[4] et scire debet martyrium esse in termino testimonii...[5] tanquam imitationem ineluctabilis viae crucis ...[6] per quam Dominus vicit mundum...[7]

Caput, ergo, de populo Dei debet clare loqui de isto officio prophetico praedicandi et perhibendi testimonium.

1. Ad hoc munus propheticum exercendum populus Dei impellitur ab ipso verbo Dei in deposito revelationis contento et ei tradito. Possessio verbi Dei non est receptio passiva, sicuti si in capsa quadam custodiretur ne periret. Verba revelationis spiritus et vita sunt, non ad perficiendum aliquod « systema » doctrinae: revelatio nequit reduci ad theologiam; sed est nuntium bonum, « evangelion » renovationis, quod fermentare debet totam massam hominum.

Populus Dei, portans in se vim istius verbi, debet de ipso testimonium perhibere sive in praedicatione sive in evangelica vivendi forma. Schema sufficienter agit de magisterio episcoporum et Romani Pontificis, sed parum quidem de praedicatione. Missio autem Ecclesiae impletur imprimis praedicatione Evangelii. Nam quomodo credent homines si non audiunt? Et quomodo audient sine praedicante?

Praedicatio Evangelii importat semper aliquem contactum personae cum persona, quia vocatio personalis Iesu Christi nonnisi verbo personali ministrorum eius transmittitur. Media technica moderna multiplicationis et diffusionis verborum et imaginum, etsi utilia, immo necessaria in hodiernis adiunctis, non valent substituere verbum personale quo unusquisque apostolus adloquitur ad cor hominum. Una cum praedicatione ista missio Ecclesiae requirit etiam testimonium evangelicae vivendi formae. Sicut scripsit S. Cyprianus: nos christiani « non loquimur magna, sed vivimus ». Evangelica vivendi forma clare et constanter percipi debet in paupertate non ficta, in amoris castitate, in libera oboedientia, in oratione et ieiunio, in persecutionibus, in caritate.

2. At historice, in concreta scil. existentia Ecclesiae peregrinantis, populus Dei non bene semper munus istud implet, sicuti novimus iam in historia veteris Israelis. Novum caput de populo Dei opportunitatem praebet clare indicandi distinctionem, quam interponere debemus inter essentiam immaculatam Ecclesiae sine ulla ruga, et peccata ac defectus membrorum in saeculorum decursu. Sic impossibile erit in schemate visio illa angelicalis; sed, e contra, descriptio ipsorum membrorum populi Dei poenitentiam agentium, misericordiam divinam implorantium ac debita ad invicem demittentium, verius hominibus praebebit etiam aspectus humanos mysterii Ecclesiae. De cetero, nonne est paenitentia una ex specificis virtutibus ad quam consecrantur christiani per speciale sacramentum?

3. Officium perhibendi testimonium de mysterio Christi necessitatem inducit perpetuae reformationis in populo Dei, sicuti datum est perspicere in ista sacrosancta Synodo. Ne lux Christi obscuretur, Ecclesia amare debet renovationem et aptationem sicuti conditionem inhaerentem populo peregrinanti. Quinimmo, ad ipsam reformationem faciendam Spiritus exsurgere facit speciales testes, qui sancti et martyres sunt, peculiaribus ornati charismatibus, quibus numquam caruit nec caret Ecclesia. Prae mentem habeatis, Patres, e. g., S. Franciscum Assisiensem, vel S. Carolum, vel sanctos fundatores.

4. Denique missio historica Ecclesiae ad conversionem semper invitat: « Convertimini et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti » ...[8]. « Conversio » semper est actus personalis quo homines derelinquunt opera sua mala et credunt Iesum Christum surrexisse.

Nunc autem, nec imitatio servilis, nec decreta potestatis publicae, nec seductio quaedam bonorum materialium, nec propositio sentimenta-

lis ac naturalistica alicuius religiositatis aut ardor devotionalis superstitione imbutus, valent efficere conversionem veram. Ad conversionem semper requiritur testimonium vivum credentium: « eritis mihi testes ».

Pretium schematis erit, ergo, de munere prophetico populi Dei melius dicere. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sequens. [2] De hac visione secundum triplex munus iam bene dictum est in hac aula ab em.mo card. Radulfo Silva. [3] (*Io.* 1). [4] (*Io.* 18, 37). [5] (*Apoc.* 11, 7). [6] (*Apoc.* 11, 8). [7] (*Io.* 16, 33). [8] (*Act.* 2, 38).

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legat emendationem decimam.

Secretarius generalis: Novus articulus. Emendatio X: pag. 187, post lin. 23 (quae respondet pag. 35, n. 97, huius fasciculi) ... [*cf. pag. 116*].

4

EXC.MUS P. D. IOANNES FARMER HEALY
Episcopus Gibraltariensis

Supposita venia vestra, em.mi et exc.mi Patres, non possum non dicere quam mirum mihi fuisse silentium schematis nostri circa dolores et afflictiones humanas, quae partem tam insignem habent in opere salvifico mystici Corporis Christi.

Firmiter credimus et recte profitemur Christum hominem, propter unionem hypostaticam, laudem et gloriam divinam tribuere aeterno Patri Suo. Sic, in stabulo Bethlehem, parvulus Iesus, cum Filius Dei esset, infinitam iam gloriam dabat in excelsis Deo. Ita etiam manus illa sacrosancta adolescentis Iesus, qui apud Nazareth, sive ludis sive arti lignariae operam dabat, cum membrum esset Filii Dei, ineffabilem gloriam caelesti Patri offerebat. Fuit illa manus cum qua redemptor noster multitudinem cibavit; fuit illa manus cum qua parvulos benedicebat, infirmos curabat, errantes docebat, peccatores benigne recipiebat atque absolvebat. Item, in ipsas sacras ac venerabiles manus accipiens panem, fregit ac dedit discipulis suis dicens « Accipite et manducate; hoc est corpus meum ». In omnibus his actionibus manus illae quae operabantur, membra erant humana quibus Christus utebatur ut ipse, Verbum caro factum, dignam tribueret gloriam aeterno Patri qui est in caelis.

Attamen, nonne compellimur admittere opus omnium maximum atque sublimius quod illae sacrae manus egerunt fuisse illud quod sal-

vator noster consummavit apud Golgotha cum manus eius, cruci affixae, inertes et immobiles evaserunt?

Sed, ut omnes scimus, morte in cruce Christus operi redemptionis terminum non imposuit. Quae, enim, cum suo corpore egit cum adhuc inter nos in carne morabatur, hodie agere pergit, per membra mystici Corporis sui, quod est Ecclesia, in qua vivere perseverat.

Hodie, et unoquoque die, Christus hisce membris utitur ut opus Patrem honorandi indesinenter continuet. Ita, pueruli infantes qui, cum ex aqua et Spiritu sint renati, Christo uniuntur, eius opus apud Bethlehem, redemptionis primordia participant atque continuant. Parvuli et iuvenes, qui in scholis et in familiis catholicis educantur sunt etiam membra eius corporis sicut manus sacra adolescentis Iesus, qui apud Nazareth, proficiebat gratia, sapientia et aetate. Parentes christiani, cum filiis provident, etsi miracula patrare non soleant, uti Christus faciebat, ipsi, tamen, redemptori sine dubio, cum filii Dei sint, assimilantur per gratiam sanctificantem, atque honorem et gloriam caelesti Patri largiuntur. Medici, quoque, et alii qui infirmis ministrant, a Christo vocantur, ut participes fiant eius operis, sicque virtus exire pergit ex eo et infirmi saluti restituuntur. Episcopi et sacerdotes, divina providentia sunt constituti, similiter ac manus Christi, ut peccatoribus dent veniam et benedictiones impertiantur; nobis etiam datur ut panem consecrandum in manus nostras sumamus sicut magister fecit qua nocte tradebatur.

Hodie manus Christi cruci affiguntur. In cruce redemptor exaltatus et suam ipsius prophetiam complens, omnia trahit ad se ipsum. Speciali tamen modo, in opus suum sanctificationis et salutis animarum trahit infirmos et dolentes. Etiamsi, prudentia forsan ducti, praetermittamus illos qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non licet nobis oblivisci illorum qui, cum mente affligantur aut corporis aegritudine laborent, inter potiora membra mystici Corporis Domini nostri adnumerantur.

Quatuor sunt rationes quae mihi suadent ad postulandum ut specialis attentio tribuatur his quae sunt animae electae et filii Dei carissimi.

Prima quidem ratio ex eo oritur quod in dies magis magisque attenditur ad problema, quod dicitur, doloris — anglice " the problem of pain ". Etsi, enim, summis commendanda sunt laudibus quae, sive propter rationes humanitatis, sive etiam propter veram caritatem, constanter immo et heroice fiunt ut dolentium cruciatibus levamen afferatur, agnoscere tamen nobis oportet, quamplurimorum vitam sub umbra crucis Christi decursum iri. Sola lux fidei monstrare potest verum

sensum Calvarii; tum solum nobis incipiet clarescere sensus vocationis et sacrificium et dolorem cum proximum nostrum afflictionibus et dolore laborantem, comparticipem intelligamus passionis Capitis nostri, Christi.

Secunda ratio fundatur in necessitate obsistendi sceleratae illi praxi « euthanasiae », cuius usus his ultimis in temporibus percrebuit. Atheos, enim, naturalistas et alios qui ordinem supernaturalem negant, ratio doloris humani omnino effugit; nec possunt capere qua de ratione vitam eorum, qui infirmitate affliguntur incurabili, terminare non liceat. Immo et ipsi catholici nonnumquam vehementer perquirunt cur Ecclesia contrariae sententiae adhaereat — nec tales, argumenta negativa vel merae prohibitiones semper convincent. Hisce catholicis et aliis compluribus hominibus bonae voluntatis succurret, ut opinor, Concilium si declarationem in hoc schemate includat de momento et valore vitae illorum qui tam heroice dolores Crucis Christi in se portant.

Exstat etiam tertia ratio. Teste enim experientia, eximia haec Ecclesiae membra frequentissime magno solatio afficiuntur cum valor spiritualis afflictionum quibus, uti membra Corporis Christi, opprimuntur in mentem revocatur. Omnis episcopus, sicut omnis sacerdos, procul dubio, scit innumerabiles esse gratias quae Ecclesiae ministerio accrescunt ope dolorum quibus infirmi quotidie humiliter patiuntur. Velit haec Sacrosancta Synodus sublime opus agnoscere. Non solum Ecclesia sed et totius orbis terrarum gentes ditiores fiunt ex fructibus huius apostolatus haurientes. Iustum, igitur, et aequum est ut horum apostolorum animos erigamus.

Quarto tandem, existimo aerumnas et angores quibus populus Dei afficitur inter dona omnibus pretiosissima adnumerari quae, quotidie, cum Christo in sacrosancto Missae sacrificio offerimus.

Unde, magna cum reverentia, postulo ut haec mea propositio consideretur; ut, scil., in hoc capite, sive sub n. 25, sive alibi, quaedam inserantur de momento et valore spirituali et salvifico huius operis quod illa mystici Corporis membra peragunt, quae, cum Christo Capite, dolores et agones redemptionis compatiuntur. Dixi.

5

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Patribus in Spiritu Sancto congregatis reverentiam, Auditoribus, Observatoribus, necnon Peritis salutem,

Ratione habita eorum quae praecipue em.mus arch. Hispalensis, exc.mus ep. Denpasarensis, rev.mus abbas O.S.B. e Belgio de notione laici dixerunt, interventio mea superflua videretur, nisi ad aliam conclusionem, praesertim generalem, pervenissem. *Breviter exponam.*[1] In cap. III, pag. 6, linn. 31 ss., notio laici proponitur constans triplici elemento:

1. Positivo, quod ex eius missione ac situ in Ecclesiae compagine sumitur. Omni laude digna est tendentia de laicis in nostro Concilio ex professo et longius loquendi et iisdem locum assignandi aequum et iustum, quem in Ecclesiae corpore ex divina voluntate tenent. Nolo dubium moliri circa legitimitatem introducendae novae cuiusdam in hoc capite notionis laici, notionis magis positivae, magis plenae, quatenus laici definitio descriptiva non tantum negativa constat assertione, quod quis ad clerum non pertinet. Missio et situs quem quis in Ecclesia habet, fundamentum etiam dogmaticum, distinguendi christifidelium gradus et ordines forsitan praebere potest. Cum in schematis definitione descriptiva laici verbis « etiam per actionem religiosam » (pag. 6, lin. 34 s.), videatur fieri allusio ad ea quae in pag. 9, sub littera « a » circa valores religiosos leguntur, assentiens expositioni exc.mi ep. Essendiensis qui laicorum actionem apostolicam iuxta duplicem tantum aspectum, nempe spiritualium et temporalium, distinguit, horum verborum correctionem cupio, vel magis eorum omissionem proponere audeo.

2. Prius elementum negativum in eo est, quod quis non est clericus. Distinctio ista — *ita traditur*[2] — iure divino fundatur. « Ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti »...[3] Clericus enim divinis ministeriis vi ordinis — in Ecclesia latina vi primae saltem tonsurae — mancipatur ...[4]. Laicus igitur est fidelis qui divinis ministeriis vel non mancipatur vel non vi ordinis ...[5]. Id ab omnibus admitti videtur.

3. Alterum elementum negativum asseritur esse in eo, quod quis religiosis non adnumeratur. Religiosis ...[6] competit locus specialis in Ecclesia, quatenus « praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt » ...[7]. Attamen hic status — ita docebit nostrum schema in cap. IV,

pag. 21, linn. 4 ss. — « ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid inter clericalem et laicalem condicionem ». Hac de re etiam can. 107 monemur, et Pius XII in celebri allocutione *Annus Sacer,* die 8 decembris anno 1950 habita, clarius et longius sermocinatus est.

Quibus praemissis, duplex infertur conclusio, prior particularis, altera generalis.

1. Usus verbi laici accuratius examinetur, ratione habita veritatis dogmaticae qua scimus duplicem dumtaxat esse in Ecclesia compaginem, clericorum scil. et laicorum, in quorum notionem schema constitutionis *dogmaticae,* praeter elementum positivum et per se iucundum, nunc invexit duplex elementum negativum, unum iure divino constitutum, alterum nonnisi iure ecclesiastico exsistens.

2. Examinetur quoque defectus non tantum huius nostri capitis quoad notionem laicorum, sed defectus vere generalis totius schematis, quatenus res dogmaticas rebus non dogmaticis sive pastoralibus sive disciplinaribus etc. permiscentur. Nonne a multis et interdum ingratis interventibus Concilium liberatum esset, si e. g., quaestio per se disciplinaris de diaconatu in Ecclesia praesertim latina restaurando vel quaestio de caelibatu ab huiusmodi diaconis servando necne, a constitutione *dogmatica* prohibitae fuissent? (*Qua ex animadversione mea, nemo vero inferat me utriusque quaestionis positivae solutioni adversari!*) [8]. Et quot fuerunt oratorum propositiones non tantum pastorales quoad stylum et modum, sed quoad substantiam! In Concilio Vaticano I episcopus Tarvisinus, relator Deputationis fidei, semel ac iterum Patribus obiicientibus vel variarum rerum in constitutionem dogmaticam *Pastor Aeternus* insertionem postulantibus responsum dedit clarum: « Ceteroquin — inquit — cum ad leges disciplinares pertineat, hic ubi agitur de constitutione dogmatica, locum habere non potest »... [9]

Quae cum ita sint, occasione defectus claritatis notionis laici arrepta, rogo, ut vel constitutio *dogmatica* a rebus non dogmaticis purgetur, vel epiteton *dogmatica* dematur. Quod, Concilii fine pastorali spectato, mihi magis placeret. Tunc de constitutione *de Ecclesia* vel de doctrina de Ecclesia loquamur. Ante Concilium Vaticanum I, nisi fallor, constitutiones, etiam quam maxime dogmaticae, hoc vocabulo non fuerunt decoratae. Tridentinum saepius titulum decretorum selegit modestum, dicens, v. g., *doctrina* de sacramento poenitentiae, *doctrina* de sacramento Ordinis, et ita porro. Nihil impedit, *quominus* Concilium Vaticanum II sub titulo *doctrinae de Ecclesia* notiones magis pastorales quam dogmaticas, expositiones magis oecumenicas quam dogmaticas etc. adhibeat. Verumtamen Concilium ita agens, negotium

relinquet valde arduum et spinarum plenum tum sacram theologiam colentibus tum ipsum sacrum magisterium exercentibus, quos tamen, nisi fallor, almus coetus noster iuvare intendit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (C.I.C. c. 107). [4] (can. 108 § 1). [5] (licet iis mancipetur vi e. g. « missionis canonicae » puta in catechistam seu praedicatorem vel vi « electionis legitimae eiusdemque acceptationis » in supremum pontificatum. Quo ultimo exemplo ostendi videtur defectus assertionis can. 108 § 1, cum quis non-tonsuratus constitui possit « in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis » (can. 109) et ipso facto tunc ad sacram hierarchiam ratione iurisdictionis pertineret, immo esset caput et per consequens clericus, nisi fallor). [6] seu sodalibus vinculo votorum publicorum in aliqua religione adstrictis (cf. can. 488, 7° — cogita tamen de sodalibus qui « vivendi rationem religiosorum imitantur » — can. 673 § 1 — qui, nisi fallor, hoc in loco, nomine religiosorum veniunt). [7] (can. 487). [8] deest. [9] (Mansi 52, 1102 B; cf. 52, 1103 C; 1103 BC).

6

Exc.mus P. D. BLASIUS D'AGOSTINO
Episcopus Vallensis in Lucania

Em.mi Praesides ac Moderatores, et venerabiles Fratres in Christo,

Post disceptationem de mysterio Christi Ecclesiae, haec Sacrosancta Synodus bene fecit animum convertendo et quidem cum gaudio ad considerandam condicionem et missionem totius populi Dei et speciatim laicorum.

In hoc argumento plene convenio, sed non in modo quo a schemate tractatur.

Argumentum de populo Dei vera et felix novitas considerari potest, quae directe pleneque necessitatibus modernae vitae pastoralibus respondet. Scientia theologica, saeculorum decursu, pretiosum doctrinale patrimonium diligenter circa doctrinam de Ecclesia docente thesaurizavit sed quasi in umbra condicionem populi Dei speciatim laicorum reliquit, ita ut in communi populi sensu, errata persuasio efformaretur, scil. quod tota Ecclesia in sola hierarchia sisteret et tantummodo sacrae hierarchiae munus evangelizandi ac mundum consecrandi incumberet.

Huiusmodi errata persuasio lente sed tenaciter tristem populi Dei separationem ab hierarchia efficiebat et in Ecclesia Christi quandam infecundam divisionem immittebat. Quae divisio magis magisque causa doctrinae vulgo « Umanesimo » necnon opera liberalismi et laicismi in

Ecclesia augebatur et sacros ministros in lacrimabili solitudine constituebat.

Tantummodo nostris temporibus, ingravescentibus in dies condicionibus relate ad situationem religiosam, moralem modernae societatis, causa penuriae cleri necnon per progressivam materialismi athei dilatationem, sensus Ecclesiae revivixit, laicatus catholicus suae dignitatis magis conscius fuit et attento animo munus cum Ecclesia collaborandi in christiana restauratione perpendit. Nec ex parte Romanorum Pontificum instantissimae exhortationes defuerunt, quae laicos ad apostolatum convocarunt.

Ideo optime si post disceptationem de vero sacerdotio Christi in hierarchia Ecclesiae praesente, sacrosanctum Concilium argumentum de populo Dei et speciatim de laicis proponit. Sed, sicut iam dixi, circa modum quo huiusmodi schema exponitur non convenio quoniam schema, mihi videtur, in nonnullis locis quadam *confusione* [1] ac exuberantia verborum laborat.

Argumentum de populo Dei ut clare et logice eluceat et omne amplificationis periculum effugiat, theologico fundamento indiget, *sicut heri iam notatum est.*[2]

Hoc, procul dubio, mysterium de Corpore Christi mystico est. Iuxta lucem quae ex mirabili mysterio irradiatur, tota expositio *simplificatur* [3] quae in schemate habetur; logice et sobrie *sic* [4] evolvatur.

Christus Caput est sui mystici Corporis quod est Ecclesia, ad quam omnes baptizati tamquam corporis membra pertinent. S. Augustinus affirmare non haesitat: « Christus concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in illo et nos Christus essemus... et omnes in illo et Christi et Christus sumus » ...[5]. Ex hac veritate tres consequentiae promanant: 1. aequalitas inter membra Christi; 2. vocatio universalis ad sanctitatem; 3. participatio omnium, quamvis non in eodem gradu, ad Christi sacerdotium.

1. *Aequalitas inter membra Christi*: scil. aequalitas originis, quia omnes per baptismum christiani fiunt. Aequalitas dignitatis fundamentalis, quia omnes filii Dei per gratiam. Aequalitas finis, quia omnes futuri cives caelestis Ierusalem.

2. *Vocatio universalis ad sanctitatem.* Nam si baptizati membra Christi sunt, vivere de Christo, vivere cum Christo debent ut plenitudinem Christi consequantur. *Huiusmodi sanctitas proportionari debet dignitati ac missioni membrorum Corporis Christi.*[6]

a) Sacerdotes membra qualificata Corporis mystici sunt et legati Christi et dispensatores mysteriorum Christi *existimantur.*[7] Ergo eximia sanctitate effulgere debent. Si sal evacuetur, in quo salietur? ...[8] Reno-

vatio Ecclesiae non datur nisi per intimam, profundam nostram sacerdotalem renovationem. Hoc et non aliud, expresse a nobis mundus modernus postulat.

Ideo,[9] schema explicite de sanctitatis obligatione ex parte omnium fidelium loqui debet. Haec vocatio prima et universalis est quae omnem aliam vocationem praecedit et omnium aliarum vocationum fundamentum constituit. Vocatio ad sanctitatem conditio prima est quia ab omnibus fidelibus digne mysticum sacerdotium exerceri potest...[10]

3. *Participatio omnium ad Christi Sacerdotium.* Verbum Dei in mysterio Incarnationis sacerdos in aeternum consecratus fuit. Ipse in ligno Crucis sacerdos sui ipsius fuit necnon victima sui sacerdotii: Christus verus, unicus et universalis sacerdos est! Ideo qui Christi sunt non possunt non suae actionis salvificae sacerdotalis participare vel *mystice,* scil. per spiritualem participationem sacerdotali dignitati Christi, iuxta verba Petri « genus electum, regale sacerdotium », quod per baptismum et confirmationem fit; vel *directe et immediate* per realem participationem ad Filii Dei sacerdotium quod per sacramentum Ordinis habetur.

Ex his, logice distinctio inaequivocabilis inter sacerdotium stricto sensu sumpto et mysticum fidelium sacerdotium consequitur. Quamvis hoc mysticum fidelium sacerdotium quadam dignitate polleat, tamen a dignitate, quae veris Christi ministris pertinet, longe manet.

Ideoque nunquam peculiaritates veri sacerdotii tribui mystico sacerdotio possunt; propter hoc quaedam schematis expressiones emendandae sunt. Non fidelibus Christi urget mandatum universum mundum docendi atque omnes sanctificandi sed apostolis et eorum successoribus; nec indiscriminatim fideles officia sacra, ut in schemate affirmatur, complere possunt.

Videamus, venerabiles Patres, ne ad agnoscendam populi Dei dignitatem, *minoratio*[11] ad verum Christi sacerdotium fiat. Mihi videtur quod schema, forsitan propter ansiam oecumenicam et pastoralem, in quibusdam locutionibus ad hoc inclinat.

Et venio ad conclusionem. Loquitur de apostolatu fidelium.[12] Sed quaenam est forma laicorum apostolatus? Mihi videtur quod duplex forma agnosci debet: prima quae ex exigentia baptismi atque confirmationis exsurgit, altera ex quodam mandato hierarchiae promanat.

Apostolatus quem ipse baptismus exigit, per vitam sanctam, per competentiam et serietatem professionalem, per testimonium veritatis, per irradiationem caritatis in familia et in societate efficitur; apostolatus officialis iuxta mandata et iuxta formas ab hierarchia expressa. Sic per christianos sanctos qui in mundo sunt, ab intrinseco mundus salvari potest et debet.

Hoc, oecumenicum Concilium Vaticanum II fidelibus nostrae aetatis clare et firmiter dicat, ut apostolatus incrementum capiat et restauratio omnium in Christo quam citius fieri possit. Dixi.

Moderator: Venerabilis Pater, tempus exactum est!

In textu scripto tradito: [1] impraecisione. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (In *Ps.* 26, *Mt.* 2, 2). [6] Sed schema de vocatione ad sanctitatem loquendo valde insufficiens mihi videtur. [7] aestimantur. [8] Ideo simplex expressio quae circa hanc veritatem habetur, non sufficit. Oportet quod expresse de sacerdotum sanctitate sermo fiat. [9] *b*) [10] *c*) Schema veram sanctitatis essentiam et naturam definire debet. In cap. IV, par. 29 de amore Dei et proximi loquitur, sed notandum est quod essentialiter sanctitas in nostra configuratione cum Christo consistit, iuxta verba S. Pauli: « Benedictus Deus Pater D.N.I.C. qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptione filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 3). Haec configuratio in vita Christi in nobis, in vita nostra cum Christo et per Christum habetur ita ut christianus veraciter alter Christus dici possit et cum Paulo repetere: « Vivo ego, iam non ego, vivit autem in me Christus! ». [11] menomatio. [12] Sed circa mysticum sacerdotium aliam considerationem facere oportet. Si ex insertione in Corpore mystico pro omnibus baptizatis necessitas ad sacerdotium Christi mystice participandi exsurgit, dicendum est quod munus cum Ecclesia collaborandi in sanctificatione mundi ad officia pertinet quae vitam christianam respiciunt ut Paulus VI f. r. in sermone pro delegatis episcopalibus Actionis Catholicae Italiae recenter memoravit. Ideo omnis individualismus etiam in rebus spiritualibus damnatur et mandatum novum in quaerendo regnum Dei et animarum sanctificationem in primis probari debet. Nemo ex fidelibus negligentiae in actione salvifica indulgere potest. Semper antiquum adagium validum est: « Christianus aut apostolus aut apostata! ».

7

Exc.mus P. D. RAPHAËL GONZALEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Venerabiles Patres conciliares,

Nomine plus quam 40 episcoporum Hispaniae, necnon circa 30 aliorum ex diversis nationibus, et, in quantum possibile est, nomine etiam auditorum laicorum, fas mihi sit vobis proponere quaestionem quam nos omnes putamus esse magni momenti.[1]

Nostris temporibus ...[2], catholicorum numerus ...[3] non superat quingenta milia milium (500.000.000), i. e., ne sexta quidem pars su-

mus universi mundi. Reliqui christiani ...[4] quadringenta milia milium (400.000.000) exstant. Nunc vero, iuxta annuarium ab Organizatione Nationum Unitarum recentissime editum, hodie in mundo degunt plus quam tria milia tercenta decem milia milium (3.310.000.000) hominum. Restant ergo plus quam duo milia quadringenta milia milium (2.400.000.000) non christianorum...[5]

Pro hac ingenti hominum multitudine Ecclesia nihil aliud est nisi quod ex ea exterius apparet. Nihilominus omnes *scimus*[6] plurimos...[7] esse qui in Ecclesiam miro ferventissimi animi studio respiciant, sed etiam corda hominum intendere in ipsam, quoties, humana spe deiecta, de tenebris lucem ambiunt et inexhaustum vitae thesaurum in Ecclesia praesentiunt.

Neque aliunde obliviscamur oportet complures esse inter ipsos catholicos reliquosque christianos qui Ecclesiae solam externam faciem noverunt, vel quia a ferventi praxi religiosa recesserunt vel quia parum doctrina exculti sunt: hi tamen, tum vero amore, etsi parum illustrato, tum etiam animo querulo, in Ecclesiam respiciunt quaerentes in ea Iesum Christum redemptorem, liberatorem, animorum et populorum pacificatorem...[8]

His factis prae oculis habitis, putatisne schema nostrum vere aptum esse ut tam magnae spei omnium hominum in mundo hodierno plene satisfaciamus? Scio vos non properanter responsuros esse, nisi prius perspectis quibusdam documentis summi momenti.

Dilectissimus Papa Ioannes XXIII *voluit ut universa doctrina christiana in hoc Concilio*[9] « ea ratione pervestigetur et exponatur quam tempora postulant nostra » ...[10]. Tantum Ioannes XXIII concedendum esse momentum asserebat modo proponendi doctrinae ut adderet: « Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum ». Hanc cogitandi rationem confirmavit Paulus VI feliciter regnans...[11]

Schema ipsum *de Ecclesia* Patribus conciliaribus considerandum oblatum, inaequivoco modo ad nostrum propositum in prooemio sonat: « Ecclesia... naturam missionemque suam universalem instantius fidelibus suis *et mundo universo* declarare intendit, praecedentium Conciliorum argumento instans, illudque *sermone menti hodiernae accommodato* enucleans ».

Attamen,[12] visum est nobis modum exponendi doctrinam de Ecclesia nec respondere hodiernorum hominum menti neque aptari illi rationi « quam tempora postulant nostra ». *Non vobis videtur etiam nos multum temporis impendere, ne dicam iactare, in disputanda etiam minima et iterum atque iterum repetenda quae iam multoties dicta sunt,*

dum parum conamur ut rectam doctrinam captui mundi hodierni aptemus? [13]

Videbatur *vero* [14] iudicium de his rebus aequius postulari debere ab auditoribus laicis, quippe qui altius in mundo mergantur, ...[15] usu et consuetudine cum hominibus ex omni coetu, natione et religione, immo cum paganis.

Adiimus ergo auditores laicos: comperimus autem affirmare eos unanimiter ...[16] modum exponendi mysterium Ecclesiae menti hodiernae non respondere.

Et non respondet ex sequentibus rationibus:

1. Quia sermo ipse et stylus in quo totus textus redactus fuit, cum necessario technicus ac theologicus esse debeat, causa est ut doctrina quam docet minus menti hodiernae accedat.

2. Quia dispositio totius materiae ...[17] minime procedit ut mens hodierna, sive orientalium sive occidentalium hominum, exigit; nempe de his quae nota sunt omnibus ad minus nota. Cogita e. g. de cap. I ubi mysterium Ecclesiae exponitur: initium aperit in altissimis ac mysteriosis relationibus trinitariis, attonitis procul dubio oculis mundi hodierni, quibus ea mysteria non admodum familiaria sunt; procedit deinde per arcanas imagines, et tantum postremo loco eius realis praesentia in terris exhibetur.

3. Quia in exponenda doctrina de Ecclesia schema non tangit nonnullos aspectus magis obvios quibus Ecclesia cognoscitur, immo, quibus spem et amorem hominum sibi conciliat ...[18]. Parcite mihi si aliquos ex his aspectibus in mentem revocem:

a) Ecclesia ab omnibus agnoscitur ut continuatrix operis Christi, eius conditoris, qui sua doctrina, vita, passione, morte et resurrectione omnibus hominibus ostendere voluit viam verae libertatis et dignitatis.

b) Omnes bene intellegunt missionem specificam Ecclesiae esse spiritualem, procul ab ambitione omni, a dominatu, a potestate.

c) Nemo est qui non videat, etiamsi ad Ecclesiam nullo modo pertineat, eam esse communitatem quamdam universalem, eamque habere bonum commune sibi proprium: quod bonum, etsi praecipue in unione intima cum Iesu Christo consistat, etiam in res temporales maximi momenti pro tota familia humana redundat in hoc mundo...[19]

d) Quis est qui non videat spiritualem vocationem Ecclesiae in eo consistere ut per sui abnegationem ac per veram caritatem testimonium praebeat ipsius vitae Christi, et ideo quomodo Ecclesia in suis membris debeat non solum imitari paupertatem, abnegationem, sacrificium vitae sui conditoris, sed cum ipso teneatur prosequi pauperes,

dolentes, ignorantes, quoscumque vel egestas vel immerita miseria, sive in ordine corporali sive in spirituali, oppressit?

e) Ecclesia tandem, *vel populus Dei,*[20] ut omnibus patet *et aliquomodo notavit iam hodie rev.mus Larraín,*[21] per homines in terris est repraesentata, ac proinde omnes intellegere possunt quomodo eius historia et actio non parum humanorum membrorum debilitate *inclinetur.*[22]

Cum res ita se habeant cumque multum conferat ut modus quo doctrina de Ecclesia proponitur talis sit qui, nedum spem illudat populorum, respondeat plene captui singulorum hominum, humillime vobis *sequentes*[23] propositiones facere volumus:

1. Ordo totius schematis, quantum fas sit, ita reficiatur ut, initio facto a notis, ad minus nota procedat, ita ut mentes et corda gradatim in doctrinam de Ecclesia introducantur...[24]

2. Ut vero in ipsa sessione Concilii responsum demus illi quaestioni tanti momenti et tam vehementer ab hominibus exspectatae: *Ecclesia, quid dicis de te ipsa?,* oportet ut Concilium documentum, nuntium, vel catechismum quemdam publicum faciat in quo doctrina tota de Ecclesia exponatur, sed modo et sermone adaequatis mundo hodierno.

Tandem,[25] in Prooemio schematis *de Ecclesia,* deleantur illa verba in quibus dicitur Ecclesiam intendere naturam suam declarare non solum fidelibus sed etiam et *mundo universo* et quidem *sermone menti hodiernae accommodato.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] a. 1962. [3] in universo mundo. [4] diversarum denominationum vix. [5] hominum. [6] noscunt Ecclesiam revera esse aliquid magni momenti, sive saeculari eius historiae attendatur, sive ingenti eius vi et influxu in societate, sive organizationi et diffusioni in toto mundo, sive intrepidae fidelium adhaesioni et fidei. Sciunt omnes non solum. [7] homines. [8] Tam inquies est mundus iste, interdum etiam a fundamentis eversus. [9] felicissimae recordationis, fines Concilii Vaticani exponens, haec pronuntiavit: « Verumtamen in praesenti oportet ut universa doctrina christiana. [10] est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia ». [11] cum, alteram sessionem Concilii aperiens, pronuntiatis iisdem verbis Papae Ioannis, idem momentum concedendum esse asseruit modo doctrinae exponendae. [12] deest. [13] deest. [14] tamen. [15] non solum intra ipsas catholicas organizationes apostolatus laici, sed. [16] postquam schema legissent, postquam enucleatas explicationes a peritis quibusdam audissent. [17] vel ordo quo doctrina de Ecclesia exponitur. [18] sive christianorum sive catholicorum sive etiam paganorum, qui nondum mysterium Ecclesiae possunt intelligere. [19] ubi Ecclesia versatur inter diversas organizationes, dispares culturas, dissimilia regimina politica, discordes vel etiam oppositas oeconomicas et sociales rationes. [20] deest. [21] deest. [22] deficiat: sancta igitur

cum sit et sanctificans, tamen nihil mirum si quando, condicione humana suorum membrorum adstricta, humana quoque, immo peccatis et divisionibus inquinata appareat. Sed quamvis humanarum macularum velum, splendentem Ecclesiae vultum aliquando obscuret, omnes tamen honesti homines intueri possunt ac debent in ea viam, veritatem et vitam, i. e. Iesum Christum ipsum, cum suo Spiritu, perpetuo in Ecclesia praesentem. [23] duas. [24] donec in ea inveniant iuxta uniuscuiusque captum, altissimum vitae mysterium quae est Ecclesia, quae et opus Christi continuat et eius mysticum Corpus constituit, supernaturali gratia vivificatum. Quod si ita fiat, facilior in futurum erit explicatio pastoralis et paedagogica istius doctrinae ab episcopis, sacerdotibus et laicis magis illustratis. [25] 3.

Haec vota etiam sua faciunt: em.mi ac rev.mi cardd., arch. et episcopi Hispaniae congregati in Collegio Hispanico, feria VI 18 octobris 1963; em.mus card. Petrus Gerlier, arch. de Lyon; exc.mi Ioannes B. Velasco O.P., ep. Amoy (China); Gerardus Coderre, ep. S. Ioannis de Quebec (Canada); Georgius Hakim, ep. Akkas (Palaestina); Henricus Pechuán, ep. Crucis del Eje (Argentina); Georgius Mercier, ep. Laghouat (Algeria); Philippus Nguyen-Kim-Diem, ep. Cantho (Vietnam); Andreas Fauvel, ep. Quimper; Franc. Xav. Ariz, ep. tit. Bapara (Perù); Carolus M. Himmer, ep. Tournai (Belgica); Ildefonsus M. Sansierra, ep. tit. Ores (Argentina); Alfredus Ancel, ep. tit. Mirina (Francia); Iulius Angerhausen, ep. tit. Eminentiana (Germania); Bernardinus Piñera, ep. Temuco (Chile); Antonius Fragoso, ep. tit. Ucres (Brasilia); Adolfus Hernandez, ep. Tapachula (Mexico); Hieronymus Podestà, ep. Avellaneda (Argentina); Guy Riobé, ep. Orléans (Francia); Vincentius Reyes, ep. Borongan (Philipp.); Ioseph Vicente Tavora, arch. ep. Aracayù (Brasil); Severino Mariano, ep. Pesqueira (Brasil); Otavio Aguiar, ep. Palmeira dos Indios (Brasil); Epaminondas Araujo, ep. Rui Barboja (Brasil); Manuel Pereira da Costa, ep. Campina Grande (Brasil); Emanuel Tavares, ep. Caicé (Brasil); Ioseph Adelino Dantes, ep. Garanhuns (Brasil); Wilson Schmidt, ep. Chapecò (Brasil); Ioseph de Medeiros Delgado, arch. Fortaleza (Brasil).

Nota. Adhaereo libenter propositioni factae: — « Ut cura S. Concilii Vaticani II *Catechismus* conficiatur *de doctrina Ecclesiae* quo methodo paedagogica hominibus offeratur possibilitas cognoscendi Christi Ecclesiam ». Hilarius Roatta, ep. S. Agathae Gothorum.

Moderator: Exc.mus P. D. secretarius generalis velit legere emendationem decimam primam ad cap. IV de schemate sacrae Liturgiae.

Secretarius generalis: Lego emendationem decimam primam: pag. 187 (videatis pag. 35, n. 97, partem alteram) ... [*cf. pag. 116*].

8

EXC.MUS P. D. VILLELMUS M. VAN ZUYLEN
Episcopus Leodiensis

Venerabiles Fratres,

Tres animadversiones liceat mihi facere relate ad cap. III.

I. *De modo dicendi et lingua adhibita.* Doctrina explanata in cap. III placet. *Sed*[1] sermo ac lingua quibus haec doctrina exponitur, videntur nimis ...[2] intricati, quod ceteroquin generatim valet de aliis capitibus totius schematis. Phrases sunt praeter consuetudinem longae ac complexae, sive quia permultae ideae in illis ...[3] condensantur ...[4], sive quia citationes biblicae inseruntur nimis amplae ac numerosae ...[5]. Textus impressionem suggerit quod plures redactiones variorum auctorum, non sine vi artificioque, in unum sunt collectae.

Scio utique modum dicendi ac stylum a Synodis adhibitos differre a sermone usuali et aliquam solemnitatem necnon densitatem induere debere. Sed ne quid nimis! Praesertim in hoc capite quod de laicis tractat et ab iisdem certe esset legendum ac perlegendum...[6]

Proinde exopto *humiliter*[7] ut redactio huius capitis ...[8] maiorem unitatem, simplicitatem et claritatem exhibeat.

II. *De exercitio sacerdotii universalis in adimpletione officii status. N. 24 agit de sacerdotio universali, illudque explicat pag. 7, linn. 4 ss.*[9]

Non tamen sufficienter, ni fallor, in luce ponitur:

1. exercitium seu actus huius sacerdotii universalis de facto coincidere cum precibus atque actibus illis concretis quibus unusquisque fidelium cotidie officia status sui adimplet...[10]

In loco enim primae Petri, ad quem schema remittit ...[11] apostolus fideles comparat cum lapidibus vivis, superaedificatis super Christum, ad efformandam domum spiritualem, templum quod est opus Spiritus Sancti ...[12]. Fideles autem non sunt tantummodo templum in quo cultus ...[13] celebratur, sunt insuper ...[14] illi qui cultum celebrant, sacerdotium ...[15] sanctum, cuius est — ut dicit textus — « offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum » (verbum « offerre », graece ἀνενέγκαι — hoc sit per transennam dictum — est verbum ex lingua liturgica, adhibitum in epistola Iacobi, *cap. 2,*[16] ad describendum sacrificium Isaac). Fideles, ut pertinentes ad hoc sacerdotium universale, offerre debent Deo non iam animalia nec fructus terrae ...[17], sed, sicut dicit ...[18] S. Paulus: « fructus Spiritus » ...[19]. Ipsa prima epistola Petri nihil amplius dicit de natura harum oblationum, sed, in locis

parallelis epistolarum S. Pauli, plura inveniuntur quae clare indicant quid fideles offerendum habeant. Nempe: *offerre debent* Deo « hostiam laudis, ... fructus labiorum confitentium nomini eius », laudes ergo et preces, ut ait epistola ad Hebraeos ...[20]; *offerre debent* « obsequium fidei suae », ut ait epistola ad Philippenses ...[21], fructusque vitae apostolicae « ut fiat — verba sunt epistolae ad Romanos ...[22] — oblatio accepta et sanctificata in Spiritu Sancto »; *offerre debent* « corpora sua » tamquam « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem », sanctitatem ergo totius vitae suae, ut ait epistola ad Romanos ...[23], et ita « rationabile obsequium Deo praestantes ».

Est ergo per vitam suam christianam cotidianam et in hac eadem vita quod fideles, precando et adimplendo munera sui status sive sacri sive profani, sacerdotium universale exercent...[24]

2. *Ex alia parte, non*[25] sufficienter in luce ponitur connexio intima huius sacerdotii universalis cum oblatione ipsius Domini Iesu Christi. Post mortem suam enim, ipse Dominus ...[26] possibilitatem hominibus reddidit sese offerendi Deo in « rationabile obsequium », et isti oblationi fidelium, uniendo eam proprio sacrificio, *confert significationem verum et valorem definitivum.*[27]

Si haec connexio indicaretur, haberetur eo ipso medium exponendi quomodo sacerdotium universale et sacerdotium ministeriale, etsi essentialiter diversa, ambo profluunt a Summo Sacerdotio Christi, et ad invicem ordinantur. Haec recte in textu affirmantur, sed quasi ex abrupto et modo abstracto tantum et, ut ita dicam, cum quadam anxietate...[28]

3. *De usu ambiguo expressionis « valores morales »* (ad numerum 25). Omnino consentio in triplici gradu distinguendo pro activitate apostolica laicorum, sed minus placet usus factus expressionis: « diffusio valorum moralium ». Difficultas *provenit*[29] ex ambiguitate istorum verborum, ratione habita nexus intrinseci inter valores morales et religiosos.

Etenim, si isti « valores morales » considerantur in tota sua amplitudine, designant non tantum sic dictam legem naturalem, sed totam ethicam profluentem ex revelatione evangelica; tunc de illis mentio fieri debet in paragrapho « a », ubi agitur de « annuntiatione fidei »...[30]

Si *vero*[31] verba « valores morales » intelliguntur de omnibus pertinentibus ad ordinem moralem prout iste expresse contradistinguitur ab ordine religioso et praesertim a revelatione evangelica, tunc, certe tuitio et diffusio « valorum moralium » ...[32] considerari potest ut pertinens ad illas « condiciones diffusioni religionis idoneas » (de quibus in § *b*), sed dici nequit, ut prosequitur textus, quod, diffundendo illos, laici « in ipso saeculo viventes mundum *evangelico nuntio* illuminent ».

Mutationes textus correspondentes secundae et tertiae animadversioni scripto tradam secretariatui.[33] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Attamen. [2] redundantes et. [3] concatenantur et. [4] (v. g. initium adhortationis § 27, pag. 11, linn. 11-18). [5] (v. g. § 24, pag. 7, linn. 11-17). [6] Omnino cavendum est ne stylus vel « genus litterarium » redactionis obstaculum fiat pro largiori diffusione doctrinae quae tanti momenti est ac fructus pastorales tam uberes promittit. [7] deest. [8] revisioni subiiciatur ita ut. [9] De exercitio sacerdotii universalis et officio status. Ad n. 24 quod attinet: sectio haec tanquam titulum habet « De sacerdotio universali necnon de sensu fidei et de charismatibus fidelium ». Quod universale fidelium sacerdotium deinde in eadem pag. 7, linn. 4-21 fusius explicatur. [10] in quantum illi actus, in spiritu Christi positi ab eoque animati (cf. *Rom.* 15, 15-16) revera actus fiunt quibus Christo Domino honor cultusque in spiritu et veritate tribuitur. [11] (pag. 7, lin. 10). [12] (*1 Petr.* 2, 4-10). [13] veri Dei. [14] et etiam, saltem in hoc textu. [15] nempe. [16] 2, 21. [17] ut in Veteri Lege fieri solebat. [18] ipse. [19] (*Gal.* 5, 22). [20] 13, 15 (cf. etiam *Apoc.* 8, 3-4). [21] (2, 17). [22] (15, 15-16). [23] (12, 1). [24] quatenus eadem munera in hostiam laudis Deo viventi adimplent. Utile sane esset si hic vitae christianae aspectus, qui non semper satis sublineatur, in praesenti schemate, ubi sine dubio iam apparet, omni claritate exprimatur. [25] Nec etiam. [26] cuius totum officium status erat « facere voluntatem Patris » (cf. *Io.* 4, 34) et qui sola erat hostia Deo de se acceptabilis, per mortem suam, inquam, Dominus et. [27] valorem confert ac significationem verum et definitivum. [28] Illa pulchra doctrina certe melius exponi posset ad aedificationem et fecunditatem apostolicam nostrorum fidelium. [29] exsurgit. [30] et hoc quia nuntium evangelicum continet praecepta et consilia moralia, ut patet, et reassumit, perficiendo eam, ipsam legem naturalem. [31] deest. [32] in collaboratione cum omnibus hominibus bonae voluntatis, certe est maximi momenti et. [33] Propono ergo 1. ut textus rescribatur lingua ac sermone simplicioribus et magis adaptatis intelligentiae fidelium; 2. quoad n. 24: addantur lin. 7, post « omnem actum hominis christiani » saltem verba: « qui officia adimplet status sui ». Substituatur linn. 17-21 a verbis « Cum autem sacerdotium » novus textus sequens: « Dominus Iesus ergo, Pontifex aeternus, omnibus fidelibus sibi coniunctis sacerdotium suum ac sacrificium participandum praebuit, ita ut iure dicantur christiani " omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis " (August., *De Civ. Dei,* XX, 10; PL 41, 666); inter eos vero aliquibus electis peculiarem participationem communicat, qua, in servitio fratrum suorum sacerdotio ministeriali seu hierarchico constituuntur; 3. quoad n. 25: duas emendationes: *a*) in § *a*, pag. 9, lin. 11: post verba « ipsique valores religiosi », addantur verba « ac morales cum istis connexi »; *b*) in § *b,* pag. 9, lin. 23: post verba « valoresque morales » addatur verbum « naturales ». Et corrigatur ultima pars phrasis: « mundum evangelico nuntio » ratio habita animadversionis supra factae.

Moderator: Exc.mus P. D. secretarius legat emendationem.

Secretarius generalis: Ad art. 77. Emendatio decima secunda: pag. 188, linn. 4-6 (videatis pag. 36, n. 101 fasciculi) ... [*cf. pag. 116*].

9

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres:

Loquar in nomine episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis qui in sessione sua huius hebdomadae hoc munus mihi commiserunt, ut sententiam eorum exprimerem de illa parte cap. III schematis *de Ecclesia,* quae invenitur sub n. 25, pag. 10, a lin. 7 usque ad lin. 22 inclusive.

Textus de quo tractatur et in quo verba « infaustae separationi » occurrunt, nobis videtur funditus recognosci debere. Quod praesens textus claritate caret, omnino evidens videtur ex iis quae tum intra tum extra hanc aulam iam dicta sunt. A quibusdam assumitur textum agere de relationibus inter Ecclesiam et Statum — quod quidem nobis videtur omnino esse falsum.

In cap. III agitur imprimis de munere laici catholici apostolico in mundo, munere, nempe, mundum sanctificandi atque, in hoc opere sanctificationis, duo evitandi extrema, scil. « ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus » et ex altera parte disiunctionem earumdem rerum in duas categorias distinctas, plene disiunctas et immo oppositas.

Quaestio integra de relationibus inter Ecclesiam et Statum re vera maximi momenti est quae summa diligentia et prudentia indigeret. Quaestio laicis quidem pertinet, sed pertinet *toti* Ecclesiae; in hoc capitulo, autem, nobis videtur, locum non debet habere, et praesertim non quasi ex obliquo introduci.

Breviter, nobis persuasum est supra citatas lineas in pag. 10 ita recognosci debere ut quaestio de relatione inter Ecclesiam et Statum omnino amoveatur; aliter, nobis videtur melius esset, si textus *vel potius illa pars textus de qua* [1] hic agitur de medio tolleretur.

Ex mea parte, praeterea, unam emendationem proponere velim. In pag. 6 de lin. 30 ad lin. 40 agitur de *mundo* in quo christifideles missionem propriam exercent... [2]

Verbum « mundus » clarificatur quidem in nota 4, quae incipit in linea paenultima pag. 11.

Mihi autem videtur multum oportet ut verbum « mundus » in *ipso textu clarificetur.* Ergo hanc emendationem propono in lin. 40 post

verbum « sanctificant », nempe: « Mundus enim a christifidelibus sub duplici aspectu spectari debet, sicut ab ipso Christo est spectatus, qui " mundum sub signo peccati et satanae odio habet, sed homines in hoc mundo degentes diligit et vult ut mundus per fidem salvetur; similiter agere debent christiani ". Omnes secundum operationem... etc. ».
Rationes emendationis:

1. Sic clarificarentur tum antithesis saepe tam vivide capta in vita sic dicta saeculari christifidelium, tum missio laicorum in Ecclesia et finis Actionis Catholicae, qui est ut, ope catholicorum, ea omnia, quae ipsos circumstant et quae ab ipsis tanguntur, christiana fiant.

2. Haec emendatio valde ...[3].

Moderator: Venerabilis Pater, faveas attendere aliquantulum, ut explicationem quamdam possim dare Patribus.

Emendatio quae votanda est, suffraganda est nunc, est emendatio quae in pag. 7 signatur n. 12, ad art. 77. In textu apparet ut ultima emendatio, sed votanda est nunc, prout est in pag. 7, emendatio 12, quae lecta est a secretario generali.

Orator: ... Dixi.

Moderator: Velis excusare, Pater! Perge sermonem tuum! Perge loqui, Pater!...

In textu scripto tradito: [1] de quo. [2] Sic legitur: « Iamvero Sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit fideles qui baptismate in populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani *in mundo* exercent, etiam per actionem religiosam, sed neque ad ordinem hierarchicum neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent. Animum scil. convertit ad illos qui in laboribus *huius mundi* partes agunt, sed spiritu evangelico ducti, *concupiscentiis saeculi* valide opponuntur, immo vocatione sua christiana *mundum* velut ab intra sanctificant ». [3] iuvaret ut fideles praedicationem pastoralem melius intelligerent de mundo aufugiendo et de seipsis « ab hoc saeculo immaculatis custodiendis ». 3. Hac emendatione, mihi videtur, clarificaretur et corrigeretur quod in libro, anglice scripto et nuper impresso, aequivoce dicitur de " the *old* mentality of the two cities " i. e. de conceptu *antiquo* duarum civitatum, civitatis Dei et civitatis hominum, qui conceptus, eius opinione forsitan et aliorum, diebus hodiernis valere non videtur. 4. Clarificaretur etiam sensus vocationis christianae ad sanctitatem persequendam et in omnium fere hominum beneficium natura patefieret istius mundi cuius amor vitae christianae opponi dicitur. 5. Clarificaretur quoque et roboraretur conceptus missionis Ecclesiae quam Summus Pontifex felicis memoriae Ioannes XXIII expressit in nuntio radiophonico die 11 septembris a. 1962 dato, scil. « Mundus revera Christum requirit et Ecclesiae proprium est mundo Christum afferre »

(Il mondo infatti ha bisogno di Cristo: ed è la Chiesa che deve portare Cristo al mondo »; *AAS*, 54, p. 681). Multum ergo oportet ut in textu exprimatur mens Christi de mundo, quae quidem mens inveniri potest in Sacra Scriptura, praesertim in scriptis S. Ioannis et S. Pauli; ubi invenitur duplex significatio vocabuli « mundus » (v. g. in *Io.* 1, 9-10; 7, 7; 15, 15. 19 et in *Gal.* 1, 4 et *Rom.* 8, 1-12).

10

Exc.mus P. D. IOSEPH PETRUS DA SILVA
Episcopus tit. Thiavensis, aux. Lisbonensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

1. Laudibus in hac aula conciliari auditis pro praesenti capite de populo Dei et speciatim de laicis laeto animo adhaereo. Vere ipsum continet « nova et vetera », e perenni divinae revelationis atque Ecclesiae magisterio hausta, ut populus Dei, laicis collaborantibus, hominibus universis coincidat et omnia in Christo instaurentur.

Laicis collaborantibus, dixi: ipsi enim Ecclesia quoque sunt, et per illos maxime, christianae suae dignitatis atque apostolicarum responsabilitatum conscios, Ecclesia fieri potest effective « principium vitale societatis humanae » ...[1]. Collaboratio haec, insubstituibilis atque in dies magis ac magis necessaria, non deerit ut « mundus totus — *sunt verba Pii Papae XII*[2] — a fundamentis instaurandus sit, transformandus e barbaro in humanum, ex humano in divinum, i. e., secundum Cor Dei »...[3]

Huius rei praebet namque solidum spei fundamentum mirabilis zeli apostolici floratio in Actione Catholica et in aliis apostolatus laicorum coetibus universim manifesta, Spiritus Sancti in Ecclesiam et per ipsam in mundum operationis evidens signum, phoenomenum vere insolitum quod sola christianismi prima saecula viderunt. Insolitum etiam factum quod in constitutione dogmatica *de Ecclesia* locum suum habeant laici et in hac aula conciliari, benigna concessione Summi Pontificis feliciter regnantis, aliquo modo repraesententur in praeclaris viris auditoribus. Propterea, immo etiam propter ab aliquibus Patribus iam proposita, difficile non erit praevidere Concilium Oecumenicum Vaticanum II futurum esse pro laicis quod Tridentinum pro clero fuit.

2. Multa et optima a pluribus Patribus iam dicta sunt de quaestionibus aliquando arduis principia dogmatica attinentibus in capite disceptationi subiecto. Mihi liceat attamen aliqua addere quae ordinationem generalem textuum et eorum formulationem concrete respiciunt. Quaedam additamenta etiam proponam.

In his prae oculis habebo quod exc.ma commissio de laboribus Concilii coordinandis censuit disponendum, scil.: hoc cap. III dividendum esse in duas partes, quarum prior sit de populo Dei in genere et efformet cap. II schematis huius constitutionis, altera vero de laicis **in specie** et caput constituat IV.

Prae oculis etiam habebo novam horum capitum ordinationem, approbatione, ut video, dignam immo laudandam, ab em.mo D. card. Suenens propositam. Circa hanc novam ordinationem vellem tamen proponere:

a) N. 23 pag. 5 usque ad lin. 30 pag. 6, cuius doctrina fidelibus in genere communis est, a capite de laicis ad caput de populo Dei transferatur.

b) Linn. 21 ss. (pag. 6 et 7) cum duabus paragraphis — « Saecularis character... » et « Sicut ipsa Ecclesia... » (Emendationes, pars altera, pag. 10, n. 29) — novum constituant numerum inserendum in cap. IV, scil. *de laicis in specie,* immediate post introductionis verba. Paragraphi etenim illae optima continent elementa positiva ad clariorem reddendam et complendam laici definitionem quae pluribus Patribus, rationabiliter quidem, nimis negativa videtur.

c) Horum capitum duorum in redactione separetur quod ad fideles in genere et, respective, ad laicos in specie refertur.

3. His dictis de reordinatione, ad alia argumenta super enunciata transeo:

a) In schemate decreti *de apostolatu laicorum* uti praesupposita habentur huius apostolatus doctrinalia fundamenta in constitutione dogmatica *de Ecclesia* digesta. Et merito quidem. Decretum illud nonnisi applicationem intendit huius doctrinae semper actualis necessitatibus mundi nostrae aetatis. Hoc optime iam dixit em.mus D. card. Cento, praeses commissionis de apostolatu laicorum. Fundamenta autem haec non inveniuntur formulata in capite de laicis, nisi forte modo diffuso. Propono igitur, cum exc.mo D. Civardi, ut ipsa sint recto ordine et clare exposita in capite de quo agitur. Sacramentum incorporationis in Ecclesiam, quod est baptisma, et sacramentum « aetatis perfectae vitae spiritualis » ...[4] et apostolatus ex officio, scil. confirmatio, necnon (pro coniugatis) matrimonii sacramentum, atque etiam mandatum caritatis erga Deum et erga proximum, adeo praebent apostolatus dogmatica fundamenta ut in hoc capite omitti non possint. Ipsa enim constituunt principia ontologica et, ut ita dicam, dynamica in linea essendi et operandi supernaturaliter quae hoc loco non possunt non afferri.

b) Ab em.mo D. card. Ruffini iam notatum est quod minus exactum videtur inveniri in cap. III, n. 23, pag. 6, linn. 13 ss.: « Et si

quidem ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores super alios constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas, quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem... etc. ».

Haec pericopa et aliae quae sequuntur a Litteris Encyclicis *Ubi Arcano* Pii XI aliquando ipsis verbis videntur deprompta, sensu tamen aliquantum immutato.

Pressura temporis compulsus, alios aliis textus conferre non possum. Eos exc.mo secretario generali tradam scripto, et propono ut pericopa supra denuo perpendatur et melius explanetur luce Ubi Arcano.[5]

c) et ultima. Cum vitalis unio cum Christo Domino ad opus apostolicum fructuose aggrediendum absolute requiratur, vellem demum proponere ut in adhortatione finali (n. 27, pag. 11) ad orationem colendam et ad sacramenta recipienda praeprimis Eucharistiam instans commendatio non omittatur.

Hae sunt propositiones quas etiam nomine septemdecim episcoporum lusitanorum vestro iudicio humiliter submitto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. Pius XII, *A.A.S.*, 38, 1949, pag. 49). [2] deest. [3] (Pio XII, *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 13, Pol. Vat. 1952, pag. 471). [4] (*S. Theol.* III, q. 72, a. 1). [5] Summus Pontifex, gloriosae memoriae, declaravit enim: fideles collaborantes cum hierarchia « in provehenda Christi cognitione... et Christi regno propagando et instaurando, de communi hominum inter se pace optime merentur » et addidit: « haec enim vera quaedam iurium aequalitas in regno Christi viget floretque ut omnes eadem nobilitate insignas, eodem Christi sanguine pretioso condecorentur; qui autem praeesse ceteris videantur, Christo Domino ipso suo exemplo praeeunte, communium bonorum administri ac proinde famuli omnium famulorum Dei, infirmorum praesertim atque omni ope destitutorum, et iure vocentur et sint » (*A.A.S.*, 1922, pag. 695). Propono ergo ut textus nostri schematis luce *Ubi Arcano* denuo perpendatur et melius explanetur.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH ARNERIĆ
Episcopus Sibenicensis

Venerabiles Fratres,

Cap. III in genere placet. Quasdam tamen observationes affero.

1. Caput extollit in clara luce ponendo ius et officium totius populi Dei, proinde nominatim et laicorum, fidei propagandae, quod ius et officium profluunt ex potestate accepta in charactere baptismatis et confirmationis.

Doctrinam nempe de sacerdotio universali omnium christifidelium,

« qui essentialiter non tantum gradu a sacerdotio ministeriali differt », ut bene dicit caput, maximi momenti esse duco, praesertim pro illis regionibus, in quibus actio catholica ceteraeque organizationes pro apostolatu exercendo existere non possunt, ob conditiones speciales in quibus Ecclesia invenitur. Nam ista doctrina persuasionem profundam dare quit non solummodo de proprio officio fidem profitendi, sed etiam eam propagandi atque mediis aptis eam defendendi. Ubi media externa pro formandis apostolis desunt, ibi haec sublimis doctrina de participatione sacerdotii Christi animos erigere potest atque spiritum apostolicum in illis educare.

2. Caput quoque extollit momentum familiae christianae quoad fidem quod pro nostris regionibus, in quibus fides in difficultatibus invenitur, maximi momenti est. Proinde assentio illis Patribus qui volunt adhuc magis ut inculcetur in capite momentum familiae christianae in Ecclesia Dei. Audeo proponere, ut dicatur orationem factam in familia, si in communi peragitur, sub ductu patris vel matris, si secundum formulas ab Ecclesia approbatas fit ...[1]. Ista oratio communis in familia efficacior evaderet et sacerdotium universale maiorem lucem acciperet.

3. Caput theologice bene explicat momentum apostolatus laicorum quoque extra ambitum familiarum christianarum. Qui apostolatus opportune in tres species dividitur in art. 25, quae divisio sub respectu documentorum S. Sedis, praesertim Pii XII, videtur esse ...[2] bona.

Alioquin ista divisio et practica exhibetur, praesertim sicut puto, ut bona introductio in schema *de apostolatu laicorum* et in genere pro organizatione apostolatus in nostris dioecesibus. Quamquam, Patres venerabiles Concilii, ut supra innui, nos organizare apostolatum laicorum in nostris dioecesibus non valemus. In nostris dioecesibus tantummodo apostolatus individualis, non organizatus, tantum exerceri potest et quidem maxime exemplo.

4. Concilium Tridentinum definivit exsistentiam sacramenti Ordinis et ita clericorum statum supra statum laicorum extulerat. In hac periodo post-tridentina theologia de clericis progressum habuit, dum theologia de laicis demum ultimo tempore. Ita factum est, decursu saeculorum, quod laici respectu ad clericos nimis passive in Ecclesia Dei sese habuerunt.

Nunc autem doctrina et praxis de apostolatu laicorum sine ullo periculo evolvendae sunt, nisi velimus ut atheismus modernus fidem e medio tollat. Nam hodiernus atheismus seu melius antitheismus est vere militans contra Deum religionemque quamcumque, ut nos sacerdotes sine auxilio laicorum, ut omnes agnoscimus, valide ei resistere non valemus.

5. Attamen periculum Ecclesiae a laicis hodie quoque venire potest. Ecclesia per saecula dimicare debebat pro sua libertate, quia potestas laicalis civilis, etiam in statibus sic dictis catholicis, eam asservire pro suis finibus temporalibus satagebat. Nullum dubium est, quin etiam hodie tale periculum Ecclesiae ...[3] ubique terrarum, sub variis formis, imminet. Proinde puto periculum non esse Ecclesiae a laicis bonis, sed a laicis malis qui tamen boni videntur. Nam zizaniam saepe difficillime a tritico dignoscere possumus. Ob hanc considerationem propono ut oboedientia, saltem breviter, in capite de populo Dei, clare affirmetur atque errores periculosi hac in re clare condemnentur. Quod valeret pro toto populo Dei, scil. pro laicis et clericis.

6. Ad art. 23. Assentio proposito, ut dividatur caput in duo, scil.: de christifidelibus, in quo capite dicendum de omnibus quae ...[4] sunt hierarchiae et laicis. Immo censeo in introductione huius capitis esse dicendum adhuc clarius, quam dictum est in emendatione proposita ab em.mo card. Suenens omnes nos, et episcopos, sacerdotes et laicos pertinere eodem titulo ad christifideles seu ad populum Dei christianum.

7 et ultimo. Quoad doctrinam de charismatibus in art. 24, linn. 24-36, in pag. 8, humilem meam sententiam aperire audeo. Puto etiam hodie charismata exsistere, et quidem in numero maiore in illis regionibus in quibus Ecclesia in maioribus difficultatibus invenitur. Saepe admiratus sum, e. g., fidem heroicam parvulorum vel sapientiam in fide simplicium agricolarum defendenda. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] e. g. si officium divinum vel eius pars, puta vesperae vel laudes vel completorium cum examine conscientiae persolvitur, ut ista oratio familiis uti liturgica agnoscatur. [2] valde. [3] a laicis. [4] communia.

12

Exc.mus P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE
Episcopus Cordubensis

Venerabiles Patres,

...[1] Ad hanc laicorum quaestionem multum quidem re et usu factum est, sed in disquisitione theoretica multa certe manent dilucidanda. *Liceat et mihi quaedam dicere.*[2]

...[3] Primum quidem quoad notionem seu definitionem « laici ». Compertum est sane difficilem esse veram et strictam definitionem dare. Conamina quidem pauca non fuerunt, sed exitum positivum forsan non plene obtentum est. *Aliqua et certa bona heri audivimus.*[4]

Laicus enim sub variis adspectibus considerari potest, et definitio perfecta omnes continere deberet, sed tunc sine dubio longa et confusa esset et paucis placeret.

Quaestio fortasse ponenda est melius *modo concreto* [5] ut facilius ad conclusionem aliquam venire possimus pro nostro scopo. Hinc, praeferenda estne definitio laici in nostro schemate, vel adhibenda est quaedam *alia* [6] notio — ratione theologica utique fulcita — pro scopo doctrinae, vere pastoralis, quae in eo exponitur?

1. Si *dogmatice* quaestio inspiciatur, apparet laicos esse baptizatos qui ad hierarchiam non pertinent. ...[7] Ordo, ex Christi institutione, clericos a laicis distinguit ...[8]. Attamen, haec definitio est negativa, nec elementa positiva quae in laicorum statu inveniuntur enumerat.

2. Si vero res *canonice* proponatur, *laicus* ille est qui neque ad hierarchiam Ecclesiae pertinet, neque alicui ex statibus iuridicis perfectionis, seu statui religioso adicitur. Sed haec notio etiam *notis negativis* [9] laborat...[10]

Quaedam, et non parva, difficultas in danda vera notione laicorum provenit ex membris institutorum saecularium. Suntne revera laici? Tum ratione consecrationis specialis Deo, tum ratione adscriptionis particulari statui perfectionis, responsio negativa esse deberet, sed verba constitutionis apostolicae *Provida Mater Ecclesia* eis favent, cum agant de personis quae in saeculo vivunt et quasi ex saeculo obtinere volunt ut sensus christianus activitates temporales impleat.

His difficultatibus inspectis, notio vera danda est, quae *proprio statui* laicorum respondeat et sic sensus pastoralis nostri schematis eminebit.

Veniamus iam ad huius notionis elementa. Notio haec imprimis prae oculis habere debet *missionem* — sensu utique non canonico — laici in mundo. Missio haec verae *vocationi* laici respondet et *finem* eiusdem prosequitur. Talis *vocatio* ut proprium scopum habet ut laicus intimius et in tota plenitudine gratiam sui baptismi — cui accedet postea confirmatio — vivat. Vocatio haec *missionem* habet ut, *sine segregatione a mundo,* immersus in activitatibus temporalibus, laicus odorem Christi ubique effundat. *Finis* vero missionis in eo est ut mundum suosque valores temporales consecret et ad Deum dirigat, modo suo proprio.

His innixus dicere auderem: *laicus est homo* baptizatus qui in mundo vitam agit christianam, cuius missio est mundum sanctificare quin ab eo discedat.

Haec autem notio 1) vere *positiva* dicenda est. Revera, laicus in sua vocatione, in sua missione et in suo fine vivit theologiam consecrationis mundi et ad hoc gratiam habet huic vocationi respondenti. Gratia haec praesupponitur et radicitus invenitur in charactere baptismali, cui

postea accedit confirmatio, qui hominem consecrat ad vitam Deo dignam in terris ducendam *et cultum Deo exhibendum.*[11] Laicus enim non potest definiri ob solam receptionem baptismi, sed ob suam vitam baptismalem.

2) Complectitur *haec notio*[12] solos laicos, quia clerici et religiosi, sive ratione suae ordinationis — *quia lex ecclesiastica prohibet clericis multa munera saecularia exercere et sic ad nihil valet quod sint in mundo*[13] — sive ratione sui status *vitae communis,*[14] sunt *segregati a mundo.* Eorum enim vocatio ut finem habet etiam mundi sanctificationem, sed non ex saeculo ipso, sed veluti ab extrinseco, *cum mediis quae non sunt de mundo.*[15]

3) In hac notione comprehenditur membrum *institutorum saecularium,* quin quaestio fiat *nunc*[16] de natura eorum status...[17]

Notio nunc exhibita nititur adspectu *sociologico*: existentia scil. laici in mundo; et etiam adspectu *theologico* quum vocatio et missio, utpote a Deo collatae, gratiam supponant. Sed et habet adspectum pastoralem et missionarium, quia prae oculis habet missionem laicorum in mundo qui ad Christum trahi debet.

Nec obliviscendum est hanc notionem perfecte cohaerere cum pristina significatione verbi *laos,* quod in primitiva traditione christiana non designabat indistincte *omnia membra* populi Dei, *sicut minus recte dictum est heri,*[18] sed coetum determinatum, illorum scil. qui non erant specialiter consecrati ad servitium *divinum...*[19]

Quaedam fortasse aliqua explicatione indigeant in nostra declaratione « laici ». Elementa theologica quidem habemus, non tamen omnia eadem claritate apparent.

Dicimus « homo baptizatus », *qui eo ipso ex canone 87 est persona in Ecclesia cum omnibus iuribus et officiis, et hac de causa in definitione denuo non est intrandum. Quaenam sint postea iura? Erit determinandum.*[20] Sed quia hic homo *baptizatus est,* qui postea confirmationem recipit, eodem tempore Deo consecratus est, *ad Dei servitium, ut eius filius et ut particeps sacerdotii universalis ad cultum Deo tribuendum.*[21] Et quia a Christo redemptus, pariter vitam christianam profiteri debet; inde ad *sanctitatem personalem* tendere tenetur.

Baptizatus *est membrum Corporis Christi et sic* (*hoc in definitione intrare non debet, sicut heri postulabatur*) *et*[22] aliorum membrorum bonum quibuscum unum corpus constituit, prosequi debet, ex quo *caritas et iustitia socialis* procedit.

Quia est *civis populi Dei,* bonum totius Ecclesiae commune quaerere officio tenetur, *et*[23] eo modo quo ipse Christus et legitima auctoritas populi huius statuat vel statuere decernat. Inde *cooperatio et oboedientia.*

Hic baptizatus, quia in mundo *est,*[24] *mundanitas* — liceat mihi hoc verbo uti — est eius propria nota; ad eum pertinent curae rerum temporalium, utpote saecularibus implicatus. Sed neque in hac cura rerum a fine christiano alienus est, sed conari debet ut talium rerum temporalium curam ita gerat ut illis signum vel characterem christianum imponat, atque propriam sanctificationem temporalem in iis gerendis evolvat. Inde consecratio mundi et spiritualitas specifica laicalis. *Adest ergo notio theologica quae hic locum habet proprium, cum pace Fratris nuper loquentis.*[25]

In pag. 6, lin. 31, schematis nostri definitio laici fortasse minus clara primo intuitu exhibetur. Hinc conatus noster rem dilucidiore modo praesentandi, etsi rem non sim assecutus...[26] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nemo praestantiam huius capitis de laicis non novit. Nunc primo aliquod Concilium Oecumenicum hanc quaestionem attingit et eo sibi duo proponit: in primis quis sit populus Dei ostendere, eiusque munus et a quibus constituatur, dein iustis laicorum optatis satisfacere, qui sua munera in Ecclesia definiri optant alio modo quam meris dictionibus negativis. Num erit necesse de proposito pastorali huius schematis loqui, cum omnes testes simus fructuum apostolatus laicorum in Ecclesia? Adde etiam vim oecumenicam huius problematis ut fratres disiuncti noscant munus positivum ab Ecclesia populo Dei signatum, quod quidem mere passiva vel receptiva missione non continetur, tota historia ecclesiastica hoc probante. [2] deest. [3] Et. [4] deest. [5] concreta. [6] deest. [7] Per baptismum enim homo fit civis populi Dei; sed. [8] (can. 948) et gradu differunt. [9] nota negativa. [10] Hi duo conceptus, et dogmaticus et canonicus, respondent, ex una parte, ideae ecclesiasticae iam feliciter derelictae nimis fundatae in separatione inter clericos et laicos, et, ex alia, conceptui necessitatis ut mundi consecratio fieret per vitam religiosam seu monacalem. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] Revera, ratione scopus ipsorum institutorum, eorum membra a saeculo et a mundo segregari et separari non debent, quia id esset contra naturam institutorum. Existentia elementi moralis et iuridici, quod est consecratio Deo facta, nullum constituit obstaculum: revera, haec consecratio non segregat a mundo membra institutorum saecularium et ob suam propriam essentiam, membrum aptius facit ut mundi consecrationem *ex saeculo* facilius et expeditius consequi possit. [18] deest. [19] Verbum *laos* principium secum ferebat specificationis in ipso populo Dei: *consecrati* ex una parte illi erant qui Deo dedicabantur; *laici,* e contra, illi qui in saeculo manebant et efformabant *laos.* [20] Unde omnia quae sunt propria hominis et ille agere valet, laico quoque conveniunt. [21] et ad Dei servitium tendat necesse est ut eius filius et particeps sacerdotii universalis, cuius voluntatem exsequi debet. [22] quia est membrum Corporis mystici. [23] deest. [24] manet. [25] deest. [26] Restat adhuc quaerendum — ut optime dixit exc.mus arch. Senensis — quid habeatur in S. Scriptura, in traditione, in historia ecclesiastica, in documentis pontificiis de idea et notione laici; sed hoc erit munus studiosorum. Ex alia parte putarem sufficere quae dixit ad aptiorem cognitionem istius membri Ecclesiae.

Moderator: Exc.mus D. secretarius velit legere ultimam, id est tertiam decimam, emendationem.

Secretarius generalis: Ad art. 78. Emendatio decima tertia: pag. 188, lin. 17 (conferatis pag. 36, n. 99 fasciculi) ... [*cf. pag. 116*].

13

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Iam locutus sum in genere de schemate de Ecclesia, deinde denuo de duobus punctis fundamentalibus de sacramentalitate episcopatus et de relationibus inter Summum Pontificem et corpus episcoporum. Liceat mihi hodie breviter notam promere de terminologia in quaestione de charismatibus. Est numerus fortasse magis explosivus huius cap. III.[1]

In n. 24, pag. 8, linn. 26 ss.,[2] sermo habetur de variis donis et muneribus quae Spiritus Sanctus fidelibus, etiam utique laicis, dispensat in servitium Ecclesiae, in bonum commune.

In lin. 28, eadem dona vocantur « charismata ». Ideo textus dicit: « Spiritus dat fidelibus varia dona et munera in servitium etc. Quae charismata sive clarissima sive etiam simpliciora ... cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt ».

Censeo ad haec quaedam utiliter notari posse:

1. Indubium est in terminologia S. Pauli vox « charisma » latius omnino patere quam in usu hodierno passim habetur. Hodie enim passim nomine charismatum intelliguntur solum gratiae gratis datae et plus minusve extraordinariae, uti dona miraculorum, dona prophetiae stricte dictae, et huiusmodi. Insuper non raro hodie nomine « viri charismatici » intelligitur ille qui gratiis mysticis fruitur, sine ulterioribus claris determinationibus.

In S. Paulo, e contra, manifestum est, v. g. in *cap. 12 primae ad Corinthios*,[3] inter charismata computari non solum praedicta dona extraordinaria, sed etiam alia, puta officium doctorum ...[4], officium opitulationum ...[5], officium gubernationum ...[6] et ita porro. Haec ultima officia ...[7] in terminologia hodie vulgata non dicuntur charismata, sed potius munera ...[8], et nihil « charismatici » habent necessario, si vox « charisma » restringitur ad dona extraordinaria sive ad gratias mysticas proprie dictas.

2. Rebus sic stantibus, intelligitur:

a) Textum schematis, sequentem *fideliter*[9] terminologiam S. Pauli,

non falso vocare « charismata » in genere illa « dona et munera in servitium » Ecclesiae a Spiritu Sancto data etiam laicis et etiam hodie.

b) Sed etiam intelligitur cur qui potius attendit ad terminologiam hodiernam possit aliquomodo mirari de *textu schematis,*[10] qui potest ei videri quasi cuidam « charismatismo » in sensu hodierno et peiorativo favere. Nam S. Paulus quidem computat v. g. munus doctoris inter « charismata ». Sed in terminologia *moderna*[11] non recte, aut saltem ambigue, dicitur theologos munere suo fungi vi alicuius « charismatis » — supposito quod « didaskaloi » de quibus S. Paulus loquitur sint iidem ac illi qui hodie dicuntur theologi. Hoc enim posset innuere nullo modo posse quemdam esse theologum nisi fruatur donis extraordinariis vel saltem habeat gratias mysticas proprie dictas. Nam de se certe bona est et omnino teneri debet distinctio inter theologiam ut scientiam proprio labore acquisitam et cognitionem rerum divinarum per species infusas aut per experientiam mysticam proprie dictam. Haec valent quidquid sit de terminologia antiquorum, quia quandoque theologum vocaverunt « mysticum », et quidquid sit de necessitate vitandi exaggerationes quibus theologia nimis separatur a vita spirituali theologi et fidelium. Ergo, stante hodierna terminologia, et stante facto quod ubique hodie grassatur anticonceptualismus quo negant vim rationis in cognitione et negant normas obiectivas in vita practica, ita ut facile confugiant ad *intuitionismum* et labantur in *subiectivismum,* ambiguum est ...[12] affirmare sine explicatione v. g. theologiam esse charisma et theologum esse charismaticum.

Concludendo: propono ut in pag. 8, lin. 24, ad evitandas possibiles confusiones et omnem speciem falsi charismatismi, quae possent oriri *ex differentia*[13] inter terminologiam S. Pauli et terminologiam hodie vulgatam, propono, ut loco verbi « charismata » dicatur « dona », quae vox est etiam in terminologia S. Pauli et hodie clarius intelligitur in contextu de quo loquitur schema...[14]

Hoc modo textus sonaret: « Spiritus dat fidelibus varia dona et munera in servitium etc. Quae *dona* sive clarissima etc. ... ».

Si vero placet vocem ipsam « charismata » retinere, posset dici: « Quae dona, a S. Paulo etiam " charismata " in sensu lato vocata, etc. ... ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Hic. [3] *1 Cor.* 12, 4-10. 27. [4] (didaskaloi). [5] (antilempeis). [6] (kubeneseis). [7] vero. [8] officia. [9] deest. [10] schemate. [11] hodierna. [12] (et non sine periculo). [13] deest. [14] nostrum.

Animadversiones additae:

Doctrina de conditione et munere ecclesiali laicorum, iamdiu non parum neglecta, maximum emolumentum renovationi et vitalitati totius Ecclesiae procul dubio afferet. Unde nemo est qui non cupiat ut totum praesens caput pleniorem et exhaustivam expositionis claritatem adipiscatur. Ad quem finem, liceat mihi sequentia animadvertere:

Animadversio I. Notio quae de laicis heic praebetur, imprimis duobus elementis negativis et distinctivis regitur; prout laici dicuntur esse illi qui « neque ad ordinem hierarchicum, neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent » (pag. 6, lin. 35 s.).

Id mihi textum inspicienti una cum aliis membris alicuius mixtae commissionis satis placuerat; ulterius re perpensa, visum est nobis aliqualem anomaliam intercedere inter supradictum duplex elementum negativum et ea quae positive describunt condicionem laicorum, nominatim adsertum dicens laicos esse « qui in communi christifidelium statu Deo serviunt » (pag. 6, lin. 32 s.).

V. g., si considerentur verba « neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent », videntur sumi ut laici illi quoque (et hodie permulti sunt) qui, licet consilia evangelica profiteantur iuxta formam ab Ecclesia sancitam, non habent tamen vitam communem nec dicta consilia servanda suscipiunt per vota; et consequenter non pertinent ad statum religiosum. Hic enim definitur: « Stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt » (C.I.C., can. 487).

Quamvis igitur nota 3 in pag. 11 declaret quaestionem utrum membra Institutorum Saecularium inter religiosos adnumerandi sint necne, minime hic dirimi, in textu tamen dirimitur; nam, iuxta datam notionem, illa membra nonnisi laici considerandi sunt.

Quapropter, liceat duo subordinate proponere: vel notio laicorum inveniatur quae nullam admittat ambiguitatem; quod, meo iudicio, satis difficile est; vel de laicis descriptio generalior fiat, pro qua sufficiunt elementa positiva quae iam in textu nostro prostant (pag. 6, linn. 31-40); et ideo omittenda videntur verba quae duo praedicta elementa negativa exprimunt (pag. 6, lin. 35-36), ut iam in hac aula id innuit em.mus card. Bueno y Monreal.

Animadversio II. Post introductionem generalem et particularem praesentis capitis (III), vid. in nn. 22 et 23, usque ad pag. 6, lin. 31, tandem aliquando dicitur Sanctam Synodum de laicis loqui intendere. Expectaretur ergo quod deinceps sermo fieret « speciatim de laicis », ut ipse titulus capitis annuntiat.

Hoc tamen non tam diserte verificatur. Nam:

a) Integer n. 24 (pag. 7 s.) referri potest ad omnes christifideles, si id tantum excipiatur quod de coniugibus christianis adseritur.

b) Etiam quae dicuntur in n. 26, ubi « de christifidelium relatione ad hierarchiam » (pag. 10 s.), videntur tantum in obliquo de laicis praedicari. Huiusmodi enim modi loquendi occurrunt: « Christifideles omnes, laicis non exceptis » (pag. 10, linn. 24 s.); « Christifideles omnes, ideoque et laici » (pag. 10, lin. 39). Quarum locutionum termini ita potius essent invertendi: « Laici omnes, sicut ceteri christifideles, etc. ». His lacunis facile mederi poterimus, si in actum deducatur pro-

positio commissionis pro laboribus Concilii coordinandis (de qua ad calcem pag. 5 huius fasciculi sermo fit).

Animadversio III. Nota affirmatio quod laici « mundum velut ab intra sanctificant » (pag. 6, linn. 39 s.) valde momentosa est. Quapropter desideratur ut magis evolvatur. Hoc fieri potest extollendo indolem christologicam activitatis laicorum, quae ad hoc intendat ut Christus, per Ecclesiam et nominatim per fideles laicos, compenetret cunctas dimensiones activitatum humanarum.

Indoles ista christologica dogmate Incarnationis apprime fulcitur. Sicut enim tota humanitas cum Deo quodammodo coniuncta est in particulari natura humana a Verbo divino sibi hypostatice unita; ita omnia quae creata sunt, si ab homine christiano qua tali assumuntur et perficiuntur, eo ipso quodammodo (veluti per contactum) consecrantur, et ad finem a Deo volitum diriguntur. Hoc quidem aliquatenus innuitur pag. 9, linn. 32 s., ubi dicitur quod navitas apostolica a laicis perficitur « praecipue per contactos suos personales ». Sed opportunum videtur adhuc plus in hoc adspectu esse insistendum; exinde enim magis elucebit momentum et dignitas laicorum in vita ecclesiali, quatenus etiam res prophanae, quibus praeprimis incumbunt, indole quodammodo sacra ab eis ditantur.

Insuper melius dignoscetur dignitas cuiuscumque activitatis laicorum, quae non tantum provenit ex superaddita bona intentione agentis (elementum subiectivum) sed etiam ex bonitate sua (ipsius activitatis) obiectiva eidem allata (collata) ab ipso christifideli qua tali.[1]

Notae de textu biblico:

Pag. 5, lin. 11: *Eph.* 4, 11-16: in sensu stricto pertinet ad tempus apostolicum et non ad tempus modernum: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos... prophetas... evangelistas... pastores et doctores etc. ».

Pag. 7, lin. 1: *Eph.* 4, 11-16: mihi videtur quod textus heic applicatur sensu accommodato et non sensu proprio. Videas supra 1.

Pag. 7, linn. 5, 10 s.: « ad templum spirituale », sed in *1 Pt.* 2, 4-10 legitur « domum (οικος) spiritualem ».

Pag. 8, linn. 13 s.: T. C. « Ecclesia tota... offert, etc. » (*Heb.* 13, 15). T. B. « per ipsum (δίαυτοῦ)... offeramus, etc. ».

Pag. 8, linn. 26-28: T. C. « Unusquisque, sicut accepit gratiam (GK charisma)... gratiae (GK charito) Dei » (*1 Pt.* 4, 10). Quae charismata...

Critica: charisma theologice loquendo supponit extraordinaria dona « quae non sunt temere expectanda » (linn. 31 s.). Distinctio inter gratiam et charismata in contextu est ambigua et assumitur tamquam quid identicum.

Pag. 8, lin. 36: *1 Cor.* 14, 40: sensu stricto, mihi videtur, de conditionibus Corinthiorum, sed solum in sensu accommodato de « rectoribus Ecclesiae ».

---

[1] Haec animadversio esset elementum prae ceteris magis constructivum ac novum.

14

Exc.mus P. D. ERNESTUS J. PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

Venerabiles Fratres, Periti, Observatores ac Auditores dilectissimi,

Sermo est de relatione inter hierarchiam et laicos, uti tractatur in schemate, pag. 10, n. 26.

In oratione insigni, quam Summus Pontifex habuit, incipiens hoc Concilium, eiusdem extollit momentum pastorale.

Quem propositum ut assequamur, tractantes « de laicis » praecipue prae oculis habere debemus crescentem in dies laicorum sollicitudinem de proprio eorum statu quoad apostolatum Ecclesiae. Quod si non fiat, omnia quae a Concilio proponentur ac statuentur, surdis auribus, merito quidem, dicentur.

Certo certius, a periculo generalisationis cavere debemus; nihilominus affirmare valemus laicos hodie propriarum capacitatum conscios, non amplius, uti temporibus praeteritis, admittere se tractari uti membra mere passiva Ecclesiae auctoritati inscienter submissa, vel uti « oves mutas ».

E contra perplures sunt christifideles, in non paucis eruditi, qui petunt ut audiantur ubi quaestio est de negotiis in quibus gaudent competentia illa, qua haud raro carent ipsi clerici.

Desiderio desiderant participes esse apostolatum Ecclesiae operum, idque certo facere intendunt sub directione hierarchiae, non autem quin antea ipsimet de negotiis in quibus competentes sunt, audiantur ab ipsa hierarchia, quam ipsis confidentiam afferre expectant.

Amorem quam maximum habent erga S. Matrem Ecclesiam summam reverentiam et confidentiam erga legitimam auctoritatem proferentes. Ast simul conscii sunt propriae dignitatis ac competentiae, non tantum quidem in iis quae ordinem spectant temporalem, sed etiam in iis quae ad vitam internam Ecclesiae attinent. Praesertim vero omnino necessarium aestimant collocutionem seipsos inter et Ecclesiae hierarchiam, ut ipsius Ecclesiae bonum commune debite promoveatur utque specie partes laicorum in apostolatu definiantur.

Concilium hoc oecumenicum, divina Providentia ita ordinante, multum iam contulit ad hoc ut hoc colloquium locum habeat. Magnam in laicis spem excitavit, atque ansam praebuit non paucis quaestionibus, quarum magni momenti est quaestio haec: ut partes definiantur libertatis atque partes auctoritatis.

Cui quaestioni de relatione inter libertatem et auctoritatem, responsum si non dat Concilium, exspectanda procul dubio erit:

1. crescens quaedam acrimonia laicorum erga Ecclesiae auctoritatem;

2. crescens indifferentia laicorum, qui passive quidem leges observent, nequaquam autem participes erunt ipsius Ecclesiae vitae ac missionis;

3. immo et aliquando, proh dolor, defectus a fide et ab Ecclesia.

Ceterum, Ecclesia, ut crescere possit, auxilio indiget laicorum, eorum praesertim qui « intellectuales » dicuntur. Eorundem autem auxilio et consilio nullatenus uti poterit Ecclesia, nisi agnoscat eorum legitimam libertatem actionis atque sensum « initiativae » quam vocant, atque nisi eosdem in rebus ad eorundem competentiam pertinentibus debita cum reverentia consulere parata sit.

Quae omnia si prae oculis habeantur, videtur partes quasdam cap. III magis impedituras quam promoturas esse laicorum vividum apostolatum. Haec se referunt praesertim ad n. 26, pag. 10. Textus dici debet nimis negativus, nimis forsitan cautus atque nimis clericalis.

Nimis enim instat textus in affirmanda necessitate oboedientiae, reverentiae ac subiectionis nec satis extollit propriam responsabilitatem, libertatem « initiativae », quam vocant, quae positive agnoscendae sunt laicis, quippe qui Corporis Christi mystici vera sint membra. Ne iterum atque iterum sermo fiat de eorum officio subiectionis et reverentiae, ac si unica officia eorundem his verbis enuntiarentur: credere, orare, oboedire et solvere.

Ne obliviscamur fideles laicos Ecclesiam in honore habere et eam diligere, sicut nos eam diligimus, sed in voto eorum est ut active participare possint missionem Ecclesiae, ut non amplius habeantur *tamquam mere repraesentantes*[1] clerum et hierarchiae, sed ut agnoscantur uti propriam partem habentes in Ecclesiae missione, quam laici, quorum proprium munus, ut laicorum, ab Ecclesia definitur atque probatur.

Quae vero omnia parum valebunt, nisi in hoc schemate fundamentali affirmemus nos sincere laicorum competentiam agnoscere, nisi nos paratos dicamus ad eos audiendos, atque ante omnia nisi clare agnoscimus ius ut propriam exerceant activitatem spiritualem, in libertate atque in mutua cum hierarchica auctoritate confidentia. In hoc sensu debemus nos, episcopi, latius exstruere et evolvere « Instituta » de quibus in n. 26 mentio fit, ita ut exstet in qualibet dioecesi apparatus quo laici, praesertim doctiores, cum episcopo et parochis communicare valeant.

Ego hodie loquor pro laicis, votum eorundem afferens hoc Concilio

et in eodem sensu nonnulli alii episcopi pro eis locuti sunt. Sed modo etiam quaero ut laici ipsi audiantur a Patribus, ut scilicet nomine laicorum omnium audiantur auditores in hac aula qui adsunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut repraesentantes tantum.

15

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

Venerabiles Patres,

Quaedam adnotanda circa cap. III, pag. 8, in n. 25 *de vita salutifera et apostolica laicorum.*

Optima quidem dicuntur de iure et officio laicorum participandi et cooperandi ad missionem ipsius Ecclesiae salutiferam adimplendam.

Valde opportunum est in memoriam laicorum hanc obligationem revocare ut bene sciant id quod incumbit eis ut membra in Corpore mystico quod est Ecclesia. Sed optarem ut hic inseratur quaedam adhortatio ad pastores animarum ut suscitent zelum hominum bonae voluntatis; ut occasionem praebeant laicis ad cooperandum cum eis; ut doceant populum de responsabilitate uniuscuiusque erga fratrem suum. Ratio est quia fideles laici ad sua officia non attendunt vel ignorant, et hoc debetur maxima ex parte negligentiae eorum qui officium habent animas educandi sive praedicatione sive catechesi, tam in ecclesiis quam in scholis.

Scholae enim Ecclesiae vita sunt. Animadvertendum est quod inimici Ecclesiae influxum scholarum optime aestimantes, et ideo maximam curam habent ut impediant scholas christianas suum officium obire. Apud nos hodie quidem christianae scholae opprimuntur et alumni non inveniunt alibi doctrinam sanam et proinde mores consequenter depravantur. Hic de scholis loqui debetur et actionem laicorum christianorum ad formandum filios nostros et eos perseverare, quia hic Ecclesia futura sunt.

Praeterea in schemate nobis proposito nihil dicitur de illis cooperatoribus qui praesertim in terris missionum maximum momentum habent, scil. de catechistis. Catechistae enim maximum influxum habere possunt in societate, praesertim apud iuvenes et in locis ubi sacerdos non habetur; catechistae isti formari debent spiritualiter, doctrinaliter et professionaliter modo adaequato ut officium suum cum fructu obeant.

Ego exc.mi D. Mathias ideas approbo et institutionem seminarii ad catechistae formationem fortiter peto, quia populum non solum in missionibus sed in toto orbe necessarium est hodie evangelizare et ad Christi lumen attrahere. Per laicos, facilius est, laicos convincere.

Alio forsan in schemate sermo erit de catechistis, de eorum formatione et operositate, sed hic debent adnumerari cum cooperatoribus laicis quorum collaboratio maximum fructum afferre potest in ordine ad regnum Dei diffundendum et virtutes christianas extollendas.

Proinde schema nostrum complendum est his duobus supradictis punctis, scil. de iure laicorum ut instruantur in scholis et ecclesiis de eorum officiis et obligationibus salutiferis; et secundo de institutione et formatione catechistarum.

Mundus enim hodiernus in materialismo immersus et ad indifferentismum deflexus non potest relevari de hac decadentia fidei et morum nisi adiuvetur per fermentum optimorum christianorum sic dicti « élites » qui efformandi sunt, ut lucem Evangelii secumferant in locis praesertim ubi sacerdos penetrare non potest aut impeditur. Illud enim Christi: « Vos estis lux mundi » non ad solos apostolos dirigitur sed ad omnes christifideles sicuti etiam illa alia qua Christus praedicavit in sermone montano: « Vos estis sal terrae etc. ... ». Si christianus verbo et exemplo suo alios ad Christum Dominum non ducit, tunc erit sicut sal quod non salietur et lux quae non lucescit.

Haec omnia et similia revocari debent in memoriam fidelium nostrorum laicorum utriusque sexus ut bene attendant ad adimplendum praeceptum Christi: « Perfecti estote sicut et Pater vester perfectus est ». Perfectio enim et sanctitas non reservatur ut monopolium monachorum et religiosorum sed est finis omnium christianorum, ad hoc tradunt ut omnes participes fiant vitae Christi hac in terra et ita ad aeternam gloriam perduci valeamus.

Cetera, quae in schemate proponuntur, mihi placent. Dixi.

Moderator: Nunc secretarius generalis leget exitum suffragationum peractarum.

Secretarius generalis:

Emendatio IX:

Praesentes votantes	2.230
Dixerunt *placet*	2.111
non placet	118
Votum nullum	1

Emendatio X:

Praesentes votantes		2.225
Dixerunt *placet*		2.200
	non placet	24
Votum nullum		1

Emendatio XI:

Praesentes votantes		2.160
Dixerunt *placet*		2.125
	non placet	34
Votum nullum		1

Emendatio XII:

Praesentes votantes		2.040
Dixerunt *placet*		1.904
	non placet	131
	placet iuxta modum, ergo vota nulla	4
Suffragia nulla		1

Emendatio XIII et ultima huius capitis:

Praesentes votantes		2.181
Dixerunt *placet*		1.960
	non placet	219
Vota nulla		2

Omnes igitur emendationes placuerunt Patribus.

Moderator: Faveant Patres audire! Patres, qui loqui desiderant circa cap. IV schematis *de Ecclesia,* iam possunt nomen suum secretariatui dare una cum summa interventionis suae. Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

EM.MUS P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LV

24 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LV

24 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 55 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Communico Patribus pie obiisse in Domino exc.mum D. Aurelium Guerrero, arch. tit. Gabulensem, olim Truxillensem in Peruvia. Oremus pro eo.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT, alternatim cum Patribus, *De profundis* recitat, cum versiculis et oratione.

Secretarius generalis: In hac congregatione generali primo fiet suffragatio de integro cap. IV schematis *de sacra Liturgia.*

Quidam Patres mihi retulerunt non fuisse bene intellectum sensum suffragationis circa art. 72 cap. IV, nempe circa emendationem IX. Videatis, quaeso, pag. 6. Ibi dicebatur: « Pagina, etc. etc. ..., omittatur art. 72 ». Iamvero, sensus hic est: qui dixerunt *placet,* voluerunt ut omitteretur art. 72. Res erat clara, ni fallor. Hoc dixi, et me excusate, ne inutiliter addantur modi, quia modi sunt crux commissionum!

Postea incipiet suffragatio circa cap. V *de anno liturgico,* postquam exc.mus D. Franciscus Salesius Zauner, ep. Linciensis, suam fecit relationem.

Nunc lego nomina eorum, qui petierunt loqui adhuc circa cap. III *de Ecclesia*: em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia; rev.mus P. Anicetus Fernandez, magister generalis O. P.; exc.mi DD. Petrus Cantero, ep. Huelvensis in Hispania; Thomas Muldoon, ep. aux. Sydneyensis in Australia; Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Georgius Hakim, arch. Nazarethanus Melchitarum; Conradus De Vito, ep. Lucknovensis in India; Aloisius Borromeo, ep. Pisaurensis in Italia; Telesphorus Cioli, ep. Arretinus in Italia; Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Angelus Jelmini, adm. ap. Luganensis in Helvetia; Michaël Gonzi, arch. Melitensis in Malta; Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia;

Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania; Antonius Mayer, ep. Camposinus in Brasilia; Georgius Manrique, ep. Orurensis in Bolivia; Hieronymus Podestà, ep. Avellanediensis in Argentina; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Carolus Quintero, ep. Vallipolitanus in Mexico; Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia; Ioseph Távora, arch. Aracajuensis in Brasilia; Gerardus Valencia, ep. tit. Rhesainensis in Columbia; Daniel Lamont, ep. Umtaliensis in Rhodesia Meridionali; Ioannes Kulik, ep. aux. Lódzensis in Polonia; Ioseph Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis in India; Petrus Ngô-Dinh-Thuc, arch. Huéensis in Vietnam.

Moderator: Legat nunc exc.mus secretarius generalis textum cap. IV schematis *de Liturgia* pro votatione Patrum.

Secretarius generalis: Videatis, Patres venerabiles, pag. 31. Suffragationi subiicitur textus qui est in parte dextera eius qui inspicit [*cf. pag. 117*].

Suffragatio fit, ut nostis, per *placet, non placet, placet iuxta modum*. Qui modum inducunt, debent illum tradere assignatoribus locorum. Immo commissio a nobis petit ut a Patribus postularetur, si possibile sit, ut modi diversi in diversis foliis scriberentur. Hoc ad laborem faciliorem reddendum. Gratias.

Moderator: Nunc dabit relationem de cap. V schematis *de Liturgia* exc.mus D. Franciscus Salesius Zauner, ep. Linciensis in Austria.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

[5] EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput V Schematis

AD PROOEMIUM

1 — Pag. 190, lineis 13-17, textus ita mutetur: « IN HOC ANNUO MYSTERIORUM CHRISTI CIRCULO CELEBRANDO, SANCTA ECCLESIA BEATAM MARIAM DEI GENETRICEM CUM PECULIARI AMORE VENERATUR, QUAE INDISSOLUBILI NEXU CUM FILII SUI OPERE

SALUTARI CONIUNGITUR; IN QUA praecellentem Redemptionis fructum MIRATUR ET exaltat, *ac* veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur ». [5]

2 — Pag. 190, lineis 25-28, textus ita mutetur: « *Variis* denique anni temporibus iuxta traditas disciplinas, *Ecclesia* fidelium *eruditionem* perficit, per *pias* animi et corporis *exercitationes,* INSTRUCTIONEM, PRECATIONEM, POENITENTIAE ET MISERICORDIAE OPERA ».

AD ART. 79

3 — Pag. 191, linea 7, addatur: « ACCOMMODATIONES VERO, SECUNDUM LOCORUM CONDICIONES, SI QUAE FORTE NECESSARIAE SINT, FIANT AD NORMAM ART. 39 ET 40 ».

AD ART. 80

4 — Pag. 191, lineis 8-12, textus ita mutetur: « MYSTERIUM PASCHALE ECCLESIA, EX TRADITIONE APOSTOLICA QUAE ORIGINEM DUCIT AB IPSA DIE RESURRECTIONIS CHRISTI, OCTAVA QUAQUE DIE CELEBRAT, QUAE DIES DOMINI SEU DIES DOMINICA MERITO NUNCUPATUR. HAC ENIM DIE CHRISTIFIDELES IN UNUM CONVENIRE DEBENT UT, VERBUM DEI AUDIENTES ET EUCHARISTIAM PARTICIPANTES, MEMORES SINT PASSIONIS, RESURRECTIONIS [6]
ET GLORIAE DOMINI IESU, ET GRATIAS AGANT DEO QUI EOS " REGENERAVIT IN SPEM VIVAM PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI EX MORTUIS " (1 Petr. 1, 3). ITAQUE DIES DOMINICA EST PRIMORDIALIS DIES FESTUS, QUI PIETATI FIDELIUM PROPONATUR ET INCULCETUR, ITA UT ETIAM FIAT DIES LAETITIAE ET VACATIONIS AB OPERE. Aliae celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne praeponantur, QUIPPE QUAE SIT FUNDAMENTUM ET NUCLEUS TOTIUS ANNI LITURGICI ».

AD ART. 82

5 — Pag. 191, lineis 18-20, textus ita mutetur: « DUPLEX INDOLES TEMPORIS QUADRAGESIMALIS, QUOD PRAESERTIM PER MEMORIAM VEL PRAEPARATIONEM BAPTISMI ET PER POENITENTIAM FIDELES, INSTANTIUS VERBUM DEI AUDIENTES ET ORATIONI VACANTES, COMPONIT AD CELEBRANDUM PASCHALE MYSTERIUM... ».

[6] 6 — Pag. 191, lineis 27-29, textus ita mutetur: « Quoad catechesim autem animis fidelium inculcetur, UNA CUM CONSECTARIIS SOCIALIBUS PECCATI, ILLA PROPRIA POENITENTIAE NATURA QUAE PECCATUM, PROUT EST OFFENSA DEI, DETESTATUR ».

AD ART. 83

7 — Pag. 191, lineis 31-35 et pag. 192, lineis 1-2, textus ita mutetur: « *Poenitentia* temporis quadragesimalis non tantum *sit interna et individualis,* sed quoque *externa et socialis. Praxis vero poenitentialis,* iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, *foveatur,* ET AB AUCTORITATIBUS, DE QUIBUS IN ART. 22, COMMENDETUR ».

AD ART. 84

8 — Pag. 192, linea 8, ante initium art. 84, ponatur: « SANCTI IUXTA TRADITIONEM IN ECCLESIA COLUNTUR, EORUMQUE RELIQUIAE AUTHENTICAE ATQUE IMAGINES IN VENERATIONE HABENTUR ».

AD ART. 85 ET 86

9 — Art. 85 et 86 e textu huius capitis extrahantur atque ponantur tamquam Appendix ad universam Constitutionem de sacra Liturgia, sub titulo: « CONCILII VATICANI II DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO DECLARATIO ».

[7] 10 — Pag. 192, ante lineam 15, ante art. 85, ad modum introductionis, ponatur: « SACROSANCTUM CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM SECUNDUM, HAUD PARVI MOMENTI AESTIMANS MULTORUM DESIDERIA DE FESTO PASCHATIS CERTAE DOMINICAE ASSIGNANDO ET DE CALENDARIO STABILIENDO, OMNIBUS SEDULO PERPENSIS, QUAE EX INDUCTIONE NOVI CALENDARII MANARE POSSINT, HAEC QUAE SEQUUNTUR DECLARAT ».

2 – TEXTUS SCHEMATIS [15]

Textus in Schemate propositus *

CAPUT V
DE ANNO LITURGICO

Sponsi divini opera salutifera, statutis diebus in anni decursu pia Mater Ecclesia sacra semper recordatione celebrare contendit. Primo hebdomadae die, quem « dominicum » vocavit, memoriam habuit Resurrectionis Domini, quam etiam semel in anno, solemnitate magna Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentavit. Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicavit, ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini. Recolendo taliter mysteria Redemptionis, aperuit fidelibus divitias virtutum atque meritorum Domini sui, ita ut omni tempore quodammodo praesentia fiant, et ipsi illa attingant et gratia salutis repleantur. Quin immo, per omnia mysterio Christi unitum, Sancta Ecclesia, in annuo festorum circulo, etiam mysterium beatissimae Dei Genetricis Mariae cum amore frequentat, in quo et praecellentem Redemptionis fructum merito exaltat, et veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur.

Textus a Commissione emendatus **

CAPUT V
DE ANNO LITURGICO

102. Pia Mater Ecclesia *suum esse ducit* Sponsi *sui* divini *opus salutiferum, statis diebus per anni decursum* sacra recordatione celebrare. *In unaquaque hebdomada, die quam Dominicam vocavit,* memoriam *habet* Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, solemnitate *maxima* Paschatis, una cum beata ipsius Passione, *frequentat.*

Totum vero Christi mysterium per anni circulum *explicat,* ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini.

Mysteria Redemptionis *ita recolens,* divitias virtutum atque meritorum Domini sui, *adeo* ut omni tempore quodammodo praesentia *reddantur,* fidelibus aperit, *qui ea* attingant et gratia salutis repleantur.

103. IN HOC ANNUO MYSTERIORUM CHRISTI CIRCULO CELEBRANDO, SANCTA ECCLESIA BEATAM MARIAM DEI GENETRICEM CUM PECULIARI AMORE VENERATUR, QUAE INDISSOLUBILI NEXU CUM FILII SUI OPERE SALUTARI [16] CONIUNGITUR; IN QUA praecellentem Redemptionis fructum MIRATUR ET exaltat, *ac* veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur.

* Dispositio materiae huius Capitis in textu emendato aliquando mutata est. Textus proinde Schematis hic traditur ordine ipsius textus emendati.

** Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

[16] Memorias insuper Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam et perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam decantant, circulo anni inseruit Ecclesia. Sanctorum enim nataliciis praedicat paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum praesentat, omnes per Christum ad Patrem trahentia.

104. Memorias insuper Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam ad perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam decantant *ac pro nobis intercedunt,* circulo anni inseruit Ecclesia. *In* Sanctorum enim nataliciis praedicat paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum *proponit,* omnes per Christum ad Patrem trahentia, *eorumque meritis Dei beneficia impetrat.*

In exercitationibus denique, diversis anni temporibus, iuxta traditas disciplinas aggrediendis, fidelium formationem perficit, per illas animi et corporis actuositates, quae in precatione, in ieiunio et instructione vim suam attingunt.

105. *Variis* denique anni temporibus iuxta traditas disciplinas, *Ecclesia* fidelium *eruditionem* perficit, per *pias* animi et corporis *exercitationes,* INSTRUCTIONEM, PRECATIONEM, POENITENTIAE ET MISERICORDIAE OPERA.

Praestat igitur ut fideles virtutem mysteriorum Christi impensius hauriant, eandem in festis beatae Mariae Virginis pie prosequantur et colant, Sanctorum exempla devote imitentur, atque exercitationibus sacris ad sanctitatem contendant.

Quapropter placuit Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur decernere.

Quapropter placuit Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur decernere.

I – DE ANNO LITURGICO INSTAURANDO

80. [*Dies dominicus*]. Peculiaris natura diei dominici pietati fidelium quam maxime proponatur et inculcetur, quatenus est « dies Domini » et hebdomadalis commemoratio mysterii paschalis et christianae fidelium regenerationis. Aliae proinde celebrationes, nisi revera sint magni momenti; ipsi ne praeponantur.

[17]

106. MYSTERIUM PASCHALE ECCLESIA, EX TRADITIONE APOSTOLICA QUAE ORIGINEM DUCIT AB IPSA DIE RESURRECTIONIS CHRISTI, OCTAVA QUAQUE DIE CELEBRAT, QUAE DIES DOMINI SEU DIES DOMINICA MERITO NUNCUPATUR. HAC ENIM DIE CHRISTIFIDELES IN UNUM CONVENIRE DEBENT UT, VERBUM DEI AUDIENTES ET EUCHARISTIAM PARTICIPANTES, MEMORES SINT PASSIONIS, RESURRECTIONIS ET GLORIAE DOMINI IESU, ET GRATIAS AGANT DEO QUI EOS « REGENERAVIT IN SPEM VIVAM PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI EX MORTUIS » (1 Petr. 1, 3). ITAQUE DIES DOMINICA EST PRIMORDIALIS DIES FESTUS,

QUI PIETATI FIDELIUM PROPONATUR ET INCULCETUR, ITA UT ETIAM FIAT DIES LAETITIAE ET VACATIONIS AB OPERE. Aliae celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne praeponantur, QUIPPE QUAE SIT FUNDAMENTUM ET NUCLEUS TOTIUS ANNI LITURGICI.[1] [17]

79. [*Annus liturgicus in genere*]. Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur, ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali, quod est totius anni liturgici veluti centrum et culmen.

107. Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali. ACCOMMODATIONES VERO, SECUNDUM LOCORUM CONDICIONES, SI QUAE FORTE NECESSARIAE SINT, FIANT AD NORMAM ART. 39 ET 40.

81. [*Proprium de Tempore*]. Fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini, qui mysteria salutis in anno celebrant. Proinde « Proprium de Tempore » aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum,[1] ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur.

108. Fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini, *quibus* mysteria salutis *per annum celebrantur*. Proinde Proprium de Tempore aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum,[1] ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur.

82. [*Tempus quadragesimale*]. Duplex character temporis quadragesimalis, praeparatio nempe vel saltem memoria Baptismi et actio poenitentialis, tam in Liturgia quam in catechesi liturgica plenius in luce ponatur. Proinde:

109. DUPLEX INDOLES TEMPORIS QUADRAGESIMALIS, QUOD PRAESERTIM PER MEMORIAM VEL PRAEPARATIONEM BAPTISMI ET PER POENITENTIAM FIDELES, INSTANTIUS VERBUM DEI AUDIENTES ET ORATIONI VACANTES, COMPONIT AD CELEBRANDUM PASCHALE MYSTERIUM, tam in liturgia quam in catechesi liturgica *pleniore* in luce ponatur. Proinde:

a) *ad profundiorem fidelium eruditionem, eorumque ad celebrandum mysterium paschale praeparationem,* elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis propria abundantius adhibeantur; quaedam vero ex anteriore traditione, pro opportunitate, restituantur;

b) idem autem fiat de elementis poenitentialibus. Quoad catechesim autem imprimis inculcentur animis fidelium socialis peccati indoles perniciosa, et partes Ecclesiae in actione

a) elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis propria abundantius adhibeantur; quaedam vero ex anteriore traditione, pro opportunitate, restituantur; [18]

b) idem *dicatur* de elementis poenitentialibus. Quoad catechesim autem animis fidelium inculcetur, UNA CUM CONSECTARIIS SOCIALIBUS PECCATI, ILLA PROPRIA POENITEN-

[18] poenitentiali; atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

83. [*Praxis poenitentialis Quadragesimae opportune restituenda*]. Indoles poenitentialis temporis quadragesimalis non tantum spiritualiter et individualiter colatur, sed in vita quoque practica fidelium suam partem externam et socialem habeat. Instauretur, proinde, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, opportuna praxis poenitentialis.[2]

Sacrum tamen esto ieiunium paschale, feria VI in Passione et Morte Domini, ubique celebrandum et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ut ita, elato et aperto animo, ad gaudia dominicae Resurrectionis perveniatur.

84. [*Festa Sanctorum festis mysteria salutis recolentibus ne praevaleant*]. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in servis eius praedicant, et fidelibus opportuna praebent virtutum exempla imitanda: attamen festis ipsa mysteria salutis recolentibus ne praevaleant. Immo plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda,[3] iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes.

TIAE NATURA QUAE PECCATUM, PROUT EST OFFENSA DEI, DETESTATUR; *nec praetermittantur* partes Ecclesiae in actione poenitentiali atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

110. *Poenitentia* temporis quadragesimalis non tantum *sit interna et individualis,* sed quoque *externa et socialis. Praxis vero poenitentialis,* iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, *foveatur,*[2] ET AB AUCTORITATIBUS, DE QUIBUS IN ART. 22, COMMENDETUR.

Sacrum tamen esto ieiunium paschale, feria VI in Passione et Morte Domini, ubique celebrandum et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ut ita, elato et aperto animo, ad gaudia dominicae Resurrectionis perveniatur.

111. SANCTI IUXTA TRADITIONEM IN ECCLESIA COLUNTUR, EORUMQUE RELIQUIAE AUTHENTICAE ATQUE IMAGINES IN VENERATIONE HABENTUR. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in servis eius praedicant et fidelibus opportuna praebent exempla imitanda.

Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes.

II - DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO

85. [*Festum Paschatis certae dominicae assignandum*]. Ut festum Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignetur,[4] assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus separatis, Sacrosanctum Concilium commendat.

86. [*Calendarium fixum inducendum*]. Sacrosanctum Concilium declarat se non obstare mediis et inceptis, quibus tenditur ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum.

Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum excogitata sunt, illis tantum non obstat, quae hebdomadam septem dierum servant et tutantur.[5]

APPENDIX [19]

[Ad Schema Constitutionis de sacra Liturgia]

CONCILII VATICANI SECUNDI DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO DECLARATIO

SACROSANCTUM CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM SECUNDUM, HAUD PARVI MOMENTI AESTIMANS MULTORUM DESIDERIA DE FESTO PASCHATIS CERTAE DOMINICAE ASSIGNANDO ET DE CALENDARIO STABILIENDO, OMNIBUS SEDULO PERPENSIS, QUAE EX INDUCTIONE NOVI CALENDARII MANARE POSSINT, HAEC QUAE SEQUUNTUR DECLARAT:

1. Sacrosanctum Concilium *non obnititur quin* festum Paschatis certae dominicae in Calendario Gregoriano assignetur,[1] assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus *ab Apostolicae Sedis communione seiunctis.*

2. *Item* Sacrosanctum Concilium declarat se non *obsistere* inceptis *quae conferant* ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum.

Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum *et in societatem civilem inducendum excogitantur,* iis tantum *Ecclesia non obsistit,* quae hebdomadam septem dierum *cum dominica* servant et tutantur, *nullis diebus extra hebdomadam interiectis, ita ut hebdomadarum successio intacta, nisi accedant gravissimae rationes de quibus Apostolica Sedes iudicium ferat, relinquatur.*[2]

[20]

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. sub titulo *De Calendarii reformatione* (pp. 430-441) passim.
[2] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 232-234: *De ieiunio quadragesimali;* et pp. 219-230: *De reformatione ieiunii et abstinentiae.*
[3] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. sub titulo *De Calendarii reformatione* (pp. 430-441) passim.
[4] Ibidem, pp. 442-443, nn. 2-12.
[5] V. gr. *Calendarium Orbis,* seu Calendarium a « World Calendar Association » propositum. Fuit etiam votum Congressus Unionis Astronomicae, Romae anno 1922 habiti (cf. *Ephemerides liturgicae,* 37 [1923], p. 39).

NOTAE

AD CAPUT DE ANNO LITURGICO

[1] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 430-441.
[2] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 232-234.

AD DECLARATIONEM DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO

[1] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 430 nn. 2-5, pp. 441-443 nn. 1-12.
[2] Cf. votum S. Rituum Congr. apud *Acta et Documenta,* cit., III, pp. 286-296.

3 – RELATIO

EXC.MI D. FRANCISCI SALESII ZAUNER, EPISCOPI LINCIENSIS, COMMISSIONIS CONCILIARIS DE SACRA LITURGIA SODALIS, CIRCA EMENDATIONES PROPOSITAS.

Venerabiles Patres,

Cum Schema Constitutionis liturgicae instaurationem Liturgiae sibi proponat, totius anni ecclesiastici ordinationem negligere non potest. Si enim talis ordo non respondet menti et traditioni Ecclesiae necnon utilitati pastorali, tota restauratio Liturgiae per Concilium Vaticanum II facienda damnum pateretur. En momentum huius capitis. Quamvis contineat paucos numeros, tamen inservit universae Liturgiae evolutioni.

Circa Caput V, in prima periodo Concilii Vaticani II, 85 Patres locuti sunt. Interventiones Patrum collectae sunt in proprium volumen quod 86 paginis constat. Plures e Patribus animadversiones generales exhibent (17). Alii praesertim quoad numerum 81 (Proprium de Tempore), numerum 83 (Praxim poenitentialem Quadragesimae), numerum 84 (Festa Sanctorum) et numerum 85 (Fixationem Paschatis) emendationes proposuerunt. Ex his animadversionibus aliquae pertinent ad quaestiones aliarum Commissionum. Plures observationes tangunt particularia, quibus Commissio postconciliaris providebit. Ad quasdam quoque emendationes dici debet, iam provisum esse in diversis capitibus Constitutionis liturgicae. Generaliter concludere liceat: Omnia de hoc Capite in prima periodo Concilii Vaticani II pie, religiose et sancte prolata fuere. Nihil

deperiet. Vota talia Patrum erunt maximi valoris pro labore postconciliari. Denique notandum est in suffragatione Commissionis Conciliaris de s. Liturgia habita die 10 maii 1963 omnes articulos emendatos, qui hic proponuntur, unanimem consensum sibi conciliasse.

In sequentibus exhibentur Patribus Concilii praecipuae rationes, quibus Sodales et Periti in proponendis emendationibus moti sunt.

AD PROOEMIUM, NUNC NN. 102-105

In 3 linea pag. 190 deleantur duo verba: « Primo hebdomadae die... » ne quaestiones excitentur de initio et fine hebdomadae. In linea 5 eiusdem paginae substituatur verbum « magna » verbo « *maxima* ». Etenim Pascha solemnitas maxima est.

Attentis emendationibus propositis tum quoad unitatem mysterii Christi cum cultu B. M. V. et Sanctorum, tum quoad convenientiam hunc cultum aperte et recte proclamandi, unanimiter approbatur mutatio textus prout sequitur:

Linea 12 et ss. textus ita sit: « *In hoc annuo mysteriorum Christi circulo celebrando, Sancta Ecclesia Beatam Mariam Dei Genetricem cum peculiari amore veneratur, quae indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur; in qua praecellentem Redemptionis fructum miratur et exaltat, ac veluti in purissima imagine id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur* ».

In linea vero 21 post verbum « decantant », addatur: « *ac pro nobis intercedunt* ».

Ut ambiguae, vel saltem non satis clarae, terminologiae lineae 25 consulatur ac emendatio proposita de operibus caritatis in textu inserendis suscipiatur textus ita mutetur: « *Variis denique anni temporibus, iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, poenitentiae et misericordiae opera* ».

A linea 29 ad lineam 32 supprimantur verba incisi: « Praestat igitur... ». Nam iam supra providetur cultui B. M. V. et Sanctorum in textu emendato, secus bis in prooemio de eadem re sermo esset.

AD NN. 79 ET 80, NUNC 106 ET 107

Aliqui Patres petiverunt meliorem descriptionem diei dominicae; ideo novus paratus est textus. Commissio etiam censuit mutandum esse ordinem n. 79 et 80, ita ut prius habeatur art. qui agit de die dominica. Hanc quidem ob rationem pastoralem, cum fideles vitam liturgicam prae-

primis de die dominica hauriant; imo de celebratione eucharistica dominicali accipiant praesertim nutrimentum animarum, textus n. 80 sit sequens:

« *Mysterium paschale Ecclesia ex traditione apostolica quae originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, octava quaque die celebrat, quae dies Domini seu dies Dominica merito nuncupatur. Hac enim die christifideles in unum convenire debent ut, verbum Dei audientes et Eucharistiam participantes, memores sint Passionis, Resurrectionis et gloriae Domini Iesu, et gratias agant Deo qui eos " regeneravit in spem vivam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis "* (*1 Petr.* 1, 3). *Itaque dies Dominica est primordialis dies festus, qui pietati fidelium proponatur et inculcetur, ita ut etiam fiat dies laetitiae et vacationis ab opere. Aliae celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne praeponantur, quippe quae sit fundamentum et nucleus totius anni liturgici* ».

Propositiones variae de festis introducendis remissae sunt ad Commissionem Postconciliarem, cum agatur de quaestionibus particularibus, quae altiora principia hic tractanda non respiciunt.

Vota de definiendo initio diei liturgici et quidem a primis Vesperis ut principium generale a Commissione de s. Liturgia remissa sunt ad Commissionem postconciliarem. Implicant enim plures quaestiones quae ad decisionem nondum maturae sunt.

Emendatio vero qua adimpletio praecepti assistendi Sacro anticipari possit horis vespertinis diei sabbati serio considerata est. Attamen in nostrum schema non inseritur, sed commendatur ut talis facultas locorum Ordinariis inter facultates habituales concedatur.

Animadversio proposita est de supplenda durante hebdomada obligatione participandi Sacrum pro iis, qui die dominica adesse nequeunt. Quia tamen distingui debet indoles adunationis dominicalis ab obligatione personali christianorum frequentandi Eucharistiam, quae non est quaestio liturgica sed disciplinaris, res ad aliam Commissionem pertinet.

A quibusdam optatur ut festa intra hebdomadam impedita possint transferri ad Dominicam sequentem. Talis propositio non placuit; esset contra spiritum Liturgiae. Attamen opportune auctoritati territoriali competenti relinqui potest facultas festa illa transferendi ad aliam diem, quae civiliter sit festiva, sicut evenit quibusdam in nationibus pro die sabbati, in quo passim ab opere vacetur. Et inter alia etiam huic est provisum.

Ad n. 79 itaque verba quae sequuntur addantur: « *Accommodationes vero, secundum locorum condiciones, si quae forte necessariae sint, fiant ad normam art. 39 et 40* ».

EMENDATIONES AD NN. 81-83, NUNC 108-110

Quoad textum quaedam mutanda sunt.

Ad n. 82 textus emendatus sic sonat: « *Duplex indoles temporis quadragesimalis, quod praesertim per memoriam vel praeparationem Baptismi et per poenitentiam fideles, instantius verbum Dei audientes et orationi vacantes, componit ad celebrandum Paschale Mysterium, tam in Liturgia...* ».

Ad n. 82 a) supprimuntur verba sequentia, ne habeatur repetitio: « ad profundiorem fidelium eruditionem eorumque ad celebrandum mysterium paschale praeparationem ».

Ad n. 82 b). Attentis animadversionibus et rationibus theologicis, ut praesertim vitetur dictio « peccatum sociale », proponitur sequens mutatio textus: « *idem dicatur de elementis poenitentialibus. Quoad catechesim autem animis fidelium inculcetur, una cum consectariis socialibus peccati illa propria poenitentiae natura quae peccatum, prout est offensa Dei, detestatur; nec praetermittantur partes Ecclesiae in actione poenitentiali atque oratio pro peccatoribus urgeatur* ».

Quoad n. 83, proponitur ut prima paragraphus ita mutetur: « *Poenitentia temporis quadragesimalis non tantum sit interna et individualis, sed quoque externa et socialis. Praxis vero poenitentialis, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, foveatur, et ab auctoritatibus, de quibus in art. 22 huius Constitutionis, commendetur* ».

Plures emendationes in Aula eo contenderunt, ut diutius fiat Proprium de Tempore novis textibus Sacrae Scripturae, ut dein augeantur textus Missarum. Censet Commissio his satis provisum fuisse textu schematis ac emendationibus factis tum in cap. II tum in cap. IV.

Quoad peculiare votum a pluribus Patribus prolatum de introducendo in schema numero in quo agatur de tempore Adventus respondet Commissio:

De indole temporis Adventus (quod valet etiam de Quatuor Temporibus) melius est ut nihil dicatur. Auctores adhuc disputant de eiusmodi indole, nec uniformitas in variis Ecclesiae ritibus habetur. Idipsum confirmatur diversitate, qua emendationes propositae sunt.

Specialis mentio de tempore Passionis ab aliis Patribus facta est. Sed tempus Passionis est pars temporis Quadragesimalis et alioquin de singulis temporibus anni liturgici esset agendum!

Non videtur inserenda in textu peculiaris monitio de adimplendo praecepto paschali vel de frequentando Sacramento Poenitentiae. Atta-

men desideratur, ut clarius notio temporis quadragesimalis exponatur. Tali desiderio satis fieri putamus per mutationem sub n. 82 supra citato: « *Duplex indoles temporis quadragesimalis...* ».

Circa n. 83 varia Patrum vota prolata sunt. Quoad substantiam libenter acceptantur et in citato numero praxis poenitentialis commendatur. Non videntur tamen acceptandae variae propositiones circumstantiarum particularium praxis poenitentialis.

EMENDATIONES AD N. 84, NUNC 111

Hoc in numero, attentis animadversionibus factis in Concilio quoad venerationem Sanctorum eorumque imaginum et reliquiarum, Commissio proponit ut textus ita mutetur: « *Sancti iuxta traditionem in Ecclesia coluntur, eorumque reliquiae authenticae atque imagines in veneratione habentur. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in servis eius praedicant, et fidelibus opportuna praebent exempla imitanda.*

Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his... ».

Emendationes circa relationem inter Proprium Sanctorum et Proprium de Tempore quia sunt particulariores omissae sunt. Consideratione dignae sunt pro labore postconciliari.

AD NUMEROS QUI PRIUS FUERANT 85 ET 86 DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO

Propter instantias Patrum quoad hanc partem capitis et propter difficultates motas transpositio quaedam inducta est ita ut nn. 85 et 86 aliquomodo separentur a Schemate, quocum tamen ad modum appendicis iungantur. Tunc totum caput una parte tantum constat: « De Anno liturgico instaurando ». Appendix « De Calendario recognoscendo » parva praefatione nova introducitur et novo titulo ornatur « *Concilii Vaticani II de Calendario recognoscendo declaratio* ».

Rationes pro hac emendatione haec fuerunt: Fixatio Paschatis et calendarium perpetuum habent quidem connexionem cum anno liturgico, sed Concilium non proprie decisionem sed suam mentem tantum non obstandi profert. Insuper in Concilio Ecclesia proprie et primarie loquitur ad intra et ad fideles, dum hic sermo potius est ad extra, ad societates internationales quae quidem propter rationes boni communis calendarium perpetuum desiderant et mentem Ecclesiae scire volunt. Etiam quoad fixationem Paschatis, ne fratres separati offendantur, Ecclesia tantum manifestat se non obstare.

De fixatione Paschatis in Aula 14 Patres locuti sunt, quorum 2 rationes favorabiles dum 3 rationes contrarias adduxerunt. De calendario perpetuo inducendo in Aula 6 Patres sermonem habuerunt, quorum duo rationes in contrarium exhibebant. Commissio Conciliaris de s. Liturgia commendat articulos hos de Calendario recognoscendo et quidem propter duas rationes. Unio socialis humanitatis de die in diem crescit, diversitas festorum ideo non parvas difficultates creat, non raro fidelibus prorsus impossibile est ut festa serventur. Oeconomia civitatis industrialis desiderat aequum et stabilem ordinem laboris et otii in hebdomada, mensibus et anno. Si Ecclesia silet vel dissentit periculum exoritur ne systema atheum, sine respectu ad hebdomadam, in multis partibus mundi instauretur.

Rationes boni communis omnes movere debent etiam Christifideles sicut Encyclica nuper edita *Pacem in terris* nos docet. Commissio de s. Liturgia omnibus consentit qui affirmant, in hac materia caute et debita cum prudentia procedendum esse. Huic desiderio videtur in appendice « De Calendario recognoscendo » satis factum esse.

Paucis verbis propositae sunt emendationes, a Commissione Conciliari de sacra Liturgia receptae, quae horum articulorum substantiam attingunt, quae vero ad sermonis formam tantum referuntur omissae sunt.

* * *

Fas sit mihi confiteri Praesidem, Sodales et Peritos in perpendendis animadversionibus strenue adlaborasse. Scimus tamen, Patres et Confratres Conciliares, Spiritum Sanctum non nobis, sed Vobis, i. e. Concilio praeprimis et specialiter promissum esse. Cum fiducia Caput V de Anno Liturgico suffragationi Vestrae submittimus, sperantes Vestro suffragio confirmaturos esse nostrae Commissionis laborem.

Moderator: Nunc continuatur disceptatio de cap. III schematis *de Ecclesia.*

Velint audire Patres, quia in praesenti disceptationis iam protractae momento periculum repetitionum imminet, rogantur enixe Patres qui verbum petierunt ut examinent textum suum et omittant superfluas repetitiones. Item ne loquantur Patres de apostolatu laicorum sensu stricto, nam de iis proprium schema agit.

PATRUM ORATIONES

De Ecclesia, cap. III (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Venerabiles Patres,

Plura quae circa cap. III in hac aula audivi pergrato animo accipio et amplector, etiam si hic, brevitatis causa, singula non commemoro. *Paucae observationes* [1]:

1. Ad art. 23 « De definitione laicorum ». In hac definitione sermo non est *explicitus* [2] de subiectione auctoritati Ecclesiae, qua laici adstringuntur. Cum alibi in textu hoc plus minusve dicatur, vel innuatur, et hic dici potest et debet, quia semper dictum est, et si non diceretur, haberentur regressus necnon consequentiae nullatenus desiderabiles.

2. *Ad art. 24* [3] *de populo Dei.* Haec locutio potest *optime* [4] placere et certe latius patet quam locutio « laici », quae maiorem tantum partem fidelium Ecclesiae adhuc peregrinantis indigitat. Non censeo tamen esse ponendum peculiare caput de populo Dei, et haec est ratio: ut poni possit peculiare caput, necesse esset ut locutio « populus Dei » aliquid adderet ultra generalem notionem Ecclesiae (quae *generalis notio* [5] complectitur electos et peccatores, ad eius animam vel ad eius corpus pertinentes, *sanctos in caelo,* [6] etc.), *vel necesse esset ut esset peculiaris et momentosus aspectus.* [7] Immo aliquod habeo contra separationem capitis, nam quis posset inde inferre « populum Dei » aliquid esse et aliquid valere etiam sine Ecclesia, quod esset contra certam veritatem fidei de necessitate eiusdem Ecclesiae ad salutem aeternam consequendam.

Si ergo non proferuntur rationes quae omnino et tantummodo exsurgant ex fontibus theologicis, censeo cap. III posse manere in genere uti nunc est; salvis observationibus quae a Patribus factae sunt.

3. Item ad art. 24 « De sacerdotio universali ». Omnes admittunt, utique diversis modis et locutionibus, vocem « sacerdotium » pro laicis hic sumi sensu omnino et quidem latissimo analogico respectu vocis « sacerdotium » cum de presbyteris et episcopis assumitur. Addo in textibus Sacrae Scripturae in quibus haec vox citatur relate ad omnes, haberi etiam non praetereundum aspectum litterarium, qui rem confirmat et illustrat.

Cum res ita sit et de facto hic illucque in textu apparato dicatur, non video quomodo tam magnificentia inde deduci possint et rogo ut totus sermo de hac re magis inhaereat vero sensu Sacrae Scripturae et fontium theologicarum. *Et ob hanc causam adhaereo iis quae dixit em.mus card. Ruffini.*[8] Certe commissio voluit dicere ea omnia quae possunt carissimis laicis placere et hic finis est laudandus; maior tamen desideratur moderatio in modo. Omnes sciunt incitamenta esse peropportuna, sed tamen suo loco et ordine.

4. Item ad art. 24 *de charismatibus*. De charismatibus fidelium bene scimus ea posse dari. At si agitur de charismatibus extraordinariis, Ecclesia omnino prudenter et se gessit et se gerit circa ea, sive quia rara sive quia facile possunt dari et dantur deceptiones, sive quia *haec omnia*[9] suo subsunt iudicio. Si vero agitur de habituali operatione Spiritus Sancti eam omnino profitemur, tamen ea debet generatim subesse Ecclesiae regimini quae in foro externo et interno praesertim exercetur et eius interpretatio semper debet esse iuxta ea quae Ecclesia statuit et accipienda in spiritu humilitatis et oboedientiae. Secus in Ecclesia fieret alia Ecclesia omnibus illusionibus obnoxia.

5. Ad art. item 24, de sensu fidei christifidelium. De eo loquitur Concilium Tridentinum undecim vicibus. Haec esset bona occasio ulterius explicandi. Tamen hoc apprime retinendum est: quod sensus fidei est « ex auditu » ante omnia et valor Ecclesiae discentis pendet omnino a valore Ecclesiae docentis.

Denique: ad aequilibrium huius capitis aliqua desunt. Clarior sermo faciendus est de statu peccati (sicut optime fecit card. Meyer), et de statu debilitatis hominum, quapropter etiam filiis Dei adoptivis fit necessarius cotidie status redemptionis et regiminis. Nimis sola gloriosa *hic*[10] recensentur. Insuper aliqua viderentur dicenda de his laicis qui sub nomine christiano civilia gerunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] peculiarem et momentosum aspectum. [8] deest. [9] deest. [10] deest.

Moderator: Leget nunc exc.mus secretarius generalis textum primae emendationis de cap. V *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Ad prooemium. Emendatio prima: pag. 190, linn. 13-17 (quae respondent pag. 15, n. 103 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 264*].

2

Rev.mus P. ANICETUS FERNANDEZ
Magister Generalis O. P.

Venerabiles Patres, clarissimi Periti, Auditores et Observatores,

Libentissime adhaereo laudibus quibus exaltantur altior aestimatio laicorum in Ecclesia et eorum urgens appellatio ad apostolatum ...[1]. Haec enim, sine dubio adnumerabuntur inter principaliores fructus huius Concilii qui maiorem et efficaciorem beneficum influxum habebunt in favorem Ecclesiae et societatis.

Humiliter velim aliquid maxime practicum de apostolatu laicorum in temporalibus proponere. Sed, ut melius et rectius intelligatur, prius quasdam considerationes de eius fundamento doctrinali *theologico*[2] praemittam, *quae forsan in schemate aliquo modo essent inserendae. Has saltem considerationes censeo esse dicendae in hoc capite, et hoc dico ut non videatur non oboedire mandato em.mi moderatoris huius congregationis.*[3]

1. Omnes christiani, pauperes et divites, cleri, religiosi et laici, semper prae oculis habere debemus doctrinam Domini circa beatitudines in monte praesertim expositam: nempe, quod semper et in primis est quaerendum regnum Dei et quod vera beatitudo invenitur in paupertate spiritus, in munditia cordis, in humilitate et mansuetudine cordis, in abnegatione et in voluntario amplexu crucis, in oboedientia usque ad mortem. Nos et christifideles proinde oportet semper exhortari ad affectus nostros ab amore rerum temporalium retrahendos et illos ad bona supernaturalia et caelestia elevandos et ad vitam interiorem supernaturalem, ante omnia, colendam. Haec verissima sunt et numquam satis inculcabuntur, *et semper et imprimis in vultu Ecclesiae splendescere debent.*[4]

2. Nihilominus ex hac verissima doctrina non recte intellecta oriri potest, et sine dubio, quandoque orta est, quaedam falsa dispositio animorum catholicorum circa bona temporalia. Explicite vel implicite quandoque videntur considerari quasi in se mala et incompatibilia cum virtutibus et salute aeterna. Unde catholici non deberent de illis curare, nec ipsis liceret aspirare ad eorum possessionem et dominium, nisi forte quatenus sunt indispensabilia ad conservationem vitae. Ideo in manibus diaboli et eius sectatorum sunt relinquenda. Contra hos *diabolos*[5] Rev.mus P. Abbas Christophorus dicebat essent recitandi psalmi imprecatorii. Sed, praeter orationem, conari tenemur ut homines recti horum

bonorum dominium habeant. Aliter sequuntur innumera et gravissima mala, quae iam hodie *experimur*,[6] namque tales homines sine religione nec moralitate eis utuntur vel melius abutuntur ad errores et vitia propaganda, et ad cognitionem veritatis et exercitium virtutis impedienda. Ita, proh dolor, videmus saepe accidisse in dominio auri et argenti in technica, in cinema, in editorialibus, in diversis associationibus anonymis potentissimis quae disponunt de rebus et vita hominum ut eis placet. Sed talis conclusio perperam eruitur ex verbis Domini.

Namque, sicut nulla dari potest veritas ordinis naturalis quae opponatur veritati ordinis supernaturalis, immo et quae ex se non possit ac debeat intellectum disponere ad veritates supernaturales amplectendas, ita nullum bonum vere tale ordinis naturalis dari potest quod sit incompatibile cum bonis caelestibus, immo et quod non possit et debeat deservire ad supernaturalia. Harmonia quae revera viget et defenditur inter veritates naturales et supernaturales, eadem debet vigere et defendi inter bona naturalia et supernaturalia. Tamen hoc secundum minus explicatur et defenditur.

Nullum ergo bonum naturale, ex se, est damnandum vel reiiciendum tamquam malum et nocivum, et quod catholici, nisi adsint rationes speciales quibus aliter se gerere debeant, non solum licite sed meritorie possidere possint. Insuper habetur vera obligatio conandi, in quantum possibile sit, ut tales res temporales non dilapidentur, sed potius *conserventur*[7] et multiplicentur in bonum totius societatis.

Certe Ecclesia saepe in decursu historiae bona temporalia directe vel indirecte promovit. Certum est etiam quod hodie existunt quaedam associationes omni laude dignae, ut Charitas Americana in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, « Adveniat » et « Misereor » in Germania, « POA » in Italia, ita efformatur nunc « Charitas Hispanica ». Sed deficientia organizationum catholicarum quae habeant potentem influxum in cinema, in media publicationis, in oeconomiam, etc., est evidens.

3. En optimus apostolatus valde proprius laicorum. Inter multigenos modos, quibus laici adiuvare possunt et debent Dei ministros in conservando, tutando, diffundendo et propagando regno eius, non minimum occupat locum accessio, administratio ususque divitiarum sive bonorum corporalium exteriorum, quibus, veluti instrumentis, indigemus ad opera complura catholica perficienda.

Hisce enim in rebus solent laici peritiores et habiliores esse quam clerici. Ac praeterea, si laici directionem et responsabilitatem assumant huiusmodi rerum, occasio tollitur insimulandi clericos ipsamque Ecclesiam de avaritia et capitalismo aut certe de mercatura.

Neque tamen ipsi laici catholici, haec agentes, *si sicut ait S. Hieronymus divitias non custodiunt ut servi, sed eas aliis distribuunt ut domini,*[8] avaritiae serviunt aut cultum reddunt mammonae iniquitatis ut effrenatus capitalismus, sed in servitium Dei et usum hominum rectum bona illa convertunt, sicut erant ab ipso Domino condita et instituta. Ut nempe ea ipsa quae homines mundani et perversi, contra Dei praeceptum et ordinationem, inservire fecerunt iniustitiae ad iniquitatem, laici catholici servire faciant iustitiae et aequitati...[9]

4. Inter alios licitos et sanctos fines ad quos talia bona ordinari debent et quibus redderentur, non solum iusta sed et meritoria eorum possessio et dominium, *enumerare possumus*[10] sequentia: *a*) melior et iustior distributio divitiarum ...[11]; *b*) novus modus exercendi caritatem ...[12]; *c*) opera catholica ...[13].

Conclusio. Humiliter proponimus ut in fine par. 25 vel alio in loco saltem addantur sequentia verba: « Multum expediret quod mediantibus laicis Ecclesia promoveat associationes caritatis vel oecumenicas quibus bona materialia multiplicentur et eorum usus melius et iustius distribuatur, ita ut, quatenus possibile sit, omnes homines habeant necessaria ad ducendam vitam quam natura humana et dignitas filiorum Dei exigunt, simulque omnia opera bona prospici et adiuvari possint ». Forsan quaedam Commissio Centralis Internationalis esset ad hos fines utilissima. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sub directione hierarchiae exercendum, praesertim in rebus temporalibus. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] exprimunt. [7] convertantur. [8] deest. [9] (cf. *Rom.* 6, 13). [10] enumerari possunt. [11] In hac quaestione prae oculis habendum est quod iam dicebat S. Thomas (*Summa Theol.,* II-II, 66, 2) quod licet proprietas privata rerum temporalium sit licita et necessaria, tamen, quoad eorum usum debent deservire ad bonum commune totius societatis. Quaelibet societas christiana debet curare, quatenus possibile sit, ut omnes homines habeant saltem illam sufficientiam bonorum naturalium necessariam ad vitam humanam digne gerendam. Haec enim minima sufficientia bonorum temporalium, generaliter loquendo, etiam est necessaria, ut ait Sanctus Thomas, ad exercitium virtutum et consequenter ad salutem supernaturalem (cf. *Summa Theol.,* II-II, 129, 8; *Summa contra Gent.,* III, 130). [12] Hodie caritas non sufficienter adimpleretur solis modis traditionalibus, nempe: simplici eleemosyna. Haec non est excludenda, sed perficienda. Hodie egeni non petunt a nobis eleemosynam, sed potius laborem et medium quo obtinere possint omnia illa bona necessaria ad vitam vere humanam ducendam. Et non tantum petunt, sed exigunt. Et revera nemo potest eis negare iustitiam huius clarae exigentiae, quia oritur ex ipsa natura humana et ex conditione filiorum Dei. Ideoque iustitia et caritas nobis imponunt obligationem procurandi egenis, non tantum eleemosynam quae afferre potest remedium pro aliqua temporaria necessitate, sed medium permanens ad necessaria pro vita humana obtinenda.

Admitti debemus, non solum ad pauperes actuales suppeditandos, sed quod usus et distributio divitiarum sit magis aequitativa, ita ut revera non sint pauperes, vel sint in numero minori possibili. Et, sine dubio, saepe hoc fieri potest et debet, promovendo diversas species associationum vel organizationum quae se occupent, non solum de praesenti, sed etiam de futuro, conficiendo rationes laboris et methodos agendi pro pluribus annis, etc. [13] Requiruntur insuper ingentes divitiae et magni sumptus ad complura opera catholica perficienda, conservanda et dilatanda, verbi gratia:

1. Ad opera missionalia sive de propaganda fide.
2. Ad erigenda et sustentanda Seminaria pro formatione Sacerdotum (Catechistarum, Sororum, etc.).
3. Ad erigendas et sustinendas scholas, instituta et Universitates Catholicas.
4. Ad societates editoriales catholicas condendas et ampliandas, quae opera de fide et morali catholica minoris momenti longe lateque diffundant et quidem modico pretio, ut Bibliotheca Auctorum Christianorum Matritensis.
5. Ad folia quotidiana et periodica et officia informationis catholicae creanda, iuxta novissimas perfectiones technicas.
6. Ad servitium cinematographicum, radiophonicum et televisivum. Et quidem optandum esset ut catholicum istud servitium superaret vel saltem aequaret mundanum.
7. Ad erigenda orphanotrophia, nosocomia etc., eaque sustentanda.

3

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Episcopus Huelvensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Supremum Ecclesiae magisterium numquam hucusque, *ni fallor,*[1] de « sensu fidei » directe et explicite tractavit. Constat tamen Concilia et supremum magisterium Romanorum Pontificum saepe ad sensum fidei recurrere ut suas definitiones et decreta roborent. Tum sub aspectu oecumenico tum sub aspectu pastorali huius Concilii ...[2], tractatio *explicita*[3] « de sensu fidei » videtur opportuna ad demonstrandum: *a*) quanta cum aestimatione in Ecclesia catholica fides proponatur non solum ut fundamentum et radix iustificationis fidelium sed etiam ut motor activitatis missionalis totius Ecclesiae, et *b*) quomodo « sensus fidei » considerari possit tamquam unum ex fundamentis doctrinalibus apostolatus laicorum in missione salvifica Ecclesiae.

Ideo aliqua humiliter notare velim circa conceptum, radices, relationes cum Magisterio authentico Ecclesiae, et influxum sensus fidei in vita interna et externa Ecclesiae Christi. Agitur enim de materia magni momenti, et in hac doctrina proponenda diligenter cavendum et vitandum est omne periculum — non quidem chimericum — subiectivismi

individualistici, quod forte aliquos impellere posset ad vitam christianam ducendam omnino independenter ab illis quos « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei »...[4]

1. *Conceptus sensus fidei.* In genere, quod in ordine naturali est et operatur « sensus communis », et quod in ordine morali christiano operatur « odor Christi » de quo loquitur Paulus ...[5] sic, mutatis mutandis, in ordine supernaturali veritatis revelatae operatur « sensus fidei », seu ut iuxta verba ipsius Pauli « sensus Christi »...[6]

« Sensus fidei » est donum supernaturale, proveniens a Spiritu Sancto: *a*) quod inest tum in populo Dei collegialiter sumpto, tum in omnibus et singulis christifidelibus, sive episcopi, sive religiosi, sive laici sint; *b*) et operatur veluti instinctus veritatis in rebus fidei et morum, tum modo negativo vitando errores et captando saporem erroris fidei, tum modo positivo, ut ait textus schematis « veritatem fidei profundius perspiciendo et in vita fidelibus applicando »...[7]

Haec expressio « sensus fidei » non est omnino identica expressionibus « sensus fidelium », « sensus Ecclesiae », « communis sensus fidei ». Realitates sub his omnibus expressionibus contentae saltem inadaequate distinguuntur, quamquam omnes hae realitates in eundem finem supernaturalem tendunt et confluunt, nempe: ad depositum fidei custodiendum, evolvendum et applicandum vitae personali et sociali fidelium. Brevitatis causa in expositione characterum horum singulorum donorum supernaturalium non morabor.

2. *Radices sensus fidei.* Unde radicitus provenit « sensus fidei »? Mea quidem sententia radices sensus fidei nituntur in ipsa constitutione interna Corporis Christi, quod est Ecclesia, et simul in ipsa natura supernaturali fidei *quae* creditur et fidei *qua* creditur.

In ipsa enim constitutione divina Corporis Christi, anima est Spiritus Sanctus, illuminans, movens et vivificans totum hoc corpus et simul singula eius membra, quae, ut talia membra Christi, participant, sicut palmites e vite, munerum ipsius Christi, qui est sacerdos, rex et magister.

Praeterea sensus fidei nititur etiam in ipsa natura supernaturali fidei. Actus enim fidei est verus actus vitalis supernaturalis, qui nos iungit Deo viventi, et ipsa fides, caritate informata, fructus gratiae vitae aeternae dignos producit.

Iam vero fidelium activa participatio horum munerum sive donorum nec recipitur nec operatur univoce et aequaliter in omnibus christifidelibus, quia Spiritus Sanctus illuminat et movet « sensum fidei » in populo Dei et in singulis christifidelibus iuxta illa verba *Pauli*[8] « unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout

vult » ...[9]. Quapropter potest accidere — et de facto aliquando accidit — quod sensus fidei minus operetur in theologis quam in quibusdam fidelibus, ex. g., in sanctis, in fundatoribus, etc.[10]

Hic « sensus fidei » efformatur influxu Spiritus Sancti, tum actione externa praedicationis magisterii Ecclesiae, iuxta illa verba Pauli: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » ...[11], tum actione interna et immediata eiusdem Spiritus veritatis in animabus omnium fidelium, quibus « omnes sunt docibiles Dei » ...[12], « nos autem sensum Christi habemus » ...[13]; quibus etiam fideles possunt acquirere profundiorem perspicientiam, intuitionem et quasi saporem veritatum fidei, immo etiam veritatem in deposito revelationis absconditam quandoque praesentire.

Ideo proponere auderem ut post verba schematis *pag. 8, lin. 24*[14] « cui credentes active respondent, veritatem fidei profundius perspiciendo » addatur « quandoque etiam veritatem in deposito revelationis absconditam praesentiendo ».

3. *Relationes « sensus fidei » cum magisterio Ecclesiae.* Ecclesia Christi non est societas simpliciter clericalis, nec societas simpliciter democratica, ideoque omnia quae in Ecclesia habentur, naturae seu constitutioni divinae ipsius Ecclesiae respondent. Unde sensus fidei inserendus est intra naturam populi Dei et ipsius fidei. Hac de causa sensus fidei non datur nisi: *a*) Verbo Dei scripto et tradito inhaereat, *b*) magisterio authentico Ecclesiae ducatur et confirmetur. Attamen officium huius magisterii authentici non est solum ducere, approbare et confirmare sensum fidei ut si fideles, sensu fidei moti, sint tantummodo obiectum mere passivum et instrumentum mere receptivum et executivum magisterii authentici.

Est etiam officium magisterii authentici fovere, audire, probare et recolere fructus et lumina sensus fidei, praesertim in proiectione et applicatione veritatum fidei ad realitates tum structurales tum practicas mundi hodierni, singulariter in dominio culturali.

Re vera ipsum supremum magisterium Romanorum Pontificum recurrit ad sensum fidei populi christiani, velut ad motivum roborativum suarum de fide declarationum quia etiam in populo christiano depositum fidei continetur; unde quaerit saepe collaborationem activam laicorum ad praeparationem suorum documentorum circa problemata moralia, socialia, anthropologica, etc.; et instantius invitat laicis ad missionem inserendi actionem salutiferam Ecclesiae, in structuris temporalibus, et in effluviis vitalioribus culturae et opinionis publicae mundi hodierni. Patet clarissime — ex argumentis saepe saepius citatis in hac aula — hanc laicorum collaborationem doctrinalem necessariam et multo

efficaciorem esse hodie quam aliis temporibus, ut divortium actuale inter scientias sacras et profanas vitetur, dialogus inter professores universitatum civilium et ecclesiasticarum foveatur, et, ne « Spiritus extinguatur » ...[15], opinio publica in Ecclesia consideretur ...[16]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Vaticani II. [3] deest. [4] (*Act.* 20, 28). [5] (*2 Cor.* 2, 15). [6] (*2 Cor.* 10, 16; *Rom.* 8, 14). [7] (pag. 8, linn. 23-24). [8] apostoli. [9] (*1 Cor.* 12, 7-11). [10] Nam « sensus fidei » est donum supernaturale quod non acquiritur viribus naturalibus, ut scientia, ingenio, etc. [11] (*Rom.* 10, 17). [12] (*Io.* 6, 45). [13] (*2 Cor.* 10, 16). [14] deest. [15] (*1 Thess.* 5, 19). [16] Secretariae tradam textum qui forte posset has condiciones implere, ut si visum fuerit textui nostro inseratur. Hac ratione omnes in Christo credentes, secure et ordinate ducti, vere « Spiritu Dei aguntur et Christi sensum percipiant » (*Rom.* 8, 14; *1 Cor.* 2, 16). Quapropter huiusmodi « sensus fidei », quippe qui ipsum veritatis Spiritum auctorem habet, ipsi Ecclesiae magisterio etiam active quandoque inservit, quando nempe veritates in revelationis deposito contentas, sed adhuc nobis quadantenus absconditas, quasi praesentiendo detegit, vel profundius perspicit, atque Ecclesiam veluti invitat ad eas accuratius proponendas, et aptius pleniusque christianorum vitae in variis temporum locorumque adiunctis applicandas.

Moderator: Legetur nunc secunda emendatio cap. V schematis *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio secunda: pag. 190, linn. 25-28 (conferatis pag. 16, n. 105 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 265*].

4

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Venerabiles Patres,

Haec quae locuturus sum verba abhinc novem diebus scripta sunt, et ideo nunc supervacanea esse deberent. Verumtamen, auditis orationibus, vehementius quam antea persuasus sum de necessitate haec eadem verba proferendi.

Statim ab initio perspicuum fuit quod proprie « de laicis » sermo in hac constitutione dogmatica institui non debuit, sed potius *sermo de fidelibus,*[1] nam ansam auctoribus statim praebuit loquendi *de apostolatu laicorum* et aliis rebus adnexis quae nullum ius civitatis in hac dogmatica constitutione habent, et praeterea in schemate *de laicorum apostolatu* situm proprium habent.

Hoc est enim huius capitis peccatum originale, unde ceteri omnes defectus sponte fluunt. Inde autem natum est documentum quod anceps haeret inter duos aspectus *fidelium,*[2] dogmaticum scil. et practicum, quin uni vel alteri satisfaciat. Inde natum est documentum quod caret ea *indole dogmatica* quae in aliqua constitutione dogmatica omnino inveniri debet; documentum, dico, cuius expositio potius quaedam farrago idearum est quam corpus doctrinae cohaerens et concinne compositum ...[3]. Revera in hoc capite nulla invenitur clare exposita doctrina dogmatica luminosa et vitalis quae totam materiam instar animae informat, vivificat, atque ad ordinem unitatemque reducit.

Titulus huius capitis deberet sic sonare: « De christifidelium dignitate et vocatione ». Nonne enim *finis* seu *scopus* bene determinatus huius capitis hic est: ut clare exponatur *fundamentum dogmaticum* omnis *dignitatis* supernaturalis fidelium, atque simul fundamentum dogmaticum eorum *muneris* in vitali organismo Ecclesiae, adeo ut profundam conscientiam utriusque habeant?

Si autem[4] hoc verum est, statim clare indicatur quaenam sit veritas revelata quae *lucide et adaequate in initio capitis* exponi debet ita ut cetera omnia quae dictura sint *in capite*[5] ab ea *doctrina*[6] prono alveo fluant; non alia scil. quam mirabilis et fecundissima doctrina de *incorporatione* omnium fidelium in Corpus Christi mysticum atque de eorum *concorporatione* inter se, ex qua sola *laos* seu populus Dei nascitur et stat in ordine rerum. Sane, qui volunt « populum Dei » considerare quin eam doctrinam tamquam fundamentum et animam firmiter ponant — sicut volunt *multi Patres in hac aula*[7] — opus aggrediuntur quod exitum felicem habere omnino non potest.

Solum ex hac divina veritate penitus intelligitur laicos ad Ecclesiam *essentialiter* pertinere, et *esse revera*[8] christifideles. Solum ex hac veritate recte intelligitur quid sit christifidelis in suo *esse constitutivo supernaturali,* quod prorsus intelligi debet antequam sermo esse possit de eius *operatione apostolica.* Solum ex hac veritate clare perspicitur omnium fidelium *aequalitas* et dignitas fundamentalis ab omnibus ...[9] agnoscenda. Unice ex *hac*[10] unione mystica intelligitur quomodo in omnia et singula membra fluit illa *communis et initialis* participatio regalis sacerdotii Christi, per characterem baptismatis, et illa participatio muneris *prophetici* Christi, per characterem confirmationis; nam, qui in consortium capitis trahuntur, eo ipso quodam gradu participes fiunt omnium *munerum* Capitis. Eo ipso « consecrantur », uti ait S. Augustinus; et ad *munera* sacramentaliter deputantur. Si Christus caput *rex* est, ergo et regalia sunt ...[11] membra eius; si *sacerdos* est, ergo et quodam gradu sacerdotali dignitate donantur ...[12] membra; si *propheta* est, ergo

et prophetae seu testes sunt membra; si *victima* est, ergo et victimae sunt membra...[13]

Quomodo de christifidelibus tractari possit in aliqua constitutione dogmatica quin omnia et singula clare ostendantur prono alveo fluere *ab hac* [14] doctrina divina, pro me maius mysterium est quam ipsum mysterium revelatum!

Unde, ut hoc tertium caput penitus sanetur in radice, haec propono:

1. Titulus sic mutetur: « De *christifidelium* dignitate et vocatione ».

2. Haec vel similis christifidelis definitio seu descriptio in initio ponatur: « Christifidelis est Corporis mystici membrum, quod, de vita Christi capitis vivens, per sacramentales characteres baptismatis et confirmationis *consecratur* et aliquo gradu particeps fit omnium *munerum* capitis, atque ideo deputatur ad totum Corpus aedificandum, *tum* per incrementum propriae vitae supernaturalis, *tum* per opera sua apostolica sub ductu pastorum exercenda ».

3. Logice deinde *fit* [15] adaequata expositio doctrinae revelatae de *incorporatione* et *concorporatione* omnium fidelium in Corpore mystico, eo consilio ut cetera omnia quae dictura sint ab *ista* [16] expositione sponte fluant.

4. Prematur *ius et munus* fidelium ad opera apostolica sub ductu pastorum exercenda, ut mundus per apostolos consecratos et ipse consecretur, ...[17] quin tamen ad particularia caput descendat.

5 *et ultimo*.[18] Praecipue ...[19] quaestiones *iuridicae,* e. g. relatio inter Ecclesiam et Statum, nec nominentur ...[20] quidem in *hac* constitutione *dogmatica*. E contra, tamquam pestilentia sedulo vitentur ...[21]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de christifidelibus. [2] christifidelium. [3] documentum, dico, quod indignum est ut ab aliquo Concilio Oecumenico ad Ecclesias mittatur. [4] Porro, si. [5] deest. [6] deest. [7] aliqui Patres. [8] vere esse. [9] rite. [10] ea. [11] omnia. [12] omnia. [13] membra, dico, capitis corona spinea coronati. [14] ex ea. [15] fiat. [16] ea. [17] et quidem in omnibus societatis partibus. [18] deest. [19] autem. [20] vel insinuentur. [21] 6 et ultimo. De medio tollatur omnino cap. IV quod sequitur, ita ut vocatio omnium christifidelium ad sanctitatem in hoc cap. II inseratur, ubi iure postulatur, ceteris omnibus quae in illo capite ad vitam religiosorum pertinent, ad schema *de religiosis* rite mandatis. Quibus dictis nescio utrum haec proposita reducantur ad sanationem in radice an ad *caputcidium*.

5

Exc.mus P. D. ROBERTUS TRACY
Episcopus Rubrubaculensis

Venerabiles Fratres,

Nomine centum quadraginta septem episcoporum ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, velim proponere aliquam emendationem.

In pag. 5, linn. 20 ss. huius capitis, legimus: « nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata natione, conditione sociali, sexu... ». Deinde, ut tale assertum testimonio biblico roboretur, citantur verba S. Pauli ad Galatas dicentis quod apud christianos « non est iudaeus, neque graecus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina ».

Textus ita emendetur ut in lin. 21 addatur aliqua mentio stirpis (razza, race, Rasse). Textus emendatus sic legetur: « stirpe vel natione, conditione sociali, sexu... » sicuti iam notatum est in fasciculo emendationum ad hoc caput scripto exhibitarum, pag. 12. Rationes sunt sequentes:

1. Si haec additio, quae aequalitatem ratione sanguinis (i. e. stirpis) et non tantum ratione nationalitatis respicit, in textum schematis introducetur, tunc Concilium nostrum magis concrete et explicite manifestabit illam aequalitatem qua omnia membra populi Dei in oeconomia christiana iure gaudent. Praeterea, omnis discriminatio, in sola stirpe fundata, nullo modo reconciliari potest cum illa veritate qua credimus, scil. Deum omnes homines cum aequalitate quoad iura et dignitatem creare.

2. Haec emendatio schema magis consonans reddet loco ex S. Paulo in textu citato, ubi Doctor Gentium inculcare vult quod omnis oppositio inter « iudaeum » et « graecum » apud christianos iam evanuit. Melius enim termini « iudaeus » et « graecus » hic intelliguntur de distinctione secundum religionem, culturam et stirpem quam secundum nationem.

3. Propter condiciones actuales in Statibus Foederatis et etiam, mutatis mutandis, in aliis regionibus vigentes, Patres conciliares saepe se inveniunt coram problematibus ex praeiudicio « razzistico » (vulgo « race prejudice ») ratione stirpis exortis. Populum de iustitia et caritate sociali instruere studentes, episcopi in Statibus Foederatis publicas declarationes, hanc doctrinam enucleantes, saepe saepius ediderunt.

Nunc, si omnium stirpium aequalitatem, sollemni at concreto modo, exponet, magnum adiutorium episcopis praestabit in populo efficacius instruendo.

4. Etiamsi talia problemata ad quasdam tantum regiones geographicas limitantur, eorum resonantiae et effectus problema internationale, actionis conciliaris dignum, constituunt.

5. Talis declaratio ex parte Concilii magnam consolationem afferet omnibus illis qui tantummodo ratione stirpis aequa libertate privantur et sub iugo praeiudicii humiliantur et gravantur.

6. Talis enuntiatio conciliaris, in hoc schemate, fundamentum doctrinale etiam praebebit pro futuris decretis quae principium aequalitatis omnium gentium, exigentiis hodiernis, fusius et pressius forsan applicabit. Ideoque, propter istas rationes quae ad rem quam maxime pastoralem et nostris diebus instantem se referunt, rogamus ut solemnis declaratio dogmatica aequalitatis omnium hominum, spectata gente seu stirpe, in capite de populo Dei includatur. Gratias. Dixi.

Moderator: Secretarius generalis leget nunc tertiam emendationem.

Secretarius generalis: Emendatio tertia: pag. 191, lin. 7 (videatis pag. 17, n. 107 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 265*].

Et nunc lego exitum suffragationis super caput integrum IV schematis *de sacra Liturgia*:

Praesentes votantes	2.236
Maioritas requisita, nempe duarum tertiarum partium	1.491 vota
Dixerunt *placet*	1.638
non placet	43
placet iuxta modum	552
Vota nulla	3

Ergo, cum maioritas requisita habita sit, cap. IV schematis *de sacra Liturgia* placuit Patribus. [*Plausus*].

6

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Nomine plus quam septuaginta episcoporum loquor, comprobantibus auditoribus.

Omnibus vobis notum est plures adhuc exstare non solum laicos sed etiam sacerdotes qui putant apostolatum laicorum esse *adinventionem hodiernam.* Unde hunc apostolatum vel negligunt vel unice ad auxilium sacerdotibus praestandum reducunt. Propterea multum mihi placuerunt affirmationes in hoc capite contentae circa ius et officium laicorum quoad apostolatum...[1]

Timeo tamen ne forte hae affirmationes insufficientes evadant ad obtinendam conversionem eorum qui apostolatui laicorum nondum credunt. Fides enim verbo Domini innititur. Atqui quae in nostro textu de apostolatu proprio laicorum dicuntur non satis directe et explicite in revelatione divina fundantur. Nihil ex Evangeliis eruitur; quae autem ex scriptis apostolorum praesentantur generalem tantum postulant cooperationem laicorum. Sed nisi excipias duas parvulas adnotationes ...[2] nullus textus affertur quo directe ostenderetur Deum voluisse *laicos Christum annuntiare* [3] sive opere, sive verbo.

Textus tamen qui in *Novo Testamento* [4] directe apostolatum *proprium* [5] laicorum respiciunt innumeri sunt. ...[6] Vellem aliquos saltem citare, *emendationem vero textus secretariatui scripto tradam.*[7]

1. Affirmatio generalis. *Ut iam notatum est* [8] Christus non solum apostolis sed omnibus in se credentibus dixit: « Vos estis sal terrae ... vos estis lux mundi ... etc. » ...[9]. Haec quidem de testimonio vitae dicuntur: *sed sunt* [10] alia verba quae testimonium verbi respiciunt ...[11]: « omnis qui confessus fuerit me coram hominibus et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei » ...[12]

Ex his verbis patet apostolatum in ipsa fide radices suas habere. Qui credit in Christum, lumine Christi quasi imbuitur; ideoque, dummodo vitam suam secundum fidem ordinet, fit ipse lux; lux vero ex sese radiationes mittit. Unde apostolus dicebat: « credimus propter quod et loquimur » ...[13]

Dato hoc principio, mirum non est si saepe saepius explicite dicitur in Evangelio eos qui in Christum crediderunt, testes eius fieri.

2. Ecce quaedam exempla. *Inveniuntur laici testes fidei* [14] in omni

aetate sive apud pueros qui in templo clamabant: « Hosanna Filio David » ...[15], sive apud Annam octoginta quattuor annis natam quae « loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel » ...[16]. *Insuper laicos testes Christi invenimus*[17] ab initio Evangelii, apud pastores qui Christum viderunt in praesepio et omnibus annuntiaverunt ...[18] usque ad mulieres quibus Christus sese manifestavit ut illum resuscitatum apostolis ipsis annuntiarent ...[19]; at non solum viri aut mulieres bonae famae testimonium dant Christo, sed etiam peccatores. Ita samaritana, audito a Christo quod esset Messias, statim reliquit hydriam suam et illum annuntiavit concivibus suis ...[20]; ita etiam latro alteri latroni praedicabat Christum...[21]

Numquam autem Christus apostolatum laicorum reprobavit, quinimmo gratia sua comitabatur testimonium eorum, ut pluries in Evangelio explicite dicitur: e. g. de pastoribus tempore Nativitatis, de samaritana et de aliis multis. Daemoniorum tantum testimonium respuit ...[22] et eorum qui volebant eum regem facere...[23]

Generatim non specialem missionem dat: fides sufficit. Duabus tamen vicibus, specialis missio a Christo datur, scil. ei qui a legione daemoniorum vexabatur et mulieribus post resurrectionem. Primo quidem dixit: « Vade in domum tuam ad tuos et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit. Et abiit et coepit praedicare et omnes mirabantur » ...[24]. Ceteris autem dixit: « Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam » ...[25]. Postea vero apostolos increpavit quia noluerunt eis ...[26] credere...[27]

Attamen certo errarent qui apostolatum laicorum apostolatui duodecim aequiparare vellent. Etenim ex textu evangelico clare apparet quod non eodem modo, neque eodem titulo, neque tandem eadem auctoritate, testes sunt duodecim apostoli et ceteri discipuli. Hi tamen, fide sua, Christi praecones vere facti sunt.

...[28] Quae autem explicite in Evangelio leguntur etiam in Actibus et Epistolis apostolorum clare manifestantur. Tria specialiter notabo:

a) Apostolatus primorum fidelium non est tantum individualis, sed est apostolatus totius communitatis christianae; et hoc testimonium fructum multum afferebat...[29]

b) Apostolatus laicorum sane fiebat in communione cum apostolis et dependenter ab eis; aliquando tamen praecedebant laici ipsos apostolos, sicut explicite narratur de conversione graecorum Antiochiae: « Quidam enim cyprii et cyraenei loquebantur et ad graecos, annuntiantes Dominum Iesum » ...[30]. Dominus autem benedixit eorum apostolatui et Ecclesia quae erat Ierosolymis misit Barnabam usque ad Antiochiam ...[31]. Nonne hoc exemplo ostendit nobis Dominus momentum

apostolatus laicorum? Mirabilem enim exitum dedit praedicationi eorum et quidem in urbe, in qua primum discipuli christiani appellati sunt.

c) Ostenditur tandem quo modo laici ...[32], in apostolatu suo, mutuo sese adiuvabant. Sic narratur quomodo Priscilla et Aquila in domum suam Apollo assumpserunt et diligentius ei exposuerunt viam Domini ut melius posset ostendere Christum esse Iesum...[33]

...[34] Necessarium ergo mihi videtur, aliquid saltem in nostro textu de hac primitiva traditione loqui, ut, tantam habentes nubem testium, fideles nostri magis magisque persuasi sint de eorum officio Christum annuntiandi. Sane apostolatus laicorum multiformis esse debet; neque eodem modo Christus annuntiatur a laico et a sacerdote, neque eodem modo christianis et non-christianis manifestari potest ...[35]. Sed quicumque modus eligatur sive individualis sive in commune, sive directus sive per activitates temporales, sive ope verborum sive ope actionis, *unicum scopum* habere debet scil. annuntiare Christum, ut omnes salvi fiant per ipsum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Clare dicitur onus aedificandi Corpus Christi mysticum non solum pastoribus imponi, sed omnibus fidelibus. Cuncti enim « suo modo et in suo ordine » ad commune opus explendum cooperari debent. [2] (scil. unam ex *Act. Ap.*, cap. 11 et alteram ex *1 Pt.*, cap. 3). [3] quod fideles laici Christum annuntient. [4] Evangeliis, in Actibus et Epistolis apostolorum. [5] deest. [6] Unde. [7] et emendationem textus secretario proponere. [8] deest. [9] (*Mt.* 5, 13-16). [10] ecce. [11] « multis turbis circumstantibus » dixit enim. [12] (*Lc.* 12, 1). [13] (*2 Cor.* 4, 13). [14] Inveniri possunt. [15] (*Mt.* 21, 15). [16] (*Lc.* 2, 39). [17] Insuper haec exempla inveniuntur. [18] (*Lc.* 2, 17-18). [19] (*Mt.* 28, 10). [20] (*Io.* 4, 28-30). [21] (*Lc.* 23, 40-43). [22] (*Lc.* 4, 41). [23] (*Io.* 6, 15). [24] (*Mc.* 5, 19-20). [25] (*Mt.* 28, 10). [26] qui eum viderunt. [27] (*Mc.* 16, 14). [28] 3. In Actibus et Epistolis apostolorum. [29] Habebant enim discipuli gratiam apud plebem et multi convertebantur (*Act.* 2, 42). [30] (*Act.* 11, 20). [31] (*Act.* 11, 21-22). [32] christiani. [33] (*Act.* 18, 24-28). [34] Multa tandem dici possent de laicis qui Pauli cooperatores fuerunt et quorum nomina in epistolis suis, praecipue ad Romanos, scripta sunt. Sed tempus nimis breve est. Unum tantum recolam, scil. gaudium Pauli, in carcere detenti, eo quod multi, hac occasione, abundantius audebant, sine timore, verbum Dei loqui (*Ph.* 1, 14). [35] aliquando etiam laici et ipsi tanquam agni inter lupos conversari debent.

Animadversiones additae:

Emendationes in textum introducendae:

1. N. 22 sub fine: post verba « opus explendum cooperentur (cf. *Eph.* 4, 11-16) » adiungatur: « Etenim, iam ab initio, Christus non solum apostolis, sed omnibus discipulis suis dixit: " Vos estis sal terrae... Vos estis lux mundi " et adiungit: " Sic luceat lux vestra coram hominibus ut glorificent Patrem ve-

strum qui in caelis est " (*Mt.* 5, 13-16). Non solum autem opere sed verbis testes eius debent esse (cf. *Lc.* 12, 18). Qui enim credunt, in veritate ambulare debent et sive vita sua sive verbis suis Christum annuntiare ut ait apostolus: " Credimus, propter quod et loquimur " (*2 Cor.* 4, 13). Quinimmo, data occasione, missionem specialem aliquibus laicis Christus contulit, sicut legitur de homine a daemonio vexato (*Mc.* 5, 19-20) et de mulieribus post resurrectionem (*Mt.* 28, 10). Hoc autem testimonium laicorum sive sponte datum sive a seipso iussum, mirifice Dominus gratia sua exornavit, ut pluries in Evangelio dicitur (cf. *Io.* 4, 28-30; *Mc.* 5, 20 etc.). Quod autem in Evangelio legimus, etiam in Actibus et Epistolis apostolorum manifestatur, ita ut Antiochiae conversio graecorum initium habuerit in praedicatione laicorum, apostolis postea tantum venientibus (*Act.* 11, 20). Propterea Sacrosancta Synodus apostolatum laicorum enixe commendat atque firmiter affirmat et declarat hunc apostolatum omnino conformem voluntati Dei esse ideoque innovandum atque renovandum esse toto orbe terrarum ut Regnum Christi magis magisque extendatur ».

2. N. 24 pag. 8: « ... profundius perspiciendo, in vita fidelius applicando, *atque aliis suo modo praesentando* ».

Nomina eorum qui hunc textum approbaverunt aut saltem nomine eorum proferri voluerunt: em.mi cardd. Liénart (Lille), Gerlier (Lyon), Feltin (Paris), Richaud (Bordeaux), Lefebvre (Bourges); exc.mi episcopi: Guerry (Cambrai), Cazaux (Luçon), Lebrun (Autun), Rougé (Nîmes), Fauvel (Quimper), Favé (aux. Quimper), Breheret (Cahors), Flusin (Saint-Claude), de Cambourg (aux. Bourges), Schmitt (Metz), Barthe (Toulon), Mouisset (Nice), Kervéadou (Saint-Brieuc), Verdet (La Rochelle), Garrone (Toulouse), Boillon (Verdun), Maziers (aux. Lyon), Elchinger (coad. Strasbourg), Puech (Carcassonne), Gufflet (coad. Limoges), Vion (Poitiers), Dozolme (Le Puy), Johan (Agen), Weber (Strasbourg), Pioger (Sées), Marty (Reims), Vignancour (Valence), Ménard (Rodez), Guilhem (Laval), Dupont (aux. Lille), Martin (Rouen), Bannwarth (Soissons), Piérard (Châlons), Goupy (Blois), Audrain (Auch), Leuliet (Amiens), Donze (Tulle), Patria (aux. Beauvais), Pailler (aux. Rouen), Béjot (aux. Reims), Théas (Lourdes), Vial (coad. Nevers), Boudon (Mende), de Provenchères (Aix), Urtasun (Avignon), Rousseau (tit. Ausafa), Desmazières (aux. Bordeaux), Brault (Saint-Dié), Stourm (Sens), Kérautret (coad. Angoulême), de la Brousse (coad. Dijon), Guyot (Coutances), Rigaud (Pamiers), de Milleville (tit. Gabala), Jacquot (Gap), Huyghe (Arras), Charbonneau (Hull) et decem alii quorum nomina legere non valui.

Moderator: Legetur nunc quarta emendatio nostri capituli *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Quidam Patres quaesierunt quinam ordo sit sequendus in emendationibus. Ordinem sequemur, qui est in pag. 5. Ne confusio fiat cum textu. Aliquando in textu rerum ordo mutatus est. Ordo quem sequemur est ille statutus in pagina quam dixi, nempe 5, ubi emendationes numerantur. Ergo lego emendationem quartam. Pag. 191, linn. 8-12 (conferatis huius fasciculi pag. 16, n. 106) ... [*cf. pag. 265*].

7

Exc.mus P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Postquam, non nisi maxima in quantum mihi cum cura, cap. III de populo Dei studuerim, necnon postquam aliquas observationes in hac aula audierim, liceat mihi has duas animadversiones humiliter exprimere.

Prima animadversio. Archiepiscopus Galilaeae, sub iurisdictione sua partem ipsius Terrae Sanctae habens, in qua catholici vere pauci sunt, — quod accidit in maioribus regionibus Proximi Orientis, quae olim fuerunt terrae apostolicarum Ecclesiarum florentium — legendo textum huius schematis et audiendo interventus Patrum in hac aula, angor ab illo regnante triumphalismo in prima sessione iam denuntiato et, ut sperabamus post actiones et declarationes Ioannis XXIII et Pauli VI, iam depresso.

Quomodo enim possibile est de populo Dei loqui, verbis in schemate adhibitis, cum christiani — catholici, orthodoxi et protestantes simul sumpti — tantum tertia pars humanitatis sint, et cum duo homines inter tres Christum non cognoscant? Hi duo milliardi hominum, qui verisimile bona fide sunt, quia Evangelium, i. e. bonum nuntium salutis, non audierunt, nonne nullum habent respectum ad populum Dei?

Memorans verba tam gravia em.mi card. Wyszyński, Varsaviensis archiepiscopi, et viam tam clare ab exc.mo D. Dubois, Bisuntinensi archiepiscopo, apertam, optarem ut schema laicorum, super veritatem fundetur, cum reali hodierni mundi situatione concordans. Hoc Concilium iam est Concilium saeculi XXI, in mundo hodierno Ecclesia debet esse epiphania caritatis Christi (« apparuit benignitas », iam dicit S. Paulus): non debet seipsam contemplari, quasi esset solitaria in mundo. Nonne ad mundi evangelizationem mittitur?

Hoc schema ab episcopis et peritis factum est, qui in regionibus christianis degunt, et conceptum est ut consecratio status potestatis ecclesiasticae, qui etsi in quibusdam regionibus occidentis usque adhuc manet, iam in maioribus mundi regionibus non existit. Vere si hypocritae non sumus, agnoscere debemus quod Ecclesia catholica, in hoc mundo, est valde pusillus grex: virtus eius in Verbo Dei semper manet, non in glorificatione sui ipsius.

Immo, animadversiones quas audivimus, meo humili iudicio, non videntur sufficienter considerasse illos qui catholici non sunt, nec sufficienter manifestasse amorem quem eis debemus. Unum tantum exemplum afferam: Permulti, in hac aula, ausi sunt uxoratos diaconos despicere et denigrare, ignorantes quantum et quale bonum opus faciunt in christianis Ecclesiis, quae, hanc institutionem feliciter servaverunt.

De caelibatu ecclesiastico in Ecclesia latina gloriantes, nonne obliviscimur, nonne despicimus uxoratos cleros orientalis Ecclesiae et tantos pastores et uxoratos presbyteros aliarum christianarum communionum?

Etenim non agitur de diacono iam ordinato qui matrimonium contracturus est, sed de laico bene probato, qui, etsi uxorato, ad diaconatum vel ad presbyteratum promovetur.

In exponenda *secunda observatione,* breviori modo loquar, cum iam de hac re em.mus card. Suenens optime egit.

Grave oblivium humiliter denuntiare vellem: non agitur enim in nostro schemate de feminis. Nonne declarationes plerumque facimus, ac si feminae non essent in mundo? Attamen quem permagnum locum habent, in apostolatu, devotae feminae! His diebus quantum adiutorium invenimus in auxiliatricibus laicis, quae tam frequenter in operibus Dei primum agmen constituunt.

Cum in certis regionibus femina forsan non satis honoratur, optaremus ut Concilium, ratificans promotionem feminae hodiernae, quae pro magna parte exoritur ex devotione erga Matrem Dei, declaret locum eminentem qui debetur ei, in populo Dei, in apostolatu laicorum et in omnibus Ecclesiae operibus. Dixi.

Moderator: Legetur nunc quinta emendatio cap. V *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio quinta: ad art. 82: pag. 191, linn. 18-20 (quae respondet pag. 17, n. 109 huius fasciculi ... [*cf. pag. 265*].

Moderator: Audiant Patres! Visum est moderatoribus argumenta huius cap. III constitutionis *de Ecclesia* iam sufficienter esse tractata [*plausus*]. Proin proponimus Patribus, ad normam art. 57 § 6 *Ordinis Concilii,* ut fiat votatio de concludenda disceptatione. Illi Patres qui assentiuntur conclusioni disceptationis surgant e locis suis!

[*Patres quasi unanimiter surgunt*].

Gratias! Si qui, secundum normam praefati articuli, velint uti iure suo — quod minime est obligatio, sed prudenti iudicio potest adhiberi — et cras loqui velint de hoc capite, illi dent nomina sua denuo

secretario generali. Postea incipiet cras disceptatio de cap. IV schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur: De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.

Nunc audiant Patres aliud quid: tunc dicet verbum finale ad cap. III em.mus card. Browne.

8

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Audivimus cum summa attentione omnia quae in discussione dicta sunt et omnia dicta habebunt attentam et amplam considerationem a commissione doctrinali. Nunc vellem pauca verba adiungere, potius ad complendum quam ad aliquid removendum, ad complendum; noto, ut sequitur.[1]

1. Aliqui venerabiles Patres observabant schema in quaestione de sacerdotio communi fidelium parum notasse huius habitudinem ad sanctitatem et caritatem erga Deum. Haec observatio mihi quamdam impressionem fecit. Schema nostrum ponit istud commune fidelium sacerdotium inniti in sacramentis, scil. baptismi, confirmationis, Eucharistiae et matrimonii secundum quamdam analogiam ad sacerdotium hierarchicum quod innititur in charactere Sacri Ordinis. *Nunc ad complendum hoc, mihi liceat ab auctoritate S. Thomae aliquid dicere de eius reflexione super istud summum problema.*[2] S. Thomas ...[3] paulo aliter, *non dico quod reicit hoc, sed quod paulo aliter*[4] illud exponit. Mens eius apparet ex S. Theol. p. III, q. 82, a. 1 ad 2 ubi ait: « Laicus iustus unitus est Christo unione spirituali per fidem et caritatem, non autem per sacramentalem potestatem ». Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendas spirituales hostias de quibus dicitur in *Ps.* 50 ...[5] « sacrificium Deo spiritus contribulatus » et ad *Rom.* 12, 17: « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem ». Unde in *1 Pet.* 2, 5 dicitur: « Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias ». S. Thomas, ut evidens est, non negaret sacramentalem conditionem christianorum esse conditionem et dispositionem, *immo immediatam quodammodo,*[6] summopere perfectam ad eorum regale sacerdotium, sed — ut videtur — iuxta ipsum ratio proxima completa et propria eiusdem est eorum fides et caritas quibus fiunt immediate apti ad offerendas spirituales hostias. Doctrina S. Thomae valde incentiva est ut christiani vivant secundum dignitatem quae eis convenit. Conveniens esset, puto, ut ratio haberetur coordinationis istarum notionum in schemate nostri capituli de laicis, *eo vel*

magis quod plures venerabiles Patres notaverunt quod debemus esse satis cauti quantum ad terminologiam et habitudinem istarum rationum sicuti v. g. patet si communiter diceretur sacerdotium commune esset sacerdotium regale dum sacerdotium nostrum esset sacerdotium mere ministeriale; esset periculum cuiusdam inversionis; unde cautissime omnia consideranda sunt.[7]

2. In pag. 10, linn. 17-22 *haberetur sequens propositio*: [8] « Sicut enim merito probari debet indoles *laica* terrenae civitatis, *quae saecularibus curis iure addicta* propriis regitur principiis, ita pariter infensus laicismus seu saecularismus, qui scil. societatem extra omnem religionem extruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur ». *Bene.*[9] Prioribus verbis huius citationis mihi nunc videtur nimium limitari officium terrenae civitatis. Sine dubio civitas terrena, *seu Status uti hodie dicitur, civitas terrena* [10] debet se occupare de saecularibus curis, tamen hoc ipsi non sufficit, *non explicit totum suum officium*;[11] finis enim civitatis est vita hominum secundum omnem humanam virtutem *et alia de aliis saecularibus curis curat in quantum scil. subordinentur huic fini etiam a civitate terrena procuranda quod scil. ut omnes vivant secundum omnem virtutem sive intellectualem sive etiam moralem.*[12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] autem. [4] deest. [5] 19. [6] deest. [7] deest. [8] habetur. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] etsi in civitate christiana quoad ea quae ad Dei cultum pertinent, munus eius est ut homines adiuvet ad audiendam et colendam Ecclesiam. Unde mihi videtur opportunum ut prior pars huius citationis iterum examinetur et doctrina aptius exprimatur.

Moderator: Velint audire Patres! Multi Patres, sive singuli sive in diversis coetibus episcoporum coadunati, petierunt ut schema *de B. Maria Virgine* non proponatur ut schema independens, sed ut caput quod constitutionem *de Ecclesia* concludat. Propterea visum est opportunum moderatoribus hac de re exquirere votum et mentem Patrum in congregatione generali coadunatorum.

Ut haec res, quae certo non est parvi momenti, bene procedat, propositum est a moderatoribus commissioni theologicae, ut nominet duos Patres, qui rationes sive pro una, sive pro altera solutione hic in congregatione generali exponant.

Huic propositioni commissio theologica annuit et constituti sunt duo em.mi Patres, nempe card. Santos Rufinus, qui exponet argumenta quae pro schemate independenti — uti nunc ante oculos nostros est —

stant, et card. König, qui rationes explicet cur melius de B. Maria Virgine in capite finali constitutionis *de Ecclesia* tractetur.

Nunc hi duo em.mi DD. munere suo fungentur. Textus relationum eorum crastina die Patribus distribuetur. Votatio autem fiet sequenti hebdomada, prima congregatione generali, ut interea sit Patribus sufficiens tempus ad deliberandam hanc rem.

Nunc, det suam relationem em.mus card. Santos Rufinus.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE ECCLESIAE *

In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur ».

Ex Aedibus Vaticani, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis numeris adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

Textus oblatus non differt a textu distributo in prima Concilii sessione (Schemata: series II), nisi quoad titulum. Textus modificabitur tantum post observationes Patrum Conciliarium.

* Cf. vol. I, pars IV, pp. 92-121.

2 – EMENDATIONES

A CONCILII PATRIBUS SCRIPTO EXHIBITAE SUPER SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE ECCLESIAE

Hic fasciculus Patribus distributus est die 29 octobris 1963, in congregatione generali quinquagesima septima.

I

OBSERVATIONES GENERALES

CIRCA SCHEMA CONSTITUTIONIS « DE B. M. VIRGINE, MATRE DEI ET MATRE HOMINUM » A PATRIBUS CONCILII PROLATAE IN PRIMA CONCILII PERIODO

Etsi schema *de B. M. Virgine* non fuit discussum in sessionibus generalibus, habitis initio mensis decembris anni 1962: tamen septem fuerunt Patres, qui in discussione schematis *de Ecclesia* paucis verbis etiam attigerunt quaestionem marialem.

In fine autem primae Sessionis Concilii Vaticani II, ineunte igitur mense decembri 1962, cum Patribus communicatum fuit, omnes qui id desiderarent, scriptis dare posse suas Observationes circa schema mariale usque ad diem ultimum februarii.

Quod fecerunt circa 85 Patres, quorum 42 personaliter, si triplicas unum qui scripsit nomine duorum auxiliarium; ceteri vero collective, videlicet:

Card. Archiep. Rhedon. cum 15 Episcopis Galliae Occid.
Card. Archiep. Lugdun. cum 12 Episcopis illius regionis.
Card. Archiep. Tokio cum 6 Episcopis Iaponiae.
Nonnulli Episcopi Chileni.

* * *

Hucusque de numero, qui certe nondum sat magnus est, ut iustificet conclusionem de iis quae sit mens totius Concilii vel partis eius maioris, attamen non est negligendus. Iam de iis quae Patres praedicti sentiant.

SCHEMA SEPARATUM
A SCHEMATE DE ECCLESIA, AN NON?

Liceat relatori praenotare, iam in Commissione theologica hac de re divisas fuisse opiniones, et quaestionem etiam mense decembri 1962 in discutiendo schemate *de Ecclesia* fuisse obiter factam. Nuper autem Em.mi Cardinales Coordinatores decreverunt, ut schema *de B. Maria Virgine* maneret separatum a schemate *de Ecclesia.* Quod certe impedit ne schema de Ecclesia, quod iam natura sua creat magnas difficultates, ob quaestiones mariales in periculum veniat.

Decisio autem Em.morum Cardinalium Coordinatorum certe non innotuit 85 Patribus, de quibus nunc fit sermo, et haud pauci sub influxu discussionum super schema *de Ecclesia* quaestionem connexionis schematis marialis cum schemate ecclesiologico accuratius studio subicierunt.

Qualis fuerit momentum eorum quae initio mensis decembris in sessionibus generalibus dicta fuerunt patebit ex sequentibus, sed maxime illustratur hoc exemplo. Est Episcopus, qui mense decembri addiderat ad suas observationes ecclesiologicas hanc notam: de B. M. Virgine tractandum esse in Constitutione separata, quippe quia doctrina de B. M. Virgine inserviat curae pastorali; definiendam esse mediationem gratiarum, et exoptandum, ut festum de B. M. V. mediatrice gratiarum inseratur kalendario officiali Ecclesiae; mense autem februario 1963 desiderat ut doctrina marialis inseratur schemati *de Ecclesia,* ut intactae maneant quaestiones disputatae, ut clare appareat Mariam non esse in loco intermedio inter Deum et homines: ut verba *mediatrix* et *corredemptrix* expungerentur.

Sic ille Episcopus. De inserendo autem schemate mariali in schema *de Ecclesia* cum ipso consentiunt 27 illi Patres galli qui collective scripserunt. Septem autem Episcopi Iaponenses, de quibus supra, haud aliter ac plures Episcopi Chileni et Latino-americani exoptant ut tractatus *de B. Maria Virgine* sit veluti complementum Constitutionis *de Ecclesia.* Unus autem Pater putat expedire ut Deipara proponatur ut mater et figura Ecclesiae sive in prologo sive in *epilogo* Constitutionis *de Ecclesia.* Alius ut schema *de Ecclesia* ita reformetur ut appareat tamquam Ecclesia caritatis, seu familia Dei, in qua Deipara suum naturalem habeat locum. Alius similia proponit eodem reformato sub specie evangelicae paupertatis.

NUM SCHEMA ITA PLACET
UT EXAMINI SINGULORUM CAPITUM PROPONI POSSIT

1. Clarum est Patres qui volunt insertionem in schema *de Ecclesia,* vel maiorem connexionem cum eo respondere debere negative. Nam etiam si non haberent difficultates ordinis doctrinalis vel pastoralis (ut reapse maior pars eorum habet), illa insertio vel arctior connexio exigeret novam materiae ordinationem.

2. Circa duodecim Patres sunt qui schema ex corde approbant. Laudatur respective firmitas doctrinae, luciditas, prudentia, moderatio, vis synthetica, immo peropportunitas. Est qui dicat schema correspondere desiderio centenorum Episcoporum. Inter laudatores schematis unus est qui laudibus adiungit querelam de oecumenismo crescente, alius qui rogat ut contra excessus cuiusdam hyperliturgismi commendetur S. Rosarium. Notandum quoque inter eos qui schema probant duos esse quibus non placet B. Virginem vocari mediatricem *omnium* gratiarum. Omittendum *omnium.*

3. Unus Pater est, Archiepiscopus tit. Mitylenensis, qui doctrinam in schemate propositam omnino quidem laudat, attamen exoptat aliam materiae dispositionem, videlicet ut agatur: (1) de maternitate; (2) de immaculata conceptione; (3) de gloriosa assumptione; (4) de mystica hominum maternitate; (5) de mediatione gratiarum; (6) de morte B. M. Virginis; (7) de fautrice unitatis.

4. Inter eos qui reiiciunt schema primo loco nominandi sunt Episcopi 13 Galliae Occidentalis, qui accusant schema iuridismi, rationalismi, latinismi, occidentalismi.

5. Quod ad alios attinent qui restant, varias varii movent difficultates.

Mitto magis accidentalia: ut sunt repetitiones superfluae, dictio nimis complicata vel effusa, tendentia apologetica, etc.

Nonnulli Patres, quos inter Episcopi Iaponenses, desiderant qualificationem theologicam doctrinae propositae, et unus alterve notat proponi sententias nondum maturas, et locutionem nonnumquam esse ambiguam.

6. Maxima autem difficultas apud fere omnes schematis criticos exoriri videtur ex sollicitudine oecumenica. Quare de ea separatim dicam. et de variis modis quibus manifestatur.

Sollicitudo oecumenica

1. Desiderium inserendi schema mariale vel in schema *de Ecclesia* vel ambo schemata arctius coniungendi apud nonnullos certe procedit ex consideratione, quod tali modo procedendi facilius evitari possint quaedam quaestiones mariales spinosae et separatis ingratae.

2. Idem dicendum est de propositione Beatam Virginem videndi prae ceteris ut est typus, imago et exemplar fidelium. Episcopi Galliae occidentalis rogant ut B. Virgo proponatur ut exemplar virtutum evangelicarum. Alius Pater desiderat ut Deipara prae ceteris consideretur ut prima redempta, mater credentium et exemplar. De typo vel figura Ecclesiae etiam loquuntur Episcopi Iaponenses, item duo alii Episcopi, quorum unus expresse dicit proponere Mariam ut figuram Ecclesiae simul esse traditionale et oecumenicum.

3. Haud aliter statuendum de desiderio plurium Episcoporum Iaponensium et nonnullorum aliorum, videl. ut in centro constitutionis ponatur B. M. Virginis maternitas. Unus post longas de maternitate expositiones votum exprimit, ut sicut in primitiva Ecclesia proclamata fuerit universalis fraternitas, nunc in Vaticano II proclametur universalis maternitas.

4. Maxime autem praeoccupatio oecumenica in lucem prodit, quando tangitur quaestio mediationis et corredemptionis: variis autem gradibus. Est Pater, qui existimat in schemate nimis extolli corredemptionem, etsi concedit explicationem datam §§ 3-4 esse optimam. Episcopi Iaponenses putant in mediationis gratiarum expositione non esse tantopere insistendum. Duo Patres rogant ut propter fratres separatos verba *mediatricis* et *corredemptricis* expungantur: alius Episcopus cum duobus suis auxiliaribus concedit quidem B. M. Virginem esse mediatricem, non autem ad hunc titulum stabiliendum ad id provocari debere, quod B. M. Virgo sub Cruce Deo obtulerit divinam victimam vel socia exsistat in gratiis acquirendis. Quod idem aliis verbis asserit alius Pater, quando vituperat in schemate plura exponi de cooperatione quam vocat activam. Est etiam Episcopus, qui post suam mutatam sententiam rogat ne in Constitutione dirimantur quaestiones disputatae, et in comprobandis assertionibus ex documentis ecclesiasticis distinguantur expositiones dogmaticae a piis exhortationibus. Clarum est Episcopum imprimis cogitare de mediatione et corredemptione, necnon de variis effatis hac in re a Pontificibus prolatis.

5. Forsan etiam ratio oecumenica subest quando unus Episcopus rogat, ut non nimis *signanter* dicatur de privilegiis B. Virginis, quod non

excludit ut de privilegiis fiat sermo, sicut etiam Episcopi Iaponenses, qui certe motivis oecumenicis ducuntur, rogant ut Deipara consideretur ut membrum Ecclesiae eximium, praeeminens, attamen singularibus privilegiis prolatum.

6. Quod ad numerum ultimum attinet, ubi res est de B. Virgine, *unitatis fautrice,* si credimus Episcopis Iaponensibus, a titulo isto abstineatur oportet, ne videamur inter sese opponere velle fratres separatos: orthodoxos et protestantes.

7. Supra locutus sum de iudicio duro Patrum quorumdam Galliae Occidentalis. Praeoccupatio oecumenica clare manifestatur: dicunt enim schema, ut iaceat, iuridismo, rationalismo, latinismo, mente occidentali offendere protestantes et orthodoxos.

8. Ex praedictis patet ex 85 Patribus, qui miserunt suas observationes paucos inveniri qui faveant voto a 500 Episcopis expresso de definiendo dogmate B. Virginis Mediatricis. Iam antea notavi 12 Patres non laborare tali sollicitudine oecumenica. Immo unus est, qui (ut supra dixi) lamentatur de oecumenismo crescente; alius, ni fallor, ut clarius appareat relatio inter Mariam et Ecclesiam, exoptat ut corredemptio et mediatio modo pleniore exponantur; tertius autem dolet se constitutionem non ex toto corde, sed *iuxta modum* dumtaxat probare posse. Grave enim fert voces reparatricis et corredemptricis, a Pontificibus adhibitas, fuisse omissas; ante omnia loquendum esse ad eos qui intra Ecclesiam sunt; nil mirum esse Protestantes, quippe qui habeant falsum conceptum redemptionis, nil de socio labore B. Virginis capere posse; voces autem *corredemptricis* et alias huiusmodi nunc usu esse sancitas et ex iis clarius perspici posse cur B. Virgo sit omnium gratiarum mediatrix. Tandem est Episcopus qui dicit fratres separatos a nobis non expectare timiditatem et restrictionem sed mensuram.

Novum schema chilenum

Ex sollicitudine oecumenica procedit quoque schema reformatum, quod mense februario huius anni 1963 obtulerunt plures Episcopi Chileni. Dicunt auctores, se in eodem veluti in compendium redigere doctrinas mariales, cum maiore usu S. Scripturae, cum maiore consideratione trilogiae Mariae-Ecclesiae-Christi; cum minore superlatione; cum omissione quaestionum disputatarum; ad id quoque attendentes ne doctrina de mediatione vel corredemptione velut in centro ponerentur.

En ordo capitulorum:

1. Maria, mater Iesu et mater Ecclesiae.
2. Maria Virgo, typus Ecclesiae.

3. Maria in Ecclesia et Ecclesia in Maria.
4. Mariae Virginis maternitas fecunda.
5. Nova Eva subiecta novo Adae.
6. Virgo assumpta, imago Ecclesiae consummatae.
7. Mariae actuosa maternitas.
8. Cultus erga Mariam Matrem.
9. Maria, mater unitatis christianae.

Recte dixerunt auctores schematis, mediationem et corredemptionem non in loco centrali esse positas. Quaestiones enim illae attinguntur in numeris 1, 2, 4 et 7. In numero primo Maria declaratur mater nostra facta, cum nativitas Capitis sit nativitas membrorum. In numero altero Maria dicitur stans iuxta Crucem, Filium suum tamquam oblationem acceptam Deo obtulisse. In numero quarto inter se comparantur antiqua et nova Eva, et exponitur quomodo Maria, credendo verbis ab Angelo prolatis, facta sit Mater omnium viventium. Tandem in numero septimo agitur de B. Virginis intercessione caelesti, qua nedum obscuretur, potius extollitur mediatio unius Mediatoris, Iesu Christi.

Desiderata peculiaria

Sex Patres sunt, qui putant melius esse nullam mentionem facere de morte B. M. Virginis.

Episcopis Iaponensibus placeret, si ob rationes pastorales non fieret mentio de integritate corporali.

Est etiam Episcopus, qui exoptat ut claris verbis doceatur B. Virginem momento incarnationis certa scientia novisse divinitatem Filii.

Quod ad S. Scripturam attinet, unus Pater putat Assumptionem B. Virginis ex Apoc. cap. 12 confirmari posse; alius dicit textum 1 Tim. 2, 5 nullam praebere difficultatem contra mediationem B. M. Virginis, cum plures textus in S. Scriptura non intelligi debeant sensu exclusivo.

Quod cultum spectat, unus est qui putat totum cultum inniti debere maternitati; alius magis practicus vult ut agatur de B. Virgine, Matre Christi Sacerdotis et ut instituatur festum liturgicum sub hoc titulo; tertius ut fiat sollemnis consecratio Immaculato Cordi Mariae.

Tandem est qui desiderat ut etiam dicatur de Sancto Iosepho, sponso B. Virginis.

II

OBSERVATIONES

SCRIPTO EXHIBITAE A PATRIBUS CONCILII A DIE 1 IUNII AD D. 24 M. SEPT. 1963 *

Iam retuli de animadversionibus a pluribus Patribus sive personaliter sive collective prolatis circa Schema Marianum, quod tunc temporis audiebat: *De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum.* Titulus autem ille mutatus fuit a Commissione Cardinalium Coordinatrici et nunc sonat: *De beata Maria Virgine, Matre Ecclesiae.* Schema, titulo excepto, licet identicum cum priore, mense maio, de novo missum fuit ad Patres conciliares. Ex iis 51 personaliter responderunt; collegialiter autem scripserunt Episcopi Africae Centro-Orientalis, Africae Orientalis, Argentinae, Galliae Occidentalis, linguae germanicae et Scandinaviae, Neerlandiae, qui omnes simul sumpti circa 150 Patres repraesentant. Inter eos qui personaliter scripserunt, quinque dumtaxat sunt qui iam antea quid sentirent dixerant; quod verum ad collegialiter locutos attinet, solummodo Patres galli sunt, quorum iam antea nonnulli sententiam tulerant. Secunda igitur series Patrum respectu personarum notabiliter differt a priore.

DE MUTATO TITULO

Mutatio tituli non omnibus simpliciter placuit. Maior pars de titulo non loquitur. Episcopi autem Africae Centro-Orientalis et Africae Orientalis rogant, cur titulus mutatus sit et recessum sit a traditionali; Episcopi Galliae Occidentalis et circa 10 Patres clare dicunt sibi novum titulum non placere. Et unus tantum est qui mutationem laudat.

Ex decem Episcopis supra nominatis, unus est qui dicit mutationem factam esse in peius, dum duo observant contentum Schematis non correspondere novo titulo: mutationem tituli postulare mutationem textus. Proponuntur novi tituli:

De B. M. V. figura et matre Ecclesiae.
De B. M. V. matre Dei et hominum.
De B. M. V. matre Dei et Christifidelium.

* Textus integri, a Patribus ad Concilii secretariam generalem missi, referuntur in *Appendice*, pp. 677 ss.

De B. M. V. matre fidelium.
De B. M. V. matre Dei et Ecclesiae.

Episcopi Galliae Occidentalis proponunt ut dicatur tantum:
De beata Maria Virgine.

Iure igitur unus Pater laconice rogat: « quid de titulo »?

Relatio schematis ad schema de Ecclesia

Statuit Commissio coordinatrix, ut Schema *de B. M. Virgine* separatum maneret a Schemate *de Ecclesia.* Quantum scio, haec decisio non fuit cum Patribus communicata. Inde de novo ab iis ponitur quaestio.

Episcopi Africae Centro-Orientalis et 7 alii Patres desiderant ut fiat insertio. Praedicti Patres Africani insertionem specificant dicendo in constitutione *de Ecclesia* agendum esse de Ecclesia consummata, ubi ante omnes Sanctos locum suum habeat beata Virgo. Patres autem Africae Orientalis, cum quibus consentit unus alius Episcopus, libenter viderent verba de B. M. Virgine ut conclusionem vel epilogum Constitutionis *de Ecclesia.* Episcopi Neerlandiae rogant ut saltem indicetur nexus cum ea in prologo. Unus tandem Pater est, qui asserit nullam adesse rationem ut separatim agatur de Deipara: obstare finem ipsius Concilii Vaticani II et materiae obscuritatem.

Qualificatio theologica

De novo ponitur quaestio de qualificatione theologica. Patres Africae Centro-Orientalis et Africae Orientalis rogant claram qualificationem doctrinarum in Schemate contentarum. Etiam Episcopis linguae germanicae et Scandinaviae placuerit clarior doctrinae qualificatio, vel saltem, ut in initio dicatur doceri doctrinam Ecclesiae communem, non autem fieri novum dogma. Conferentiis episcopalibus praedictis consentiunt quattuor alii Episcopi, rogantes: « quaenam qualificatio? ». De dogmate definiendo dicemus postea, locuturi de mediatione.

Iudicium generale schematis

Quattuor Patres sunt, qui dicunt Schema sibi non placere, non obstantibus bonis, immo optimis et divitibus quae insint. Circa quindecim Patres sunt qui specificant uno alterove modo defectus: schema esset non satis logicum et rationale, laborans sentimentalismo; esset nonnumquam

effusum, et in modo loquendi interdum ambiguum; non esset satis christologicum et theocentricum, biblicum, ecclesiologicum; esset nimis dogmaticum et non sat pastorale; non satis stimularet pietatem et devotionem; esset thesis doctoralis quae nullam novam lucem afferret; esset nimis apologeticum; careret synthesi doctrinali, et introduceret quaestiones disputatas; non satisfaceret neque catholicis neque separatis.

Sunt quinque Episcopi qui laudant schema simpliciter: unus notat expositionem magistralem et paraeneticam; alius doctrinam claram et comprehensivam; tertius pulchritudinem compendiosam; quartus brevitatem, aequilibrium, rectum usum S. Scripturae et documentorum magisterii, spiritumque caritatis; quintus diluciditatem, diligentiam et prudentiam.

Alii in laudibus sunt minus effusi. Duo Patres dicunt schema sibi substantialiter placere. Episcopi autem linguae germanicae et Scandinaviae in sua censura laudant tendentiam videndi B. M. Virginem in oeconomia salutis et saltem conamen evitandi doctrinas minus certas. Accedunt duo alii Patres.

Oecumenismus

Etiam sub respectu oecumenico non est consensus, qui ceteroquin non erat exspectandus. Episcopi Galliae Occidentalis observant multa quidem bona inveniri in schemate, attamen non satis prae oculis haberi finem oecumenicum. Quod alio modo exprimunt Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae asserendo quod, ad oecumenismum quod attinet, quaedam addi, quaedam demi possent. Quod autem ad eos spectet, qui personaliter scripserunt, dum unus dicit schema non satis attendere ad oecumenismum, alius expresse laudat caritatem, cum qua in schemate procedatur. Et dum unus observat nil omnino esse scribendum, quo possint aggravari relationes cum non-catholicis, et alius doctrinam schematis esse quidem veram, sed minime oecumenicam, tertius e contra notat nullum esse dogma marianum, quod benigne accipiatur a protestantibus, nec huius mentis adversae rationem esse habendam: secus enim nihil de B. M. Virgine dici posse. Tandem dum unus ideam B. M. Virginis ut fautricis unitatis vocat veram provocationem respectu protestantium, alius eandem laudat et tertius eam indicat valde opportunam.

Errores in mariologia

Dum unus Pater rogat ob motivum pastorale ut damnentur errores, alius putat in hoc schemate nullum errorem esse damnandum, et tertius

in textu schematis magis prae oculis versari errores possibiles quam reales.

Quod ad maximalismum et minimalismum qui vocantur, attinet, Episcopi Africae Centro-Orientalis putant utriusque extremi non esse faciendam mentionem, quibus consentit alius Pater dicens in praenotandis maximalismum et minimalismum non debere specificari. Duo autem Episcopi non consentiunt praedictis: unus putat iure refutari et maximalismum et minimalismum, alius vero notandos esse excessus doctrinales vid. maximalismi.

Mediatio B. M. Virginis

Quod erat exspectandum: etiam de hac quaestione patet perdurare dissensum. Distinguamus *titulum* mediatricis et *doctrinam* mediationis.

Quod ad *titulum* attinet, sunt nonnulli, sed pauci, qui eum magis minusve severe reiiciunt. Unus Pater asserit redeundum esse ad mediatorem Christum; alius expedire ut titulus evanescat; tertius potius loquendum esse de advocata vel titulo simili quam de mediatrice; quartus titulum esse aut dilucide explicandum aut ab eo abstinendum. Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae titulum simplicem *Mediatrix* non reiiciunt, sed reprobant titulum longiorem *Mediatricem omnium gratiarum*: non enim Beatam Virginem dici posse mediatricem gratiarum sacramentalium. Notandum quoque est unum Patrem opinari eos qui dicunt Christum esse unicum mediatorem iniuria provocare ad 1 Tim. 2, 5: « Unus enim Deus unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ». Apostolum enim non agere de *unico* mediatore, sed dicere *unum eumdemque* esse mediatorem pro omnibus omnino hominibus.

Iam de *doctrina* mediationis universalis. Sunt qui putant schema non satis asseruisse. Duo Patres volunt sollemnem definitionem; tertius rogat ut saltem declaretur doctrinam esse catholicam; quartus autem notat, si 500 Patres reapse rogaverunt definitionem, de hac re non defensive sed affirmative esse loquendum.

Alii autem existimant schema exaggeratione deficere. Duo sunt qui asserunt doctrinam de corredemptione et de mediatione universali veluti larvate et furtive introduci, quibus consentit tertius dicens velate fieri definitionem mediationis universalis, quin constet de stricta probatione ex fontibus revelationis, de opportunitate et de maturitate doctrinae. Est quoque Episcopus qui vocet doctrinam schematis aequivocam et periculosam, et alius qui opinatur petitionem 600 Episcoporum de facienda definitione id solum probare esse multo plures qui eam non desiderent.

Alius Pater est qui non reprobat quidem doctrinam mediationis universalis, sed monet saltem serio esse deliberandum, num de ea sit sermo faciendus. Etenim fideles generatim non intelligere mediationem de dispensatione gratiarum, sed de intercessione: Beatam Virginem certo cogitari non posse ut mediatricem gratiarum sacramentalium; intercessionem B. Virginis non esse necessariam, ut Christus det gratias; et tandem ipsam Virginem participare de mediatione Ecclesiae, cum sit Ecclesiae membrum. Est quoque Pater qui putet titulum administri et dispensatoris gratiarum soli Deo convenire.

Sunt quoque qui proponunt emendationes. Episcopi Africae Centro-Orientalis rogant ut mediatio Virginis ita clare explicetur, ut nitide distinguatur a mediatione Christi. Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae idem sentiunt, addentes mediationem non extendi posse ad *omnes* gratias et eamdem etiam dilucide distingui debere a mediatione sacerdotali Ecclesiae. Suggerunt quoque potius *cum* Maria quam *per* Mariam adeundum esse Christum. Episcopi Neerlandiae dicunt B. Virginem potius *suo modo* quam *speciali modo* esse mediatricem. Alius autem Episcopus desiderat ut ob Protestantes mediatio B. Virginis dicatur secundaria et participata. Ad probandam autem doctrinam de mediatione universali nondum esse maturam, provocatur etiam ad colloquium quod R. P. Leiber habuit cum Pio Papa XII.

Tituli B. M. Virginis

In numero 3 Schematis agitur de titulis B. M. Virginis. Episcopi Africae Orientalis rogant ut varii tituli B. Virginis (mediatrix, socia, corredemptrix, nova Eva, etc.) clare et authentice explicentur. Quattuor Episcopi sunt qui hac de causa voluerint novam redactionem. Unus Episcopus est qui rogat quid sibi velit illud: « Tituli in sensu Ecclesiae intellecti », alius autem proponit ut omnes ii tituli omittantur, qui licet accepti sunt in Ecclesia, per se sunt aequivoci.

Quod ad singulos titulos attinet, de *mediatrice* iam supra dixi. Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae asserunt titulum « *sociam in acquirendis gratiis* » offendere posse protestantes nec placere orientalibus. Unus Pater est qui exoptat ut latius evolvatur titulus *novae Evae* cum parallelismo ad novum Adamum; et alius ut latius dicatur de B. M. V. *typo* Ecclesiae.

PRIVILEGIA B. M. VIRGINIS

De privilegiis res est in Schematis numero 4. Unus Pater putat nullam esse rationem de iisdem dicendi: privilegia enim ab omnibus catholicis admitti. Quattuor autem Episcopi exoptant ut numerus de privilegiis clarius, magis dogmatice, et sensu positivo redigatur, v. g. ubi explicantur Conceptio immaculata, sanctitas, virginitas, et Assumptio corporalis. Etiam Episcopi Argentinae rogant revisionem huius numeri. Unus Pater est qui dolet non satis apparere quomodo privilegia B. Virginis suum fundamentum habeant in divina maternitate; alius autem magis urgeri debere comparationem cum matre humana ut est vinculum totius familiae. Episcopis Iaponiae non expedire videtur ut expresse dicatur de integritate corporali, idque ob rationes indolis magis pastoralis.

CULTUS ET DEVOTIO

Est Pater qui dicat caput quintum de Cultu erga B. M. V. magis refellere opiniones praeiudicatas adversariorum quam stimulare pietatem; alius indicat caput debilius esse cum desit fundamentum theologicum; tertius cultum ab intercessione procedere.

Tres sunt Patres qui loquuntur de aberrationibus in cultu: unus exoptat ut agatur in textu contra huiusmodi deviationes; alius observat esse regiones in quibus magis colatur B. Virgo quam Christus Dominus et verbis Schematis huiusmodi abusus promoveri posse; tertius lamentatur de detrimento facto adorationi Christi: in ecclesiis maiorem pompam adhiberi in cultu Mariae quam in cultu Domini: nimium esse numerum festorum B. Virginis, et hisce rebus dari scandalum separatis fratribus.

USUS FONTIUM

Nonnulli sunt qui asserunt schema non esse satis biblicum; alius dolet non sufficienter citari Patres Orientales; alius deesse plures textus Sanctorum Patrum, qui ad rem facerent, idque eo magis esse mirandum quod inveniuntur in documentis Romanorum Pontificum, ab auctore Schematis laudatis. Quod ad illa documenta pontificia attinet, unus Pater laudat eorum rectum usum; alius autem putat in Schemate exaggerari eorumdem valorem, dum tertius existimat, quaestionem de valore non posse praeteriri.

SCHEMATIS REVISIO

Est unus Pater, qui expressis verbis notat Schema dare basim solidam pro redactione definitiva, et cum eo ii consentiunt qui laudaverunt schema simpliciter.

Ex altera parte quattuor Patres sunt qui postulant novam redactionem, quorum unus commendat Schema oblatum ab Em.mo Cardinali Silva Henriquez; alius vult ut nova redactio comparetur brevior, clarior, magis directa.

Alii loquuntur de revisione, reformatione, recognitione Schematis. Episcopi Africae Orientalis rogant ut Schema reformetur et nondum proponatur in sessione secunda; Episcopi Galliae Occidentalis exoptant ut schema recognoscatur et brevior evadat; Episcopi linguae germanicae et Scandinaviae desiderant ut nova fiat redactio iuvante Secretariatu pro unione: non autem novum schema esse faciendum, cum illud emendari possit secundum correctiones quas Episcopi ipsi proponunt. Episcopi tandem Argentinae commendant revisionem praesertim eorum numerorum, quibus exponuntur B. Virginis tituli et privilegia.

DE TITULO SCHEMATIS

1 – Dicatur: « DE B. M. V., MATRE CHRISTIFIDELIUM » (Patres Conciliares linguae germanicae et Conferentia Episcoporum Scandinaviae).

2 – Dicatur: « DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE DEI ET MATRE HOMINUM » [ne dicatur: « Dei hominumque Matre »! Melius conservatur consecratus titulus Concilii Ephesini « Mater Dei » et repetitur vox « Mater » ut differentia appareat quae inter utramque maternitatem exsistit] (Card. BEA).

3 – Dicatur: « De BEATA MARIA VIRGINE MATRE DEI ET ECCLESIAE » (CAPOZI, Archiep. Taeiüenen.).

4 – Magis placet titulus praecedentis schematis: « DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE DEI ET MATRE HOMINUM »; aut simplicius: « DE BEATA VIRGINE MARIA » (CARLI, Ep. Signin.; Episcopi regionis Galliae Occidentalis; SMIT, Ep. tit. Paralien.).

5 – Dicatur: « DE BEATA MARIA VIRGINE, FIGURA ET MATRE ECCLESIAE » (DALMAIS, Archiep. Arcis Lamy).

6 – Dicatur: « DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE DEI ET CHRISTIFIDELIUM » vel etiam: « MATRE DEI ET HOMINUM » (JAEGER, Archiep. Paderbornen.).

7 – Dicatur: « DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE REDEMPTORIS » (KROL, Archiep. Philadelphien.).

8 – Dicatur: « DE BEATA VIRGINE MARIA IMAGINE ECCLESIAE » (LEFEVRE, Archiep. Rabaten.).

9 – Dicatur: « DE BEATA VIRGINE MARIA MATRE FIDELIUM », aut: « MATRE FIDEI » (VOLK, Ep. Moguntin.).

N. 1. [*De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum*]

10 – Materia quae continetur sub n. 1, dempto titulo inter uncos, deberet proponi tamquam Prooemium (CARLI).

11 – l. 1-7: « Immensae bonitatis Creator omnium sapientissimus Deus, qui plena fruebatur libertate in determinanda ratione qua generis humani restauratio [vel: redemptio] a se perageretur, ab omni aeternitate uno eodemque decreto statuit ut Verbum, ad cunctarum gentium salutem, ex Beatissima Virgine, de Spiritu Sancto [vel: Spiritu Sancto fecundata], in temporis plenitudine (cf. *Gal.* 4, 4), carnem assumeret » (GROTTI, Prael. « Nullius » Acren. et Puruen.).

12 – l. 4-5: Dicatur: « qua genus humanum a peccato liberaret », loco: « qua generis humani liberatio a se perageretur » (CARLI).

13 – l. 4: Dicatur: « qua generis humani elevatio in consortium divinae naturae et liberatio... » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

14 – l. 5: Omittantur verba: « uno eodemque decreto » (Episc. regionis Galliae Occidentalis).

15 – *ibid.*: Dicatur: « una cum divinae Sapientiae incarnatione », loco: « uno eodemque decreto » (PRZYKLENK, Ep. Ianuarien.).

16 – l. 6: Dicatur: « Beatissimam Virginem Mariam » (CARLI).

17 – l. 8: Dicatur: « Cum autem Sacrae Litterae et Sacra Traditio » (CARLI).

18 – l. 8-18: Dicatur: « Cum autem Sacrae Litterae (et perantiqua atque universalis sacra Traditio?), multiplici continenter ratione, Matrem cum humanae stirpis Salvatore, arctissimo et indissolubili vinculo coniunctam, inde a praeannuntiatione (cf. *Gen.* 3, 15; *Is.* 7, 14; *Mt.* 1, 23) ac virginali conceptione (cf. *Mt.* 1, 18-25 et *Lc.* 1, 26-38), exhibeant, plane congruit ut Ecclesia — quae Christi sponsa exstat Eiusque proinde Spiritu ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem [seu: ad revelatarum veritatum, in Sacris Fontibus contentarum, perficiendam cognitionem] infallibiliter dirigitur (cf. *Mt.* 16, 18; 28, 18-20; *Io.* 14, 16, 26; 15, 20) —, divini dum Redemptoris arcana in dies illustrat, Eiusdem quoque Genitricis mysterium clariorem iugiter in lucem proferat » (GROTTI).

19 – l. 10: Dicatur: « praelusione », loco: « praeannuntiatione » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

Idem petit Exc.mus MEOUCHI, Patr. Antiochen. Maronitarum.

20 – *ibid.*: Omittatur: « Gen. 3, 15 » (SMIT).

21 – l. 14: Dicatur: « in Scripturis », vel: « in documentis » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

22 – *ibid.*: Dicatur: « In divina Revelatione », loco: « in sacris Fontibus » (CARLI).

23 – *ibid.*: Dicatur: « in deposito fidei », vel: « in deposito revelato », vel: « in divina revelatione » (PRZYKLENK).

24 – *ibid.*: Dicatur: « veluti implicite », loco: « obscure » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; MEOUCHI).

25 – l. 15: Dicatur: « definitivo errore » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

26 – l. 17-18: Dicatur: « doctrinam quoque sacram de Dei Genitrice », loco: « mysterium quoque Dei Matris » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

27 – *ibid.*: Dicatur: « Eius [sc. Redemptoris paulo ante nominati] Matris » (CARLI).

28 – l. 18: Post « proferat », addatur: « Itaque Sacra Synodus doctrinam solidam et sanam et inter catholicos communem denuo fidelibus proponit, quin novum inde dogma definiatur, sed singula, quae dicuntur, cum eo assensu fideli recipiantur oportet,

qualis ex magisterii doctrina ordinaria singulis convenire noscitur » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

29 – l. 19-30: Haec omnia brevitatis causa deleri possunt (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

30 – l. 19-22: Omittendae aut saltem transferendae videntur (BALDINI, Ep. Clusin. et Pientin.).

31 – l. 19-20: Verba S. Augustini: « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur », potius in nota transferenda sunt (GROTTI).

32 – l. 22: Dicatur: « typus » [vox classica], loco: « exemplar » [vox aequivoca] (CARLI).

33 – *ibid.*: Melius esset evitare titulum: « [Ecclesiae] exemplar » (KROL).

34 – l. 22: Omittantur saltem verba: « immo et Mater ». Si nihilominus l. 19-30 retinentur, post « Mater » addatur: « Christifidelium » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

35 – l. 22 ss.: Ibi sollemniter annuntiatur huius Constitutionis intentio. Sed intentio si quae adeo sollemniter exprimenda esse videatur, inde ab initio Constitutionis dicatur (PRZYKLENK).

36 – l. 23-24: Verba omittenda: « postquam de Corpore Christi Mystico locuta est » (BALDINI).

37 – *ibid.*: Potius dicatur: « postquam de Ecclesia locuta est » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; Card. BEA).

38 – *ibid.*: Post « locuta est », addatur: « et ad perficiendam eiusdem doctrinam » (Confer. Episc. ex Argentina).

39 – l. 24-25: Quid sunt « superiora documenta »? Item, quid intelligitur: « Magisterium vivum Ecclesiae »? Auctores videntur potissimum cogitare de « Supremo Magisterio Ecclesiae » et quidem potissimum Summorum Pontificum inde a Leone XIII (cf. p. 14, IV, 1). Iamvero dicendum videtur Magisterium omnium horum Pontificum *hodie* iam non esse vivum. Agitur ergo de documentis recentioribus *traditionis*. Si ita est, non intelligitur cur maxime his documentis insisti debeat et non *toti* traditioni atque maxime antiquae. Fortasse dicendum esset: « documentis traditionis, speciatim Supremi Magisterii Ecclesiae, interpretum depositi revelati » (Card. BEA).

40 – *ibid.*: Dicatur: « ... superioribus vivi Ecclesiae Magisterii documentis inhaerens, quod unicus Depositi revelati exstat interpres authenticus » (GROTTI).

41 – l. 26-30: Dicatur: « tum arctam, iuxta Dei beneplacitum, inter Christum et Mariam necessitudinem, tum locum quem Dei hominumque Mater in Ecclesia occupat, tum privilegia quibus Filius Matrem suam exornavit, tum denique nostra erga tam sublimem creaturam officia, ut scientia ac pietas marialis plane recteque florescant et, praeiudicatis hac in re opinionibus repulsis, facilior via ad optatam christianorum unionem sternatur » (CARLI).

42 – l. 27: Omittatur vox: « hominumque » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

43 – l. 29: Dicatur: « habitudines », loco: « officia » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

44 – Post l. 30 addatur: « Non autem est in intentione sacrae Synodi propositionibus marialibus huius Constitutionis novas valoris notas attribuere, quas hucusque nondum habebant, sed singulae propositiones eodem certitudinis gradu praedicantur, quem iam habuerunt in magisterio ordinario Ecclesiae » (JAEGER).

N. 2. [*De munere beatissimae Virginis Mariae in oeconomia nostrae salutis*]

45 – l. 32: Omittenda vox: « igitur » (CARLI).

46 – l. 32-33: Dicatur: « humanam naturam » (Confer. Episc. ex Argentina).

47 – l. 32 - p. 8, l. 5: Dicatur: « Cum igitur aeternus Pater Verbum suum humanam decreverit ex muliere naturam assumere ut, quemadmodum per feminam mors, ita et vita nobis oriretur per feminam, sicque sexus utriusque ope liberatio haberetur, non id ante perfecit quam designatae matris, ex bonitate paterna et praevisis Christi sui meritis sublimiori modo redemptae, liber consensus accessisset; qua acceptatione prolata, Unigenitus Dei, ex Maria de Spiritu Sancto carne suscepta, intemeratae quoque fieret Virginis Filius, novus Adam ac mundi Salvator » (GROTTI).

48 – l. 33-34: Dicatur: « quemadmodum femina contribuit ad mortem, ita etiam contribueret ad vitam », loco: « quemadmodum... oriretur » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

49 – *ibid.*: « ... per feminam mors... vita nobis per feminam ». Pro intento auctorum omnino sufficiunt quae sequuntur: « liberatio ope utriusque sexus haberetur ». Tamen, etiam hic melius diceretur: « utroque sexu cooperante », ne « femina » in eadem linea ponatur ac Christus (Card. BEA).

50 – *ibid.*: Non placet relatio inter Beatae Mariae cooperationem ad Redemptionem Christi, tamquam fundatam supra collaborationem utriusque sexus quae esset quodammodo necessaria ad salutem (Card. RICHAUD).

51 – l. 34 - p. 8, l. 1: Omittantur verba: « et sic liberatio ope utriusque sexus haberetur » (BALDINI).

52 – *ibid.*: Dicatur: « liberatio a peccato » (CARLI).

53 – p. 8, l. 1-3: Dicatur: « ita perfecit, ut designatae matris, ex praevisis meritis Christi sublimiori modo redemptae, gratia sua eidem praeveniente, liberam acceptationem donaret » (Confer. Episc. ex Argentina).

54 – *ibid.*: Dicatur: « ita perfecit, ut designatae matri, ex praevisis meritis Christi sublimiore modo redemptae, gratia sua potenti eamdem praeveniente, liberam in fide acceptationem donaret » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

55 – l. 3-4: Hic implicite affirmatur Mariam, in Incarnationis momento, clare cognovisse Eum quem genitura erat vere Filium Dei esse. Et hoc non est de fide, nedum de fide catholica (Episc. regionis Galliae Occidentalis).

56 – *ibid.*: Dicatur: « Filius Dei incarnatus, novus Adam salvatorque mundi, Beatae Mariae quoque filius fieret » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

57 – l. 5-8: Dicatur: « ... qua acceptatione prolata, Unigenitus Dei, ex Maria de Spiritu Sancto carne suscepta, intemeratae quoque fieret Virginis Filius, novus Adam ac mundi Salvator; ipsa autem Maria, privilegiata Adae filia, non tantummodo Iesu Mater evaderet, unici divini Mediatoris ac Redemptoris, verum adeo cum eo at sub eo operam suam in peragenda humani generis restau-

ratione sociaret, ut universitatem gentium, cum Christo at sub Christo redemisse seu corredemisse dicatur, atque haud semel, ab ipsis Romanis Pontificibus, multisque aliis Episcopis Corredemptricis titulo meruerit ornari » (GROTTI).

58 – l. 7-8: Dicatur: « verum etiam sub eo et cum eo adsociata est potenti Dei gratia ad opus redemptionis Christi », loco: « verum... peragenda » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

59 – *ibid.*: Dicatur: « verum etiam cum eo et sub eo, gratia Dei consociata est ad opus Redemptionis Christi » (MEOUCHI).

60 – l. 8-9: Dicatur: « Iste autem Dei Genitricis salutaris consensus et eius consortium... », loco: « Huiusmodi ... consortium » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

61 – l. 8-16: Dicatur: « Huiusmodi autem Dei Genitricis salutaris consensus, unde et eius in reconciliationis opere perficiendo consortium, a virginalis Iesu Christi conceptionis tempore ad sacramenti humanae reparationis consummationem usque permansit, tunc vero excellenter enituit cum, non absque divino consilio, iuxta crucem stetit (cf. *Io.* 19, 25); Unigenito suo ex imis condoluit visceribus; benedictum ventris sui Fructum [vel: Nati sui holocaustum], ut nostrae redemptionis pretium, cui materni cordis gladio transfixit ultro hostiam adiunxit, [vel: adiecit], cum Ipso et per Ipsum aeterno obtulit Patri; ac demum cum ab eiusdem morientis Domini caritate, sollemne e patibulo testamentum veluti promulgantis, non discipulum Ioannem tantum at, in eius persona, universos homines, sibi commendatos, ut spiritualis mater, suscepit in filios (cf. *Io.* 19, 26-27) » (GROTTI).

62 – l. 9: Dicatur: « vi cuius arcana eius cum Christo coniunctio », loco: « unde et eius consortium » (CARLI).

63 – l. 13-15: Non placet introduci doctrina de Corredemptione (Episc. regionis Galliae Meridionalis; Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; Patres Concil. ex Indonesia; GOUYON; MEOUCHI; aliique).

64 – l. 15: Vox « obtulit » non placet (SEITZ, Ep. Kontumen.).

65 – l. 16: Ad textum: « Mater hominibus data est ». Res tanti momenti deberet saltem aliquo argumento fulciri; textus in nota 12 [p. 19 s.] allati omnes recentioris aetatis sunt (Card. BEA).

66 – *ibid.*: Minus placet in Concilio ad asserendam maternitatem universalem B. M. V., explicite appellari textum *Io.* 19, 26-27 (JANSSENS, Praepos. Gen. S. I.).

67 – l. 16-21: Dicatur: « Quoniam vero humanae redemptionis mysterium *terrestrem* non ante attigit *verticem,* quam promissus a Christo Spiritus Sanctus, die Pentecostes, advenit [vel: defluxit], Mariam in caenaculo una cum Apostolis in oratione perseverantem spectamus [vel: legimus], Paracliti effusionem suis quoque precibus enixe implorantem » (GROTTI).

68 – l. 18: Dicatur: « perfectum est » (CARLI).

69 – l. 19-21: Dicatur: « Pentecostes, advenit, Maria una cum Apostolis in oratione in Coenaculo perseveravit » (cf. *Act.* 1, 14) suis quoque precibus effusionem Spiritus implorans » (CARLI).

70 – l. 22-23: Omittenda verba: « ab aeterno praedestinata ut esset Dei hominumque mater » (CARLI).

71 – l. 22-26: Dicatur: « Cum itaque beatissima Virgo, ab aeterno tamquam Dei hominumque mater praedestinata [vel: praeordinata], divina Providentia misericorditer disponente, Domini Iesu hisce in terris, in gratia pro Adae genitis adquirenda, generosa exstiterit socia, [si antea non fuit additum, addatur: adeo ut gentium universitatem cum Christo et sub Christo redemisse seu corredemisse passim dicatur, atque Corredemptricis titulo haud semel a Pontificibus Summis decorari meruerit], hinc mirum non est si pervetustae cunctorum rituum sacrae Liturgiae, christianus populus, ipsique Successores Apostoli Petri, eam veluti supernae gratiae omniumque caelestium beneficiorum administram ac dispensatricem incessabili voce proclament » (GROTTI).

72 – l. 22-23: Dicatur: « cum itaque Beata Dei Genitrix ab aeterno praedestinata, ut hominum esset mater, divina... », loco: « Dei hominumque mater » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

73 – l. 24: Dicatur: « Christi patientis et merentis fuerit generosa socia, caelestium... » (CARLI).

74 – l. 24-26: Dicatur: « generosa socia in opere redemptionis », non vero: « in gratia pro hominibus acquirenda » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; MEOUCHI).

75 – *ibid.*: Etiam haec de gratia per Beatam Virginem acquisita saltem aliquo argumento probari deberent; item ex eo quod B. V. M. in terra fuit Christi « passibilis » socia, non sequitur immediate, quod etiam nunc est « gratiarum administra et dispensatrix » (Card. BEA).

76 – *ibid.*: Verba quibus Virgo Maria extollitur tamquam « Christi generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda » clara non sunt et prolabi videntur in errorem « maximalistarum », quem commentarium reiicit (Card. MICARA).

77 – *ibid.*: Dicatur: « fuerit generosa socia in satisfactione pro peccatis facienda atque in gratia pro hominibus acquirenda » (MULDOON, Ep. tit. Fesseitan.).

78 – l. 25: Emendanda vox « acquirenda » (SEITZ).

79 – *ibid.*: Proponitur addendum: « eo ipso » ante: « caelestium » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

80 – l. 25-26: Minus placet id quod dicitur de Maria tamquam « gratiarum administra et dispensatrix ». Hoc enim prout iacet soli Deo convenit (JANSSENS).

81 – *ibid.*: Dicatur: « caelestium quoque omnium gratiarum administra... » (MULDOON).

82 – *ibid.*: Dicatur: « caelestis quoque gratiae mediatrix et advocata nostra iure meritoque salutatur » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

83 – l. 27-32: Dicatur: « Hinc sequitur Mariam, quae in condendo mystico Christi Corpore tantam habuit partem, et in caelum assumpta ac Regina a Domino constituta, maternum erga cunctos animum gerit, post Filium suum super omnes et omnia obtinere primatum; ac proinde, sub Christo at cum eo, in ipsomet Ecclesiae, ideoque et universi, centro collocari » (GROTTI).

84 – l. 29-32: Dicatur: « erga omnes maternum gerit animum, quaeque denique cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, non modo « supereminens » prorsusque singulare membrum Ecclesiae esse, verum etiam eiusdem exemplar, immo et Matrem dici » (BALDINI).

85 – l. 30-32: Omittantur verba: « ac proinde ... collocari » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

86 – *ibid.*: Si de facto retineretur incisum, tamen delenda essent verba « ut quidam aiunt » et nomina in Nota 15 allegata: Pinsk et Geiselmann. Nulla enim diffamatio fiat, neque « minimalistarum », sicut ne « maximalistarum » nomina afferuntur (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

87 – *ibid.*: Proponitur: « ac proinde tamquam membrum plane singulare », loco: « ac proinde ... collocari » (Confer. Episc. ex Argentina).

88 – l. 31: Omittenda verba: « ut quidam aiunt » [inutiliter polemica] (CARLI).

89 – l. 31-32: Dicatur: « proinde non, ut quidam aiebant, " in peripheria " vel in vestibulo, sed in ipsomet sanctuario Ecclesiae sub Christo in Spiritu Sancto collocari »; lineae 31-32 etiam simpliciter possent deleri (JAEGER).

N. 3. [*De titulis quibus consociatio Beatae Virginis Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet*]

90 – De mediatione definitionem desiderant: OBVIAR; RUOTOLO; VELEZ MARTINEZ, aliique.

91 – Desiderant ut fusius explicetur quo sensu mediatio Mariae competat, ne confusio oriatur: Episc. Africae Centro-Orientalis; Episc. Africae Orientalis; Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; DALMAIS; GOUYON; KRAMER; NICODEMO, aliique.

92 – De titulo: « mediatrix gratiarum » potius silendum esse autumant: Episc. regionis Galliae Meridionalis; Patres Concil. ex Indonesia; JANSSENS; LEFEVRE; MEOUCHI; WHEALON.

93 – l. 34 - p. 9, l. 3: Dicatur: « Cooperatio Matris Dei cum Christo, veluti novae Evae cum novo Adamo, in humanae redemptionis peragendo opere, multiplicibus variisque titulis, quibus magisterium Ecclesiae, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, tamquam solido fundamento, radice ac principio ita nititur, ut non immerito ab Ecclesia Beatissima Virgo gratiarum mediatrix nuncupetur » (Patres Conciliares ex Argentina).

94 – *ibid.*: Omittatur totum (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

95 – *ibid.*: Dicatur: « Multiplices variique tituli, quibus Magisterium Ecclesiae, veneranda traditio, fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, minime vacuos inanesque esse dicendi sunt vel sacris litteris adversari, quoties solido fundamento, radice et principio nituntur in cooperatione Matris Dei cum Christo (veluti novae Hevae cum novo Adamo) in humanae redemptionis peragendo opere... » (BALDINI).

96 – l. 34 - p. 9, l. 7: Dicatur: « Quoniam multiplices variique tituli, quibus Magisterium Ecclesiae, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, in Illius cooperatione cum Christo, novae veluti Hevae cum novo Adamo, tamquam in solido fundamento ac radice innituntur, sequitur eosdem titulos, in sensu Ecclesiae intellectos, neque vacuos inanesve immo neque Sacris adversantes Litteris esse posse. Ita non immerito Ecclesia beatissimam Virginem gratiarum Mediatricem nuncupat, eamque utillime obsecrandam ducit ut adiuvet nos in orationibus suis pro nobis ad Deum (cf. *Rom.* 15, 30). Ipsa enim strictius... » (CARLI).

97 – l. 34 - p. 9, l. 3: Dicatur: « Quoniam in Mariae cum Iesu, Matris scilicet cum Filio Salvatore ac novae veluti Hevae cum novo Adamo, ad humanae redemptionis opus peragendum cooperatione, tamquam solido fundamento, radice ac principio, multiplices variique nituntur tituli, quibus sacrum Magisterium, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, ideo nefas est dicere, eosdem titulos, in Ecclesiae sensu intellectos, vacuos inanesque esse, Sacris immo Litteris adversari. Quos inter titulos, humani generis Corredemptricis necnon gratiarum omnium Mediatricis appellationes potissimum profecto obtinent locum.

Ad titulum Corredemptricis quod attinet, qui Mariae competit Redemptoris utpote matri atque sociae, fatendum est ipsum in novi Adae appellatione veluti imbibi, quam Christo tribuit Paulus, ab eaque dubio procul exigi.

Quam exigentiam, ipsius subapostolici aevi Patres persenserunt Iustinus atque Irenaeus, aliique sancti Ecclesiae doctores, qui beati Pauli parallelismum complectens, edixerunt humanum genus, veteris Adae veterisque Hevae inoboedientia perditum, novi Adae novaeque Hevae fuisse oboedientia salvatum.

Qui parallelismus, ipsis partim aperte partimque adumbrate fatentibus, nullimode aut imperfecte prorsus subsisteret si dum Heva perditioni est cooperata qua Adami socia, Maria saluti cooperata tantum fuisset ut Salvatoris Mater, non vero ut Redemptoris adiutrix: parallelismus enim utrimque non physica maternitate, sed voluntario nititur actu.

Haec autem doctrina, numquam in Dei populo sancto, saeculorum decursu, intermissa, inde circiter ab anno millesimo, novo veluti radiavit fulgore, ac dein praesertim S. Bernardi ope, eorumque qui ipsius fideliter pressere vestigia. Cum vero eam ipsi nonnulli Romani Pontifices assumpserunt, ampliorem eidem contulere splendorem, suaeque excelsae addiderunt auctoritatis pondus.

Contra quem Corrredemptricis titulum, nulla prorsus in contrarium sana militat ratio: Corredemptricis praerogativa aut actio non enim Redemptoris minuit seu obscurat opus vel meritum; sicut nec ministrorum sacerdotium sempiterno Christi officit muneri, eo quod huius illud derivatio sit atque adiutorium: non necessitatis quidem aut infirmitatis, sed dignitatis et convenientiae.

Ad Mediatricis titulum vero quod spectat, qui praerogativam exprimit quae Mariae competit utpote Filii Dei humanique generis Redemptoris Matri atque sociae, dicendum est ipsum in pene omnium temporum ac locorum Liturgiis fundari, quae ordinarii at universalis Ecclesiae Magisterii sunt authenticus testis, sub ipsorum Romanae Sedis Pontificum suprema vigilantia positus; qui Christi Vicarii, ceteroquin, plures post Episcopos atque theologos, Mediatricis doctrinam aperte, et quidem in magni etiam momenti documentis, suam fecerunt, ipsumque Mediatricis titulum Sanctae Virgini tribuerunt.

Et iure quidem, nam si Sanctus Paulus apostolus, adhuc in terris positus, sine intermissione in orationibus memor erat fidelium, eorumque pro se precum subsidium instanter poscebat, expedit multo magis et iuvat ut sanctissimae Virginis Mariae, in caelis gloriosae regnantis, intercessioni nosmetipsos fidenti commendemus animo.

Ipsa enim Deo Patri cuius est perfectissima filia, ipsius Unigenito Iesu Christo Domino nostro cuius Mater exstat ac socia, et Divino Spiritui quo fuit ac manet repleta, prae universis creaturis est absolutissime iuncta; iisdemque de causis, supra omnes et amatur a Deo et Deum ex toto redamat corde.

Ex hac almae Virginis in Deum, cui tantopere nectitur, profundissima dilectione, intensissimus in universos homines, Patris genitos ac Filii sui fratres ac membra, Spiritu Sancto afflante, amor promanat. Ideoque, eiusdem Paracliti caritate succensa [acta], ad Christum gratiae effusionem beneficiorumque omne genus elargitionem impetratura incunctanter accedit; ac non tantum per Eum, sed et cum Eo et in Eo, ad ipsum immensae maiestatis Patrem, a quo bona cuncta descendunt, fidenter procedit; ipsiusque Genitoris, cui est dilectissima et a quo propterea est semper audita, per Iesum, at cum Eo et in Eo, cuius est amatissima Mater et socia cuique proinde prorsus nihil potest negari, Spiritus Sancti gratiae ac beneficiorum, vera excellentissima Ecclesiae universalis portio, administra incessabiliter fit ac distributrix.

Contra quam marialis Mediationis doctrinam ipsumque, quoad caelestem gratiam supernaque beneficia, universalis Mediatricis titulum, nulla pariter opponi potest revelata auctoritas aut valida ratio: verum est enim unum inter Deum et homines Mediatorem, aiente Paulo (cf. *1 Tim.* 2, 5) esse Dominum Iesum; sed, ex alio capite, impossibile est Illum, qui est unus Mediator, at simul Mariae amantissimus filius ac novus fidelissimus Adam, eam sibi incessabiliter indissolubiliterque non sociare in mediationis officio, sive de ipsa supernaturali regeneratione agatur, sive etiam de natorum, per gratiae iugem participationem beneficiorumque omne genus collationem, cura ac provectione; sicut pariter possibile non est Mariam, utpote Iesu Matrem ac sociam, suae strictissimae unionis vi suique ardentissimi amoris impulsu, Filio suo ac novo Adae, in praedicto amplissimo mediationis opere, nolle coniungi seu eiusdem administram fieri atque adiutricem.

Perspicuae huius ac fundatissimae denegatio doctrinae, absurdam secumferret intimissimae coniunctionis et incensissimae caritatis denegationem, Iesum inter atque Mariam, ac proinde vicissim.

Cum sit autem Mediatoris adiutrix, Maria est ergo tantum secundaria Mediatrix: a Dei Patris enim bonitate gratuita, Christi intervenientibus meritis, admirabile hoc Spiritus donum, nempe Mediatricis officium ipsamque mediandi vim, incessabiliter recipit; eaque proinde dependenter a Deo, ut creaturam decet ac filiam, sicut possidet ita et exercet. Incarnato item Dei Verbo, ut Filio Redemptori praeredempta Mater et ut novo Adae nova

pariter Heva, peramanter coniuncta, ab infinitis Iesu Christi meritis potissime Virginalis cooperatio pretium sumit, impetrandi atque obtinendi virtutem ac dilargiendi auctoritatem.

Qua in re, scientifice profundiusque investiganda, rimanda atque exponenda, omnis vulgaris imaginatio prorsus est removenda, ac si scilicet, e Virgine, tamquam e terrae fonte, Spiritus Sancti gratia manaret; vel ac si per eam, materialem quasi per aquaeductum, Paracliti effusio transiret; per eiusve corporales manus divina beneficia ad nos derivarent. At res, sicuti sunt, ita procul dubio et debent intelligi atque explicari: quatenus nempe Summi Genitoris Iesuque Amori, aut benefacere cupienti aut de facto benefacienti, almae Virginis amor, Patris filiae, Christi genitricis et sociae, Spiritu Sancto plenae, Ecclesiae omniumque matris, incessabiliter manet coniunctus et in cupiendo et in benefaciendo.

Christi ergo mediatio aut unici divini Mediatoris titulus, Mediatricis officio atque nomine, nullimode minuitur vel obscuratur, at potius extollitur et honoratur: sunt enim, iterum, munus ac titulus non divinae necessitatis aut infirmitatis, sed dignitatis et convenientiae. Mariae enim, sicut corredemptio ita et mediatio, seu intima ad Redemptorem seu Mediatorem coniunctio, tamquam supremo e fonte, unice e Dei promanat amore erga Virginem, et Virginis erga Deum et nos. Tota ergo vertit in Dei ac Virginis gloriam et laudem » (Grotti).

98 – l. 40 - p. 9, l. 1: « eosdem titulos, in sensu Ecclesiae intellectos ». Non placet. Quinam, iuxta Ecclesiam, est sensus germanus titulorum Corredemptricis et Mediatricis? Ex hoc quod theologi de vero istorum titulorum sensu disputant, patet « sensum ab Ecclesia intellectum » non apparere (Muldoon).

99 – l. 3-7: Omittatur: « Quod si hisce ... Virginis Mariae » (Confer. Episc. ex Argentina).

100 – *ibid.*: Exhibeatur pro commendanda Virginis mediatione, alia, profundior et generalior ratio, et quidem fere ita: « In Corpore Christi Mystico omnes nos Spiritu Dei ut membra ita consociamur teste Apostolo, ut in opere salutis unusquisque ab omnibus dependeat et nullus sibi soli vivat, sed uniuscuiusque gratia divinitus data omnibus in Corpore Christi Mystico prosit et omnes singillatim voluntate salvifica Dei quaerantur, quatenus (actu aut potentia) praecise sunt membra huius unius Mystici Corpo-

ris, quod Deus praedestinatione sua aeterna sub Christo capite aedificare decrevit. Haec igitur praesertim et modo prorsus singulari valent de Beata Maria Virgine » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

101 – *ibid.*: Argumentum a S. Paulo petitum nihil probat, quia intercessio hic in terris et « mediatio » in caelis omnino diversi generis sunt. « Mediatio » et « intercessio » non sunt idem (Card. BEA; LEFEVRE).

102 – l. 7-22: « Ipsa enim ... (coll. *Rom.* 2, 4) » omittenda sunt (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

103 – l. 8: Si haec non omittantur, cautius dicatur: « quam quilibet homo », loco: « quaelibet pura creatura » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

104 – l. 10: Dicatur: « unitur » vel quid simile, loco: « copulatur » (Card. BEA).

105 – *ibid.*: Dicatur: « Ipsa vehementius quam quae... » loco: « vehementius item » (CARLI).

106 – l. 11-12: Dicatur: « diligitur; Ipsa uti mater Salvatoris (cf. *Lc.* 1, 31), doloris gladio transfixa anima... » (CARLI).

107 – l. 17: Dicatur: « intercedere valet; attamen quia eius intercessio », loco: « intercedit, et quia » (CARLI).

108 – l. 18: Dicatur: « ex sacrificio cruento Filii sui benedicti, necnon ex filiali pietate Eiusdem erga dilectam Matrem, haec eius mediatio et intercessio minime... » (HOA HIEN, Ep. Dalaten.[1]).

109 – l. 18-19: Dicatur: « haec eius mediatio participata et secundaria... » (GAWLINA, Archiep. tit. Madyten.).

110 – l. 19-20: Potius invertatur: « minime efficit ut homo Christus Iesus desinat esse unus Mediator Dei et hominum » (Card. BEA).

111 – l. 20-22: Omittendae sunt (CARLI).

112 – l. 23-29: Omittantur (Patres Concil. ex Argentina).

113 – l. 23: « subordinatos mediatores »: non oportet vocem sacratam « Mediator » quae de Christo Domino adhibetur, adhibere etiam de aliis (Card. BEA).

---

[1] Nguyen-van Hien.

114 – l. 29: Dicatur: « totaliter dependere » (CARLI).

115 – *ibid.*: Post « omnino », addatur: « et necessario » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

116 – l. 30-36: Omittendae sunt (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

117 – l. 30-41: Dicatur: « Itaque etsi haec humilis ... nuncupatur eo quod sociata fuerit Christo in illis acquirendis; etsi advocata ... invocatur eo quod etiam nunc, Christi ... per Christum intercedat, et in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna eius caritas, nullo tamen modo mediatio illa qua est " unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus " (*1 Tim.* 2, 5), obscuratur vel minuitur, quin immo valde extollitur et honoratur » (CARLI).

118 – l. 30: Dicatur: « Itaque haec humilis... » (Patres Concil. ex Argentina).

119 – l. 31: Dicatur: « gratiae », loco: « omnium gratiarum » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

120 – *ibid.*: « omnium gratiarum mediatrix »: nota 21 ostendit quam parum clara et parum praecisa haec expressio sit. ... Non videtur convenire expressionem tam parum claram in Constitutione dogmatica sine ulteriore explicatione et probatione poni et eius ope locum et munus Beatae Virginis determinari (Card. BEA).

121 – *ibid.*: Non placet. Sinatur doctrina maturari. Si loco vocis « Mediatrix » utatur Concilium voce « Advocata » vel simili, incommoda praeveniuntur (JANSSENS).

122 – l. 32: Si l. 30-36 retinentur, saltem emendandum est hoc: Dicatur: « in opere redemptionis », loco: « in illis acquirendis » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; MEOUCHI).

123 – l. 35-36: Si textus non omnino expungitur, saltem dicatur: « ita ut quae olim cooperata est fide et caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra », loco: « ita ut ... Virginis » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

124 – *ibid.*: Omittantur verba: « ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna caritas B. Virginis » (SMIT).

125 – l. 36: Paragraphus finem habeat cum verbis: « materna caritas B. Virginis » (Patres Concil. ex Argentina).

126 – l. 35-41: Dicatur potius: « ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna caritas B. Virginis, nullo modo mediatio nostri Mediatoris Christi Iesu obscuratur vel minuitur; immo haec Christi mediatio extollitur et honoratur » (SOCCHE, Ep. Regien. in Aemilia).

127 – p. 10, l. 5-14: Omittantur, vel, si servantur, potius dicatur: « Quapropter Sancta Synodus theologos divinique verbi enixe hortatur praecones ut, ad Ecclesiae Magisterii sensum, Divinarum Scripturarum, Sanctorum Patrum ac sacrarum Liturgiarum studium excolentes, Beatae Virginis munera atque officia cum aliis dogmatibus connexa, potissime vero quae ad Christum, totius veritatis, sanctitatis ac pietatis centrum attinent, in vera luce sedulo collocare nitantur; servata semper, quoties de Iesu simul ac Maria nomen aliquod aut officium praedicantur, debita analogia » (GROTTI).

128 – l. 10: Post « pietatis », addatur: « et ad Spiritum Sanctum, quo cooperante Christus mundum vivificavit per eum semetipsum offerens immaculatum Deo (*Hebr.* 9, 14), quique postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* 8, 26) » (JAEGER).

129 – l. 13-14: « Etenim nullo modo ... aequiparanda est Christo »: veritas tam magni momenti multo nervosius exprimenda esset » (Card. BEA).

130 – l. 14: Addatur: « Immo verbi divini praecones conentur oportet in explicando munere Virginis talia verba, prout res id sinit, adhibere, qualia iam ex sese solide aequiparationem inter functionem Christi et eam, quae est Virginis, praecavent » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

N. 4. [*De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris*]

131 – De tota paragrapho: Quae hic dicuntur cum difficultate inseruntur in schema quod Mariam consideret sub aspectu ecclesiologico. Si autem conservatur n. 4, redactio eius magis completa praesertim inde a l. 25, fieri deberet, qua clariore in luce poneretur: Immaculata Conceptio, supereminens sanctitas, virginitas perpetua et perfecta necnon glorificatio corporis virginalis, posi-

tivo modo et cum sensu eschatologico, non vero modo negativo: in cinerem resolvi non pateretur, l. 4, p. 11 (Confer. Episc. ex Argentina).

132 – N. 4. Omittatur. Si autem servatur, his criteriis deberet aptari: 1) latinitas expolienda esset; 2) ea quae ad mortem B. Mariae referuntur expungenda essent. Textus ergo, si servari velit, ita posset aptari:

« Maria Virgo a Deo, qui ineffabili eam est prosecutus amore, privilegiis plane singularibus ditata est mirabilis in ortu, in Conceptionem immaculatam; mirabilis deinceps, cum omnis personalis culpae expers, ac simul mater semperque virgo, mente et carne exstiterit; mirabilis tandem in exitu,

[1]

quia, expleto vitae temporalis cursu, corpore et anima gloriose est in caelum assumpta.

[2]

quia si, secundum antiquam ac venerabilem traditionem, mortem subiit temporalem, quo plenius Filio suo conformaretur, nexibus tamen mortis deprimi procul dubio minime potuit, et, ut catholicae fidei dogma tenet, corpore et anima gloriose est in caelum assumpta.

Quae singularia privilegia aliaque gratiae dona, intuitu meritorum Redemptoris divinitus Mariae collata vel ab eodem profluentia, ita in Christi honorem redundant, ut excelsa Matris munera contemplari nequeamus, quin ipsius Filii bonitatem, amorem, omnipotentiam miremur ac celebremus.

Sicut enim matris iniuria afficit filium, ita et matris gloria in filium redundat; ideoque, eo quod Maria singularem cum Nato suo affinitatem habuerit, decuit ut ex praevisis perfectissimi Salvatoris meritis, totius sanctitatis auctoris, — qui ad peccatum destruendum venit in mundum —, inde a primo conceptionis instanti ab omnis culpae labe praeservaretur immunis, atque longe ante universos angelicos spiritus ac sanctos tot gratiis ornaretur ac donis, ut Dei Patris filia, Verbi mater, Spiritus Sancti sacrarium, omnibus creaturis dignitate praecelleret.

Plane quoque oportebat ut Filius, qui peculiari Genitricem suam prosequebatur dilectionis affectu, — quique corporalem Matris integritatem in ipsomet partu incorruptam veluti atque illibatam servare, ita ut " virginitatis gloria permanente lumen

aeternum mundo " effunderet —, corpus illud, augustum divini Verbi tabernaculum, totum sanctum, totum castum, in cinerem resolvi non pateretur » (GROTTI).

133 – l. 21-24: Dicatur: « quia, expleto terrestris vitae cursu, fuit corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta » (CARLI; PRZYKLENK).

134 – *ibid.*: Dicatur: « ... mirabilis denique in suo exitu, nexibus mortis cum deprimi minime potuisset, corpore et anima gloriose in caelum assumpta est » (EMMANUEL, Ep. Caurien. Castrorum).[1]

135 – l. 21-22: Omittantur verba: « secundum antiquam et venerabilem traditionem » [Nam etsi mors Virginis definienda non est, mors Virginis in doctrina « solida et sana » simpliciter asseri et potest et debet] (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.; JANSSENS).

136 – l. 22: Omnino omittatur affirmatio de morte temporali Virginis (Card. BEA).

137 – l. 25 - p. 11, l. 5: Omittatur totum; vel, si retinetur, saltem, post « corpus », scribatur: « matris perfectissimo modo redemptae sine mora illa immortalitate donaretur, qua fruitur ille, qui primus ex mortuis resurrexit, quaeque est beata spes omnium redemptorum ». Omittantur ea, quae post « corpus » [l. 3-5] habentur (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

138 – l. 29 - p. 11, l. 5: Omittatur totum (MEOUCHI).

139 – l. 29: Dicatur: « Sicut enim ... ita ... », loco: « Siquidem ... ita » (CARLI).

140 – l. 30 - p. 11, l. 5: Omittatur totum (CARLI).

141 – l. 35-36: Omittantur verba: « omnes angelicos spiritus cunctosque » (SMIT).

142 – l. 36: Omittatur: « filia Patris » (KROL).

143 – l. 37: Quidquid est de omittendo toto inciso 10, 25 - 11, 5, quaeritur num ea, quae l. 37 habentur: « omnibus creaturis digni-

---

[1] Llopis Ivorra.

tate praecelleret », spectata humanitate Christi tam simpliciter dici queant (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

144 – l. 39-40: Confer. Episc. Aprutin. petit ut declaretur Mariam fuisse Virginem non solum ante partum, sed etiam in partu et post partum, sensu pleno et distincto. Pariter petit Conferentia ut finis ponatur disputationibus in materia quae, dum non cohaeret cum sensu perenni Ecclesiae, est scandalosa, temeraria et piarum aurium offensiva.

145 – *ibid.*: Virginitas in partu sine dubio pertinet ad virginitatem perfectam Beatae Virginis, sed modus huius virginitatis in partu non a Concilio modo physico describendus est. Modus loquendi schematis videtur infelix. Verba « incorruptam » et « illibatam » insinuant per partum naturalem fieri quamdam corruptionem et offensionem mulieri. Sensus virginitatis in schemate melius explicandus est. Ita insuper explicetur, quod nullomodo obstat verae maternitati Matris Christi (Patres Concil. ex Indonesia).

146 – *ibid.*: Si privilegium virginitatis in partu affirmatur, certo non tantum in obliquo affirmari deberet, cum notum sit quantas difficultates ipsa creat fratribus non catholicis protestantibus (Card. BEA).

147 – *ibid.*: Si textus non omittitur, saltem pro « corporalem integritatem » dicatur: « virginitatem » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

148 – *ibid.*: Omittatur mentio de B. M. V. integritate corporali in ipso partu incorrupta et illibata servata; sufficere videtur declaratio quod B. M. V. « insimul mater semperque, mente et corpore, virgo exstiterit [p. 10, l. 20] » (Card. DOI).

149 – erratum corrige: « incorruptam ».

150 – p. 11, l. 1-2: Ex notis patet velle auctores schematis non tantum affirmare virginitatem in partu, de qua nemo dubitat, sed modum anatomicum illius virginitatis definire. De qua re, quamquam traditio a tempore S. Ambrosii communis videtur, non consentiebant antiquiores Patres (JANSSENS).

N. 5. [*De cultu erga beatissimam Virginem Mariam*]

151 – De tota paragrapho: Redactio primae partis huius numeri 5 debilis apparet. Proponitur ut melius exprimatur fundamentum theologicum cultus; magis in lucem efferre eius universalitatem in tempore et in spatio, inde ab initiis christianismi simul cum ditissimis eius formis; pariter, melius exprimatur munus et participatio populi in cultu (Patres Concil. ex Argentina).

152 – *ibid.*: Haec quae sub n. 5 dicuntur, quoad doctrinam approbari possunt. Sed quaeritur, num ista pro ratione epilogi, in quo dicenda sunt, non possint satis brevius dici; v. g. quae p. 12, l. 6 - p. 12, l. 13 dicuntur, facile omitti possent, quia revera aut non sunt magni momenti aut per se patent (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

153 – *ibid.*: N. 5 deberet concludi per verba « quam carne gestasset », p. 12, l. 5 (CARLI).

154 – l. 6-28: Dicatur: « Cum igitur, ut dictum est, Deus Mariam prae omnibus creaturis cunctisque sanctis, aeterna caritate dilexerit atque incessabiliter diligat; ipsa vero, perfectione quam nullus umquam attigit vel in posterum attinget, Altissimum ex toto semper redamaverit ac redamet corde, ideoque mutua strictissima perpetualiter nectantur unione, hinc manifesto sequitur ac liquet pleno Dei cultori impossibile esse Omnipotentem debita, scilicet latriae, adoratione revereri, quin dilectissimam immensisque, immo singularibus, gratiarum monilibus decoratam, summi Patris filiam, Incarnati Verbi matrem ac sociam, necnon Sancti Spiritus habitationem, congruo, hyperduliae nempe, cultu haud venerari.

Idipsum quoque innotescit si relationes considerantur non unice Deum inter et Mariam atque vicissim, sed praecise Christum inter ac Mariam per respectum ad nos et vicissim. Cum enim beata Virgo, divinae maternitatis titulo atque associationis cum Iesu in redemptionis ac mediationis opere, Ecclesiae omniumque etiam hominum, licet non eadem perfectione, mater exstet, eamdemque, immo et eosdem, incensissimo amore perdiligat; hinc sequitur profecto ac patet, Ecclesiam imprimis, ac universarum quoque gentium familiam, non eadem quamvis perfectione, ad tantam Matrem medullitus redamandam inclinari ac teneri, immo et peculiarissima veneratione prosequi.

Quoniam igitur beatissimae Virgini haec singularis competit excellentia, ita etiam ut a Dei nuntio Gabriele Archangelo " gratia plena " (*Lc.* 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres salutari meruerit (cf. *Lc.* 1, 42), nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit " beatam me dicent omnes generationes " (*Lc.* 1, 48), ab innumeris pene gentibus et ab universis Ecclesiae ritibus, suffragiis saeculorum decursu continuo crescentibus, omni quidem cum laude " beata " praedicatur, atque ut talis amatur, colitur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur.

Tantum vero abest ut singularis huiusmodi marialis veneratio, divino latriae cultui quo Incarnato Verbo quemadmodum et Patri et Spiritui Sancto adoratio exhibetur — detrimento sit, quin potius illi quam maxime faveat.

Variae enim erga Dei hominumque Matrem formae pietatis, quas Ecclesia intra sanae et orthodoxae doctrinae limites, pro temporum et locorum condicionibus et pro fidelium indole atque ingenio approbavit, ad id spectant ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri omnem plenitudinem inhabitare complacuit (cf. *Col.* 1, 19), rite agnoscatur, ametur, glorificetur eiusque serventur mandata; et sic per Christum, qui est " via, veritas et vita " (*Io.* 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque perducantur adorationem » (GROTTI).

155 – l. 7: Dicatur: « Beatissimae Virgini Mariae » (CARLI).

156 – l. 10-15: Dicatur: « ... nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de se prophetavit (cf. *Lc.* 1, 48), a cunctis gentibus et ab universis ... crescentibus, omni cum laude " beata " praedicetur colatur, ametur, invocetur ... proponatur » (CARLI).

157 – l. 15 ss.: Si haec obiectio, quasi cultus marialis cultui divino latriae officiat, tangitur, aliqua meliore ratione confutanda esset non solum aliqua affirmatione: « cunctis a gentibus »: v. g. Sinensibus, Indis, Iaponensibus? (Card. BEA).

158 – l. 19-20: Dicatur: « Beatam Mariam Virginem » aut: « Dei Genitricem » loco: « Dei hominumque Matrem » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

159 – l. 27: Dicatur: « Dei Patris », loco: « Dei unius ac trini » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

160 – l. 29-34: Dicatur: « Quam sinceram, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto recolit, simulque Episcopos reverenter hortatur ad theologis divinique verbi praeconibus sedulo invigilandum, ut ab omni falsa veritatis superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda et illustranda, abstineant » (GROTTI).

161 – l. 30-34: Dicatur: « eodemque tempore theologos divinique verbi praecones admonet ut, in singulari Dei Genitricis dignitate consideranda, via media procedant quae et ab omni falsa et immodica superlatione caveat et ab illis se segreget qui vano quodam agitantur timore ne Beatissimae Virgini plus aequo concedatur » (CARLI).

162 – l. 30: Dicatur: « simulque », loco: « eodemque tempore » (JAEGER).

163 – l. 34: Peropportunum videtur quod hoc Sacrosanctum Concilium, in aptiore loco huius schematis, v. g. in p. 11, l. 34, plane fateatur sibi bene notam esse exsistentiam excessuum, quos minime approbat, et simul enixe rogat animarum pastores ut quam primum sed prudenter tales excessus corrigant vel corrigere faciant.

Forte etiam conveniens sit enumerare hos excessus (si non placet in textu ipso schematis, saltem in nota quadam ad calcem) ut melius a nobis corrigantur, et ut fratres separati nullum dubium capiant de nostra sincera voluntate renovationis intra limites veritatis: maior numerus ecclesiarum titulo mariano erectarum, maior numerus festorum Beatae Mariae Virginis, maior sollemnitas externa eorumdem festorum necnon maior numerus concionum ad decantandas laudes Beatae Mariae Virginis, etiam sine superlatione veritatis, sensim sine sensu fideles ducunt ad maiores partes tribuendas in sua pietate Deiparae Virgini quam Iesu Christo.

Putamus enim hos excessus tam profundas et sentimentales radices habere tum in cordibus fidelium tum in aliquibus sacerdotibus, ut necesse sit ad has radices vellendas ut de hac re clare loquatur haec Sacrosancta Oecumenica Synodus (TALAMAS CAMANDARI, Ep. Civitatis Juarezen.).

164 – l. 35 - p. 12, l. 5: « Utriusque ergo sexus fideles omnem vanam respuant credulitatem, ac veram devotionem meminerint non in quodam tantum unius momenti affectu proprie consistere, at

e sincera et plena fide, caritate scilicet informata, procedere; qua ad Iesu Matrem ex animo diligendam [cf. p. 11, l. 14 et p. 12, l. 8-9] adducimur, ideoque ad unionem cum ea, atque ad virtutum imitationem illius beatissimae Virginis, quae " ancilla Domini " (*Lc.* 1, 38), humillima et oboedientissima fuit, quaeque fidelissime servavit, ea " conferens in corde suo " (*Lc.* 2, 19), quaecumque ad Verbum Incarnatum pertinebant (cf. *Lc.* 2, 51), beata quia credidit (cf. *Lc.* 1, 45) salutata. Nihil enim materna Mariae propinquitas profuisset, " nisi felicius Christum corde quam carne gestasset " » (GROTTI).

165 – l. 37: De quanam « vana credulitate » agitur? Probabiliter de apparitionibus, sed hoc explicandum esset, si omnino notandum videtur (Card. BEA).

166 – p. 12, l. 3-5: Dicatur: « Ipsa materna propinquitas Mariae profuit, quia felicius Christum corde quam carne gestavit » [vel simile quid] (Confer. Episc. ex Argentina).

167 – l. 6-36: Tota haec pericopa aut simpliciter omittatur aut loco eius alia conclusio schematis substituatur, qua apte schema totum de Ecclesia concluditur (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

168 – l. 6-13: Omittantur. Non nostrum est dicere quid de nostra doctrina sentiant alii (JANSSENS).

169 – l. 6-10: Dicatur: « Quo Domini ac Salvatoris nostri Matrem honore debito ipsos quoque haud paucos fratres separatos prosequi, potissimum vero Orientales, — qui in Deiparam peculiari modo colendam fervido quodam feruntur impulsu —, magnum sacrae Synodo gaudium ac solatium affert » (GROTTI).

170 – l. 8: « Fervido quodam impulsu... » nonne Orientales merito offenderentur hac expressione, quasi eorum devotio erga Beatam Virginem solum ex aliquo « impulsu » proveniat et non in fide illuminata fundetur? (Card. BEA).

171 – l. 11-13: Vel res explicetur et probetur; vel melius, omnino praetereatur (Card. BEA).

172 – *ibid.*: Dicatur: « Hinc manifesto patet perperam ac immerito cultum erga Dei Genitricem exprobrari catholicae Ecclesiae, tamquam si exinde ex uni Deo ac Iesu Christo cultui debito aliquid subduceretur » (GROTTI).

173 – *ibid.*: Modo magis positivo res dicatur. Cum quidem veritas haec satis bene stabiliatur per loca ex S. Scriptura allata et dicta Patrum Antiquorum, hae lineae revera sapienter omitti possunt (KROL).

N. 6 [*Maria Sanctissima Fautrix unitatis christianae*]

174 – De toto n. 6: Omittatur totum, aut aliter redigatur. Huius schematis conclusio reditus ad Christum unicum Redemptorem et Mediatorem deberet esse. Sic daretur mariologiae conclusio normalis et evidens signum considerationis oecumenicae (MEOUCHI).

175 – *ibid.*: Actualis n. 6 cum suo titulo deberet incipere a l. 6, per verba: « Quo debito honore ». Dicatur: « 6. [*Maria Sanctissima fautrix christianorum unitatis*]. Sanctae huic Synodo magnum affert gaudium ac solatium quod ipsi quoque haud pauci fratres separati, potissimum vero Orientales — qui fervido quodam impulsu in Deiparam peculiari modo colendam feruntur —, debito honore ac reverentia Matrem Domini ac Salvatoris nostri prosequantur. Quin immo pie est credendum Ipsam, quae homines universos in Calvario habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovere ac diligere, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorent, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruantur feliciter.

Quapropter Sancta Synodus certa spe ac fiducia ... etc. » (CARLI).

176 – l. 14: Dicatur: « [*Maria fautrix unitatis omnium in Christo*] » (HOA HIEN).[1]

177 – l. 14-20: Dicatur: « Maria, Virgo sanctissima, alma Redemptoris genitrix atque socia, omniumque gratiarum Mediatrix, cum in Calvario universos homines materno cordi publice sollemniterque in praedilecti apostoli Ioannis persona commendatos habuerit, vehementer cupit ut non modo illi qui uno sunt donati Christi baptismate, unoque Spiritu aguntur, verum etiam ii qui se a Domino Iesu fuisse redemptos ignorant, una eademque, sive cum divino Salvatore sive inter seipsos, fide et caritate cohaereant » (GROTTI).

---

[1] Nguyen-van Hien.

178 – l. 15: Dicatur: « Maria, Mater et Virgo ac mundi Regina, cum homines universos in Calvario... » (EMMANUEL).[1]

179 – l. 17-19: « Qui donati baptismate ... qui ... redemptos se esse ignorant ». Haec mixtio christianorum cum non christianis facile fratres christianos non catholicos offendere potest (Card. BEA).

180 – l. 20-27: Dicatur: « Quapropter certa spe ac fiducia Sancta Synodus nititur fore ut haec Dei hominumque Mater — qua interveniente (cf. *Io.* 2, 3) Incarnatus Filius in Cana Galileae primum operatus est signum, ex quo in eum crediderunt discipuli eius (cf. *Io.* 2, 11), quaeque Ecclesiae nuper ortae adstitit —, patrocinio suo a Deo impetret ut omnes in eumdem gregem sub uno Pastore tandem aliquando conveniant (cf. *Io.* 10, 16) » (GROTTI).

181 – l. 21: Dicatur: « Dei Genitrix ac hominum mater » (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

182 – l. 26: Omittatur: « (cf. *Io.* 10, 16) » [verbum Christi est de una Ecclesia ex Iudaeis et gentibus oritura non autem de unione christianorum dissidentium cum Ecclesia Romano-catholica] (Patres Concil. linguae germ. et Confer. Episc. Scandin.).

183 – l. 27 ss.: Tota haec exhortatio parum felix est. Cum enim praecise cultus Beatae Mariae Virginis et primatus Summi Pontificis nos a fratribus christianis non catholicis separet, non est opportunum eis praecise haec puncta ut medium et viam ad unitatem proponere (Card. BEA).

184 – *ibid.*: Haec omnia aliter redigantur (LEFEVRE).

185 – l. 27-36: Dicatur: « Quamobrem universos hortatur fideles, ut hanc ad unitatis Fautricem, atque Christianorum Adiutricem, supplicationes instanter effundant; cuius potenti intercessione permotus, cunctas gentium familias, illos praeprimis qui christiano gloriantur nomine, divinus eius Filius in unum Dei populum congreget, qui Christi in terris Vicarium, beati Petri Successorem, — quem in Ephesina Synodo, ubi divinae maternitatis dogma sollemniter sancitum fuit, unanimi plausu Patres " fidei custodem " merito consalutarunt — tamquam communem Patrem amanter agnoscant » (GROTTI).

[1] Llopis Ivorra.

186 – l. 28: Dicatur: « ad hanc Fautricem unitatis omnium atque adiutricem Christianorum » (HOA HIEN).[1]

187 – l. 30: Iterum miscentur « familiae gentium » id est non christianorum cum christianis (Card. BEA).

188 – l. 30-31: Dicatur: « Maria Sanctissima Fautrix unionis humanae, praeprimis christianae » (SATOWAKI).

189 – l. 32-36: Omittatur totum inde a verbis: « qui Christi Vicarium... » (KRAMER).

190 – l. 35: Omittatur verbum: « merito » [simplex factum enuntietur, de facto autem ne iudicetur] (PRZYKLENK).

3 – RELATIO

EM.MI AC REV.MI DOMINI CARD. RUFINI J. SANTOS

1. *Venerabiles Patres*. Liceat ab initio orationis palam agnoscere quaestionem nulli nostrum esse de munere Beatae Virginis in Ecclesia, de Ipsius specialissimo et in Ecclesiae ortu et in eius alenda vita interventu, de honore quo Beatissimam Christi Redemptoris Matrem omnes Ipsius et Ecclesiae filii prosequi debeamus. Pacifica sunt haec apud omnes; nec ipse cedam alicui in Beatae Mariae Virginis dignitate et laudibus extollendis.

Quaestio est tantum de loco et modo quo aptius tractari debeat doctrina de ipsa Beata Virgine, Dei et Ecclesiae Matre, quam Concilium agnoscit Filiam Patris, Matrem Filii, Sponsam Spiritus Sancti, salutem Populi Dei, Apostolorum Reginam et Magistram, exemplar perfectionis et christianorum auxilium ad sanctitatem vocatorum.

2. Tanta praecise motus dignitate, singularique in Ecclesia munere Beatae Mariae Virginis, censeo Concilium de Ipsa in proprio schemate (cum illo de Ecclesia tamen intime connexo) agere debere, ut singularis Ipsius praeeminentia et dignitas clarius patescant.

3. Prout enim nunc schema De Ecclesia contextum est, vix fieri potest ut congruenter doctrina circa Beatissimam Virginem ei inseratur quin vel Ipsius dignitas et munus insufficienter ostendantur, vel occasio praebeatur minus doctis de Ipsa sentiendi ultra id quod recta fides docet.

---

[1] Nguyen-van Hien.

Etenim schema De Ecclesia, uti novissime proponitur, quinque texitur capitibus, scilicet: De Mysterio Ecclesiae, De Populo Dei, De Constitutione Hierarchica, De Laicis, De vocatione Omnium ad Sanctitatem.

4. Iam vero, Beata Maria Virgo et Ipsa pertinet ad Populum Dei, et Ipsa est membrum Ecclesiae, supereminens quidem et prorsus singulare, sed adhuc membrum, quod ante omnes praeventiva redemptione mysterii Ecclesiae fructus plene accepit.

At simul (ut praetermittam singularem redemptionis modum Mariam Virginem discernere ab aliis Ecclesiae membris), Illa instrumentum fuit liberum, et causa ideo, Corporis Mystici, quod est Ecclesia, ac proinde Mater Populi Dei. Ipsa enim ante omnia saecula a peccati labe immunis praeservata est ex praevisis Christi meritis, ut Eius digna Mater fieret; Ipsa, multifarie in Veteri Testamento significata, Mater Christi nostri Capitis mysterio consentiens efficitur, Eique adhuc abscondito adsistit, et progredientem in publicum Populo Dei introducit dum exhortat ad Iesum ire ut primum in Cana signum faciat coram discipulis; Ei morienti compatiens adstat pro nobis cum Ipso redemptionem merens; et denique cum Apostolis sedet promissum Spiritum Sanctum ad perfectionem Ecclesiae advenientem implorans.

Non apte haec Virginis munera possent in tractatu De Populo Dei proponi; non apte proponerentur, ea amplitudine qua convenit ut exponantur, statim post brevem de consilio Sanctissimae Trinitatis sermonem circa Mysterium Ecclesiae. Nec id opportunum esset, nam, etsi dignissimum, nullo pacto Trinitatis operi comparandum opus Mariae est.

5. Distinguuntur quidem in Ecclesia ii qui ad Populum Dei pertinent, sed alia prorsus ratione distinguuntur ab illa qua Beata Maria Virgo a ceteris discernitur.

Quae est in schemate distinctio ex causa potestatis derivatur, qua quibusdam munus committitur aliis ministrandi ut magisterio, sacramentorum dispensatione, regimine alios in sanctitatem perducant; alii vero a ministris sanctificationis media postulantes et recipientes et ipsi ad salutem perveniant et ceterorum saluti cooperentur.

Beatae autem Mariae Virgini non hoc ministrandi munus commissum est, sed aliud prorsus diversi generis, dignitatis diversae. Quae distinctio non posset tradi in eodem ordine quo proponitur illa schematis inter hierarchiam et laicos.

6. Ipsa etiam Beata Virgo ad sanctificationem vocata est, singulari quidem vocatione, immo et a primo suae exsistentiae momento plenitudine sanctitatis ditata.

Sed est Ipsa simul omnium sanctificandorum exemplar, omniumque sanctificationis auctrix cum gratiam redemptionis iuxta crucem cunctis merens una cum Filio, tum sanctificandis gratiarum applicationem causans.

7. Igitur Beatissima Virgo invenitur in Ecclesia in uno corpore cum omnibus electis colligata, ut sit primum ac praecipuum Ecclesiae membrum, sed et quodammodo est supra Ecclesiam.

S. Bernardus asserebat quod Maria *stat inter Christum et Ecclesiam.* Ipsa, licet membrum Ecclesiae, longe ab aliis membris differt: membra siquidem Corpori Mystico incorporantur participatione redemptionis passiva; at redemptio passiva Beatae Virginis, quae fuit *praeservativa,* plus quam gradu differt a ceterorum redemptione *liberativa.* Mater Capitis cum sit, Maria ad Corpus Mysticum ordinatur non ut membrum aliud quodlibet, sed cooperans ad ipsius Corporis exsistentiam. Functio soteriologica Mariae, quae ex gratia Redemptoris associata Ei fuit in ipsa redemptione obiectiva, essentialiter differt a functione aliorum membrorum.

Haud facile esset in praesenti schemate De Ecclesia locum aptum invenire ubi Beatae Mariae munus in Ecclesia traderetur ea extensione quae necessaria est ut doctrina quam Ecclesia tenet de Beata Maria Virgine proponatur.

8. Etenim oportet ut *tota* exponatur a Concilio de Beata Maria Virgine doctrina, quam Ecclesia sive sollemni definitione, sive constanti supremo Magisterio, sive tandem communi fidelium consensu approbantibus Ecclesiae Pastoribus, profitetur. Id bonum ipsorum fidelium postulat; id ipsis fratribus separatis debetur ut illis sincera caritate quae Ecclesia Catholica credit et tenet exponantur.

9. Neque argumentum ex maxima relatione B. Mariae Virginis cum Ecclesia ratio sufficiens est ut schema de Beata Virgine in schemate de Ecclesia inseratur. Certe maxima haec relatio est, sed non ideo congruum apparet ut tractatio mariologica, etsi incompleta et velut synthetica, in schema De Ecclesia reducatur. Nam imprimis schema De Ecclesia principaliter de Ecclesia in terris peregrinante agit, de eius natura, missione, membris, constitutione hierarchica, de relatione Ecclesiae ad fratres separatos. Et congruentia non apparet qua doctrinam mariologicam logico quodam ordine Concilium possit cum istis capitibus ordinare.

Sed praeterea non recte reducitur mariologia ad ecclesiologiam, nam partes magni momenti habet etiam cum Christologia et cum Soteriologia. Cum Soteriologia quidem propter cooperationem, etsi subordinatam, Mariae ad redemptionem. Cum Christologia vero, quia si Maria

agnoscitur in vera sua luce, magis illuminatur mysterium Incarnationis, quo Christus agnoscitur ut Filius Dei et frater hominum. Affirmatio huius doctrinae non parum confert ad tutandam doctrinam catholicam de Christo, quam negaverunt antiquitus Nestoriani et Monophysitae, quorum errores nostro tempore non omnino disparuerunt.

Dignitas deinde Matris Dei et eius partes in divino consilio salutis bene meretur distinctam tractationem, et non simplicem eius insertionem in satis iam amplum schema De Ecclesia, vel in fine illius appositionem brevi digestam summario, quasi de re secundarii valoris ageretur in modum appendicis adicienda.

Nec praetereundum est quod reductio schematis distincti De Beata Maria Virgine, iam annuntiati post approbationem Commissionis de laboribus coordinandis Concilii, ad simplex caput in schemate De Ecclesia esset causa admirationis et posset intelligi ut res minus honorifica erga B. V. Mariam, simulque attentionem publicae opinionis verteret in controversias quae inter catholicos habentur; quod prudens non videtur.

Hac tandem ratione videtur melius haberi constitutionem de B. V. Maria distinctam a constitutione De Ecclesia, ne videatur Concilium dirimere velle controversiam inter catholicos circa mariologiam quae dicitur « Christotypica » et eam quae « Ecclesiotypica » vocatur.

10. Quae omnia si bene perpendantur, suadendum omnino videtur ut de Beata Maria Virgine schema, et quidem ea amplitudine qua praeparatum est, separatim consideretur a Patribus, statim tamen post schema De Ecclesia, cum quo arcte connectitur.

Ut autem haec connexio clare appareat, opportune introductio schematis De Beata Maria Virgine poterit novo modo confici.

11. Adest et alterius indolis ratio practica, haud parvi habenda, ne schema de Beata Virgine et illud de Ecclesia in unum refundantur. Ultra duas expendimus hebdomadas primam partem schematis de Ecclesia perpendentes, cuius iam satis plura clarificantur ut liceat spem concipere illud a nobis absque nimia mora posse probari. Habet proprias Schema De Beata Maria Virgine difficultates, et absque dubio plura in illud obicientur sive ordinis doctrinalis sive indolis pastoralis. Si autem utrumque schema in unum coalescere deberet, certo certius id exigeret novam totius materiae ordinationem, exigeret de omnibus novam discussionem, et causa timendi esset ne iactura fiat pretiosi temporis, cum tot adhuc debeamus capita doctrinae considerare.

Haec Patribus pro consideratione et decisione quaestionis propono.

Unum ab Em.mis Patribus laborum Concilii Moderatoribus humiliter rogo: ut non statim suffragia ad quaestionem dirimendam proferan-

tur, sed Patribus congruum concedatur tempus illam prudenti consideratione perpendendi, et, si fieri possit, exemplaria argumentorum pro utraque sententia illis distribuantur quo facilius maturo iudicio illam dirimere possint.

4 – RELATIO

EM.MI AC REV.MI DOMINI CARD. FRANCISCI KÖNIG

Non contradico iis quae in hac materia ab alio eminentissimo Patre exponuntur. Non contradico nec quoad doctrinam nec quoad pietatem inde profluentem, immo his omnibus perlibenter et ex corde consentio. Insuper a nemine ignoratur motum Marianum et Mariologicum a saeculo elapso usque ad nostra tempora — non obstantibus deviationibus quibusdam — uberrimos fructus supernaturales produxisse et tamquam impulsum Spiritus Ecclesiae esse agnoscendum. Ulterius neminem fugit, quod petitiones sexcentorum Patrum, qui expositionem doctrinae marialis in concilio postulant, commendantur rationibus theologicis et pastoralibus.

Per se et in genere tali desiderio et extra et intra schema de Ecclesia satisfieri potest.

Attamen in commissione theologica conciliari, die nona huius mensis habita, maior pars illorum Patrum votum expressit, ut doctrina de Beata Maria Virgine exponeretur intra schema de Ecclesia, aliis verbis ut talis doctrina integretur in schemate de Ecclesia.

Nunc autem onus mihi incumbit, ut intentionem et mentem explicem istorum Patrum qui in commissione theologica maioritatem votorum obtinuerunt et dicam, cur doctrina de Beata M. V. melius intra schema de Ecclesia exponenda sit et non extra. Pro hac sententia militant enim rationes theologicae, historicae, pastorales nec non oecumenicae quibus efficitur, ut melius satisfiat et momento et dignitati mariologiae conciliaris.

1) *Rationes theologicae*:

a) Ecclesia, uti omnibus notum est, est thema centrale huius sessionis et concilii. Ideo decet, ut non desit Beata Maria ab isto themate centrali ostendendo nexum intimum, qui intercedit inter doctrinam de Ecclesia et de Beata. Hoc ulterius innuitur ab illo Patre eminentissimo, qui in prima sessione propugnabat quidem schema separatum, sed illud exoptabat veluti « complementum, sive coronam » schematis ecclesiologici, quo implicite affirmatur talem doctrinam aptum locum in schemate ecclesiologico invenire. Et si quis dicit, Mariologiam conciliarem im-

mediate sequi debere doctrinam de Ecclesia, implicite idem affirmat. Ad hoc accedit, quod theologis catholicis obicitur, eos nimis separare doctrinam de Matre Dei a caeteris partibus theologiae dogmaticae, immo etiam notiones theologicas (i. e. terminologiam) non eodem modo adhiberi pro utraque materia, ac si esset caesura inter mariologiam et reliquam theologiam et hoc modo via paratur exaggerationibus theologice non fundatis et falsis. Tales obiectiones et difficultates facilius et melius solvuntur, si doctrina de Beata in schemate de Ecclesia inseritur.

b) Schema separatum ita intelligeretur, ac si nova dogmata mariana a concilio intenderentur, quod, uti iam saepius affirmatum est, non est mens Concilii.

c) Si dicitur in tractatu de Ecclesia *peregrinante* Mariologiam locum congruentem non posse habere, sic respondeo: Ecclesiae finis et destinatio eschatologica etiam exponi debet atque vice versa vita et functio soteriologica *terrestris* Virginis silentio praeteriri nequit. Hinc ex utraque parte utraque doctrina necessario sese postulant et in unum convergunt, in quo *tota* doctrina eschatologica et *tota* doctrina mariologica sibi correspondent. Si Ecclesia esset tantum *institutum* salutis, tunc Beata Virgo extranea esset. Sed quia Ecclesia est etiam populus Dei et communitas sanctorum, Beata Virgo ut membrum eminens populi Dei intra schema ponendum est. Talis redintegratio prodest etiam mariologiae, quia genuinam significationem et proportionem ostendit, id est relate ad Christum mediatorem unicum et Ecclesiam valor doctrinae de Beata Virgine melius et clarius percipitur.

d) Locus et munus Beatae Mariae Virginis in oeconomia salutis fundatur in hoc, quod Ipsa relate ad unicum mediatorem Iesum Christum est mere fide concipiens — i. e. Mater Dei corde et corpore concipiens — in quo est typus ipsius Ecclesiae, quae ut fructus redemptionis est etiam medium salutis, in qua mediatione Ecclesiae totus populus christianus locum suum, pro singulis membris congruentem obtinet. Ideo ut fructus redemptionis Maria, membrum eminens Ecclesiae et typice est etiam medium salutis, dans caeteris, quod ipsa totaliter a Christo accepit. Aliis verbis doctrina de Ecclesia et doctrina de Matre Dei in eodem schemate melius exponuntur.

e) Nemini interest nec interesse potest obscurare vel dissimulare nostram de Beata Maria Virgine doctrinam. Attamen etiam necessitudines nostrorum temporum et scopus concilii respicienda sunt. Et ne dicas tale schema vel caput redintegratum exhibere posse tantum Mariologiam ad modum alicuius sic dictae Mariologiae ecclesiotypicae, in qua scilicet Beata Virgo non exhibetur nisi ut membrum inter caetera membra Ecclesiae passive recipiens beneficia redemptoris. Cum Ecclesia non

sit merus fructus redemptionis, sed instrumentum redemptionis in manu Christi ad salutem active cooperans, Beata Maria Virgo potest in tali capite vel schemate integrato optime proponi tamquam sublimissima Christi ex eius gratia cooperatrix in opere salutis et perficiendo et propagando. Evidens est tale caput maxime efferre dignitatem Matris Dei.

2) *Rationes historicae*:

a) Ipsa devotio mariana, prouti in litaniis Beatae Mariae Virginis exprimitur, historice exoriebatur ex consideratione Ecclesiae ut matris. Omnia attributa istius litaniae, priusquam de Beata Virgine praedicabantur, de Ecclesia dicebantur. Privilegia Beatae Mariae explicabantur e visione quadam ecclesiologica. Caput 12 Apocalypseos, agens de Virgine Ecclesia, paulatim, Ecclesia mediante etiam de Beata Maria Virgine intelligebatur. Nonnisi per Ecclesiae huiusmodi proprietates in historia Ecclesiae ipsa privilegia mariana conspicua facta sunt. Ex quo sequitur, haec privilegia mariana, licet sint personalia, simul continere sensum ecclesiologicum, id est *in* Ecclesia et *pro* Ecclesia. Tali modo Maria est typus Ecclesiae. Aliis verbis ille nexus etiam in eodem schemate melius exprimitur.

b) Paulus VI in suo sermone diei 11 mensis octobris nexum inter Ecclesiam et Matrem Dei innuebat dicendo: « Fa, o Maria, che questa sua e tua Chiesa, nel definire se stessa, riconosca te per *sua madre e figlia e sorella elettissima,* ed *incomparabile suo modello,* sua gloria, sua gioia e sua speranza ».

c) Conventus marialis internationalis in urbe Lourdes anno 1958 habitus uti thema conventus habuit: « Maria et Ecclesia ». Hoc sine dubio ostendit talem nexum Ecclesiam inter et Beatam Mariam Virginem respondere hodierno impulsui — ut ita dicam — devotionis fidelium.

3) *Ratio pastoralis* in eo est, ut doceatur populus catholicus de recta fide in incarnationis mysterium atque munus Beatae Virginis in eo. Ideo apte dirigenda est vita devotionalis populi, ne negligendo essentialia, ad secundaria et accidentalia tantum abducantur. Exinde — uti etiam Cardinalis Silva loquens nomine 44 episcoporum dixit — accidit, ut cultus et pietas erga Dei Matrem non raro — in quibusdam regionibus — nimis separentur in sua expressione a mysterio Christi eiusque Ecclesiae.

Ideo doctrina mariologica non appareat ut corpus separatum sed cum Ecclesia unita et utraque doctrina fiet ditior.

4) Tandem *ratio oecumenica,* in quantum Orientales in huiusmodi tractatione venerabilem Theotokon facilius recognoscere possunt, et christiani non catholici fundamentum cultus Beatae Mariae in testimonio S. Scripturae et antiquae traditionis minus difficulter agnoscere valeant.

Insuper thema « Maria - Populus Israël - Ecclesia » nostris temporibus non tantum a theologis catholicis sed etiam a non-catholicis diligenter excolitur, praesertim sub luce Sacrae Scripturae. Et non pauci protestantes hodie asserunt apud Lucam (1, 12), apud Ioannem (19, 25) et in Apocalypsi (12) Mariam uti figuram Ecclesiae adumbrari.

Ergo ob rationes theologicas, historicas, pastorales et oecumenicas valde suadetur ut doctrina marialis in congruente capite schematis de Ecclesia locum suum habeat.

5 – QUAESITUM

PLACET PATRIBUS UT SCHEMA DE BEATA MARIA VIRGINE, MATRE ECCLESIAE ITA APTETUR UT FIAT CAPUT VI SCHEMATIS DE ECCLESIA?

N. B.: *Qui dicet « Placet » vult Schema de Beata Maria Virgine, matre Ecclesiae fieri ultimum caput Schematis de Ecclesia.*

Qui dicet « Non Placet » vult Schema de Beata Maria Virgine, matre Ecclesiae tractari ut Schema per se stans.

* * *

Moderator: Loquatur nunc exc.mus secretarius generalis, qui communicabit exitum votationum hodiernarum.

Secretarius generalis:

Emendatio I:

Praesentes votantes	2.232
Dixerunt *placet*	2.217
non placet	15

Emendatio II:

Praesentes votantes	2.158
Dixerunt *placet*	2.148
non placet	9
Suffragia nulla	1

Emendatio III:

Praesentes votantes	2.085
Dixerunt *placet*	2.071
non placet	11
Vota nulla	3

Emendatio IV:

Praesentes votantes		2.060
Dixerunt *placet*		2.049
	non placet	10
	placet iuxta modum (votum nullum)	1

Emendatio V et ultima:

Praesentes votantes		2.151
Dixerunt *placet*		2.146
	non placet	4
	placet iuxta modum, ergo votum nullum	1

Ergo omnes emendationes iam suffragiis subiectae placuerunt.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LVI

25 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LVI

25 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur hanc 56 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Audiant Patres venerabiles! Feria II proxima, die 28 octobris, cum recurrat anniversarius dies electionis Summi Pontificis Ioannis XXIII, sanctae memoriae, eius commemoratio solemniter fiet in hac patriarchali Basilica. Missam celebrabit in hoc altari, circumdatus ab omnibus Patribus conciliaribus, Summus Pontifex, gloriose regnans [*plausus*]. Deinde fiet solemnis commemoratio, ut iam nuntiatum est, ab em.mo ac rev.mo D. card. Leone Ioseph Suenens. Post commemorationem, omnes Patres discedent ex aula conciliari; commemoratio solemnis locum tenebit congregationis generalis.

Hodie fient suffragationes quinque circa emendationes cap. V *de sacra Liturgia*. Suffragatio super integrum caput fiet feria III proximae hebdomadae.

Distribuetur Patribus fasciculus qui continet relationes circa schema constitutionis dogmaticae *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* factas heri ab em.mis ac rev.mis DD. cardd. Santos et König. In fine harum relationum, Patres invenient quaesitum cui respondendum est die quem statuent et communicabunt moderatores. Lego quaesitum: « Placet Patribus ut schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* ita aptetur ut fiat cap. VI schematis *de Ecclesia?* ».

Et est aliqua nota: « Qui dicet *placet,* vult schema de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae, fieri ultimum caput schematis de Ecclesia.

« Qui dicet *non placet* vult schema de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae, tractari ut schema per se stans ».

Ceterum, hoc quaesitum Patres ipsi videbunt in fasciculo et meditari poterunt per aliquot dies.

Moderatores mandant dici, suffragationem requisitam esse maioritatis absolutae, nempe quinquaginta unius supra centum, ad normam art. 36 *Ordinis Concilii celebrandi.*

In hac congregatione distribuetur etiam fasciculus continens emen-

dationes cap. VII, scil. *de musica sacra,* schematis *de sacra Liturgia.* Nemo miretur ex vobis, Patres venerabiles, quod post cap. V distribuatur cap. VII, nam cap. VI et VIII, quae continent argumenta, non eadem utique, sed valde inter se congruentia, distribuetur postea in uno fasciculo qui erit ultimus.

Et nunc lego nomina eorum qui verbo uti petierunt adhuc supra cap. III schematis *de Ecclesia,* iuxta *Ordinem Concilii celebrandi,* prouti heri a moderatoribus nuntiatum fuit. Sunt igitur: exc.mi DD. Petrus Boillon, ep. Virodunensis in Gallia, Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia, Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis in Cecoslovachia, Hieronymus Podestà, ep. Avellanediensis in Argentina, Michaël Darmancier, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna in Oceania, Raphaël Calabría, arch. Beneventanus in Italia, Fortunatus Coutinho, ep. coad. Belgaumensis in India, Ioseph Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis in India.

Haec vero sunt nomina Patrum, qui uti verbo petierunt circa cap. IV schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia, Radulfus Silva, arch. S. Iacobi in Chile; exc.mi DD. Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis in Indonesia, Marcellus Gonzalez, ep. Asturicensis in Hispania, Aloisius Morstabilini, ep. Verulanus-Frusinatensis in Italia, Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio, Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia, Stephanus Bäuerlein, ep. Bosnensis in Iugoslavia, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia, Ioseph Angrisani, ep. Casalensis in Italia, Renatus Fourrey, ep. Bellicensis in Gallia, Georgius Beck, ep. Salfordensis in Anglia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Ioannes Russell, ep. Richmondiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

1

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus Virodunensis

Venerabiles Patres,

Illa nobis anxietas est de populo Dei, quod in multis nationibus quae iam a multis saeculis Evangelium receperant, ingens pauperum multitudo Ecclesiam tamquam extraneam, aliquando etiam adversam inspiciunt.

Quod quidem scandalum! Etenim solemniter nos docuit Dominus noster pauperes secum intimo nexu uniri, immo seipsum esse. « Esurivi

enim et dedistis *mihi* manducare. Sitivi et dedistis *mihi* bibere, etc. Amen dico vobis, quamdiu uni ex fratribus meis fecistis, *mihi* fecistis » ...[1]

De qua re Ss.mus Papa feliciter regnans Paulus, in conciliari oratione nos monuit dicens: « Ecclesia contuetur pauperes, egenos, maerentes, eos qui fame et dolore premuntur, qui in vincula sunt coniecti; eam humani generis partem peculiari modo adspicit quae dolet et luget, cum sciat hos homines ad se " iure divino " pertinere ».

Iure divino! Ergo si in multis nationibus « ea humani generis pars quae dolet et luget » ab Ecclesia abest, si Ecclesiam tanquam a se extraneam inspicit, iure divino tenetur Ecclesia ad mores ac conditiones recognoscendas quae pauperibus et egenis obstacula praebent, et *earum mutationes ad*[2] fortiter decernendas. Populus Dei enim potestne dici Ecclesia ubi absunt illi quos magis diligit Christus Iesus et quos primum locum in populo Dei tenere voluit?

Cur tandem, dum marxismus cor pauperum acquisivit eminentem eorum proclamans dignitatem, cur Ecclesia veram et authenticam et supereminentem proclamans dignitatem, ab eis non auditur. Quae sint in ea obstacula quibus pauperes arceantur permultis episcopis primatum in Concilio locum mereri videtur, ut ad mentem Ioannis XXIII « aggiornamento » operetur reale et efficax. Caveamus, Fratres carissimi, ne Ecclesiae episcopi a pauperibus videantur « purpura et bysso induti et epulantes cotidie splendide ». Caveamus ne « inter nos et pauperes chaos magnum firmandum sit » ...[3]

Quod ut avertatur, haec propono:

1. Ut in capite de populo Dei expresse declaretur pauperes et egenos iure divino ad populum Dei pertinere et primam partem habere, scil. paupertatem titulum esse *in populo Dei*.[4]

2. Ut Ecclesia non tantum ad pauperes et egenos adloquatur sed pauper ipsa sit sicut et Christus; non tantum ut sit, sed ut paupertatis faciem et mores induat; — non tantum ut faciem induat, sed cum pauperibus et inter pauperes reverenter versetur, quia qui a pauperibus disiunctus est, a Christo disiungitur. De quibus Concilium tacere non potest.

Quod si hac via Concilium Ecclesiam ducit, ad unitatem sane efficacius procedemus, quia in pauperibus, id est in Christo, omnis populus Dei congregabitur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 25, 35-40). [2] ad earum mutationes. [3] (*Lc.* 16, 26). [4] ad populum Dei.

Moderator: Legatur emendatio *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio sexta. Pag. 191, linn. 27-29 ... [*cf. pag. 266*].

Conferatis, venerabiles Patres, pag. huius fasciculi 18, n. 109, *b*.

2

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plus quam 60 episcoporum Americae Latinae.[1]

Quia res maximi momenti tractatur *et forte de progressu doctrinae et de renovatione mentalitatis,*[2] vestram attentionem *adhuc*[3] revoco ad ea quae in n. 25, in pag. 10, a lin. 7 ad lin. 22 continentur: « Fideles, memores verborum Domini (*ita legitur*[4]): " Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo " ...[5], ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera vero infaustae separationi earumdem vel immo oppositioni civitatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit... etc. ».

Totum hoc comma delendum esse videtur. Duas tantum adduco rationes:

Prima ratio: Tangitur in hoc commate thema quod in praesenti schemate tangi non debet; thema nempe de sic dictis relationibus inter Ecclesiam et communitatem civilem eiusque regimen politicum atque legale. Immo vero hoc thema nimiam exhibet complexitatem, quam ut paucis verbis absolvatur. Si autem in sua debita amplitudine non tractatur hoc thema, nullatenus est tangendum, ne ex inadaequata eius expositione falsae interpretationes suspicionesque nocivae exoriantur.

Pluribus enim in regionibus, sicut in hoc commate insinuatur, tam antiquitus quam novissime ad vitam nationalem evectis, populus Dei eiusque pastores persecutionibus, vel legibus infensis *vel discriminationibus*[6] vel saltem diffidentiae vel incertitudinibus obnoxii sunt; vel e contra in aliis regionibus nimis arctis relationibus cum rebus civilibus commiscentur; neque sperare nobis licet fore ut illae Ecclesiae, vel ad plenum libertatis usum sint perventurae, vel e contra aequilibrium sint consecuturae, nisi prius ex consideratione doctrinae certae, *nostris tem-*

poribus adaptatae,[7] recte expositae, praeiudicia evanescant suspicionesque dissolvantur, quae contra intentiones et aspirationes Ecclesiae in ordine civili admoventur, et proh dolor quibusdam exemplis aluntur.

Momentum pastorale huius quaestionis atque oecumenicum tam magnum est et tam in aperto positum ut, hac quaestione omissa, Concilium Vaticanum II deficeret a proposito sibi fine, qui est collocutio seu « dialogus » cum hominibus nostrae aetatis, tam catholicis quam acatholicis; nam prima quaestio quam homines nostrae aetatis ponunt, sive in Ecclesia sive extra Ecclesiam sint, haec est: quomodo componenda sit illa auctoritas, quam sibi divinitus vindicat Ecclesia, cum libertate illa in ordine politico, civili, intellectuali, quam nostris temporibus humanitus sibi vindicat persona humana suae dignitatis hodie fere ubique conscia. Intentis auribus responsum huic quaestioni totus orbis terrarum exspectat.

Quodsi responsum firmum atque clarum a Concilio honeste non datur, nulla erit collocutio, seu « dialogus » Ecclesiam inter et aetatem hodiernam. Quaenam sit exspectatio plausibus demonstratur quibus encyclica *Pacem in terris* recipiebatur; sed orbis terrarum quaerit quaenam sit sententia episcopatus per orbem dispersi et in hoc Concilio mirabiliter adunati.

Altera ratio: in hoc commate plura dicuntur quae non placent; unum seligo. In textu « separatio » inter rem ecclesiasticam et civilem qualificatur simpliciter ut « infausta ». Haec qualificatio universalis fundatur in consideratione quae videtur falsa, conceptum nempe separationis esse conceptum univocum et non conceptum analogum.

Plures sunt enim modi rationesque, quibus separatio, seu multo melius relatio et concordia diversorum, inter rem ecclesiasticam et civilem potest concipi et in actum reduci, *ut libertas humana, libertas religiosa,*[8] in iure humano publico seu constitutionali *clare appareat.*[9] Huiusmodi autem modos et rationes esse « infaustos » sive pro Ecclesia sive pro republica, nefas est dicere.

...[10] De facto dantur in quibusdam civitatibus hodiernis *et* [11] non possunt considerari tamquam infausti, nec tamquam quoddam minus malum, tamquam mera quaedam « hypothesis », uti quidam aiunt, quae nonnisi toleranda esset, non quidem approbanda positive, si iudicium de eis fertur secundum supremam in hac re normam iuridicam, bonum commune pro Ecclesia particulari et particulari communitate nationali, et simul pro communitate internationali nationum.

Concilii est iudicare utrum hi modi rationesque, aliive qui excogitari possunt Evangelio Christi, normae primae scil. et ultimae, sint consoni necne; sed suo tempore debitaque amplitudine.

Reverenter repeto propositionem meam, quae est duplex:

1. De praesenti schemate expungatur omnino comma illud quod indicavi.

2. Ne substituatur in eius loco alius textus ne locus detur disceptationibus quae nunc non essent ad rem et valde nocuissent ad extra. Sed interim anxio animo expectamus textum decreti *de libertate religiosa* quem confecit secretariatus pro unitate christiana. Hoc enim textu prae manibus habito, incipi poterit inter nos disceptatio fraterna, fructuosa et pacifica necnon urgentissimae necessitatis *circa libertatem religiosam.*[12]

Supervacaneum est dicere me gaudio audivisse arch. Hurley de hac re disserentem et plene adhaerere iis quae dicta sunt nomine episcoporum Statuum Foederatorum ab arch. Shehan.

Quoad christianos consecratores mundi plura bene dicta audivimus, sed ep. McGrath nomine etiam nostro locutus est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (*Mt.* 22, 21). [6] (e. g. in Mexico). [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] Immo vero possunt dari et. [11] modi constitutionales separandi, seu multo melius distinguendi et concordandi rem civilem et rem ecclesiasticam qui. [12] deest.

3

EXC.MUS P. D. ANTONIUS BARANIAK

Archiepiscopus Posnaniensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres conciliares,

Veniam peto loquendi adhuc circa cap. III schematis de Ecclesia; brevitatis causa omitto omnia quae quocumque modo iam tractata fuerunt.[1]

Loquor nomine omnium episcoporum Poloniae.[2] Cap. III schematis nostri *de Ecclesia* plurima continet postulata Ecclesiae hierarchicae circa fideles laicos. Dum eos in sacerdotio *universali* et regali collocatos esse affirmat, et exinde eorum dignitatem amplissimis fere *laudibus* exornat, pervenitur tandem ad art. 25-27 ubi enumerantur eorum *obligationes* ex hoc statu manantes...[3]

Profecto ...[4] *breviter* significatur hanc Universalem Sacrosanctam Synodum gratam esse omnibus christifidelibus ob ingentia bona ab iis patrata, ac denique *vix* commemorantur ea quae a fidelibus laicis in « difficilioribus adiunctis » positis, praestantur.

Praeterea, alio loco eiusdem nostri capitis ...[5] fit *brevis mentio* ali-

quos laicos « deficientibus sacris ministris, vel iisdem *in regimine persecutionis* impeditis, officia sacra pro facultate supplere ».

...[6] Tales exiguae mentiones de statu in quo versatur Ecclesia nostris temporibus haud sufficientes videntur. Proclamantur enim in cap. III schematis dogmatici de Ecclesia *obligationes* fidelium laicorum...[7]

Obligationibus tamen respondent congruentia *iura,* quae praeprimis affirmanda sunt, quae tamen, ut novimus aut saltem scire debemus, in magna parte mundi denegantur nostris laicis et a multarum civitatum moderatoribus violantur et conculcantur.

Mundus omnis, ad quem pervenit notitia saltem vaga de Evangelio Christi, divisus est in partes duas, quarum alteram incolunt homines — *etiam laici* [8] — libertate praediti quibus licet doctrinam et legem divinam accipere et aliis praedicare; alteram vero homines quibus pro crimine computatur, si Ecclesiam adeunt, si parvulos baptizandos curant, si infantes proprios ad instructionem catecheticam et Communionem solemnem mittere audent, si sacramenta publice suscipiunt. Peiora ipsis obveniunt si de Ecclesia sua loqui velint et institutiones Ecclesiae defendere praesumant...[9]

Num schema nostrum, quod proponitur, si ad tales fideles laicos citius vel tardius pervenerit, ab ipsis acceptetur tamquam ipsorum vitae conditionis rationem exprimens?

Laudantur quidem omnes laici, qui cum Ecclesia palam cooperari possunt, et alii, qui fuerunt fortasse « otiosi », invitantur ut mandatum Christi adimpleant, quo ipsos in vineam suam ad laborem apostolicum vocat. De his autem qui omnibus privantur et ferreis vinculis concluduntur, *fere* [10] altum silentium viget, licet ipsi in thesaurum Ecclesiae gemmas pretiosissimas in persecutione acquisitas offerant. Hi quidem operam conferre cupiunt ad amplificandum regnum Christi opere suo apostolico, hoc tamen exercere vetantur, ita ut solum dolores et acerbitates patienter tolerare valeant.

Conclusio.[11] Opinor igitur in hoc schemate quaedam addenda ad munus suum recte adimplendum, nempe enuntiandum esse, verbis suavissimis et miserationis plenis, eorum martyrium, ut ita dicam, et agoniam multos iam per annos protractam, eo quod libertate religiosa sint destituti, *esse revera eximium apostolatum,* dummodo fideliter in religione persistant et membra germana Ecclesiae in populo Dei esse pergant. Apostolatum etiam exercent, si persecutoribus ignoscunt, ut Christus cruci affixus exclamavit: « Pater, dimitte illis », et S. Stephanus diaconus pro persecutoribus oravit.

Erigatur igitur animus horum fratrum, seiunctorum quidem a ceteris non fidei doctrina et professione, sed gravissimis *obstaculis,*[12] quae ho-

mines, Deum et Redemptionem a Iesu Christo patratam, non agnoscentes, effecerunt.

Promittantur iis precationes et publicae supplicationes in toto orbe christiano faciendae, ut libertatem religiosam quam primum iterum assequi et apostolatum sicut et ceteri christifideles rite exercere valeant. Et hoc ad minimum!... ut peccatum saltem formulis solemnioribus damnetur, licet non peccatores.

Schema nostrum, quod anno Domini 1963 disceptationi subicitur, sequatur exemplum Summi Pontificis Pauli VI, qui pluries his etiam ultimis diebus in sermonibus suis de tristissima sorte persecutorum filiorum Ecclesiae moerenti animo doluit et libertatem professionis fidei christianae pro ipsis vindicabat. Fiat saltem brevis commemoratio horum fratrum in nostro schemate et quod si non defuerunt voces in hac aula ut etiam mulieres ad Concilium invitentur, velim ut hae invitationes reserventur praesertim pro feminis christianis earum regionum de quibus nec pastores ad Concilium venire poterant.[13]

Est quidem gaudii causa, cum sacri *pastores* e carceribus in libertatem restituuntur et quadam facultate munus suum exsequendi frui possunt; attamen gaudium istud tunc tantum erit plenum, cum etiam *oves* ad pascua libere et sine ullo impedimento duci potuerint, et populo Dei una cum sacra hierarchia opus apostolatus ad mundi salutem rite peragere licuerit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nomine episcoporum Poloniae sequentes animadversiones propono. [3] Totum caput hoc superabundat, et quidem merito, adhortationibus, admonitionibus, invitationibus ad exercendum apostolatum. Attamen, verum est, ut optime ab em.mo ac rev.mo card. Ruffini notatum fuit, textibus ex S. Scriptura depromptis vim quandam illatam esse iisque non satis fulciri *doctrinam* de sacerdotio laicorum. Desideratur definitio certa omnique re absoluta sacerdotii huius laicorum! Quod enim in capite de eodem dicitur, videtur potius esse *laudatio* quam definitio aut tractatio doctrinalis. Cum autem non omnes sacrorum administri libenter accipiant doctrinam hanc de sacerdotio laicorum — hic difficultas! — oportet Concilium eos admoneat, ut eam prompto animo admittant. [4] (in pag. 11, lin. 12). [5] (in schemate pag. 9, lin. 17). [6] Profecto. [7] quoad regnum Dei dilatandum, instaurandum et innovandum. [8] deest. [9] Associationes catholicae eis prohibitae sunt, ephemerides et libri religiosi pro ipsis vel non publicantur vel revisioni praeventivae subiacent ita ut postea ab auctoribus vix agnosci possint. [10] deest. [11] deest. [12] impedimentis. [13] deest.

4

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS TOMÁŠEK
Episcopus tit. Butiensis

Venerabiles Patres,

Loquar nomine episcoporum Rei Publicae Čecoslovacae in Concilio praesentium.

Art. 24, pag. 7, lin. 40, et pag. 8, lin. 1, sic mutetur: « In hac velut Ecclesia domestica, *parentes gravissime obligati sunt* primi fidei praecones esse... etc. ».

Hanc obligationem his verbis, quod nempe sit obligatio gravissima, iterum et iterum, revera, « multifariam multisque modis » inculcare debemus, nam:

1. Uti ex paedagogia sat notum est, educationem domesticam, praesertim in primo septennio vitae infantium, regulariter maximum influxum pro tota futura vita habere.

Per se patet, fundamenta etiam vitae christianae quam primum in educatione familiari ponenda esse.

In litteris encyclicis piae memoriae Pii XI de christiana iuventutis educatione *Divini illius Magistri* ...[1], legimus: « Res igitur maximi momenti est. Quapropter manifesto apparet, *christianam educationem causam esse sane gravissimam.* Merito igitur hac de re scripsit S. Ioannes Chrysostomus: quid maius quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores »...[2]

2. Educatio christiana in familia est practice unicum medium ad vitam religiosam puerorum fovendam in nonnullis regionibus prout notum est.

3. Hanc obligationem inculcat etiam, et quidem vehementer, can. 1113 C.I.C.: « Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi... ».

4. Permulti parentes non sunt bene conscii huius obligationis. Et ii, qui hanc gravissimam obligationem adimplere volunt, dicunt: « Ex intimo corde et libenter volumus hanc obligationem adimplere, sed nescimus, quomodo id facere debeamus ».

Pertinet igitur ad pastorem animarum, parentes ad hunc finem bene instruere et etiam adiumenta methodica in scriptis iis tradere.

5. Ad educationem christianam in familia adiuvandam et apud iuvenes magis promovendam, praecipue in scholis et associationibus, necesse

videtur inducere pro laicis peculiare « Institutum catecheticum », et quidem in tota Ecclesia. Dixi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] (de die 31 mensis decembris anni 1929). [2] (*Hom.* 60 in c. 18 *Matthaei*).

[*Adhaeserunt etiam*:] Lazik A., ep. tit. Appia; Necsey E., ep. tit. Velicia; Pobozny R., ep. tit. Neila.

Moderator: Legantur emendationes.

Secretarius generalis: Emendatio septima: ad art. 83: pag. 191, linn. 31-35, et pag. 192, linn. 1-2 (conferatis pag. 18, n. 110 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 266*].

5

EXC.MUS P. D. MICHAËL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

Venerabiles Patres, Fratres Auditores et Observatores,

In nomine sex episcoporum Oceaniae proposui secretario emendationem ad par. 24 cap. III pertinentem, cuius rationes, ne abutar patientia vestra, summatim tradam.

Tres lineae tantum in schemate de regali munere populi Dei tractant, quae insuper miscentur doctrinae de universali sacerdotio. Tanti momenti materiae decet fusior expositio, quae praecedere debet paragraphum de sacerdotio tractantem.

Quae de ea exponenda videntur, ut arbitror, ad duo reduci possunt:

1. Dominium mundi propriaeque sortis homini qua tali a Deo datum est, originalique lapsu debilitatum in Christo clarificato mirabilius restauratur et per Christum credentibus communicatur, partim in praesenti vita, integre autem in futuro saeculo.

Hoc quidem dominium dogmaticum fundamentum praebet temporali fidelium actuositati necnon consecrationi mundi a laicis efficiendae; unde reduci nequit ad asceticam libertatem. Terrestris enim Ecclesia caelestem non tantum nuntiare et praesignare debet, sed etiam praeparare, spiritu Christi impugnando in se et in mundo tyrannidem diaboli, peccati et mortis; ad quod tendunt prae ceteris variae formae apostolatus.

2. Maxime tamen caveant christifideles ne impugnando peccatum et errorem, laedant homines peccantes et errantes qui cum ipsis subeunt eorum tyrannidem. Nunquam oblivisci debent parabolarum misericordiae

dictarum, nec exemplorum Christi publicanos et peccatrices fraterne accipientis. Quos enim Christus liberavit, per eos vult et alios liberare libertatisque et regni Dei milites facere. De peccato et errore vera victoria non reportatur nisi in hominum mente et libero arbitrio advenerit hominibus vero et bono, scienter et libere adhaerentibus.

Hoc firmiter declarari debet ut solvatur periculosa ambiguitas quae notioni regalis muneris inest et ab omnibus agnoscatur necessitas tolerantiae. Intolerantia vero tum fidem offendit cuius libertatem negat, tum spem quae in gratia divina, non in coactione, confidit, tum caritatem cui repugnat quaevis fratrum oppressio.

Qui ergo se intolerantes exhibent Christum offendunt, a doctrina novissimorum Pontificum, maxime Ioannis XXIII in encyclica *Pacem in terris,* discedunt et christianum apostolatum impediunt. Sic enim Ecclesiam oculis praebent tamquam hominis iura negantem, quae iura universorum conscientia agnoscit et in universali « Declaratione Iurium Hominis » profitetur Foederatarum Nationum Consilium sic dictum O.N.U.

Haec declaratio a Concilio edicta magni momenti foret, praesertim sub oecumenico respectu. Gratias.

Textus scripto traditus:

Gaudens exordior substantiam paragraphi vigesimae quartae laudando, qua exponitur triplex munus regale, sacerdotale et propheticum membrorum Christi: haec enim Scripturis sanctis Patrumque sententiis omnino consonat.

Mihi tamen liceat dolere quod de regali munere tres et media tantum lineae tractant, cum sat ample exponatur munus sacerdotale et propheticum. Maioris enim momenti est illud, nec reduci potest, ut in hoc commate, ad asceticam libertatem eiusque influxum externum. Illi enim muneri eo magis attendendum est, verumque sensum agnoscendum, quo firmius dogmaticum fundamentum praebet temporali fidelium actuositati necnon « consecrationi mundi » a laicis efficiendae iuxta par. 23 et 25.

Quae de hac re dicenda sunt, ut arbitror, ad quinque sequentia capitula reduci possunt:

1. Deus creavit hominem « ad imaginem suam » eique praecepit terram replere et illi dominari.[1] Quam dominationem homo non tantum intellectu verboque exercet, sed etiam labore manuum artibusque decursu temporum multiplicatis et magnopere perfectis. Quibus secundum finem in terrestri paradiso assignatum[2] fructuosum reddit praedium divini Patrisfamilias, varias opes e materia educens ad commune humanae familiae bonum.

Vult insuper Creator « ut disponat (homo) orbem terrarum in aequitate et iustitia »,[3] i. e. utatur rebus et artibus ad maius omnium bonum, sequens morales

[1] Cf. *Gen.* 1, 27-28.
[2] *Gen.* 2, 15.
[3] *Sap.* 9, 3.

normas ab eodem Creatore positas. Quo innuitur hominem libero arbitrio sui prius dominum esse et magis magisque fieri debere sanis moribus, ut deinceps recte aliis creaturis dominetur.

2. Per inobedientiam peccati homo non quidem penitus amisit dominatum suum in seipso et in mundo, sed illum graviter ita debilitavit, ut in multis impediatur et disturbetur in cuiusvis boni consecutione, tandemque morti succumbat. Solus autem Christus Iesus illum in pristinam dignitatem et libertatem restaurare potest. In Christo enim clarificato, novo scilicet Adamo, adimpletur oraculum Psalmi octavi: « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum ».[4]

Quod autem in Christo resurgente factum est, in nobis etiam fiet, per Domini adventum in consummatione saeculi: tunc enim resurrectione victores mortis et peccati, Christoque plene consociati « regnabimus super terram », ut dicitur in Apocalypsi.[5]

3. Huius gloriae primitias in Christo fulgentes christifideles participant vi mortis et resurrectionis baptismalis, de qua notissima scripsit S. Paulus. In Christo enim viventes, eius Spiritu a servitute peccati radicaliter liberati sunt et in regalem dignitatem restaurati. Unde, ceteris paribus, aptiores fiunt ad regendum externum mundum ad maius bonum tum temporale tum aeternum; immo consociantur omnes, etiam laici, regimini Ecclesiae, praesertim in eius apostolatu.[6]

4. Populo christiano non satis est sperare Dei hominumque futurum in Christi regnum, nec illud communione divina et fraterna divinoque cultu praefigurare. Terrestris enim Ecclesia caelestem non tantum nuntiare et praesignare debet, sed etiam praeparare, Spiritu Christi impugnando in se et in mundo tyrannidem diaboli, peccati et mortis. Nam Christus, usque ad consummationem saeculi, per Corpus suum mysticum continuo conatur in Dei potestatem redigere creaturas, illas eripiens a servitute « Principis huius mundi ». Ad hoc tendunt variae formae apostolatus, etiam indirecti, « quoniam, ut scribit apostolus, non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed... adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus ».[7]

5. In illa igitur colluctatione, maxime semper caveant christifideles ne impugnando peccatum et errorem, laedant homines peccantes et errantes, qui cum ipsis subeunt eorum tyrannidem. Ab ista quidem tyrannide nemo in praesenti vita penitus immunis est, liberarique egent omnes et plurimi cupiunt. Numquam oblivisci debent parabolarum misericordiae dictarum,[8] nec exemplorum Christi publicanos et peccatrices fraterne accipientis. Quos enim Christus liberavit, per eos vult et alios liberare, libertatisque et Regni Dei milites facere. De peccato et errore vera victoria non reportatur nisi in hominum mente et libero arbitrio advenerit, hominibus vero et bono scienter et libere adhaerentibus.

Hoc firmiter declarari debet, ut solvatur periculosa ambiguitas, quae notioni regalis muneris inest, et ab omnibus agnoscatur necessitas « tolerantiae ». « Intolerantia » vero tum fidem offendit, cuius libertatem negat, tum spem, quae in

---

[4] Cf. *Heb.* 2, 6-8.
[5] *Apoc.* 5, 10.
[6] Cf. paragraphi 25-26 schematis.
[7] *Eph.* 6, 12.
[8] Cf. *Luc.* 15.

gratia divina, non in coactione confidit, tum caritatem, cui repugnat quaevis fratrum oppressio. Stemus oportet, cum fratribus omnibus in « qua libertate Christus nos liberavit ».[9]

Hanc declarationem, quae, a Concilio edicta, magni momenti esset, praesertim sub respectu oecumenico, colligere conatus sum in emendatione secretario proposita.

Propositio emendationis.

§ 24 - *De triplici officio regali, sacerdotali et prophetico christifidelium.*

Christus a Deo mundo datus est ut rex, sacerdos et propheta, et hoc triplici munere exercet suam mediationem per opera regalia, sacerdotalia et prophetica Corporis sui mystici. Et hoc quidem, non tantum quatenus est Dei Filius, sed etiam quatenus est homo perfectus novusque Adam.

In primo enim Adamo Deus totum humanum genus, ad eius imaginem creatum, consociavit suo imperio super omnes creaturas, dicens: « Replete terram et subiicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli, et universis animalibus quae moventur super terram » (*Gen.* 1, 28; cf. *Ps.* 8, 6-8; *Eccl.* 17, 1-4). Quam dominationem homines exercent non tantum intellectu, sed etiam manuum labore, in variis artibus. Deus insuper invitat hominem ad disponendum « orbem terrarum in aequitate et iustitia » (*Sap.* 9, 3), quod facere non posset nisi prius seipsum disponere libere posset in aequitate et iustitia.

Homo tamen per inobedientiam peccati dominatum illum amisit, nec ipsum reparare potest, nisi in Christo crucifixo et clarificato (cf. *Hebr.* 2, 5-9; *Rom.* 5, 12-21), et de inimicis nostris scilicet diabolo, peccato et morte (cf. *1 Cor.* 15, 20-28; *Rom.* 8, 19-25) in saeculo futuro triumphante.

Cuius triumphi et regni primitiae iam in Christo ad dexteram Patris sedente refulgent (*Col.* 1, 13-20), quasi christifideles participant vi mortis et resurrectionis baptismalis (cf. *Rom.* 6, 4-11; *Col.* 2, 12), a peccati servitute radicaliter liberati et regimini tum Ecclesiae tum mundi consociati (cf. *Eph.* 1, 18-23, 2, 4-6; *Col.* 2, 9-10).

Populo tamen christiano non satis est sperare et praefigurare Dei hominumque futurum in Christo Regnum, sed illud praeparare debet, Spiritu Christi debellando in se et in mundo tyrannidem diaboli, peccati et mortis (cf. *Mt.* 10, 7-8; *Lc.* 10, 17-18; *Eph.* 6, 10-17).

Cum autem in praesenti vita ab ista tyrannide penitus immunis nemo sit, liberarique omnes aliquatenus cupiant, quantum impugnandum est peccatum et error, tantum cavendum est ne homo peccans et errans impugnetur, qui sanandus potius et liberandus est (cf. *Lc.* 15). Quos enim Christus liberavit, per eos vult et alios liberare, libertatisque et Regni Dei milites facere. De malo et errore victoria non vere reportatur nisi in hominum mente et libero arbitrio advenerit. Intolerantia vero offendit tum fidem, cuius libertatem non agnoscit, tum spem, quae confidit in gratia divina, non in coactione, tum caritatem, cui repugnat quaevis fratrum oppressio. Stemus oportet, cum fratribus omnibus, in « qua libertate Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31 — 5, 1). (Deinde ponatur actualis textus).

---

[9] Gal. 4, 31 — 5, 1.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Raphaël Calábria, arch. Beneventanus in Italia.

6

EXC.MUS P. D. RAPHAËL CALABRÍA
Archiepiscopus Beneventanus

Em.me Moderator, hanc puto necessariam declarationem ad vitandum errorem personae: sum equidem Beneventanus archiepiscopus in Italia, nomen mihi tamen non Calábria, sed Calabría!

Venerabiles Patres,

Pauca dicam in nn. 22 et 23 textus, respicientia potius formam redactionalem, fusius dein agam de sensu fidei, de quo in n. 24.

1. In n. 22, lin. 5, populus Dei dicitur: « in communitatem caritatis et veritatis constitutus ». Ista expressio mihi videtur redolere definitiones Ecclesiae a Reformatis datas: caritas enim sine addito pro caritate theologica virtute intelligi posset...[1] Scio Vaticanum I, in constitutione *Pastor Aeternus,* simili uti expressione. Simili, at non identica. In constitutione citata legimus: « Christus ... sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua, veluti in domo Dei viventis, fideles omnes *unius fidei et caritatis vinculo* continerentur ». In Ecclesia scil. fideles uniuntur communi *vinculo, externa nempe*[2] professione fidei, et praxi fraternae caritatis.

Textus noster, meo humili iudicio, potest ita immutari: « ... ab eoque in communitatem veritatis et fraternae caritatis constitutus ».

2. In n. 23, lin. 11, cum describitur inaequalitas membrorum, varietas quae ex diversitate viarum est connumeratur cum varietate ex diversitate fidelitatis. Quid importat illa diversitas viarum? Diversitatem status? Si ita, connumeratio non mihi videtur congrua. Diversitas status enim a voluntate Dei est, imperfectionem non importat et ingreditur ipsam constitutionem populi Dei; e contra diversa fidelitas a voluntate humana est, imperfectionem notat et permissione solummodo divina, in Ecclesia de facto invenitur.

3. Ad n. 24. Agit schema in pag. 8, linn. 13 ss., de fide populi Dei, illamque merito exhibet ut actum liturgicum, veluti sacerdotalem; et in hunc finem immoratur in describendo sensu fidei universi populi christiani.

Doctrina de sensu fidei in revelatione continetur et in pluribus magisterii documentis illustratur.

Paucis *ita restringi potest*[3]:

1. Fides Ecclesiae, seu adhaesio ipsius verbo Dei, scripto et tradito,

nonnisi per visibile ministerium pastorum habetur seu per magisterium cui divinus redemptor depositum concredidit conservandum et authentice interpretandum. Est hic divinus veluti sorites: salutifera professio et invocatio, fides, auditus fidei, praedicatio, divina missio apostolorum eorumque successorum, denique verbum Christi revelatum...[4]

2. Gratia externa visibilis, praedicatio nempe Ecclesiae, invisibilem semper gratiam internam connexam habet, quae est elementum longe praecipuum, et causa principalis ipsius adhaesionis. Idem Spiritus veritatis infallibiliter « conscientiam fidei », « sensum fidei » efformat in grege adunato pastoribus. Iste sensus fidei, a Spiritu excitatus, omnes reddit docibiles Dei, iuxta verba Christi a Ioanne relata in cap. VI, vers. 44 et 45; et infallibiliter obtinet liberam adhaesionem totius Ecclesiae magisterio docenti.

3. Fide, caritate et donis supernaturalibus locupletatus, sensus fidei, quasi supernaturalis unctio, toti fidelium coetui semper adest, non sinens aliter intelligere, aliter credere, quam ipse Spiritus per apostolos et successores praedicaverat. Conferantur quae in *1 Ioannis,* cap. 2, vers. 20 ss. leguntur.

4. Sensus fidei, ut supra locupletatus, non solum communis adhaesionis fidei perseverantiam tuetur et firmat, sed « ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem infallibiliter dirigit », ita Pius XII in constitutione apostolica *Munificentissimus Deus,* necnon et ad perfectiorem et ad fideliorem applicationem earum in vita. In hoc iuvatur exemplo et conversatione aliorum, sacerdotum maxime et pastorum, et consensu coalescit, sub oculis Ecclesiae, multis modis vigilantis et intervenientis. Quod si contigerit, consensus ille iam criterium exstat certum: doctrinam, concorditer creditam tamquam revelatam, de facto in deposito fidei contineri.

5. Sensus fidei igitur considerari potest in ordine ad definitionem iam factam, ut movens ad adhaesionem; et ante definitionem factam, ut tendens ad explicitationem doctrinae iam creditae.

Agit schema de sensu fidei. Quo sensu? Certe agit de sensu fidei quatenus ordinatus ad explicitationem doctrinae, a lin. 20 ad lin. 23. Sed[5] quid dicendum de sensu fidei descripto in prima et secunda periodo, a lin. 13 ad 19? Videtur hic schema agere de sensu fidei in ordine ad definitionem iam factam.

Et si ita est, recte dicitur in sensu fidei manifestari *indefectibilitas Ecclesiae in credendo,* potius quam infallibilitas. Dum enim infallibilitas in credendo signat doctrinam, illamque annuntiat immunem a quocumque errore, immo et a possibilitate erroris; indefectibilitas in credendo signat adhaesionem magisterio, et postulat ut tota Ecclesia semper ac-

cipiat doctrinam a magisterio propositam, illamque semper retineat. Ipsa revera *manifestatur* in perpetua oboedientia fidei, quae per sensum fidei obtinetur.

Si ita est, recte etiam dicitur, in secunda periodo, sensu fidei omnes fieri docibiles Dei, disponi nempe ad acceptandam praedicationem; recte igitur citatur Ioannes, cap. 6, vers. 45, addita tamen citatione saltem vers. 44.

Unum addo [6]: quoad sacerdotium universale, perfecte adhaereo iis quae, sapientia et prudentia vere pastorali, dixit Beatitudo Paulus II ...[7] et quae docte exposuit em.mus card. Browne.

Quoad charismata, mea facio dicta et vota em.mi card. Ruffini et exc.mi arch. Florit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Formula Confessionis Augustanae: « Est autem Ecclesia congregatio sanctorum in qua Evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta ». [2] externa. [3] illam recolo, ut mihi tamen, et solummodo mihi, dictis. [4] (Franzelin, *De divina traditione,* thesis XII). [5] Hisce positis: schema agit de sensu fidei, sed sub quonam respectu? Notetur: iam sola haec legitima interrogatio dicit textum non eminere claritate, ut em.mus card. Ruffini nervose diiudicavit. Quidquid sit: *a*) evidens est in ultima periodo, a linn. 20-23, agi de sensu fidei ad explicationem doctrinae ordinato; *b*). [6] Videtur, dixi. Dubium enim aliquale affert nota 12, signata in fine primae periodi. In ea, quae legitur pag. 14, continentur expressiones quae possent in alteram partem inducere. Loquitur nota de diffusione fidei *sine addito,* de unctione Spiritus qui omnes docet *simpliciter,* de infallibilitate Ecclesiae in credendo et similibus. Res igitur clarificanda. Et si omnia quae dicuntur in textu respiciunt sensum fidei ut tendentem ad profundiorem intelligentiam veritatum fidei et ad explicitationem earum, in prima periodo tollatur illud « et in credendo indefectibilis » et ponatur « et in credendo infallibilis »; in secunda periodo vero supprimatur illud « quo omnes sunt docibiles Dei » cum citatione Ioannis; verba enim Christi in Ioanne nonnisi sensui fidei ordinato ad adhaesionem praedicationi factae referri possunt. Si aliter sentiendum, nota eradicetur vel saltem convenienter purgetur. [7] patr. Chaldaeorum.

Moderator: Legatur emendatio sequens.

Secretarius generalis: Emendatio octava: ad art. 84: pag. 192, lin. 8, ante initium art. 84 (videatis pag. 18, n. 111 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 266*].

7

EXC.MUS P. D. FORTUNATUS DA VEIGA COUTINHO

Episcopus tit. Sagalassensis, coad. Belgaumensis

Venerabiles Patres,

In opusculo *Emendationes* super schema nostrum, in parte II, pag. 11, linn. 8-9 *haec leguntur*[1]: « Laici insuper aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spiritualem exercenda, ab hierarchia adsumantur ».

Humiliter proponere vellem necessitatem melius enucleandi et ampliandi hanc aptitudinem laicorum propter *has*[2] duas rationes:

Prima ratio: ut in praxim deducatur id quod in doctrina revelata adumbratur; secunda ratio: propter rationes pastorales.

Pauca de unaquaque ratione. *De prima.* S. Paulus in epistola ad *Rom.* 12, 6-8, scribit: « Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ». Idem fusius exponit apostolus in epistola I ad *Corinthios,* cap. 12, ubi inter alia legitur: « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus ».

Ex his textibus constat S. Paulum in mentem revocare christifideles praeditos esse charismatibus, aliis ab aliis diversis, stabilibus quae in utilitatem omnium uti oportet.

Secunda ratio quae in favorem theseos meae militat est pastoralis. Ubique terrarum, praesertim in Asia, Africa et America Meridionali, quaeruntur hodie laici qui adiumentum praestent sacerdotibus quorum numerus proh dolor in dies minuitur. Unum remedium huic gravissimae situationi esset certo restauratio diaconatus permanentis de quo iam fuse locuti sunt plures Patres in hac aula *conciliari.*[3]

Salvo semper iure illud restaurandi, mihi videtur etiam aliud remedium *esse quod consistit*[4] in concedendo laicis facultates ampliores quin necessario promoveantur ad « clericatum ».

Nullo modo hoc est novum *in Ecclesia.*[5] C.I.C. ...[6] in can. 145 *hoc modo definit*[7]: « Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur ».

Nec est *ignotum.* In territoriis Missionum, v. g. in ecclesiis et oratoriis quae ab ecclesia principali dependent et ubi parocho possibile sem-

per non est singulis dominicis ...[8] Missam celebrare, catechistae una cum populo aliquas preces fundunt.

Id quod reapse fit in multis regionibus, *Concilium nostrum Oecumenicum Vaticanum II*[9] posset affirmatione quadam dogmatica *firmare et*[10] applicationem principii enuntiati *relinquere*[11] conferentiis episcopalibus.

Alia argumenta ad sustinendam propositionem meam, *brevitatis causa,*[12] tradam secretariatui una simul cum tota paragrapho, *quae inseri posset*[13] in nostra constitutione loco *tantum duarum linearum quae illic inveniuntur.*[14] Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] legitur. [2] deest. [3] deest. [4] consistere. [5] deest. [6] ait. [7] deest. [8] et diebus de praecepto. [9] a Concilio nostro. [10] firmari. [11] relinquendo. [12] deest. [13] inserenda. [14] paucarum tantum linearum.

Appendix: ad novum textum de laicis in specie (*Emendationes,* Pars II, pag. 11, linn. 8-10), loco « Laici insuper aptitudine... hierarchia adsumuntur », legere in paragrapho speciali: « Laici insuper aptitudine gaudent ut ad quaedam munera in finem spiritualem exercenda advocentur. Iam in primaevis Ecclesiae temporibus Spiritus Sanctus dona et munera elargiebatur quibusdam fidelibus, qui inter ministros ecclesiasticos cuiusvis gradus non connumerabantur. Et idem Spiritus nobis in mundanarum rerum adiunctis, novas servitii culturalis et caritatis erga proximum formas, ab hierarchia ecclesiastica instituendas, tempore opportuno suggerere atque concredere potest ». Ita melius apparet et momentum illorum munerum et fundamentum eorum.

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI

Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Venerabiles Patres,

Loquor quidem brevissime nomine aliquorum episcoporum Indiae, Pakistan, Cinae et Indonesiae.[1]

Aliquid dicendum habeo circa expressionem « populus Dei », quae invenitur in titulo cap. III *de Ecclesia* et aliquoties in eodem capite.

Haec expressio « populus Dei », inter christianos intelligitur sensu biblico et omnino proprio; sed apud non-christianos, talis expressio « populus Dei » adhibita ad indicandum populum christianum, sonat quasi exclusiva, et certo certius illis causa erit magnae offensionis et angoris, quasi illi essent non populus Dei, sed populus diaboli. Hoc autem difficilior reddet conamina nostra missionaria apud non-christia-

nos, et frustrabit unam ex intentionibus nostri Concilii. Concilium enim nostrum, pastorali voce nuntium Christi mittere desiderat non tantum ad christianos, sed etiam ad illas innumerabiles multitudines, speciatim in missionum regionibus, quae christianae quidem non sunt, sed a Deo diliguntur, et illuminantur in hunc mundum venientes, et pro ipsis sicut pro nobis Christus in cruce pependit. Ideoque ab omni verbo abstinere debemus quod illos offensurum iri praevideatur et illis ingressum in regnum Dei magis arduum reddat.

Non christiani in Africa, India etc. bene noverunt permultos christianos in Europa, America et alibi non esse *in concreto* [2] « genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis », sed magnos peccatores, « propter quos saepe nomen Dei blasphematur in gentibus ». Et ipsis, procul dubio, magnum scandalum sunt in eorum via ad Christum.

Ideoque, cum S. B. Cheikho Paulo II, patriarcha Babylonensi Chaldaeorum, hanc mutationem suggero, quae fortasse est humilior et minus poetica, sed utique verior, et quae non christianis, nullo modo offensionem afferet. Loco *igitur* [3] huius expressionis « de populo Dei et speciatim de laicis », dicatur simpliciter « De populo christiano et speciatim de laicis ». Atque eodem modo, talis expressio mutanda videtur quoties in hoc capite occurrit.

Praeterea in pag. 8, lin. 4, dicitur: « Christifideles cum Christo, qui principem huius mundi devicit et cui servire regnare est, in libertate filiorum Dei *regnant* et sui abnegatione vitaque sancta regnum peccati in seipsis et in aliis *impugnant* ».

Qui sunt, quaeso, isti christifideles, de quibus tam pulchra et praeclara, hic, modo indicativo, affirmantur? Num de omnibus ...[4] haec asseruntur? Si ita est, tunc propositio haec ex parte videtur falsa, sicut patet ex modo vivendi plurimorum christianorum, qui certe sancti vocari non possunt. Si de bonis christifidelibus haec asseruntur, tunc melius diceretur: « Boni christifideles, qui sincero corde vitam aeternam consequi volunt, una cum Christo, qui principem huius mundi devicit et cui servire regnare est, *ut* in libertate filiorum Dei regnent, sui abnegatione vitaque sancta, regnum peccati in seipsis et in aliis impugnant ».

Cetera secretario generali tradidi.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loqui desidero nomine 6 episcoporum, quorum nomina in fine inveniuntur. [2] deest. [3] deest. [4] christifidelibus. [5] Nota: paucis abhinc annis S. Sedes removit a precibus irenicis F. VI Maioris Hebdomadae, expressionem « perfidis iudaeis », et a consecratione SS. Cordi Iesu expressionem aliquatenus offensivam mahumedanis et iudaeis. Insuper, in eadem

pag. 8, linn. 8-10, dicitur « (Christifideles) munus Christi sacerdotale, propheticum et regale quodammodo participantes, mundatum eius novum et maximum *observant* ». Meo humili iudicio, melius diceretur: « toto corde observare conentur » vel « observent ». Ratio est evidens.

Moderator: Nunc transitus fit ad cap. IV schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur *de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* ...

9

EM.MUS P. D. PAULUS CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Venerabiles Patres,

Circa cap. IV huius schematis, duas observationes velim proponere.

1. Inter media ad sanctitatem et etiam quoad praxim consiliorum evangelicorum, textus videtur, ni fallor, non satis ad lucem prodere poenitentiam ipsam seu mortificationem.

Certo certius christiani, qui tam in votis quam extra status perfectionis, sequuntur vias castitatis, paupertatis et oboedientiae, de facto, ponunt innumeros actus abnegationis, moderationis et patientiae.

Sed optarem ut poenitentia qua talis, in quantum est aliqua defensio et reparatio relate ad peccatum, mentionem expressam obtineat in isto capite nostri schematis.

Nam in hac materia, redemptor ipse noster singularia exempla nobis dedit, tam in deserto quam in Passione. Aliunde, primitivae generationes christianae sese dederunt sub consiliis expressis apostolorum, ad vigilias, ad ieiunia et ad diversas macerationes. Diebus nostris adhuc, quot sunt Congregationes et Ordines religiosi, qui, ex institutione et cum approbatione Ecclesiae, se ostendunt ferventes in aliqua praxi afflictiva et aperte manifestant verum scopum expiationis pro peccatis et feliciter intendunt praebere aliquam compensationem erga Dominum coram sensualitates in mundo pervagatas.

Denique, venerabiles Patres, non possumus oblivisci innumeros aegrotos et infirmos qui saepe saepius offerunt ad bonum Ecclesiae et ad salutem animarum suos morbos et dolores in unione cum Christo patienti. Inter eos, multi, ex invitatione formali nostri Papae, feliciter regnantis, nunc dirigunt suam intentionem, sane meritoriam, versus ad nostros labores Conciliares.

Sic Ecclesia, ut patet, non solum habet missionem apostolicam, sed

quoque, ut iam dixi in hac venerabili aula, missionem orationis et, hodie adiungo, missionem poenitentiae.

2. Bene declaratur et exacte exponitur in n. 35 quod praxis consiliorum evangelicorum diffunditur et influxu caritatis et a consecratione speciali atque authentica per professionem religiosam. Hoc est elementum primordiale in vita religiosa.

Attamen textus videtur dicere quod praxis consiliorum est causa ipsa et motivum huius consecrationis ad Deum. Existimo, e contra, quod consecratio totalis in amorem Christi religiosi vel religiosae constituit rationem ipsam pro qua accipiunt vitam conformem evangelicis consiliis.

Talis donatio, inspirata a Deo et ab Ecclesia firmata, non est nisi responsio voluntaria ac plena ad amorem Dei ipsius. Proinde mihi videtur esse, psychologice et theologice, principium totius vitae religiosae. Ex ea sumunt suum valorem supernaturalem, immo apostolicum, omnes activitates religiosorum et religiosarum, etiam activitates quae speciem simpliciter profanam, nempe scientificam, vel inferiorem, nempe materialem, possunt prae se ferre, praesertim si religiosi et religiosae hanc virtualitatem suae vocationis et consecrationis saepe in memoria retineant.

Quidam dixerunt: « Nihil profanum, nisi peccatum ». Saltem verum est quod omnes actiones, imperatae ab anima Domino consecrata, possident, coram oculis Dei, aliquid sacram atque efficax pro gloria divina et pro diffusione regni Christi Iesu. Dixi.

10

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 50 episcoporum ex America Latina. Caput *de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* nobis placet, non quia careat defectibus, sed quia materia in eo contenta valde inservit ad ipsum mysterium Ecclesiae amplius explanandum.

1. Nobis placet quod detur caput speciale de sanctitate; nam postquam in duobus capitibus de constitutione hierarchica Ecclesiae et de laicis in specie actum est de sacramento Ecclesiae ut institutione salutis, oportebat agere de effectu praecipuo istius sacramenti generalis, seu de meta ipsius institutionis salutis, quae est revera sanctitas.

Nostris temporibus familia humana ad duo fertur extrema: sunt enim homines qui magnis fruuntur bonis huius mundi dum alii, certo longe numerosiores, angustiis oeconomicis obruuntur. Ambo in magno periculo inveniuntur ut, rebus materialibus nimis implicati, obliviscantur vocationem christianam quaerendi primum Regnum Dei.

2. Nobis placet quod de vocatione omnium omnino christifidelium ad sanctitatem loquatur. Omnes enim vocantur ad opera sanctitatis facienda in spiritu libertatis et amoris ...[1]. Unicuique data est lex Domini: « Estote ergo vos perfecti sicut Pater vester perfectus est » ...[2]. Omnibus dictum est: « Beati pauperes spiritu, beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, beati mundo corde, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » ...[3]. Ista vero vocatio ad perfectionem non necessario extra mundum sed in mundo quoque prosequenda est. Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum...[4]

3. Nobis placet quod agatur de vita consiliorum in suo contextu ecclesiali, una cum universali vocatione ad sanctitatem. Nam viget quandoque apud nonnullos fideles persuasio sanctitatem esse reservatam solis religiosis vel sacerdotibus; quod quidem non est sine pravis consectariis pro vita christiana fidelium. Ad veram doctrinam positive inculcandam multum iuvabit et de vocatione omnium fidelium ad sanctitatem et de professione consiliorum simul id est in isto capite tractare. Etenim de via consiliorum agendo una cum communi vocatione ad sanctitatem pro utraque parte emolumenta exsurgunt non spernenda. Sic vita consiliorum melius apparet ut charisma ad perhibendum testimonium eschatologicum pro communitate christiana, unde facilius ista transcendere potest opacitatem rerum mundanarum. Et sic ipsi consecrati in observantia consiliorum profundius memores erunt sui muneris in Ecclesia, ita ut eorum conamina ad perfectionem appareant, non ut officium simpliciter personale vel alicuius coetus, sed ecclesiale seu totius christianae communitatis. Unde religiosi considerabuntur non ut privilegiati in Ecclesia, sed ut privilegium Ecclesiae; vel, uti aliquis dixerit, non ut potentia in Ecclesia sed ut potentia Ecclesiae.

De cetero, ipse status religiosus, si in tali capite consideratur, non ostendetur ut quid iuridicum, quod quidem etiam considerandum est sed in alio schemate, sed potius ut vita charismatica semper in Ecclesia exsistens ac de eius essentia procedens. Immo exemptio ipsa potius quam privilegium canonicum describi poterit ut aliqua concretizatio ipsius episcopalis collegialitatis. Ad hoc enim et quo melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, Summus Pontifex, ut caput collegii episcoporum, aliquod perfectionis institutum aut personas singulas ad bonum totius christianae communitatis specialiter ordinare potest. Et sic

exemptio non erit aliquid ab episcopis alienum, sed potius etiam ab eis dependens et indicans eorum totius Ecclesiae sollicitudinem.

4. Quamquam, denique, sensum et materiam istius capitis approbamus, nonnulla tamen censemus in eo deficere. Desideratur in initio capitis descriptio sanctitatis, quae non sit solum extrinseca imitatio Christi, sed ipsa eius vita quae evolvi debetur in novo homine conmortuo et consuscitato. In paragrapho de mediis ad sanctitatem videntur nonnulla deesse, uti e. g. oratio, mortificatio, labor quotidianus ...[5]. In paragrapho de multiformi unius sanctitatis exercitio, melior ac profundior distinctio esset secundum distinctas gratias sacramentales, ita ut non praeterirentur neque infirmi neque poenitentes. Insuper autem descriptio sanctitatis secundum gratiam Eucharistiae, ansam praeberet indicandi aspectum communionis in sanctitate, de quo siletur in capite.

Notanda nobis venit etiam aliqua omissio. Loquendo de sanctitate nihil dicitur de sanctis. Inclusio istius tractationis daret capiti saporem magis historicum, exemplar pro omnibus de possibilitate sanctitatis, opportunitatem bene moderandi cultum sanctorum inter fideles et aliquam brevem visionem Ecclesiae caelestis. Talis inclusio, in fine capitis, transitum parare posset ad caput de B. Maria Virgine, sanctorum omnium regina, ac pereminens totius Ecclesiae sanctitatis exemplar et Mater divinae gratiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Gal.* 5, 1). [2] (*Mt.* 5, 48). [3] (*Mt.* 5, 3-10). [4] (*Gal.* 5, 13). [5] etc.

Elenchus Patrum nomine quorum locutus est:

Cuba: Eduardo Boza Masvidal, aux. de la Habana; *Costa Rica*: Enrique Bolaños, ob. de Alajuela; *Ecuador*: Cándido Rada S., ob. de Guaranda; *Méjico*: Sergio Méndez, ob. de Cuernavaca; *Uruguay*: Luis Baccino, ob. de San José de Mayo, Roberto Cáceres, ob. de Melo, Marcelo Mendiharat, ob. coad. de Salto, Orestes Nuti, ob. de Canelones, Carlos Partelli, ob. de Tacuarembó, Humberto Tonna, ob. de Florida, Alfredo Viola, ob. de Salto; *Argentina*: Antonio Aguirre, ob. de S. Isidro, Moisés Blanchoud, ob. de Río Cuarto, Alberto Devoto, ob. de Goya, Antonio Quarracino, ob. de Nueve de Julio, Jorge Kemerer, ob. de Posadas, Manuel Tato, ob. de Santiago del Estero, Vicente Zaspe, ob. de Rafaela; *Paraguay*: Aníbal Maricevich, ob. coad. de Villarrica; *Bolivia*: Armando Gutiérrez, ob. aux. de la Paz; *El Salvador*: Pedro Arnoldo Aparicio, ob. de San Vicente; *Panamá*: José Carrizo, ob. de Chitre, Tomás A. Clavel, ob. de David; *Colombia*: Baltasar Alvarez, ob. de Pereira, Bernardo Arango, Barrancabermeja, Miguel Angel Builes, ob. de Santa Rosa, Arturo Duque Villegas, arz. de Manizales, José Joaquín Flóres, ob. de Duitama, Jorge Giraldo, ob. de Pasto, Miguel Antonio Medina, ob. aux. de Medellín, Eusebio Septimio Mori, ob. de Riohacha, Angel Ocampo B., ob. de Tunja, José Antonio Pérez, pref. ap. de S. Andrés y Providencia, Rubén Restrepo, ob. de Ibagué, Pedro José Rivera, ob. de San Gil,

Vicente Roig y Villalba, vic. ap. de Valledupar, Héctor Rueda H., ob. de Bucaramanga, Rafael Sarmiento, ob. de Ocaña, Camilo Crous, vic. ap. de Sibundoy, Alfonso Uribe, ob. aux. de Cartagena, Raúl Zambrano, ob. de Facatativá; *Chile*: Alberto Rencoret, arz. de Puerto Montt, Emilio Tagle, arz. de Valparaíso, Enrique Alvear, ob. aux. de Talca, Vladimiro Boric, ob. de Punta Arenas, José Luis Castro, ob. de San Felipe, Alejandro Durán, ob. de Ancud, Teodoro Eugenín, ob. tit. de Gerisso, Juan Francisco Fresno, ob. de Copiapó, Francisco Gilmore, vic. castr. de Chile, Guillermo Carlos Hartl, vic. ap. de la Araucanía, Eladio Vicuña, ob. de Chillán, Alejandro Menchaca Lira, ob. tit. de Pinara, Bernardino Piñera, ob. de Temuco, José Manuel Santos, ob. de Valdivia, Augusto Salinas, ob. de Linares, Francisco Valdés, ob. de Osorno, Francisco Valenzuela, Antofagasta.

Moderator: Legatur emendatio sequens.

Secretarius generalis: Emendatio nona: ad art. 85 et 86: Art. 85 et 86 e textu huius capitis extrahantur ac ponantur tamquam appendix ad universam constitutionem *de sacra Liturgia,* sub titulo: « Concilii Vaticani II de calendario recognoscendo declaratio ». (Videatis pag. 19, nempe appendicem huius fasciculi).

11

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER

Episcopus Purvokertensis

Venerabiles Patres omnes, et praesertim in ministerio episcopatus collegae,

Loquar de mandato et nomine conferentiae episcopalis in Indonesia, et 30 episcopi et Patres conciliares interventionem subscripserunt.

In genere laudare volumus caput hoc, quod specialem vocationem religiosorum collocat intra limites « vocationis generalis ad perfectionem », quae omnibus christianis est communis. Hoc procedendi modo, etsi etiam incommoda sua habeat, apte vitatur ne ideale religiosorum disiungatur ab ideali communi christiano, sed e contra appareat tamquam *specialis forma vocationis universalis.*

Specialis forma haec quaeritur in eo quod religiosi profitentur « consilia evangelica » et propterea mysterium sanctitatis christianae *eschatologicum* clarius manifestant. Haec nobis videntur laudanda.

Quamquam etiam profitemur, quod schema constitutionis non potest esse ad modum tractatus exhaustivi, tractans « de omni re scibili et de quibusdam aliis » hac in re, tamen textus noster in quibusdam corrigendus esse videtur. Sunt nonnulla generalia, et plura particularia, quorum praecipua hic delineabimus, dum cetera scripto trademus.

Generalia.

1. Textus noster *saepissime* adhibet vocabulum « sanctitas ». Iamvero vox saepius iterata fastidium, immo et nauseam provocare potest. Accedit hoc vocabulum hic *praesertim* [1] adhiberi in sensu potius moralistico et statico. Sanctitas hic identificatur cum perfectione actionum et perfectio describitur hac nota: « Perfectus est ille cui nihil in ordine morali deest » ...[2]. Iamvero usus tam unilateralis huius vocabuli obstat utilitati pastorali et oecumenica textus nostri.

In Sacra Scriptura enim « sanctitas » *primarie* est proprietas « populi Dei » et membrorum eius, quae a Deo ipso sibi consecrantur. Sanctitas ergo imprimis est « donum Dei ». *Secundarie* deinde significat perfectionem actionum ac intentionum, quibus huius populi membra realizant id quod per gratiam Dei iam sunt. Sanctitas ergo vitae christianae hac in terra numquam est perfecta sed consistit in studio continuo magis magisque respondendi vocationi et invitationi divinae. Christiani vocantur, ut paradoxe dicam, non tam ut sancti *sint,* quam ut se, peccatores cum sint, continuo sanctificent ...[3], immo continuo a Deo sanctificari se sinant.

Haec observatio est maximi momenti pastoralis. Christiani enim seipsos cum suis miseriis ac defectibus vix recognoscunt in statica illa sanctitate « consummatae perfectionis », quae in textu supponitur. Quapropter textus eos movere non poterit.

Est etiam magni momenti oecumenici. Christiani enim ex Reformatione difficile intelligent id quod in hoc schemate « sanctitas » vocatur, nisi haec sanctitas actionum expresse coniungatur cum sanctitate obiectiva « populi Dei ».

Quapropter totus n. 28 et initium n. 29 denuo ita est componendus, ut dimensio obiectiva et ecclesialis sanctitatis eiusque dynamismus expressius in lucem ponantur...[4]

2. Textus noster recte inculcat, sanctitatem christianam consistere in dilectione Dei et proximi. Hoc utilissimum est, quia non raro sanctitas consistere putatur in multiplicibus observantiis et exercitiis spiritualibus, qui est error pharisaeorum. Sed tamen haec veritas usque ad satietatem in textu iteratur, quod minus placet.

Textus noster ita premit dilectionem, ut vix mentionem faciat *fidei et spei.* Hae tamen virtutes theologales vitam christianam *viatoris* profunde characterizant. Illarum ergo mentio expresse est facienda.

Tandem imago dilectionis in textu nostro manet valde abstracta. Evolvatur aliquantulum, illam *concrete* consistere in gratitudine, in patientia, in perficiendo « obligationes status vitae uniuscuiusque nostrorum », in sublevandis proximis non solum ut vitam aeternam acquirant, sed etiam ut vitam terrenam ducere possint « homini dignam »...[5]

Specialia.

Plerumque scripto tradam, *quatuor*[6] tamen volo observare, praesertim quoad statum religiosum.

1. Conferre videtur, si non loquimur de « statu perfectionis acquirendae » (*pag. 20*[7]), sed potius de « statu imitationis Christi, secundum consilia evangelica ». Prior enim titulus, etsi historice explicabilis, iam non bene intelligitur. *Omnis* enim christianus versatur in statu, in quo ad perfectionem adniti debet. Altera autem apte exprimit, tum ideale non esse aliquam abstractam perfectionem, sed *vivam Christi personam,* tum quod consilia evangelica constituunt « specificam » vitae religiosae *formam.*

2. Modus quo paupertas et virginitas describuntur, etsi non omni ex parte perfectus, tamen placet. E contra descriptio oboedientiae (*pag. 20*[8]) omnino deficit. Unilateraliter enim reflectit unum tantum ideale oboedientiae, scil. benedictinum, alii autem Ordines oboedientiam saepe aliter concipiunt. Quoad oboedientiam *non* exprimitur qua ratione sit *signum,* sicut apte fit quoad cetera vota. Scribatur ergo fere hoc modo: « Denique oboedientia, qua christianus se in communitatem inserit a praeposito vice Ecclesiae et Christi directam, et omnium ad imaginem Christi " servus factus " ...[9] disponibilem se praebet ad munera sibi in communitate et in Ecclesia obvenientia, praelibatio est illius consummationis, in qua omnia subiecta erunt Christo seipsum Patri subicienti, " ut sit Deus omnia in omnibus " ...[10] ».

3. N. 33 ...[11] recte inculcat abnegationem sui esse characteristicum vitae religiosae, et hanc abnegationem significare « novam vitam ». Sed desideratur quod haec abnegatio ...[12] inde ab initio stat sub signo « resurrectionis in Christo iam peractae », ideoque in hac terra fructum gaudii parere nata est. Scribi itaque fere tali modo poterit: « Ex virtute enim ac dilectione Christi, qui per mortem transivit ad vitam, seipsos et saecularia desideria abnegantes et Domini exinanitionem imitantes, gaudio et pace et libertate filiorum Dei fruentur quapropter per proprium statum in Ecclesia novam vitam novae creaturae manifestant et regni futuri arrham ostendunt ».

...[13] Reliquas observationes et rationes theologicas in scriptis secretariatui generali tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] unice. [2] (cf. pag. 23, nota 1). [3] (*1 Io.* 3, 3; cf. 1, 8). [4] Et vox sanctitas parcius adhibeatur. [5] etc. [6] tria. [7] (pag. 20, lin. 40). [8] (pag. 20, lin. 14). [9] (cf. *Mc.* 10, 43). [10] (cf. *1 Cor.* 15, 28). [11] (pag. 21, linn. 13-17). [12] iam. [13] 4. pag. 19, linn. 16-22. Paragraphus de sanctitate coniugum nimis supernaturalistice sonat, quasi scil.

sanctitas eorum *unice* consisteret in eo quod se invicem in vita gratiae sustinent et quod prolem christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant. Omnino exprimatur, quod concreta caritatis forma pro iis plerumque est: « simplex dedicatio humana ad coniugem et prolem ». Addatur aliquid de aliis quibusdam categoriis: de infirmis qui Christo morienti patienter uniuntur, de iis qui persecutionem patiuntur, et cum ipso exinaniuntur, de iis qui in scientia et in industria laborant ut mundum magis humanum reddant, etc.

Ad singula:

N. 28. Novus componatur secundum supra dicta. Allusio ad religiosos (pag. 18, linn. 9-12) hic aptius omittitur.

N. 29. Christus dicitur perfectionis Magister et Exemplar, non autem *fons*. Dicatur ergo quod christiani sanctitas consistit in eo quod « induat Dominum Iesum Christum » (*Rom.* 13, 14), quod sentiat in se « quod est in Christo Iesu (*Phil.* 2, 5), quod « Spiritu Christi agantur » (*Rom.* 8, 16) et sic sint et agant tamquam Filii Dei (*Rom.* 8, 14), reformati ad imaginem eius (2 *Cor.* 3, 18) diligentes Deum et proximos.

Pag. 18, lin. 28. Mentio etiam fiat Eucharistiae, orationis, ceterorum sanctitatis adiumentorum communium.

N. 30. Mirum est, episcopos in Concilio congregatos, hortari presbyteros ad *se* imitandum. Prius agatur de episcopis sanctificandis per imitationem Boni Pastoris (*1 Petr.* 5, 3) et per servitium suum (*Mt.* 23, 11, cf. 20, 26 ss.). Deinde sermo fiat de presbyteris, qui missionis pastoralis episcoporum participes, imitari et ipsi Christum bonum pastorem debent. Aliquantulum latius evolvatur, presbyteros sanctificari per plenam dedicationem populo factam. Econtra verba: « ut sancti Patres docent » et « aemuli illorum... reliquerunt » aptius omittuntur.

Tertio loco, de sanctificatione ceterorum ministrorum sacrorum. Loco distincto agatur de laicis adiutoribus in opere spirituali. Hi etiam hortandi sunt, ut aliquo modo realizent sanctitatem propriam eorum, qui spirituali bono aliorum directe inserviunt « non quaerentes quae sua sunt, sed quae Iesu Christi et aliorum » (*Phil.* 2, 4. 21). Sed haec exhortatio *a*) ne restringatur ad eos qui plene se dedunt apostolatui et ab episcopo vocantur, *b*) ne in una linea ponat huiusmodi laicos cum ministris sacris: hi enim sacramentaliter participant de missione pastorali.

N. 13. Titulus sit: « De sequela Christi, secundum consilia evangelica » (vide supra).

Pag. 19, lin. 34. - Pag. 20, lin. 1: Haec alinea abundat: partim simpliciter iterat iam dicta, partim de mediis sanctitatis communibus aptius dici poterit in n. 29 (supra).

Articulus itaque potest hoc modo inchoari: « Dum omnes christiani ad sequendum Christum vocantur per dilectionis exercitium secundum propriae vitae adiuncta et secundum mensuram donationis Christi (cf. *Eph.* 4, 7), aliqui a Deo eliguntur, ut per ipsum vitae statum universalis huius ad Regnum Dei vocationis praeclarum coram mundo ferant testimonium ac exemplum. Inter sanctificationis enim figuras et media, quae omnia a caritate profluunt et ad eam efformandam ordinantur, praeclara exstant etc. ... ».

Ratio mutationis est: quod consilia evangelica non solum sunt media sanctificationis, sed insuper caritati tribuunt formam quandam et figuram specificam.

Pag. 20, linn. 14-16. Sententia de obedientia novo modo componatur (supra).

Pag. 20, linn. 32-35. Verba « sive spiritualibus exhortationibus sparsis » sunt superflua, quia hoc iam includitur in apostolicis laboribus, econtra desideratur mentio cultus divini et misericordiae corporalis. Scribatur ergo: « ... sese toto corde Deo super omnia dilecto consecrantes et fratrum servitio dedicantes, sive divino cultui, orationi ac contemplationi, sive apostolicis laboribus et multiplici misericordiae labori incumbentes ».

N. 32, pag. 20, linn. 40 s. Verba: « quae status perfectionis acquirendae vocatur » aut deleantur, aut iis substituatur hoc: « quae status imitationis Christi secundum consilia evangelica vocatur » (supra).

N. 33, pag. 21, linn. 11-12. Loco verborum: « in Ecclesia ... numquam deerunt » scribatur: « Ecclesia ... per gratiam Dei sperat numquam defuturos etc. ». Ratio est haec: quod in Ecclesia numquam deficiet sanctitas fecunda, non est certitudo humana, sed certitudo in sola promissione Christi ac fidelitate.

Pag. 21, linn. 13-17. Vide supra.

Pag. 21, linn. 23-34. Duae hae alineae melius in unam refundantur. Nunc enim nimis disiungi videntur testimonium praesentiae Christi, dilectio Dei, amor proximi non solum ex dilectione Dei profluit, ut dicit textus, sed utraque seinvicem penetrant. Totus passus modo magis succoso redigatur.

N. 34, pag. 22, lin. 7. Verba « semper et ubique » deleantur. Sunt enim falsa.

Pag. 22, linn. 8-22. De exemptione. Hic nihil mutatur.

Forte melius esset, loco « Romanus Pontifex » scribere: « Suprema in Ecclesia auctoritas » et loco « sibi soli subiicere » scribere: « auctoritati a se designatae ». Fieri enim posse videtur, ut Concilium Oecumenicum privilegium exemptionis concedat, et religiosi orientales subiici dicuntur Patriarchio, non Romanae Sedi.

N. 34, pag. 22, linn. 24-32. Quae dicuntur de praestantia votorum perpetuorum, sunt quidem vera. Non tamen oportet, ut haec veritas tanta ponderositate affirmetur. Quapropter linn. 25-32 simpliciter possunt omitti.

Elenchus Patrum qui subscripserunt:

H. J. M. van der Burgt, arch. de Pontianak; A. Djajasepoetra, arch. de Djakarta; A. H. van de Hurk, arch. de Medan; N. Schneiders, arch. de Makassar; A. E. J. Albers, ep. de Malang; P. M. Arntz, ep. de Bandung; W. van Bekkum, ep. de Ruteng; R. Bergamin, ep. de Padang; W. Demarteau, ep. de Bandjermasin; P. N. J. Geise, ep. de Bogor; J. Grent, ep. de Amboina; G. Grimm, praef. ap. de Sibolga; A. Hermelink, ep. de Tandjung-Karang; H. Mekkelholt, ep. tit. de Dausara; L. van Kessel, ep. de Sintang; J. Klooster, ep. de Surabaja; J. H. Romeyn, ep. de Samarinda; P. Sani, ep. de Den-Pasar; W. Schoemaker, ep. de Purwokerto; G. Sillekens, ep. de Ketapang; J. H. Soudant, ep. de Palembang; R. J. Staverman, vic. ap. de Hollandia; A. H. Thyssen, ep. de Larantuka; Th. v. d. Tillaart, ep. de Atambua; H. Tillemans, vic. ap. de Merauke; N. Verhoeven, ep. de Menado; N. P. v. d. Westen, ep. de Pangkalpinang; T. van Valenberg, ep. tit. de Comba; P. van Diepen, praef. ap. de Manokwari; G. Legeland, praef. ap. de Weetebula.

12

Exc.mus P. D. MARCELLUS GONZALEZ MARTIN
Episcopus Asturicensis

Venerabiles Patres,

...[1] Cum in cap. II huius schematis actum fuit de episcoporum munere sanctificandi, tota quaestio absoluta fuit duodecim lineis! Nunc, cum in cap. IV agimus de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, tantum indirecte et modo timido apparet vox « episcopi ».

Totum caput, *licet multa pulchra contineat,*[2] redolet pium ascetismum, quod forsan minuat aestimationem e parte eorum qui altiora principia doctrinalia quaerunt in constitutione dogmatica *de Ecclesia.* Si redactionem perpendimus, certe invenimus pulchram exhortationem ad sanctitatem, sed quasi adquirendam ab unoquoque suis *propriis* [3] viribus, cum evidens sit, si theologice velimus loqui, neminem pervenire ad sanctitatem posse nisi vi actionis sanctificatricis sacerdotii Iesu Christi, quod ad homines sese extendit ope ministerii episcoporum cum suis presbyteris. Ideo oportet ut melius sub luce ponatur figura episcopi curantis de sanctitate suiipsius et aliorum.

1. *Propter rationes generales. a*) Sicut Concilium Vaticanum I evolvit doctrinam de Romano Pontifice, ita Vaticanum II evolvere et complere intendit eam quae ad episcopos spectat. Egimus proinde de nostris muneribus regendi et docendi. Ne omittamus, vel leviore modo tractemus de maximo munere nostro sanctitatem fovendi.

b) Scopus, inter praecipuos, istius Concilii est, ut saepe saepius repetitum fuit, hominibus offerre claram ideam de Ecclesia Christi in terris. Sed natura intima Ecclesiae non apparet simpliciter eo quod dicamus esse Corpus Christi mysticum, vineam Domini, sponsam, etc. Tunc apparet, cum maxima claritate *quidem,*[4] cum ostendimus eius vim sanctificatricem in concreto actuantem ope eorum qui Ecclesiam regunt.

Iuxta Christi voluntatem episcopus luceat oportet non tantum ministerio verbi, verum etiam, et quidem specialiter, sanctificationis activae. Apostolis, id est episcopis, dixit: « baptizate », « quorum remiseritis », « hoc facite in meam commemorationem », etc.

c) Si tam pauca declaramus de nostro munere sanctitatem active fovendi, videbimus malle appellari doctores et rectores, licet multa dicamus de *diakonía.* Cum constet, e contra, tam functionem docentem quam potestatem regiminis ad sacramenta, i. e. ad sanctitatem ordinari. De ministerio docendi hoc patet, quia est in receptione sacramentorum ubi

confitemur, tamquam in compendioso symbolo, fidem de qua edocti fuimus. Hic est sensus verborum formae in sacramentis, quae adeo efficaciter includunt verbum magisteriale ut producant effectus salvificos. Ideo S. Augustinus et S. Thomas sacramenta appellarunt « sacramenta fidei ».

Quoad vero potestatem regiminis, non alium sensum habet nisi ordinare vitam socialem fidelium ad receptionem sacramentorum, in qua maxima unio fidelium manifestatur et producitur, praesertim in Eucharistia. Immo apparet etiam potestatem regiminis respicere praecipue sanctificationem fidelium in eo quod participatio talis potestatis confertur in sacramento consecrationis episcopalis ...[5]. Igitur si tota vita socialis fidelium provenit ultimo ex sacramentis et ordinatur ultimo ad sacramenta — hic in terris — possumus dicere totam vitam socialem Ecclesiae esse sacramentariam et Ecclesiam esse magnum sacramentum *et ideo possumus perspicere bene quem principem locum obtineat hoc de sanctitate in nostro munere.*[6]

2. *Propter rationes spectantes ad ipsum episcopum.* Non dignum esse videtur hortari omnes ad sanctitatem, modo expresso et directo, de nobis autem fere nihil dicere ...[7]. Nota est omnibus pulcherrima doctrina S. Thomae relate ad statum perfectionis episcoporum. Non est meum propositum eam in mentem revocare. *Sufficiat simpliciter recordari quomodo*[8] iuxta S. Thomam ex duobus fontibus profluit specialis obligatio tendendi ad sanctitatem in episcopis. Primo, ex specialissima cura seu sollicitudine animarum ad quam pro tota sua vita obstringitur in consecratione ...[9]. Secundo, ex eo quod, cum episcopatus sit ordo distinctus a sacerdotio simplici, in communitate ecclesiali episcopus configuratur Christo intensiori modo quam quicumque alius. Participat plenitudinem sacerdotii Christi, et ideo ipsi soli reservatae sunt quaedam functiones ad sanctitatem promovendam...[10]

Huiusmodi considerationes S. Thomae — *quas omitto*[11] — sunt opportunissimae, eo vel magis quod tractavimus de sacramentalitate et collegialitate. Si gradum specialem asserimus esse sacramenti Ordinis consecrationem episcopalem, affirmare oportet etiam specialem sanctitatem a nobis expetendam. Si propter curam animarum in nostra propria dioecesi ad summam caritatem obstricti eramus, multo magis nunc cum proclamamus nostram sollicitudinem totius Ecclesiae utpote membra collegii episcopalis...[12]

3. *Denique propter rationes spectantes ad alios.* Accedit ratio maximi momenti. Venient postea constitutiones disciplinares pro clero et populo christiano, quarum finis immediatus est eam renovationem assequi in vita Ecclesiae de qua Ioannes XXIII et eodem modo Paulus VI locuti fuerunt. Sed nulla erit renovatio efficax et profunda nisi accedat

vividior et magis visibilis sanctitas, praesertim his temporibus nostris quibus homines non verbis sed operibus credunt *et volunt credere.*[13]

Iamvero, si ut episcopi leges disciplinares ferimus et de earum adimpletione curam gerere debemus postea, ponamus hic fundamenta, clare asserentes nostram obligationem de promovenda sanctitate quae faciliorem reddit disciplinam et sine qua potius inspectores et vigilantes videmur quam patres et pastores.

Cogito praesertim de nostris sacerdotibus. *Cura maxima expetenda est de perfectione nostrorum sacerdotum.*[14] Praxis docet nos non sufficere urgere dispositiones iuris canonici in hoc sensu. Ideo apparent Instituta saecularia vel conamina similia ...[15]. Nescio *quaenam sit via aptior ad istam perfectionem sacerdotum fovendam.*[16] Sed unum scio: nos episcopos gravissimam obligationem habere curandi, intensiori modo quam hucusque, de sanctitate nostrorum sacerdotum.

Concludo: Reverenter peto, propter rationes allatas, ut in hoc capite sicut etiam in II ...[17] magis emineat figura episcopi munus suum sanctificandi adimplentis et sanctitatem propriam et ceterorum, praesertim sacerdotum, promoventis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Munus episcoporum quoad seipsos et quoad alios adimplendum in sanctitate fovenda. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] quod iam insinuatur in n. 14 schematis. [6] deest. [7] Quomodo volumus Ecclesiam renovare, si nosmetipsos non impellimus ad sanctiorem vitam? [8] deest. [9] (Similiter etiam episcopi se obligant ad ea quae sunt perfectionis, pastorale assumentes officium, ad quod pertinet ut animam suam ponat pastor pro ovibus suis, sicut dicitur *Io.* 10, 11, adhibetur simul quaedam sollemnitas conservationis simul cum professione praedicta »). Hanc consecrationem appellat S. Thomas professionem, immo et votum perpetuum (cf. 2. 185. 4 *c*). Et loquitur de paupertate, castitate et obedientia, ad quod omne magis adhuc quam religiosi obligantur. [10] (cf. *Suppl.* 38). Ideo etiam « ad episcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuens. Et propter hoc etiam episcopus specialiter sponsus Ecclesiae dicitur, sicut et Christus (*Suppl.* 40, 4 ad 3). [11] deest. [12] « Haec (professio perpetuae curae animarum) — ait Vermeersch — tres continet notas perfectae caritatis ad proximum: dilectionem dico inimicorum, cum sua caritate eas amplecti debeat oves episcopus quae fortasse sint inimicae; vitae impendium cum quotidiana et perennis sollicitudo iam videatur continere donum vitae, quae ceterum, si opus fuerit, est ab episcopo profundenda; largitionem denique divinorum, cum de spirituali agatur munere pascendi. Haec est manifesta doctrina S. Thomae, tam c. 16, 17 opusculi De perfectione vitae spiritualis, tum *Summa theol.* 2. 2, 184 » (cf. Vermeersch, *De Religiosis, Institutis et Personis. Tractatus canonico-moralis,* Brugis, 1907). [13] deest. [14] Adsunt in multis dioecesibus consociationes et fraternitates sacerdotales ad perfectionem fovendam. Desunt in multis aliis. [15] inter sacerdotes qui ad sanctitatem tendunt. [16] utrum haec sit via aptior an,

fortasse, debeamus quaerere et evolvere et fovere spiritualitatem cleri dioecesani ut talis. [17] iuxta ea quae in scriptis tradidi.

Moderator: Legatur ultima emendatio *de Liturgia*.

Secretarius generalis: Pag. 192, ante lin. 15, ante art. 85 (videatis pag. 19, appendicem huius fasciculi) ... [*cf. pag. 266*].

13

Exc.mus P. D. ALOISIUS MORSTABILINI
Episcopus Verulanus-Frusinatensis

Venerabiles Patres,

Locuturus de cap. IV schematis *de Ecclesia,* quatuor vota humiliter Concilio submitto, de quibus nunc breviter.

1. *Quod, saltem in prooemio, aliquid dicatur de ipsa sanctitate Ecclesiae*. Absonum enim mihi videtur quod in toto capite de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ne verbum quidem dicatur de ipsa sanctitate Ecclesiae. Sanctitas enim membrorum oritur, crescit et se perficit in Ecclesia et sub influxu Ecclesiae. Ex plenitudine gratiae Christi, capitis Ecclesiae, sanctitas fluit in membra ut a vite in palmites, per media quae a Christo sunt instituta. Singula membra, per sanctorum communionem, sibi invicem auxilium ferunt in aedificationem Corporis Christi. Singuli praeterea fideles tenentur vitam sanctam ducere ita ut qui foris sunt, videant opera ipsorum bona et glorificent non solum Patrem in caelis, sed et sanctam matrem Ecclesiam in terris, quae est exemplar et causa ipsorum sanctitatis. Praestat ergo quod et de sanctitate ipsius Ecclesiae aliquid dicatur.

2. *Quod sermo de vocatione ad sanctitatem praesertim ad laicos non religiosos dirigatur*. Peropportune Concilium nostrum rem tanti momenti, ut est vocatio ad sanctitatem, maxima cum auctoritate etiam episcopis, presbyteris et religiosis memorat. Complura tamen exstant de hac re ecclesiastica documenta et copiosa volumina, etsi sit optabile quod, ut nunc dictum est, uberius dicatur de sanctitate v. g. episcoporum et presbyterorum.

Non sufficienter e contra hoc argumentum est pro laicis pertractatum. Praecipua ergo nostra cura debet esse quod et laicis non religiosis sermo de vocatione ad sanctitatem dirigatur, ut et ipsi sibi conscii fiant de vera natura sanctitatis et de obligatione eam assequendi. Permulti enim fideles falsam sanctitatis notionem habent et idcirco eam putant sibi impossibilem esse.

Convenit ergo quod in nostro capite nova paragraphus introducatur in qua expresse et fusius de vocatione laicorum ad sanctitatem dicatur, praecipuas indicando rationes ex quibus talis vocatio eruitur, uti v. g. organismus supernaturalis in baptismate susceptus et per alia sacramenta excultus; insertio in Corpore Christi mystico; necessitas vitae interioris pro apostolatus efficacitate; momentum consecrationis mundi, quae praesertim laicis est commissa.

3. *Quod natura sanctitatis, ad quam vocamur, clarius et fusius enucleetur.* Notio sanctitatis ut in par. 29 exponitur mihi videtur nimis indeterminata et, saltem pro non eruditis in doctrina ascetica et mystica, nimis obscura.

Cum autem sermo noster ad omnes christifideles dirigi debeat, necesse est quod natura sanctitatis clare pateat. Bene dicitur in paragrapho nuper memorata, quod « una est christiana sanctitas », h. e. ea quae in caritate perfecta erga Deum et proximum consistit, quaeque « in fide et baptismate inchoata, excitante et adiuvante Dei gratia, in abundantes fructus excrescit »; sed haec verba non solum sunt difficilia intellectu pro nostris fidelibus, sed etiam duplici falsae interpretationi obnoxia esse possunt; ita videlicet ut, tamquam sola parenetica exhortatio habeantur, vel ad illam extraordinariam sanctitatem referantur, quae uti privilegium paucis reservatum consideratur.

Notio sanctitatis, mea humili sententia, talis esse deberet ut ex ea tria haec clare pateant: 1. elementa essentialia cuiusvis sanctitatis; 2. possibilitas pro omnibus eam assequendi; 3. usque ad gradum heroicum. Tria haec forsitan melius quam in definitione nostri schematis in sequenti formula, quam reverenter iudicio Patrum subicio, continentur: « Sanctitas consistit in perfecta et constanti conformitate cum voluntate divina ex amore supernaturali ».

In hac perfecta conformitate cum voluntate divina ex amore supernaturali omnia continentur quae ad sanctitatem conferri possunt et debent, uti v. g. virtutum theologicarum et moralium praxis nec non gratiae excitantis et adiuvantis auxilium.

Haec sanctitas apparet omnibus possibilis eo quod voluntas Dei est, quod nostra voluntas in fideliter adimplendo quotidiano munere, se conformet voluntati divinae. Plena haec conformitas est praeterea illa altissima meta ad quam non solum ascetica sed et mystica tendit.

Nemo dubitat quod haec sanctitas possit esse etiam vere heroica. Vera heroicitas enim non consistit solummodo in superandis certis extraordinariis difficultatibus, sed praesertim, saltem pro pluribus, in « perfecta » et « constanti » adimpletione voluntatis divinae in sic dicto « terribili quotidiano ».

Momentum praefatae definitionis est etiam psychologicum eo quod efficaciter inculcat possibilitatem sanctitatis heroicae in vita ordinaria. Maximi momenti est quod haec natura sanctitatis magis magisque nostris fidelibus illustretur, iis praesertim qui in paupertate degunt; qui in exercendo quotidiano munere saepe valde arduo fatigant; aerumnis corporis et animi laborant, etc. Sancta mater Ecclesia, praecipue hisce nostris temporibus, in suo magisterio ordinario et in proponendis novis beatis et sanctis, persaepe hanc sanctitatis formam prae oculis habuit et omnibus commendavit et commendat.

4. *Quod textus conciliaris animarum curatores hortetur ut frequenter de vocatione omnium ad sanctitatem loquantur.* Hoc enim faciendo nuntium evangelicum, ut est in votis, modo magis positivo fidelibus praebebunt et multarum animarum exigentiis satisfacient. Dixi.

14

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE

Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Postquam sermo fuit de populo Dei ac de eius structura essentialiter constitutiva, nempe de hierarchia et de laicis, tractatur *nunc* [1] de modis et de viis quibus christiani ad finem Ecclesiae tendunt, scil. ad sanctitatem et caritatis perfectionem, sive in saeculo remaneant, sive in aliquem coetum religiosum ingrediantur. Qui ordo schematis nostri retinendus esse videtur et hoc propter triplicem rationem, propter rationem theologicam, propter rationem pastoralem et propter rationem oecumenicam.

Primo, inquam, *propter rationem theologicam.* Equidem, prima fronte apparent in Ecclesia tres personarum categoriae, quae passim sub nomine clericorum, religiosorum et laicorum indicantur. Attamen sedulo attendendum est ex illa triplici divisione aliquam confusionem accidere posse, quia in duplici plano vertitur. In primo plano distinguuntur pastores qui communitati praesunt et ceteri fideles qui ab eis pascuntur. Quae prima distinctio ad structuram essentialiter constitutivam ipsius Ecclesiae Christi pertinet et, ut proclamat Codex Iuris Canonici ... [2] est iuris stricte divini. Altera autem distinctio, inter nempe religiosos et non-religiosos, modum praecise considerat quo fideles sanctitatem prosequuntur. Sunt enim inter baptizatos qui in statu peculiari ab Ecclesia sancito sic dicta consilia evangelica expresse profitentur

seu, ut alii dicere malunt, qui totalem sui consecrationem in aliqua religione faciunt, plus minusve valedicentes modo et conditionibus in quibus christiani passim in saeculo vivunt. Reliqui autem vitam christianam ducere pergunt in medio saeculo, in familia, in labore, in occupatione civili etc. Ut bene dicitur in schemate ...[3], status religiosus « ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid inter clericalem et laicalem conditionem, sed ex utraque parte christifideles quidam a Deo vocantur, ut in Ecclesiae mysterio peculiari dono fruantur et servitio mancipentur ».

Breviter, religiosi constituunt utique aliquam structuram *in* Ecclesia, aliquam structuram sine qua ceterum Ecclesia ad perfectam suam efflorescentiam non attingeret, sed nihilominus eorum socialis organizatio ad structuram ...[4] constitutivam Ecclesiae *stricte* [5] non pertinet; sunt structura in Ecclesia, non sunt structura Ecclesiae ipsius. Adderem quod in detrimentum ipsorum religiosorum esset si eorum status seiunctim consideraretur. Radix nempe dignitatis vitae religiosae in ipsa vocatione omnium baptizatorum ad sanctitatem conditur. Ac proinde eo magis in suo proprio valore elucebit vita religiosa quo arctius cum aliis statibus baptizatorum et cum tota vita Ecclesiae coniuncta apparebit.

Secunda ratio quae generalem perspectivam mediorum ad sanctitatem postulat, est *ratio ordinis pastoralis*. In suo sensu evangelico fideles religiosos et religiosas considerant ut antesignanos (gallice: l'avant-garde) in tendentia ad perfectionem christianam, et optandum est ut revera eorum fidelitate ac fervore fideles ad praxim spiritualis vitae fortiter attrahentur. Valor praecipuus status religiosi qua talis pro tota communitate non est tandem aliquando in auctoritate quam forsan religiosi exercent aut in operibus caritativis aut aliis quae faciunt, sed praecise in eorum spirituali influxu et in incitamento quod parant ad vitam sanctiorem. Ex altera parte, ut dicebat em.mus card. Suenens, oportet ut tollatur impressio quod perfectio et sanctitas essent quasi monopolium reservatum religiosis et hoc bene ac gratulanter acciperetur ab omnibus fidelibus. Bonum est ergo, ut nota specifica vitae religiosae exponatur in perspectiva universalis vocationis ad sanctitatem.

Tandem, *tertio,* ad *rationem* quam dixi *oecumenicam,* optarem ut Patres specialiter attendere vellent. Insertio eorum quae ad religiosos pertinent in ampliori prospectu de universali vocatione ad sanctitatem non caret momento pro christianis ex Reformatione saeculi XVI. Duces enim reformationis protestanticae destruere voluerunt, uti aiebant, medium parietem separationis quem ab Ecclesia catholica erectum putabant inter privilegiatos, scil. religiosos, qui ad altiorem et proinde proprie dictam sanctitatem vocarentur, et massam aliorum omnium quae ad in-

feriorem praxim praeceptorum redigeretur et cui proinde non pateret nisi moralitas elementaria ad salutem utcumque non deperdendam. Revera reformatores non semel gloriantur quasi ipsi sanctitatem pro omnibus accessibilem tandem effecerint. Talis error de authentica significatione vitae religiosae prudenti caritate in nostra Synodo corrigendus esset.

Cum de oecumenismo loquar, mihi addere liceat verbum de orientalibus, qui iuxta perantiquam traditionem tanti semper fecerunt monachos et anachoretas, in quibus ipsi praesertim vident antesignarios vitae spiritualis. Modus noster loquendi, canonicus et facile latinus, in aleam ambiguitatis facile nos induceret. Nonne praesertim insistere deberemus in valore theologico totalis consecrationis Deo per virginitatem et vitam asceticam? Ultra modos loquendi qui iuridicam institutionem medii aevi et, ut aiunt, problematicam saeculorum redolent, attendendum esset ad doctrinam fundamentalem Christi, apostolorum et SS. Patrum, ita ut de vita consecrata et de vita religiosa omnes christiani concorditer disserere possent, quod sane optandum est in Concilio Oecumenico.

Concludo actualem capitis de sanctitate in Ecclesia cohaerentiam omnino servandam esse. Attamen, ut titulus capitis cum eius expositione accuratius correspondeat, opto ut potius dicatur: « de universali vocatione ad sanctitatem, specialiter de religiosis ». Ita in ipso titulo momentum recognosceretur coetuum religiosorum ac religiosarum in Ecclesia ac simul de iis sermo fieret in ampliore prospectu in quo revera vita religiosa in perfecta luce poneretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in schemate. [2] (can. 948). [3] pag. 21, linn. 4 ss. [4] essentialiter. [5] deest.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH URTASUN

Archiepiscopus Avenionensis

Venerabiles Patres,

Post considerationem de Ecclesiae mysterio et de constitutione eius hierarchica, qua, ex ipso iure divino, clerici a laicis distinguuntur, pervenimus in cap. IV ad culmen expositionis. In hoc capite agitur de vocatione ad sanctitatem, quae est finis ab Ecclesia intentus. Docetur quod omnes universaliter ad hanc sanctitatem appellantur, ad quamcumque categoriam pertineant, sive sint sacerdotes, coniugati, sive pertineant ad

coetum qui speciatim in hoc capite consideratur, scil. ad coetum religiosorum. Religiosi constituunt in Ecclesia institutionem maximi momenti, tum propter suum numerum ingentem, tum propter suum latissimum influxum super totam communitatem in ordine ad prosecutionem sanctitatis.

Ego qui loquor, fui per aliquot tempus unicum membrum commissionis praeparatoriae de religiosis episcopus non pertinens nec ad ordinem nec ad ullam congregationem. Notus sum apud plurimos ut amicus religiosorum et gaudeo de hoc quod hanc amicitiam publice profiteri possum. Peto autem quod quaestio de religiosis in nostro capite schematis de Ecclesia modo doctrinali et non iuridico pertractetur. Ideo, meo iudicio, examinari debet in contextu de universali vocatione ad sanctitatem.

Sane aliqui Patres peculiariter existimati postulaverunt, ut pars nostri capitis, quae de hac universali vocatione agit, ad novum caput de populo Dei remittatur, et quod nostrum caput unice ageret de his qui consilia evangelica publice profitentur, in institutione et statu particulari ab Ecclesia sancito.

Haec autem ordinatio diversis exponitur difficultatibus quae Patribus exponere intendo.

1. In novo capite de populo Dei agitur de elementis quae communia sunt omnibus membris Ecclesiae, dum in hoc cap. IV agitur praecise de variis categoriis, quae secundum diversas vias ad eamdem sanctitatem ascendere conantur, sive sint praesules et presbyteri, sive coniuges et parentes christiani, sive iuvenes, virgines, viduae, sive operarii, pauperes aut possidentes, aegroti et senes etc., sive denique religiosi. Si vero proposita translatio ad caput de populo Dei admitteretur, plura exinde *in confusionem venirent*. Ita v. g. *bis* de consiliis evangelicis agendum esset, ex una parte pro illis qui privatim consilia exercent, ex altera autem parte pro illis qui publicam faciunt professionem consiliorum in statu religioso.

2. Oportet ut prosecutio sanctitatis a variis categoriis fidelium revera appareat ut culmen totius schematis. Iam in Antiquo Testamento populus Israël ad sanctitatem coram Deo vocabatur. Sacerdotium autem omnium fidelium, sicut multi Patres iam excellenter dixerunt, non facit distinctionem inter varias categorias: pertinet enim ad omnes sine exceptione aut distinctione. Unde postulatur ut varii modi et variae viae ad sanctitatem exponantur in uno complexivo capite, quod de diversis coetibus et specialissimo titulo de religiosis ageret.

3. Sic pervenio ad considerationem principalem, scil. de manifestatione clara et nitida significationis vitae religiosorum in toto Corpore

Christi quod est Ecclesia. Si vero religiosi in hac expositione a reliquis membris communitatis omnino separantur, haec significatio debito modo amplius non apparet. Impressio produceretur, quasi religiosi aliquam speciem constituerent, quae non satis cum populo fidelium coniungeretur. Consequenter magnam partem sui salutaris influxus deperderent et manifestatio institutionalis prosecutionis sanctitatis et perfectionis in Ecclesia multum minueretur. E contra, si religiosi cum tota communitate coniuncti remanent, merito sperare possumus, quod augebitur etiam numerus vocationum et roborabitur perseverantia candidatorum.

Ecclesia est magna familia, concorditer vivens et foecunda, in cuius sinu germinantur a primis aevis virgines, ascetae; postea monachi et moniales, religiosi, nunc laici consecrati, qui apostolatui totaliter dedicantur. Ita refulget pulchritudo totius corporis Ecclesiae, in quo omnes catholici ad praxim sanctitatis communiter vocantur, praeeuntibus religiosis, qui arctiore via aliis praecedunt, et omnibus aliis animum et ardorem addunt. Hoc beneficium hodie etiam a non paucis fratribus seiunctis magno pretio aestimatur.

Sint ergo Deo dedicati in vita religiosa magis magisque conscii de suo eximio munere ecclesiali et de valore sui exempli in intimiore imitatione Christi crucifixi *et resurrecti.*[1] Memores sint omnium fratrum suorum, qui in saeculo commorantes periculis non levibus exponuntur. Velint cum illis omnibus coniunctionem caritatis servare, ut contactus inter religiosos et alios foecundior fiat et uberiores fructus producat. Certissime omnes religiosi et religiosae hunc contactum spiritualem intensificare desiderant; non volunt vivere extra contextum totius vitae sanctitatis Ecclesiae. Ideo maxime optandum est, ut expositio de vita religiosa in contextu litterario et dogmatico totius sanctitatis ponatur...[2]

Concludo.[3] Etsi argumenta allegata mea sint, attamen hanc propositionem facimus, nomine plurium episcoporum, etiam religiosorum, non solum Europae sed Americae Septemtrionalis, Australiae et Malaysiae, ut in titulo nostri cap. IV expresse *dicatur*[4]: de universali vocatione ad sanctitatem et speciatim de religiosis.

B. Virgo Maria, merito invocata ut Mater fidelium, Regina cleri et Protectrix familiarum religiosarum, sua intercessione promoveat omnes suos filios in quocumque vivant statu per exercitium indivisae caritatis ad altiorem sanctitatem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] non separatim, sed coniunctim cum aliis categoriis illorum qui ad perfectionem caritatis anhelant. [3] deest. [4] indicetur.

16

Exc.mus P. D. STEPHANUS BÄUERLEIN
Episcopus Bosniensis

Venerabiles Patres,

In capite *de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* nihil dictum esse videtur de statu perfectionis cleri saecularis ...[1]. Desiderarem, ut etiam huic rei quaedam verba dedicarentur. Iam a multo tempore exspectatur, ni fallor, ut clero saeculari ...[2], iustitia quaedam, ausim affirmare, reddatur. Notum est enim clerum saecularem esse aliquid neutrum in Ecclesia, nec laicam nempe ac religiosorum quidem vitam ducere, non inveniri scil. in statu simplicium fidelium nec in statu perfectionis religiosorum. Suspensus esse videtur inter caelum religiosorum et terram simplicium fidelium. Immo quo status eius absurdior fiat membra Institutorum saecularium ab Ecclesia in numerum ad perfectionem anhelantium ponuntur, dum sacerdotes contra saeculares a statu perfectionis compelluntur.

Ex mea enim humili opinione incongruentia quaedam, ne dicam incohaerentia inveniri videtur in doctrina vitam sacerdotum saecularium ritus saltem latini respiciente. Ex altera parte ratione status sacerdotalis exigitur ab eis sanctitas religiosis superior, altera autem ex parte ratione status in quo sunt constituti, a statu perfectionis reiciuntur. S. enim Thomas, quem fere omnes nos sequimur et cuius quidem doctrinam incessanter sacerdotum ad aures effundimus, docet: « Qui divinis ministeriis applicantur regiam dignitatem assequuntur et *perfecti* in virtute esse debent » ...[3]. Ergo debent esse perfecti, constituti in perfectione, non tantum sese perficiendi verum etiam actu perfecti. Obligatio enim eis imponitur ratione status contracti sacerdotalis et nihilominus a Thoma, ut notum est, quem fere omnes sequuntur, sacerdotibus saecularibus negatur esse in statu perfectionis, quatenus in statu eorum elementa sufficientia deessent ad statum perfectionis constituendum necessaria. Ratione ergo status sacerdotalis exigitur ab eis status perfectionis et ratione status reiciuntur a statu perfectionis.

Quae vero incongruentia magis perspicietur si cum statu episcopali et papali conferatur.

Episcopus enim unice ratione status episcopalis ni fallor in statum perfectionis acquisitae — iuxta alios exercendae, iuxta alios communicandae — ponitur, Summus autem Pontifex unice ratione status papalis, ratione Summi Pontificatus qui vero status nec sacramentalis quidem est

(quia potest ei renuntiare), in statum perfectionis refertur statim ab acceptata electione ...[4], dum sacerdos saecularis contra ratione status sacramentalis quidem permanentis non adscribitur in numerum ad statum perfectionis pertinentium.

Quispiam forsitan dixerit sacerdotes saeculares votis consiliorum evangelicorum non obstringi ideoque ad statum perfectionis non pertinere. Ad quod vero respondendum esse videtur:

1. Nec episcopi nec Romanus quidem Pontifex tribus illis votis ligantur et nihilominus ad statum perfectionis pertinent.

2. Omnia tria vota non requiri videntur ad constituendum statum perfectionis. Ex mente enim Aquinatis votum paupertatis non esse videtur de essentia status perfectionis: « ... Ideo nihil prohibet *statum perfectionis* esse *sine abrenuntiatione propriorum* » ...[5]. De cetero votum paupertatis non videtur secumferre ut paupertas stricto sensu observetur. Religiosi enim communiter ea quae sunt ad vitam necessaria habent. Contra scimus veram paupertatem secumferre carentiam ad vitam necessarii. Praeterea notum est haud paucos religiosos diversas ob rationes a voto paupertatis dispensari et nihilominus in statu perfectionis permanere. A philosophis autem edocemur ab elemento essentiali nullum dispensari posse. Quod vero demonstrat votum paupertatis non esse de essentia status perfectionis. Demum cum sacerdotes saeculares simul cum religiosis in Officio Divino a Domino efflagitant scil.: « Divitias et paupertatem ne dederis mihi sed tantum victui meo tribue necessaria », oratio ista confirmat ad statum perfectionis pertinere non votum paupertatis sed spiritum paupertatis.

Quod vero attinet ad votum oboedientiae natura et consequentiae eiusdem voti reperiri posse videntur in verbis « Promitto » die ordinationis a sacerdote saeculari emissis. Natura enim voti oboedientiae consistit in submissione voluntati divinae mediante superiore eam manifestante. Vi status sui profecto sacerdos iam a diebus subdiaconatus et diaconatus, praesertim presbyteratus voluntati divinae se subdit mediante episcopo dioecesano eam manifestante. Sane stella a stella differt in claritate ...[6], ita quoque et submissio sacerdotis saecularis forsitan differt a submissione cuiusdam religiosi, attamen differentia in claritate motivum sufficiens non esse videtur existentiam stellae negandi. Etiam consequentiae saltem essentiales voti oboedientiae quae sunt sanctificatio ac salus personalis atque sanctificatio ac salus animarum inveniuntur tum in oboedientia religiosorum tum in oboedientia sacerdotum saecularium. Unde ex mea humili opinione ex parte oboedientiae sacerdotis saecularis nihil deesse videtur, excepta vero agnitione ecclesiastica, ut sacerdos ille constituatur in statu perfectionis. Docent enim theologi:

« Etsi formaliter et expresse votum non emittitur, si tamen, interveniente ecclesiastica auctoritate, aequivalenter obligatio sectandi perfectiora contrahitur, status perfectionis constitui dicendus est » ...[7]. Obligatio autem sectandi perfectiora contrahitur ratione status sacerdotalis quatenus sacerdos perfectus esse debet in virtute.

Quod pertinet vero ad castitatem tum saecularis tum religiosus eodem vinculo adstringitur. Quam ob castitatem homo angelis altior effectus est ...[8], qua vero ex mente eiusdem doctoris superatur omnium cupiditatum acrior ac vehementior; unde nihil mirum est votum castitatis solum, prioribus saeculis christianismi, statum perfectionis constituisse.

Quibus omnibus mature perpensis proposuerim ut a Concilio etiam clerus saecularis haberetur in numero ad statum perfectionis pertinentium...[9]

In textu scripto tradito: [1] ritus latini. [2] saltem ritus latini. [3] (IV *Sent.*, dist. 24, q. 2). [4] (cf. can. 219). [5] (II-II, q. 184, a. VII ad 1). [6] (*1 Cor.* 15, 41). [7] (Lehmkull, *Theol. Mor.* I, ed. 10, p. 295). [8] iuxta S. Chrysostomum; cf. R. Journel, *Ench. Patr.* 1116). [9] Quae vero doctrina multum renovandae Ecclesiae contulerit. In primis enim maiori clerum saecularem inter et regularem unioni. Regulares enim pluris aestimaverint saeculares qui perspicientes quosdam regulares a primaevo fundatoris fervore deficere acre eos crisi non subiecerint quia potius ad fragilitates suas animum adverterint. Ipsi quoque regulares motivum haud parvum ad spiritum fundatoris redeundi sumpserint. Illis autem saecularibus viam mandatorum Domini strenue sequentibus adminiculum sat forte dederimus contra obtrectationem sacerdotum tepidam vitam agentium et eos inter homines parum prudentes, immo quandoque anormales, adscribentium. Demum educatio seminaristica atque exhortatio nostra ad sanctitatem cleri saecularis eiusque nobiscum cooperatio absque dubio fruges tulerint uberiores.

Moderator: Audiatur secretarius generalis, qui dabit quasdam notitias.

Secretarius generalis: Die 28 octobris, caeremonia incipiet hora 9 matutina, et Patres induent habitum proprium congregationum generalium.

Die autem 29, feria III proximae hebdomadae, fiet, de mandato moderatoris, suffragatio circa schema *de Beata,* iuxta quaesitum quod iam Patribus propositum et distributum est. Pariter feria III proximae hebdomadae fiet suffragatio super integrum cap. V *de sacra Liturgia,* cum formulis notis *placet, non placet, placet iuxta modum.* Deinde post relationem incipiet suffragatio emendationum cap. VII eiusdem schematis. Dixi.

Lego nunc exitus suffragationum factarum hoc mane:

Emendatio VI:

Praesentes votantes	2.192
Dixerunt *placet*	2.181
non placet	10
placet iuxta modum, nullum igitur . .	1

Emendatio VII:

Praesentes votantes	2.180
Dixerunt *placet*	2.171
non placet	8
Votum nullum	1

Emendatio VIII:

Praesentes votantes	2.071
Dixerunt *placet*	2.057
non placet	13
Votum nullum	1

Emendatio IX:

Praesentes votantes	2.062
Dixerunt *placet*	2.057
non placet	4
Votum nullum	1

Emendatio X et ultima huius cap. V:

Praesentes votantes	2.068
Dixerunt *placet*	2.058
non placet	9
Suffragium nullum	1

Dixi.

Moderator: Congregatio solemnis: feria II. Congregatio usualis: feria III.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE ECCLESIA *

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 5, lin. 4: « Cum gaudio »: expressio sapit aliquam affectationem (ad captandam benevolentiam laicorum) et proinde melius omittitur.

Pag. 5, lin. 6: Quid significat « communitatem ... veritatis ... »?

Pag. 5, lin. 7: « Redemptionis sumitur » ..., melius *as*sumitur; « *ad* universum mundum ... »: quia christiani iam in mundo sunt et non ab extra proveniunt melius dicitur *in* universum mundum, nisi praeferendum videatur, « ad universos homines » vel « ad universum genus humanum ».

Pag. 5, lin. 8: « Pastores ... », fortasse melius « pastores sacri », vel fortasse clarius « sacra hierarchia ».

Pag. 5, lin. 10: « Ut cuncti ... »: fortasse melius « ut cuncta membra Ecclesiae »; ... hoc in loco verba *essentialia* textus ad quem lector remittitur valde utiliter citari possent, fere in hunc modum: totum enim Corpus mysticum sui augmentum facit in aedificationem sui secundum operationem « in mensuram uniuscuiusque membri » (cf. *Eph.* 4, 12. 16).

Pag. 5, lin. 14: Nonne melius citaretur *1 Cor.* 12, 12: « Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa unum tamen corpus sunt, ita et Christus ». Vel etiam *Rom.* 12, 4: « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus... ».

Pag. 6, lin. 4: Verba « regale illud sacerdotium » ponantur inter virgulas et addatur (cf. *1 Petr.* 2, 9).

Pag. 6, lin. 11: « Si igitur »; melius *etsi* igitur, vel melius: « Omnia haec Ecclesiae membra ad sanctitatem vocantur. Etsi quidam ex voluntate Christi ... » (lin. 14).

Pag. 6, lin. 16: « et actionem ... communem »: forte melius explicatur, quid sit haec « actio » omnibus fidelibus communis, addendo fere haec: « circa aedificationem Corporis Christi mystici ».

Pag. 6, lin. 17: « distinctio ... simul est coniunctio »: expressio abstracta, minime clara; fortasse melius: « distinctio secumfert coniunctio-

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio clausa est.

nem, cum Pastores et (omitte « alii ») fideles ad invicem ordinentur sicut qui pascit et qui pascitur, qui regit et qui regitur ».

Pag. 6, lin. 19: « Ecclesiae praepositi populo inserviant »: forte melius « Ecclesiae praepositi, exemplum Domini secuti, populo ministrent » (cf. *Mt.* 20, 28).

Pag. 6, lin. 24: post « ministrare » adde (cf. *Mt.* 20, 28).

Pag. 6, lin. 25: « pascunt, ut mandatum ... »: expressio minus felix; nam ea quae praecedunt non ordinantur directe ad hoc ut illud mandatum impleatur; ergo vel hoc incisum *omittatur* (vel saltem dicatur « *ita* ut ... » vel etiam: « et sic mandatum ... impletur ») .

Pag. 6, lin. 31: « iamvero ... »: nexus huius textus cum praecedentibus non apparet. Num tantum « sacrosancta Synodus » nomen « laicorum » sic intellegit?

Pag. 6, lin. 32: definitio laicorum fortasse melius sonat, si primum dicitur negative quid non sunt (linn. 35 s.) et solum dein positive quid sunt.

Pag. 6, lin. 37: « In laboribus huius mundi ... »: forte melius est expressione ordinaria uti dicendo: « in negotiis saecularibus », vel « negotia saecularia exercent ».

Pag. 6, lin. 40: Ubi non est necessarium, melius textus S. Scripturae non mutantur: dicatur ergo: Corpus enim mysticum Christi sui « augmentum facit secundum operationem uniuscuiusque membri, donec perveniamus omnes in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi »; etiam id quod sequitur melius sic mutetur: « una est ergo omnium Corporis Christi *membrorum* vocatio ».

Pag 7, lin. 6: « Spirituales offerat hostias *per omnem actum* ... »: nonne *sacerdotium* regale omnium fidelium primario in participatione in Sacrificio Eucharistico exercetur? Solum consequenter hoc fit « per omnem actum ... ». Unio enim illa cum Christo quae inchoatur baptismo et continuatur per participationem Sacrificii Eucharistici ad totam dein hominis vitam extenditur et in eadem exercetur et perficitur. Sic « omnis actus hominis christiani » *metaphorice* dicitur actus sacerdotalis.

Pag. 7, lin. 8: Hic repetuntur quae iam initio paginae lin. 4 s. dicta fuerunt. Hic quoque apparet quam utile esset id quod commissio laboribus Concilii coordinandis censuit, tractationi scil. de laicis praemittendam esse tractationem de populo Dei in genere.

Pag. 7, lin. 12: Hi textus iam pag. 6, lin. 4 s. citati sunt.

Pag. 7, lin. 15: « Testimonium praebeant »: melius vel « dent » vel « reddant » vel adhuc melius « perhibeant ».

Pag. 7, lin. 23: « Ad actum deducitur »: expressio nimis scholastica; proponitur « ad effectum perducitur ».

Pag. 7, lin. 24: Nonne *hinc* tota haec tractatio (n. 24) incipere debebat?

Pag. 7, lin. 25: « Fidem ... profiteri ... »: nonne fidei professionem praecedit fides ipsa, scilicet ut credant omnia quae Christus docuit et

observent eadem (cf. *Mc.* 16, 16; *Mt.* 28, 20). Ceterum terminus « fides » hic improprie adhibetur (= religio christiana).

Pag. 7, lin. 34: « Se invicem ... sanctificant ... »: melius: « adiuvant in sanctitate adipiscenda ». Verbum enim « sanctificare » melius reservatur actioni Christi per gratiam et sacramenta.

Pag. 7, lin. 35: « Atque adeo » forte melius « atque *hoc modo* ».

Pag. 7, lin. 38: « Novi societatis humanae cives »: nonne « civis » adhibetur tantum de civibus alicuius Urbis vel alicuius reipublicae? proinde dicatur « societatis humanae membra »; sequitur « *sub* gratia ... », nonne melius *per* gratiam?

Pag. 7, lin. 39: « ad perpetuandum ... Corpus ... »: fortasse addendum est « et augendum », non enim agitur tantum de Corpore Christi mystico perpetuando.

Pag. 8, lin. 1: « Saepe sunt primi ... praecones »: « saepe » omittatur; debent *semper* esse « praecones ... ». « quasi munus episcopale ... »: in textu in nota n. 8 citato vere S. Augustinus hoc non dicit, sed tantum genitores *in sua familia* « vices agere » episcopi et superintendere, intendendo curare. Iamvero munus proprium episcopi est superintendere *in aliqua dioecesi* et non tantum in familia.

Pag. 8, lin. 5: Duabus lineis explicari deberet in quonam consistat hoc « regnare » filiorum Dei, id est in aliqua participatione gloriae Dei eiusque regni, qui « vocavit nos in gloriam suam » (cf. *1 Thess.* 2, 12); hoc regnum minime ad solam luctam contra regnum peccati reduci deberet, uti videtur fieri in lineis sequentibus. Cuius regni Dei plenam participationem in caelis adipiscentur (cf. *Mt.* 5, 3; 25, 34; *1 Cor.* 6, 9 s.).

Pag. 8, lin. 8: « Munus ... sacerdotale ... participantes »: nonne aliquomodo innuere oporteret quo modo fideles hoc triplex munus participent? Si agitur de conclusione e praecedentibus hoc dici deberet, fere hoc modo: « e his omnibus apparet fideles munus Christi ... participare ».

Pag. 8, lin. 9: « mandatum eius novum et maximum »: de quanam re agitur hic: de mandato Christi *novo* dilectionis erga proximum solum vel etiam de « maximo mandato » scilicet dilectionis *Dei* et proximi?

Pag. 8, lin. 9: E sequentibus videtur agi solum de novo mandato dilectionis erga *proximum*. Sed tunc vox « maximum » omnino omitti deberet ne confusio fiat. In hoc casu in nota n. 10 omittatur citatio *Rom.* 5, 5; notum enim est inter exegetas disputari de quanam caritate agatur et probabiliter etiam caritas nostra *erga Deum* in textu inclusa est.

Pag. 8, lin. 12: « Vult ... se agnosci »: expressio difficilis pro re in se simplici et clara.

Pag. 8, lin. 13 s.: nexus eorum quae sequuntur de sensu fidei etc. cum praecedentibus *nullo modo apparet*. Quid huc spectant expressiones « Deo offert fructum labiorum confitentium ... »? Quid significat, Ecclesiam in credendo indefectibilem esse? Connexio materiae quae in nota n. 11 indicatur nimis artificialis est.

Pag. 8, lin. 18: « coalescit ipsorum consensu ... »: vere difficile intellectu est de quanam re agatur.

Pag. 8, lin. 21: « inhaeret ... »: fortasse clarior est expressio ordinaria « *ad*haeret » quae saepe de fide adhibetur.

Pag. 8, lin. 28: quid sunt « charismata clarissima et simpliciora et latius diffusa ... »? Tota expositio multo magis *concreta* esse deberet. « Cum gratiarum actione a consolatione ... »: Quid hic significat « consolatio »? an *propria* uniuscuiusque an aliorum? E praecedentibus, maxime e textu ex epistula sancti Petri citato, exspectaretur non aliquod verbum de « consolatione », sed potius de diligenti *usu* doni accepti ad bonum Ecclesiae, secundum textum *Rom.* 12, 6: « Habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei ... qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate » (cf. *Eph.* 4, 11 s.; *1 Cor.* 12, 7).

Pag. 8, lin. 33: Si a donis extraordinariis non sunt sperandi « fructus operarum (sic!) apostolicarum », ad quid ergo dantur? Nonne S. Paulus explicite dicit *omnia* dona dari ad utilitatem? (*1 Cor.* 12, 7). Fortasse ergo dicendum est solum ab his *nec primario nec praevalenter* sperandum esse fructum (sed etiam ab his). « Sed iudicium ... humiliter submittendum est ... »; fortasse primo dicendum esset ipsos fideles quoque studere debere, ut sibi iudicium sanum de his donis forment, secundum illud apostoli: « Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere. *Omnia autem probate*; quod bonum est tenete » (*1 Thess.* 5, 20 s.). Dein potest addi: iudicium autem *definitivum* Ecclesiae rectoribus submittendum esse. Textus autem qui hic citatur *1 Cor.* 14, 40 non est ad rem, non enim, respicit iudicium de rebus, sed modum charismatibus utendi.

Pag. 9, lin. 1: « apostolatus autem ... »: nexus cum praecedentibus non clare apparet; proponitur hoc modo: « Talis autem cooperatio laicorum est participatio etc. ».

Pag. 9, lin. 3: « Titulo omnibus ... communi ... vel etiam ... addito »: fortasse clarius: « communi ... cui accedere potest etiam missio specialis a S. Hierarchia collata ». In sequentibus fortasse melius ita: « Quae missio minime efficit ut laici iam non sint laici et ad hierarchiam pertineant ».

Pag. 9, lin. 6: Quid est « Divinum salutis *propositum* »? Fortasse: « salus a Deo oblata ».

Pag. 9, lin. 11: Quid sunt « *valores* religiosi »? Forte agitur de expressione aliqua moderna quae *aliter* latine reddenda est? v. g. gratia, bona a Christo allata vel quid simile. « Valores *religiosi* » etiam *extra* Ecclesiam habentur.

Pag. 9, lin. 14: « Curis temporalibus » nonne melius: « negotiis saecularibus »?

Pag. 9, lin. 16: « exercent », forte melius: « exercere possunt ».

Pag. 9, lin. 38: « opera etiam saecularia »: Loco « opera » forte melius « negotia ».

Pag. 9, lin. 40: « in quo officio universaliter adimplendo »: sensus non valde clarus; estne sensus: « in quo officio adimplendo *generatim* laici principem locum tenent »? Sed nonne etiam clerici idem praestare debent?

Pag. 10, lin. 2: « eiusque Verbi illuminationem »: quid significat haec expressio? fortasse: « secundum doctrinam Verbi » vel « secundum lumen a Verbo hominibus allatum ... ».

Pag. 10, lin. 6: « pro tota societate »: sensus? forte pro « omni genere humano », vel: « toti hominum societati ».

Pag. 10, lin. 10: Quid sunt « res mere civiles »? quid hic intelligi debet « confusio vel indebita permixtio religionis et Ecclesiae » in oppositione ad « infaustam separationem religionis a rebus mere civilibus »? Saltem non liquet, quomodo hae duae affirmationes cum invicem cohaereant. Haec res multo clarius dicenda videtur.

Pag. 10, lin. 18: quid significat « indoles *laica* terrenae civitatis »? Antea vox « laicus » aliter definita est (cf. pag. 6, linn. 30 ss.).

Pag. 10, lin. 21: quid est « libertas christiana »? fortasse « libertas religionem christianam exercendi »?

Pag. 10, lin. 23: Canon qui citatur (can. 682) loquitur de laicis *solis*. Cur hic alio modo applicatur? quinam sunt christifideles praeter laicos? Nonne ipsi « pastores », i. e. hierarchia?

Pag. 10, lin. 35: « pastores vero sua facientes verba ... »: fortasse melius: « verbis S. Scripturae obsequentes » et ratio est, quia textus hic citati habent formam imperativam quae ad alios dirigitur: qui ergo haec verba sua faceret, potius aliis hoc imperaret quam ipse in praxim deduceret. Ceterum, si verba citata « ad omnes fideles diriguntur » (n. 24, pag. 16), cur hic de « pastoribus » dicuntur?

Pag. 11, lin. 16: « missionem suam apostolicam »: ut evitetur confusio cum missione hierarchiae propria, fortasse melius specificatur et quidem hoc modo: « missionem apostolicam, omnibus christifidelibus communem ».

Pag. 11, lin. 19: « pro parte qua in mundo operantur »: forte clarius: « pro parte quam in mundo gerunt » (vel agunt).

Pag. 11, lin. 20: e nota 27 apparet auctores huius textus intendisse loqui de *laicis*, quod tamen e textu prout iacet, minime apparet; agit enim textus de « *omnibus* utriusque sexus fidelibus » (pag. 11, lin. 14); iamvero haec expressio non de solis laicis adhibetur ut hic patet ex pag. 10, lin. 23; pag. 10, lin. 39; ergo clarior reddenda esset.

Pag. 11, lin. 23: « sanctificatio nostra »: ad quem refertur haec vox « nostra »? textus videtur alludere ad verba *1 Thess.* 4, 3: « haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra ». In hoc contextu videtur dici « voluntatem Dei nos sanctificare » vel simile quid; sed hic minime sensus textus *1 Thess.* 4, 3 est; ibi potius dicit esse voluntatem Dei, ut nos sancti fiamus; propterea abstinendum esse ab illis peccatis quae vv. 4-6.

2

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

1. Iuxta votum iampridem a commissione coordinationis emissum rogo ut quaestio de populo Dei seiunctim tractetur ab illa de laicis, ipsique reservetur cap. II ante illud de Ecclesiae hierarchia.

2. Ideo plane consentio tam capitum ordinationi quam textibus de novo propositis ab em.mo card. Suenens in emendationibus suis, in fasciculo nobis transmisso; item et annotationibus ab exc.mo Compagnone, ep. Anagnino, die 17 octobris in aula expressis.

3. Ad tollendam omnem dubitationem vel quaerelam de genuina mulierum in Ecclesia positione, placeret ut in capitulo de laicis explicite etsi breviter dicatur semper agi de fidelibus utriusque sexus cuiuscumque etiam sint aetatis; ut v. g. in definitione data pag. 6, lin. 33, post « intelligit fideles » addatur: « tam viros quam mulieres, iuvenes quoque ac adultos ».

3

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMAR CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Doctrina de Maria Virgine, ut mihi videtur, in hoc cap. III nostri schematis incorporari debet. Liceat mihi explicare rationes sententiae meae.

Sine Mariae consensu, non esset Redemptor nec Ecclesia; sine Mariae eiusque muneris intellectu non datur conceptus Ecclesiae adaequatus. Et tamen habitudines Mariae ad Ecclesiam maxime difficile est definire. Mater Salvatoris, mater est etiam Ecclesiae, fundationi Ecclesiae praesupposita ideoque extra eam existens. Nihilominus Filia Ecclesiae est perfectissima: quia, sublimiori modo redempta, iustificatione initiali et sanctificatione priore exemptis, ex Ecclesia eiusque potestatibus hierarchicis gratias semper uberiores recipiebat. Et plus quidem dicendum: Virgo enim Maria etiam Veteri Testamento pertinet. Desideriis politicis Israelis frustratis, in humilibus et pauperibus, reliquiis populi electi spiritualibus, prophetae promissorum expletionem expectabant. Ex quibus orta est Maria, flos perfectissima, in qua expectationes propheticae factae sunt impetratio efficacissima.

His solis perpensis, methodus de Maria tractandi facillima esset schema speciale componere. Omnibus tamen aliis consideratis, tale schema, ut mihi videtur, potius nocivum esset quam utile: minime enim accomodatum esset necessitatibus nostrae aetatis. Veritatis, devotionis, et oecumenismi causa, Maria tractanda est in capite « de populo Dei ».

Primo, *veritatis* causa: Maria, filia Adae prius quam Dei, inter redemptos ideoque inter populum Dei acquisitum adnumeranda est. Immaculata Conceptio, libertas a peccato et concupiscentia, sanctitas eximia, et ipsa

Assumptio, omnia haec sunt privilegia, unica et transcendentia: et tamen omnia sunt effectus gratiae Christi redemptivae. Omnia Mariae data sunt ut maxime conformis esset Filio, conformitate autem quae communis est omnibus in Christo redemptis. Iam per multa saecula, theologi Mariam in contextu christologico considerabant, propetereaque ut subiectum ad ordinem hypostaticum fere exclusive pertinens, nostram conditionem transcendens. Nil mirandum ergo si Mater Dei, ut aliqui iam dixerunt, facta est quasi obiectum specialis religionis; si aliqui etiam theologi iam negaverunt Mariam ullam necessitatem habuisse redemptionis. Ad veritatem complendam, ad errorem superstitionis apud fideles evitandum, debemus considerare Mariam in contextu populi Dei redempti.

Secundo, *devotionis* causa, idem dicendum est. Filia Patris perfectissima, Maria exemplar est totius Ecclesiae et uniuscuiusque christiani. In ea illustratur totus gratiae redemptivae ordo: omnis motus in Dei amore gratuito initium capit et requirit in nobis illam receptivitatem activam quam « fiat » virginis ostendit. In ea iam perfecta sunt omnia quae Deus vult pro tota Ecclesia collective et pro omnibus Christifidelibus singulatim. In ea Ecclesia suam conditionem perfectam iam attigit. In tale contextu, exemplar vivens et intime praesens, Maria ostenditur obiectum devotionis verae, authenticae, et elevantis.

In fine, ordo propositus oecumenismi causae inserviet. Certissime, devotio catholicorum erga Mariam magnae dissensionis inter nos et fratres separatos occasionem praebet. Saepe saepius talis dissensio debetur non doctrinae Ecclesiae sed interpretationibus erroneis. In gratiae redemptivae contextu considerata, privilegia mariana non solum melius sed etiam facilius intelliguntur. Ceterum, ut mihi videtur, secundum hunc sensum, fundamentum solidum in Sacra Scriptura inveniunt, quia Novum Testamentum: *primo,* pro omnibus christianis victoriam super peccatum, concupiscentiam, et mortem promittit; *secundo,* Mariae sanctitatem et gratiam attribuit quae sanctitatem aliorum transcendit sicut maternitas omnes alias cum Deo relationes transcendit.

Meo iudicio, tractatio quae loquitur de Mariae communitate cum nobis redemptis multum proderit vitae Ecclesiae, devotioni fidelium, et honori tum Mariae tum Christi.

4

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Maxime laudando argumenta in cap. III pertractata et statutam capitis divisionem in duas partes iam omnibus notas, sit licitum mihi duas adnotationes facere, una pro novo cap. II quod « de populo Dei » nuncupabitur, et altera pro novo cap. IV « de laicis ».

1. In cap. de populo Dei, secundum indicationes in fasciculo Emenda-

tionum prelis datarum, par. 13 erit « de populo uno et universali ». Optime quidem. Videretur tamen magis concrete de hac unitate loquendum esse. Sicut iam dixi (in ista secunda sessione), pretium schematis erit de Koinonia loqui; hoc autem hic praecise mihi videtur faciendum. Populus Dei non est congregatio individuorum, sed communio personarum et communitatum complectens omnes fideles qui ubique terrarum invocant nomen Domini (*1 Cor.* 2, 2).

Necesse est concipere populum Dei habentem uti basim, non conceptum « individui », sed conceptum « communionis ».

Hoc clare deduci potest etiam a sola consideratione quod Ecclesia est corpus Christi, et quidem non metaphorice tantum sed physice et mystice, sicuti dicit apostolus, e. g., in *1 Cor.* 1, 21.

S. Paulus loquitur de corpore physico Christi relate ad Ecclesiam sub duplici aspectu: *a*) aspectus aliquis communionis, seu identificationis, quo corpus Christi est Ecclesia (*Rom.* 12, 5); *b*) aspectus aliquis orientationis, seu distinctionis et capitalitatis, quo corpus Christi est caput Ecclesiae (*Eph.* 1, 22-23). Ambo aspectus sacramentaliter in Ecclesia praesentes redduntur in speciebus eucharisticis et in episcopo; immo, ambo aspectus plene realizantur in celebratione Eucharistiae, unde bene dictum est quod Ecclesia facit Eucharistiam et Eucharistia facit Ecclesiam. Ecclesia in celebratione eucharistica est revera, et quidem physice etsi sacramentaliter, ipsum corpus Christi sive sub aspectu capitalitatis sive sub aspectu unitatis.

Sicut ergo unum corpus Christi multipliciter redditur praesens totum et idem ubique terrarum quando per episcopum celebratur Eucharistia, sic Ecclesia vera, una et eadem, est in omni loco ubi idem sacramentum conficitur.

Ideoque tot Ecclesiae quot episcopi dispersi in mundo ubicumque praesidentibus illis vel eorum delegatis celebratur sacrificium eucharisticum (cf., e. g., S. Ignat. Ant., *Magn.* 6, 1; *Smyrn.* 8, 1); sed inter omnes Ecclesias una eademque sola Ecclesia universalis unica sponsa Christi, sicut inter omnes episcopos unus ordo episcoporum et unus Romanus Pontifex, episcopus universalis, sicut in corpore unum tantum caput.

Sic affirmatio ipsa quod Ecclesia est corpus Christi innuit necessario quod Ecclesia est Koinonia seu Communio.

Scriptis tradam vota nostra.

2. Quoad caput « de laicis » loquar de n. 25, in quo datur aliqua laicorum definitio. Plene consentimus iis quae dicta sunt a Patre Godefrido Dayez. Aliquid tamen addendum censemus.

Oportet omnino ut laici definiantur positive ac theologice, secundum ipsam structuram divinam Ecclesiae, quae duplicem implicat distinctionem, hierarchiae scil. et laicatus.

In laicorum definitione impossibile forsan erit vitare expressionem negativam de non pertinentia ad ordinem hierarchicum, quae tamen non facit definitionem esse negativam sed potius correlativam.

Correlativitas inter hierarchiam et laicatum refertur ad determinata munera quae non exhauriunt totam vitam populi Dei. Permultae etenim activitates vitae Ecclesiae omnino communes sunt clericis et laicis; sic, e. g., tota interioritas vitae christianae prout est novus modus essendi ac operandi in Christo.

Notandum insuper venit quod character sacramentalis, quo quis ad ordinem hierarchicum incorporatur, nec elidit nec absorbet characteres Baptismi et Confirmationis. Sic, e. g., quando nuper ad sacrificium eucharisticum nos episcopi participavimus, hoc fecimus non prout ordinati ad hierarchiam sed prout signati baptismate.

Analogico modo etiam notandum omnino est, et quidem perspicue, quod character baptismalis nec elidit nec absorbet naturam ipsam hominis Baptismum recipientis. Homo cum sua natura ac cum sua propria missione in creatione, existit ante baptismum et nihil de sua authentica humanitate deperdit.

Christifidelis non recipit missionem evolvendi ac perficiendi mundum a sacramento Baptismi, sed eam habet propter ipsam naturam humanam. Quod recipitur in Baptismate est missio instaurandi omnia in Christo.

Propter istas rationes nobis videtur necessarium inserere novam aliquam paragraphum in isto cap. IV, in qua breviter agatur de munere ipsius hominis ut talis, prout est subiectum mysterii creationis. Homo enim, ut talis, recepit a Patre munus perficiendi mundum illique sensum humanum infundendi.

Si hoc fiet, laicorum definitio, etsi implicet expressionem illam negationis propter correlativitatem ad hierarchiam, reapse erit substantialiter positiva ob duas praecipuas rationes: *a*) quia laicus est membrum populi Dei, de cuius muneribus dictum est positive in cap. II; *b*) quia laicus est membrum generis humani, homo scilicet, de quo positive dicendum esset in paragrapho inserenda. Et praecise quia laicus non est de ordine hierarchico, melius ac fusius ad munera humana se dedere potest et pro suo christiano charactere mundi consecrationem perficere.

Alias observationes ad totum cap. III, in duo capita subdivisum, scripto secretariatui tradam.

Animadversiones additae:

Nota bene: Cum, post statutam istius capitis divisionem, non datus sit Patribus textus continuus uniuscuiusque divisionis partis, scil. novi cap. II « de populo Dei » et novi cap. IV « de laicis », nobis utile visum est humiliter proponere nostras emendationes non separatim, sed in suo integro contextu.

Caput II: *De populo Dei*

Nota: Numeri et litterae, quibus incipit unaquaeque emendatio, correspondent numeris et litteris in textu infra allato [*cf. pag. 405-417*].

1. Assumitur textus emendationis a card. Suenens propositae: cf. fasci-

culum Emendationum, Pars II, pag. 7 et 8, nn. 8 et 9. *Ratio*: Hoc necessarium evadit ob divisionem cap. III textus schematis.

a) Pro « in tota sua amplitudine » ponatur « ex divitiis Verbi Dei ». *Ratio*: Quia Ecclesia nondum in tota sua amplitudine adhuc proposita est, neque hoc possibile videtur.

b) Verba « et antequam » usque ad « sese convertat » inseruntur ad innuendam distributionem materiae.

2. Assumitur textus emendationis a card. Suenens propositae, loc. cit. n. 9. *Ratio*: Sic bene indicatur origo populi Dei ex novo foedere; conceptus foederis maximum momentum habet in historia salutis.

a) Pro « appellatus est » ponatur « erat », ne videatur agi tantum de nomine.

b) Pro « ab eo » ponatur « a Deo », quia melius attribuitur Deo ipsa convocatio.

c) Omittitur « legitime », quia superfluum.

3. Censemus inserendam esse paragraphum istam « de koinonía » seu communione in populo Dei propter multiplices rationes, inter quas sequentes enumerari possunt: 1) Ne concipiatur populus Dei simpliciter ut coetus individuorum sed potius ut communio personarum et communitatum; 2) Quia, historia testante, primaeva Ecclesia clarissimam conscientiam habuit de hac communione, quae hucusque clarior apud orientales servatur; 3) Ecclesia adest ubi episcopus perficit Eucharistiam, et sic tot Ecclesiae quot episcopi residentiales; 4) Propter rationes oecumenicas. Relationes cum fratribus separatis non ad individua tantummodo tendere debent, sed ad ipsas eorum communitates, quae traditionaliter vocatae sunt Ecclesiae vel communiones.

4. Introducatur descriptio populi Dei triplici munere, sacerdotali, prophetico et regali. Si caput de hierarchia hac tripartita distinctione extructum est, congruum videtur et magis harmonicum, et quidem etiam magis theologicum, eadem distinctione uti pro cap. de populo Dei et pro cap. de laicis.

a) Videtur opportunum exponere intimam correlationem trium aspectuum.

b) Iste textus insertus est ad sacerdotium universale magis biblice describendum, ad innuendam ideam martyrii et munus latreuticum omnium creaturarum per hominem exercendum.

c) Loco linn. 29-33 pag. 7 schematis, dicatur simpliciter « non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso Deo offerunt ». *Ratio*: Ut vitetur imaginativa descriptio transubstantiationis et ut melius indicetur actuosa participatio laicorum ad Eucharistiam. De cetero phrasis desumpta est ex cap. II n. 48 schematis S. Liturgiae.

d) Cf. « Emendationes », fasc. 2, pag. 8, n. 11.

e) Pro « casto » dicatur « hoc » ut magis realitati correspondens.

f) *g*) Oportet magis officium inculcare quam factum compertum habere.

h) Ratione styli.

5. Ne praetereatur munus propheticum et explicite indicetur maximum officium testimonii.

6. Cf. schema n. 24, pag. 8, linn. 13-36.

a) Additur ut primatus caritatis ad mentem S. Pauli clarius eluceat.

7. Ne praetereatur munus regale populi Dei. Indicatur insuper indoles specifica istius regni, quod est regnum mansuetudinis, pacis et paupertatis.

8. *a*) Cf. « Emendationes » fasc. 2, pag. 13.

b) Ut tandem aliquando indicetur necessitas Ecclesiae modo revera positivo.

c) Cf. « Emendationes » fasc. 1, n. 112, pag. 18, excepta tamen ultima paragrapho.

d) In anteriori pericopa omittatur verbum « romanam », ob redundantiam.

e) Sufficit mentio caritatis, ne ingredi videatur in spinosam quaestionem de membris.

9. Cf. Textum schematis.

a) Additur phrasis de communitatibus christianis ob rationes dictas quoad koinoníam.

b) Ne praetereatur eorum peculiaris usus Ss. Scripturarum.

c) Ponitur « vera » ne videatur haec coniunctio nimis minui.

Caput IV: *De laicis*

1. Cf. « Emendationes » fasc. 2, pag. 10.

a) Pro « totum onus sanctificandi corporis » ponimus « totam missionem salvificam Ecclesiae », ut magis veritati correspondentem nam non excludit activitatem Ecclesiae ad extra.

2. *a*) Additur « generalis » ne videantur exclusae distinctae in Ecclesia spiritualitates.

b) Omittitur « eandem » ob antedictam rationem.

c) Variationes hic introductae vitare volunt possibilem interpretationem secundum quam hierarchia non pertineret ad populum Dei.

d) Eadem ratione.

e) Additur « in eodem ordine gratiae constitutis » ad clare confirmandam substantialem aequalitatem.

f) Loco « nomine laicorum intelligit » ponitur « docet laicos esse »... ut magis ontologice loquatur de laicatu.

g) Duo omittuntur: « Etiam per actionem religiosam » et « neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum ». Prima omissio vitare intendit interpretationem nimis temporalem muneris laicorum; secunda excludit elementum non ontologicum in constitutione Ecclesiae; sic etiam vitatur contradictio cum cap. IV, par. 32, pag. 21, linn. 4 ss.

h) Ponitur « praesertim » quia non loquitur directe de omnibus laicis, exempli gratia, non loquitur de monacis laicis.

i) Cf. « Emendationes », fasc. II, pag. 10-11. Dicitur « istis » quia non loquitur de omnibus laicis; et loco « character » dicitur « indoles » ne introducantur aequivoca in schemate theologico.

j) Omittitur « Laici ... adsumantur », quia de hoc postea loquetur in munere sacerdotali.

3. *a*) Pro « participatio » ponitur « exercitium », quia est concretizatio realitatis acceptae in incorporatione ad populum Dei; de cetero sic etiam vitatur interpretatio hierarchologica verbi « Ecclesia ».

b) Corrigitur textus schematis ut clarior evadat.

c) Introductio istius pericopae roborat conceptum vocationis christianae in laico.

d) Inseritur ista phrasis ut possit postea evolvi secundum rationem dictam de triplici munere.

e) Cum divisiones pag. 9 et 10 n. 25 textus schematis, non videantur nec perspicuae, nec clarae, nec adaequatae, nova proponitur divisio iisdem categoriis concepta quibus schema utitur in capite de hierarchia, et quas iam proposuimus pro capite « de populo Dei ».

In hac tripartita divisione conati sumus omnia ea quae in textu schematis sub n. 25 inveniuntur, in quantum possibile fuit, integrare.

f) In argumentis assumptis ex pag. 10 schematis, proponimus emendationem pro linn. 11 ss. Oportet enim vitare iudicium de statu separationis Ecclesiam inter et Civitatem, et negativos loquendi modos. Emendatio insuper innuit conceptum tolerantiae cuius maximum momentum in hodierna societate, plerumque pluralistica, praeterire nefas est.

Nota bene: Tamen votum nostrum praevalens est ut in textu schematis, n. 25, pag. 10, linn. 7-14 omnino omittantur, iuxta propositionem exc.mi D. Mendez Arceo.

4. *a*) Ponatur « laici omnes », quia de illis in hoc capite proprie loquitur.

b) Omittatur phrasis in pag. 10 schematis, linn. 31-32 « ante omnia ... exercendum ». *Ratio*: Phrasis ut prostat est ambigua: quaenam sunt enim illa instituta? De cetero limites sufficienter indicantur postea quando dicitur « semper cum caritate et prudentia ».

c) Haec ratio proponitur ad positive innuenda emolumenta dialogi, indicando per viam exempli quaedam bona pro utraque parte provenientia. Censemus hoc maxime ad finem pastoralem Concilii conferre.

d) Omittatur in pag. 11, lin. 4 citatio *Eph.* 6, 5-6. *Ratio*: Pericopa enim refertur ad relationes inter servos et dominos, quod quidem, quamvis probativum, videtur inopportunum.

e) Introducatur ista nova oratio quoad limites oboedientiae. Cum enim in hac paragrapho de oboedientia laicorum ad hierarchiam loquatur, necessarium videtur limites huius oboedientiae aliquantulum determinare, ne cum sermo fiat de oboedientia mens continuo ad officia subditi tantum feratur; peropportunum est ut superioribus quoque inculcetur eorum munus

non esse absolutum, sed certis limitibus contentum, quod non parum iuvat ad sensum servitii in exercitio auctoritatis custodiendum.

5. *a*) Omittatur in n. 27, pag. 11, lin. 15 « divinitus instituta », sunt enim verba redundantia.

Nota bene: in pag. 10, n. 26, lin. 40 omittantur verba « in illis praesertim ».

Raúl Silva H., Cardenal Arzobispo de Santiago (Chile), Humberto Tonna, obispo de Florida (Uruguay), Enrique Cabrera, obispo de Mercedes (Uruguay), Roberto Cáceres, obispo de Melo (Uruguay), Francisco Gillmore, obispo Castrense (Chile), Alejandro Durán, obispo de Ancud (Chile), Orestes Nuti, obispo de Canelones (Uruguay), Emilio Sosa Gaona, obispo titular de Sergenza (Paraguay), Emilio Tagle, obispo de Valparaíso (Chile), Jesús Martínez, obispo de Armenia (Colombia), Héctor Rueda, obispo de Bucaramanga (Colombia), Alejandro Menchaca, obispo titular (Chile), Bernardo Navarro, Superior General Orden de la Merced, Jorge Giraldo, obispo de Pasto (Colombia), Enrique Bolaños, obispo titular (Costa Rica), Pedro José Rivera, obispo de Socorro y San Gil (Colombia), Miguel Antonio Medina, obispo de Cefa (titular) (Colombia), Tomás Clavel M., obispo de David (Panamá), Carlos Parteli, obispo de Tacuarembó (Uruguay), Manuel Larraín, obispo de Talca (Chile), Francisco Fresno, obispo de Copiapó (Chile), Eladio Vicuña, obispo de Chillán (Chile), Vladimiro Boric, obispo de Punta Arenas (Chile), Augusto Salinas, obispo de Linares (Chile), Alfredo Viola, obispo de Salto (Uruguay), Francisco Valenzuela, obispo de Antofagasta (Chile), Jorge Manrique, obispo de Oruro (Bolivia), Jerónimo José Podestá, obispo de Avellaneda (Argentina), Bernardino Piñera, obispo de Temuco (Chile), Baltasar Alvarez, obispo de Pereira (Colombia), José Manuel Santos, obispo de Valdivia (Chile), Enrique Alvear, obispo auxiliar de Talca (Chile), Marcelo Mendiharat, obispo de Salto (Uruguay), Bernardo Arango, obispo de Barranca Bermeja (Colombia), Alberto Rencoret, arzobispo de Puerto Montt (Chile), Maximiliano Valdés, obispo de Osorno (Chile), Carlos Hartl, Vicario Apostólico de Araucanía (Chile), José Flórez, obispo de Duitama (Colombia), Marceliano Canyes, Prefecto Ap. de Leticia (Colombia).

Caput II: *De populo Dei*

1. (*Introductio*). Sacra Synodus, postquam mysterium Ecclesiae *ex divitiis Verbi Dei*[a] ante oculos posuit, *et antequam ad consideranda munera peculiaria christianorum in Ecclesia sese convertat,*[b] expositionem generalem de populo Dei in terra commoranti proponere intendit. Populus hic, beneficiis redemptoris ditatus, ab eoque in communitatem caritatis et veritatis constitutus, ab eo etiam ut instrumentum redemptionis ac salutis adsumitur, et tamquam lux mundi et sal terrae (cf. *Mt.* 5, 13) ad universum mundum mittitur.

2. (*Novum foedus novusque populus*). Deus qui homines non tantum

singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare decrevit, sed eos ut populum suum constituere voluit, iam in Vetere Testamento cum populo Israelitico foedus instituit, in figuram foederis illius perfecti, spiritualis et universalis, quod cum genere electo sub Christo capite iniret. « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum... Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum... Omnes enim cognoscent me, a minimo usque ad maximum, ait Dominus » (*Ier.* 31, 31-34). Quod foedus novum Christus instituit, novum scilicet testamentum in suo sanguine (cf. *1 Cor.* 11, 25), ex Iudaeis ac Gentibus plebem vocans, quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret, essetque novus populus Dei. Misit scilicet Pater Filium suum, ut peccatores salvos faceret (cf. *1 Tim.* 1, 15) et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (cf. *Io.* 11, 52), totique humano generi firmissimum esset unitatis principium. Sicut vero Israel secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur Dei *erat* [a] Ecclesia (cf. *Num.* 20, 4; *Deut.* 23, 1 ss.), ita novus Israel qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. *Hebr.* 13, 14), Ecclesia Christi nuncupatur quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. *Act.* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis instruxit, eam super Petrum et ceteros apostolos aedificans. Congregatio eorum, qui in Iesu salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia a *Deo* [b] convocata et [c] constituta, ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis. Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum existens.

3. (*De koinonia in populo Dei*). *Una est haec Ecclesia quia unus est Deus et Pater omnium* (*Eph.* 4, 6; *1 Cor.* 8, 6), *unus Dominus Iesus Christus* (*Eph.* 4, 5; *1 Cor.* 8, 6), *unus Spiritus* (*Eph.* 4, 4), *unum corpus in quo vocati sumus* (*Col.* 3, 15; *Eph.* 4, 4; *Rom.* 12, 5), *unum baptisma* (*Eph.* 4, 5), *una fides* (*Eph.* 4, 5), *una spes vocationis nostrae* (*Eph.* 4, 4), *una caritas Dei diffusa in cordibus nostris* (*Rom.* 5, 5), *unus panis de quo omnes participamus* (*1 Cor.* 10, 17), *unus ordo episcoporum in quo perseverat fundamentum unum* (*Eph.* 2, 20), *una petra super quam aedificatur Ecclesia* (*Mt.* 16, 18).

Ex hac unitate, baptismo instituta et Eucharistia perfecta (*1 Cor.* 9, 16 s.),[1] *oritur communitas fidei, spei et caritatis, qua omnes cives populi Dei idem credunt eadem spe perveniendi ad vitam aeternam firmantur, atque eodem caritatis vinculo, cum Deo et ad invicem connectuntur.*[2]

Intima Ecclesiae unitas etiam in communione ministeriorum manifestatur. Membra enim Corporis Christi multa sunt et diversa, ideoque multas ac diversas habent gratias. Singuli alter alterius sunt membra (*Rom.* 12, 5); *singuli actum exercent in invicem diversis ministeriis secundum donationem Spiritus Sancti et sic sese mutuo aedificant.*[3] *In Ecclesia unus alio inservit, et sic fit pax quae est vinculum Ecclesiae* (*Eph.* 4, 3). *Excellens inter omnia ministeria est caritas* (*1 Cor.* 13), *quam omnes christiani desiderare debent*

siquidem ea praeprimis exaedificatur Ecclesia. Et sic intelligitur cur ministerium pauperum signum visibile sit illius communionis quae est Ecclesia (*Rom.* 15, 25 s.; *1 Cor.* 16, 1; *2 Cor.* 8, 1-4; 9, 2. 12-14). *Unde etiam datur communitas orationum atque oblatione meritorum, laborum et mortis excolitur.*

Communio Ecclesiae non terminatur in seipsa sed ad omnes gentes aperitur. Ecclesia in statu missionis permanenter vivit et omnia eius charismata eo tendunt ut Ecclesia docibilior Spiritui Sancto fiat, qui eam mittit ut continuo crescat et in dies ulterius procedat.

Corpus Christi mysticum, denique, non est tantum communio individuorum sed etiam Ecclesiarum. Ecclesia universalis omnes fideles complectitur, qui ubique terrarum nomen Domini invocant (*1 Cor.* 2, 2). *Insimul autem eadem haec Ecclesia praesens est in omni loco ubi credentes congregantur, communionem ordinant, et de corpore Christi eucharistico participant. Sicut unum corpus Christi multipliciter redditur praesens totum et idem ubicumque Eucharistia celebratur, sic Ecclesia tota una et eadem est in omni loco ubi hoc sacramentum conficitur. Totus Christus et tota Ecclesia in unoquoque adest sacramento, unus Christus et una Ecclesia ubique idem et eadem. Ideoque, tot Ecclesiae quot episcopi dispersi in mundo celebrationi sacrificii eucharistici praesident.*[4]

4. (*De populo sacerdotali*). *Cum Christus sit Sacerdos, Propheta et Rex, etiam totus populus Dei hoc triplici munere insignitur, quin tamen hac causa hi tres aspectus umquam separatim uno ab altero sed potius intime connexi existant.*[a] In Christo novus populus Dei templum spirituale et sacerdotium sanctum per regenerationem baptismi et Spiritus Sancti unctionem evehitur, ut spirituales offerat hostias per omnem actum hominis christiani, a Spiritu Sancto consecratum et tanquam genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annuntiet Eius qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum (cf. *1 Petr.* 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi quos ipse Dominus regnum et sacerdotes Deo et Patri suo fecit (*Apoc.* 1, 6; 5, 9 s.) *vitam sacerdotalem degunt: cultum tribuunt Deo die ac nocte,* (*Apoc.* 7, 15) *et sine fine in Spiritu et veritate Eum adorant* (*Io.* 4, 23). *Hac spirituali liturgia corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibent, rationabile obsequium* (*Rom.* 12, 1) *quod in sacrificio unico Christi assumitur.*[5] *Nostris praesertim diebus non pauci ad perfectam Christi imitationem vocantur* (*Apoc.* 11, 8) *et oblationem completam sui martyrio perficiunt.*[6]

Populus christianus est in Christo mediator Deum inter et creationem. Gloriam et honorem gentium Deo offert (*Apoc.* 21, 26), *atque creaturarum adorationem interpretatur* (*Apoc.* 5, 9-14), *mundo materiali, quo utitur ad spiritualem suam liturgiam, sua operositate consecrationem confert.*[b]

Innititur sacra et organice extructa communitatis sacerdotalis in sacramentis innititur et per eam ad actum deducitur.[7] Fideles per *baptismum* in filios Dei regenerati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur

et fidem quam a Deo per Ecclesiam acceperunt profiteri tenentur. Sacramento *confirmationis* perficiuntur et roborantur ut fidem verbo et opere simul diffundant et defendant. Sacrificium *Eucharisticum* participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungentes, divinam victimam *non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso Deo offerunt*[c] atque seipsos cum Ea, et hac maxime oblatione ac sacra communione partes activas in liturgia agunt. Fideles ad sacramentum *poenitentiae* accedentes, reconciliationem cum communitate sacerdotali et veniam a misericordia Domini implorant, dum communitas ipsa ad eorum conversionem adlaborat. Sacra *infirmorum unctione* atque oratione presbyterorum, Ecclesia tota aegrotantes Domino patienti et glorificato commendat, ut eos alleviet et salvet (*Iac.* 5, 14-17). Qui vero inter fideles *sacro ordine* insigniuntur, ad pascendum populum Christo consecratum instituuntur.[d] *Coniuges christiani,* ex virtute sacramenti, quo repraesentatur mysterium unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam (*Eph.* 5, 32), se invicem in vita coniugali et prolis educatione sanctificant, atque adeo in suo vitae statu et ordine habent proprium suum in Ecclesia donum (*1 Cor.* 7, 7). Ex *hoc*[e] enim connubio procedit familia, ubi nascuntur novi societatis humanae cives, qui sub gratia Spiritus Sancti, ad perpetuandum saeculorum decursu Corpus Christi, in filios Dei constituuntur. In hac velut Ecclesia domestica, parentes *debent esse*[f] primi fidei praecones, quasi munus episcopale, ut ait Augustinus, exercent, et sacras etiam vocationes Deo dante *fovere debent*[g].[8]

Hoc igitur modo[h] christifideles cum Christo, qui principem huius mundi devicit et cui servire regnare est, in libertate filiorum Dei regnant et sui abnegatione vitaque sancta regnum peccati (*Rom.* 6, 12) in seipsis et in aliis impugnant.[9]

5. (*De populo prophetico*). *Ecclesia mittitur ad omnes populos: « Euntes ergo docete omnes gentes »* (*Mt.* 28, 19; *Io.* 20, 21). *Haec missio protrahetur usque ad finem huius mundi donec homines ex omni tribu et lingua et populo et natione* (*Apoc.* 5, 9; 7, 9), *reconciliati in unum corpus Iesu* (*Eph.* 2, 14-16), *congregentur in unum* (*Io.* 17, 21 s.) *et ita gloriam et honorem gentium in civitatem Dei afferant* (*Apoc.* 21, 26; *Rom.* 15, 16), *ubi regnabunt cum eo in saecula saeculorum* (*Apoc.* 22, 5).

Missio Ecclesiae eminenter assumitur ab episcopis, successoribus apostolorum, qui missi sunt ad praedicandum nationibus et testimonium deponendum coram hominibus de Deo et Iesu Christo. Omnes vero christiani, sacramentis baptismatis et confirmationis sigillati, Spiritu Pentecostes induuntur, qui eos impellit, ut vita sua vere evangelica — vita orationis et paupertatis, humilitatis ac poenitentiae, castitatis et caritatis — testimonium vivens Iesu Christi reddant ac ita vera facies Ecclesiae mundo effulgeat. Propterea recte dicendum est, omnes cives populi Dei munere prophetico Christi participare.

6. (*De sensu fidei et charismatibus populi prophetici*). Ecclesia tota, quae Deo offert fructum labiorum confitentium nomini Eius (*Hebr.* 13, 15),

et in credendo indefectibilis est, hanc suam peculiarem proprietatem etiam in supernaturali *sensu fidei* universi populi christiani manifestat.[10]

Hic sensus fidei, quo omnes sunt docibiles Dei (*Io.* 6, 45), coalescit ipsorum consensu de rebus fidei et morum, « ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles », uti dicit S. Augustinus.[11] A Spiritu veritatis excitatus, idem sensus fidei verbo Dei scripto et tradito sub Eius assistentia inhaeret, et a Magisterio ducitur ac sustentatur, cui credentes active respondent, veritatem fidei profundius perspiciendo, et in vita fidelius applicando.[12]

Propterea, in Ecclesiae atque apostolatus incrementum, Spiritus dat fidelibus varia dona et munera ad servitium seu « diakonian », secundum illud: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Petr.* 4, 10).[13] Quae charismata sive clarissima sive etiam simpliciora et latius diffusa, cum sint necessitatibus Ecclesiae apprime accommodata et proficua, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt. Dona autem extraordinaria non sunt temere exspectanda, neque praesumptorie ex eis sperandi sunt fructus operarum apostolicarum; sed iudicium de eorum genuinitate et ordinato exercitio rectoribus Ecclesiae humiliter submittendum est, monente Apostolo: « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40). *Unum autem charisma prosequendum est omnibus via scilicet excellentior charitatis, quae « patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*1 Cor.* 13, 1-7).[a]

7. (*De populo regali*). *Populus christianus regnat cum Christo* (*1 Pt.* 2, 9; *Apoc.* 1, 6; 5, 10; 20, 4. 6), *non tantum in Ierusalem futura* (*Apoc.* 22, 5), *sed etiam iam in hoc mundo eius Regnum inchoatur* (*Apoc.* 11, 15). *Ipse enim potestatem Christi supra mundum exercet: omnia vestra sunt, ... vos autem Christi, Christus autem Dei* » (*1 Cor.* 2, 22-23). *Etenim omnia condita sunt in Christo: per Ipsum et in Ipsum* (*Col.* 1, 16). *Ecclesiae est hoc primatum Christi in omnibus in actum deducere, et ita adventum illius horae praeparare, cum Christus Regnum tradat Patri* (*Col.* 1, 18).

Sed si Christus apparuit tanquam rex mansuetus (*Mt.* 21, 5) *qui arundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit* (*Mt.* 12, 20; cf. *Is.* 42, 3), *sic etiam christiani regnabunt mansuetudine, patientia et solis armis verbi Dei* (*Apoc.* 1, 16; 19, 13. 15). *De cetero, regnum Christi est regnum misericordiae erga pauperes quia Christus rex est pauper, esuriens, sitiens, hospes, nudus, infirmus, incarceratus. Ille regnat inclinans corda hominum ut dent ei manducare et bibere, eum collegant, cooperiant, visitent et ad eum veniant in persona pauperum* (*Mt.* 25, 35-40). *Ubi ergo regalis ordinem creationis restaurat, ibi adest regnum in quo imperat fraterna caritas.*

8. (*De fidelibus catholicis*). Ad unitatem a Deo per doctrinam ad institutionem Ecclesiae intentam atque manifestatam variis modis homines per-

tinent vel ordinantur, tum fideles catholici, tum alii credentes in Christum, tum denique universaliter omnes homines, gratia Dei ad salutem vocati.[a]

Quoad necessitatem Ecclesiae ad salutem, firmiter credimus omnes qui salvantur, in ea et per eam salvari. Unus enim Christus est mediator ac via salutis; Ille autem obviam fit nobis in Ecclesia, eius Corpus ac plenitudo. Hoc tamen nullo pacto voluntati Dei salvificae limites imponuntur (*1 Tim.* 2, 3-4). *Divina enim voluntas alios, et quidem perfectione distinctos, modos adinvenit ut homines diversimodi Ecclesiae incorporentur, prout plus vel minus perfecte eius visibilitas exprimatur et homines Christo gratia coniungantur.*[b] Quod enim revelatio de necessitate baptismi affirmat (*Mc.* 16, 16; *Io.* 3, 5), procul dubio eadem ratione de Ecclesia valet, quam homines per baptismum tanquam per ianuam intrant.[14]

Quapropter[c] Ecclesiae societati reapse, sicut Christo ipsi, incorporantur omnes valide baptizati qui ab Ecclesia non recesserunt per formale peccato ab eius communitate excludens, quamvis forsan ignorantia invincibili nesciunt Ecclesiam catholicam ( )[d] solam esse Christi Ecclesiam, et alii ecclesiae vel communitati, christiano nomine decoratae, sed a communione cum successore Petri seiunctae, bona fide adhaerent. Hos omnes Ecclesia, notos et ignotos, eodem materno amore prosequitur.

In praxi tamen, cum solus Dominus intuetur cor (*1 Reg.* 16, 7), ii soli inter adultos baptizatos externe haberi possunt ut Ecclesiae societati incorporati qui integram illius Ecclesiae ordinationem omniaque media salutis in ea constituta agnoscunt, et in compagine visibili eiusdem Ecclesiae cum Christo, eam per Summum Pontificem et episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe non tantum baptismi, sed et externae et explicitae professionis fidei, et sacramenti ecclesiastici regiminis ac communionis.

Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam pertineat, qui in ( )[e] caritate non vivit, sed peccans in Ecclesiae sinu « corpore » quidem sed non « corde » remanet.[15] Memores autem sint omnes Ecclesiae filii condicionem suam eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non respondent, nedum salventur severius iudicabuntur.[16]

Voto autem cum Ecclesia coniunguntur catechumeni, qui, Spiritu Sancto movente, cogitate et explicite ut ei incorporentur expetunt; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia.[17] Suo modo idem valet de illis, qui nescientes Ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia, voluntatem Christi vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntate Dei Creatoris, qui vult omnes homines salvos fieri, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt.[18]

9. (*De nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis*). Cum omnibus illis qui, baptizati, christiano nomine decorantur, — necnon cum omnibus ecclesiis et communitatibus christianis collective sumptis,[a] — integram autem fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, Ecclesia, pia omnium Mater, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam.[19]

Amanter enim credunt in Christum, Filium Dei Salvatorem,[20] *eodem pastu Scripturarum reficiuntur,*[b] baptismo indelebili signantur, imo omnia aut saltem quaedam sacramenta agnoscunt et recipiunt, et plures eorum fidem erga Ss. Eucharistiam necnon pietatem erga Deiparam Virginem fovent.[21] Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; immo quaedam *vera*[c] in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis intra Ecclesiam catholicam agat, sed sua virtute sanctificante etiam in illis operetur. Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno pastore pacifice uniantur.[22] Quod ut obtineat Ecclesia precari, sperare et agere non desinit, omnesque ad orandum et cooperandum exhortatur, ut, purificati et renovati, signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgens extollant.[23]

10. (*De non-christianis ad Ecclesiam adducendis*). Ecclesia ad omnes homines missa est, pro quibus Dominus sanguinem suum fudit ut eos ad Regnum suum vocaret et dirigeret.[24] Quapropter Ecclesia a prece et praedicatione quiescere nequit, donec omnes in eam in unum corpus adsciscantur, qui ad fidem christianam nondum pervenerunt, sive Domino iam prope fuerint (cf. *Eph.* 2, 11-13), ut pertinentes ad populum eius, fratres Eius secundum carnem, quibus data fuerunt testamenta et promissa (cf. *Rom.* 9, 4-5), sive longe ab eo, sed non derelicti, Deum creatorem agnoscant, vel in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerant.[35] Quidquid enim boni apud illos invenitur, ab Ecclesia tanquam praeparatio evangelica aestimatur et lumen a Deo datum, qui ab initio mundi salutem omnium hominum efficaciter intendit.[26] Qui, Christum eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt eiusque voluntatem, per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem sperare possunt;[27] in terris tamen agnitione Christi et glorificatione Patris eius non locupletantur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat, ut sic via salutis pro eis latius sternatur.

Ita, dilatata caritate, Ecclesia cor suum universis hominibus totique mundo pandit, ut per Dominum suum, Redemptorem ac Regem universorum, feliciter sit lumen omnium gentium.

NOTAE

[1] Cypr., *Epist.* 69, 5. 2; Ioann. Chrysost., *Hom. 46 in Ioann.* (PG 59, 260); Ioann. Damasc., *De fide,* art. 4, 13 (PG 94, 1154).

[2] S. Thomas Aq., *Expos. in Symb.,* in art. 9.

[3] S. Thomas Aq., *De verit.,* q. 29, a. 4: « Est in Ecclesia invenire ordinis unitatem secundum quod membra Ecclesiae sibi invicem deserviunt et ordinantur ad Deum ».

[4] Ign. Ant., *Magn.* 6, 1; *Smyrn.* 8, 1; Cypr., *Epist.* 66, 9; Ps.-Dion., *De eccl. hier.,* III, 14 (PG 3, 444 s.); Ioann. Chrysost., *De proph. obscur.,* 2, 10 (PG 56, 192).

[5] S. August., *De Civ. Dei,* X, 6: « profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est, congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo, per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis... (Ecclesia)... in ea re, quam offert, ipsa offeratur » (Corp. Christ., t. 47, 279).

[6] Ign. Ant., *Rom.*; Mart. Polyc., 14, 1.

[7] Cf. notam 7, cap. III, pag. 12.

[8] *Ibid.,* p. 13, notam 8.

[9] *Ibid.,* pag. 13, notam 9.

[10] *Ibid.,* p. 14, notam 11.

[11] *Ibid.,* p. 14, notam 12.

[12] *Ibid.,* p. 14, notam 12.

[13] *Ibid.,* p. 14, notam 13.

[14] Cf. cap. I, *de Ecclesia,* pag. 17, nota 25.

[15] *Ibid.,* p. 18, n. 27.

[16] *Ibid.,* n. 28.

[17] *Ibid.,* n. 29.

[18] *Ibid.,* n. 30.

[19] *Ibid.,* n. 31.

[20] *Ibid.,* n. 32.

[21] *Ibid.,* n. 33.

[22] *Ibid.,* n. 34.

[23] *Ibid.,* pag. 19, n. 35.

[24] *Ibid.,* n. 36.

[25] *Ibid.,* n. 37.

[26] *Ibid.,* n. 38.

[27] *Ibid.,* pag. 20, n. 39.

Caput IV: *De laicis*

1. (28) (*Introductio*). Sancta Synodus, muneribus sacrae hierarchiae declaratis, nunc ad conditionem et missionem illorum qui laici nuncupantur cum gaudio venit. Quodsi omnia quae de populo Dei dicta sunt ad omnes et singulos laicos et clericos diriguntur, laicis tamen, et ratione conditionis et ratione missionis, quaedam particularia pertinent, quorum fundamenta libenter amanterque exponimus. Pastores enim instituti non sunt, ut *totam missionem salvificam Ecclesiae*[a] in se suscipiant, sed ut fideles ita pascant ac regant, ut cuncti suo modo ad commune opus explendum cooperentur (cf. *Eph.* 4, 11-16).

2. (29) (*De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate*). Ecclesia sancta, ex divina institutione, mira varietate ornatur et regitur, quandoquidem « ex multis et alternae dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur ».

Unus est enim populus Dei electus, eadem nobilitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, eadem filiorum Dei gratia, eadem vocatio *generalis*[a] ad perfectionem, eadem salus, eadem spes, eadem caritas, eadem media salutis pro omnibus; « unus Dominus, una fides, unum baptisma »

(*Eph.* 4, 5). Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata natione, condicione sociali, sexu, quia « non est Iudaeus, neque Graecus: non est servus neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos « unus » estis in Christo Jesu » (*Gal.* 3, 28; cf. *Col.* 3, 11). Ad omnes pertinet regale illud sacerdotium, quo Christus « fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo » (*Apoc.* 1, 6); « idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum » (*Rom.* 10, 12). « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » (*1 Cor.* 12, 13), viventes de verbo Dei et de corpore et sanguine Domini, usquedum caelestes nuptiae in regno Patris parentur.

Si igitur in Ecclesia non omnes eadem via procedunt, neque singuli eadem fidelitate et virtutis alacritate Deo invitanti respondent, omnes tamen *ad sanctitatem vocantur.*[b] Etsi quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores super alios constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas, quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem. Distinctio enim quam ipse Dominus *inter pastores et gregem*[c] posuit, simul est coniunctio, *cum omnes prorsus fideles*[d] inter se communi necessitudine devinciantur, Ecclesiae praepositi populo inserviant, populus autem pastoribus et doctoribus suis oboediens, *in eodem ordine gratiae constitutis,*[e] ad salutem communem cooperentur. Fideles autem sicut ex dignatione divina fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare, ita etiam fratres habent eos qui, in sacro ministerio positi, auctoritate Christi et docent et sanctificant et pascunt, ut mandatum novum caritatis ab omnibus impleatur. Quocirca pulcherrime dicit S. Augustinus: « Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum episcopus, vobiscum sum christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».

Iamvero sacrostanca Synodus *docet laicos esse*[f] fideles, qui baptismate in populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent, ( )[g] sed ad ordinem hierarchicum non pertinent.

Animum *autem* convertit *praesertim*[h] ad illos qui in laboribus huius mundi partes agunt, sed spiritu evangelico ducti, concupiscentiis saeculi valide opponuntur, immo vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant. Omnes secundum operationem uniuscuiusque membri augmentum Corporis faciunt, donec perveniant ad aetatem plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 11-16). Una est ergo totius organici Corporis vocatio.

Istis laicis saecularis indoles[i] est magis propria ac peculiaris, quatenus ipsi secundum formam, modum, locum, ad rerum adiuncta saeculari condicioni respondentia vivunt. In saeculo degunt, scilicet in omnibus et singulis saecularibus officiis et operibus, in familia et labore, in rebus profanis et mundanis, quibus eorum existentia quasi contexitur. Ad ipsos peculiari modo pertinet res temporales omnes, quibuscum arcte coniunguntur, ita illu-

minare atque ordinare, ut secundum Christum et in Christo iugiter fiant ac crescant.

Sicuti ipsa Ecclesia, ita unusquisque laicus a Deo instrumentum salutis et organon laudis in saeculo constituitur. Unusquisque est coram saeculo testis vitae et resurrectionis Domini Iesu et signum Dei vivi, cuius misericordia est « ab aeterno in aeternum super timentes Eum » (Ps. 102, 17). Unusquisque mundum fructibus spiritualibus alere debet, quibus augeantur in omnibus gaudium, pax, benignitas, mansuetudo, modestia, castitas (cf. *Gal.* 5, 22), et in cunctis negotiis terrestribus spiritus beatitudinum spargatur (cf. *Mt.* 5, 1-12). ( )[j] Uno verbo, « quod anima est in corpore, hoc sunt in mundo christiani » (*Ep. ad Diogn.* VI, 1).

3. (30) (*De vita salutifera et apostolica laicorum*). Ad populum Dei vocati et in uno Corpore Christi sub uno Capite constituti, quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes, beneficio creatoris et gratia redemptoris acceptas, conferre tenentur.

Apostolatus autem laicorum est *exercitium*[a] ipsius missionis Ecclesiae salvificae, *titulo etiam a sacra hierarchia addito vel non,*[b] quin tamen propter talem titulum laici ex suo statu exeant.

Omnis enim laicus, sicut omnis christianus, fert in se totam Ecclesiam,[1] *siquidem in eo vivit Christus*[2] *cuius corpus est Ecclesia. Omnis laicus praesentem reddit Ecclesiam in iis locis et in iis temporibus mundi ad quae mittitur a Spiritu Sancto, atque in se fert totam vocationem Ecclesiae. Et sic omnis laicus sponsor est missionis Ecclesiae secundum mensuram gratiae ei impertitam*[c].[3] Quibus igitur *laicis* onus honorificum incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis applicetur. Ius proinde iidem habent, ut pro suis viribus opus salutare Ecclesiae, *et quidem secundum munus eius sacerdotale, propheticum et regale,*[d] etiam operose suo modo participent.

a)[e] *Tota vita laicorum est, ob baptismi consecrationem, sacerdotalis, nam « opus salutis per sacrificium et sacramenta, circa quae tota vita liturgica vertit »*[4] *exercent, praesertim cum ad plenam, consciam atque actuosam Eucharistiae participationem dicuntur. Haec sancta Synodus, autem, de hac praecipua fidelium liturgica activitate iam in schemate constitutionis de sacra Liturgia claras determinationes instituit. Si vero laici munus sacerdotale exercent, facile eruitur quod ipsi* non exclusive curis temporalibus deputantur, *sed per baptismale sacerdotium ipsorum vita est Dei adoratio in spiritu et veritate, est sanctitas et perfectio, oratio, abnegatio sui, caritas et omnia opera et passiones quibus assimilantur sacrificio Christi, in eius morte et resurrectione, ut adimpleant ea quae desunt passionum eius pro corpore eius quod est Ecclesia.*[5] *Laici insuper ut veri ministri agere possunt in matrimonio et baptismate, atque, deficientibus* sacris ministris vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, nonnulla officia sacra pro facultate supplent.

b) Ad laicos spectat *etiam munus propheticum seu apostolicum.*

Omnis enim laicus in se fert etiam totam missionem apostolicam Ecclesiae participando missionem episcoporum sub eorum auctoritate.

Apostolatus laicorum limites non cognoscit quia ut finem habet instaurare omnia in Christo.[6] *Sed subditur missioni superiori episcoporum, qui eum ordinare valent secundum locorum ac temporum necessitates, vel possunt conferre missiones et officia peculiaria.*

Praedicatio et testimonium de mysterio Dei non est munus exclusivum hierarchiae. Iesus Christus praedicat gentibus per totam Ecclesiam et testimonium perhibet de Patre coram hominibus per totam Ecclesiam. Omnes ergo laici praedicationi et testimonio incumbere debent secundum mensuram missionis et gratiae, unicuique propriam.

Hic, autem, extollendum venit praesertim opus catechismi, quod a laicis sive in familia, sive in paroecia sive in quocumque coetu, provide ac competenter exercetur.

Laici insuper, qui in saeculo vivunt, ipsum mundum evangelice illuminent oportet *et ad Ecclesiam quodammodo illum praeparent;* instituta et condiciones mundi, si qua mores ad peccatum conducant, ita sanent, ut haec omnia ad iustitiae normas conformentur et virtutum exercitio potius foveant quam obsint.

Pro sua cuiusque intellectuali cultura, sollerter incumbant in profundiorem cognitionem veritatis *tum naturalis* tum revelatae pro enodandis sui temporis quaestionibus.

c) Ad laicos denique *id etiam spectat ut regnent cum Christo.*

Regnum Dei et Ecclesiae in hoc mundo est restitutio et restauratio ordinis creationis, sive ordinis naturae, in quo omnia creata, sive materialia sive spiritualia, dominantur ab hominibus et conferunt ad bonum commune et personale eorum atque glorificat Deum creatorem.

Laici ergo, pro sua cuiusque in saeculo condicione, valide conferant operam ut bona creata, humano labore, arte technica, civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter eos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in christiana et humana libertate conducant.

Memores autem verborum Domini: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21), *ex una parte* confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera vero, *ne earundem oppositio foveatur, munera Ecclesiae et Civitatis spiritu cooperationis componere conabuntur, debito semper habito respectu iurium personarum, sive singularum sive congregatarum, aliter ac ipsis sentientium.*

De cetero meminerint Christum esse regem mansuetum eiusque imperium esse regnum in quo viget caritas fraterna.[f]

4. (31) (*De laicorum relatione ad hierarchiam*). *Laici omnes*[a] ius habent a Pastoribus adiumenta ad salutem necessaria et utilia accipiendi, eisque necessitates et optata sua patefaciendo, mentem generosam et liberam, filiis

Ecclesiae dignam, ostendunt. Laici itaque pro scientia, competentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent, imo aliquando officium, suam sententiam declarandi, de iis quae ad Ecclesiae vel communitatis bonum pertinent. Hoc tamen ut christiano modo adimpleatur, ( )[b] semper cum caritate et prudentia, veracitate et humilitate, fortitudine et debita reverentia erga illos, qui ratione sacri sui muneris Christi personam gerunt.

Pastores vero, sua facientes verba Scripturae: « Probate spiritus si ex Deo sint » (*1 Io.* 4, 1) et « Spiritum nolite extinguere » (*1 Thess.* 5, 19), coepta, vota et desideria a fidelibus proposita attente in Christo considerent. *Ex hoc dialogo laicos inter et hierarchiam permulta bona pro utraque parte orientur. Sic etenim in laicis conscientia roboratur suae responsabilitatis in Ecclesia, sic eorum foventur impulsus, sic quoque, praehabita cognitione rerum etiam iuxta praepositorum modum eas considerandi, facilius et intensius ad inceptuum executionem consociantur. Hierarchia autem, ex laicorum de rebus et religiosis et temporalibus experientia, proprius ad has realitates accedit unde etiam magis perfectum de illis iudicium efformare potest, quo adepto possibilitas excrescit tum vitam christianam moderandi respectu habito conditionum hodiernae societatis quae non parum influit in hominum animis, tum officia sua erga societatem ipsam adimplendi.*[c]

Iterum laici omnes, in praepositis suis, in illis praesertim, quorum auctoritas nomine Christi exercetur, cum ab eius institutione originem ducant, Christum oculis fidei semper inspicere tenentur, eisque oboedire in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut facientes voluntatem Dei ex animo. ( )[d] *Ambitus autem praepositorum ministerii legiferandi et praecipiendi certe non omnia quae in privatorum vel commune bonum cedunt, ad laicos quod attinet, complectitur, sed ea tantum quae ad supernaturalem missionem Ecclesiae spectant vel cum ea necessario aut propter rerum adiuncta connectuntur, intacta manente congrua laicorum autonomia seu libertate in campo praesertim actionis temporalis.*[e]

Nedum laici censurae iniustae aut imprudenti aditum aperiant, prompta voluntate praecepta legitimae auctoritatis exsecutioni mandent, ad exemplum eius qui per oboedientiam mundum redemit. Neque omittant precibus suis praepositos Deo commendare, ut iidem quasi rationem pro animabus subditorum reddituri, munus suum adimplere queant cum gaudio et non gementes (cf. *Hebr.* 13, 17).

5. (32) (*Adhortatio*). Sacrosancta Synodus, quae magna cum gratitudine conscia est de ingentibus bonis ope omnium laicorum, ad iugem Corporis Christi aedificationem obtentis, omnes utriusque sexus fideles amanter et instanter hortatur, ut collatis viribus una cum hierarchia, ( )[a] sub Christo capite eiusque Spiritu veritatis et amoris animati, missionem suam apostolicam ad gloriam Dei Patris per Filium in Spiritu Sancto indesinenter expleant. Dignitatis et vocationis suae conscii, magno animo suscipiant suum, pro parte qua in mundo operantur, speciale officium, quod nempe eodem

modo ab aliis neque praestatur neque praestari potest. Etiam in difficilioribus adiunctis positi, ne erubescant Evangelium, sed officium suum ardenter impleant, ut fiat voluntas Dei, sanctificatio nostra, et Patris, qui in caelis est, regnum adveniat!

NOTAE

[1] S. Petr. Damian., *Lib. Dom. vob.,* c. 5: « Ecclesia siquidem Christi tanta caritatis invicem inter se compage connectitur, ut in pluribus una, et in singulis sit per mysterium tota; adeo ut et omnis universalis Ecclesia non immerito una Christi perhibeatur singulariter sponsa et unaquaeque anima per sacramenti mysterium plena esse credatur Ecclesia » (PL 145, 235); id. c. 7: « Dignum ergo est ut quidquid in sacris officiis a quibuscumque fidelibus particulariter agitur, hoc ipsa Ecclesia per unitatem fidei et caritatis amorem unanimiter agere videatur » (*ibid.,* 237).

[2] *Gal.* 2, 20.

[3] *Rom.* 12, 6.

[4] In schem. *de s. Liturgia,* c. 1, n. 6.

[5] *Col.* 1, 24.

[6] S. Pius X, Enc. *Il fermo proposito,* 11-VI-1905.

5

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

Populi Dei naturam, ad « laicos » speciatim quod attinet, ut partes integrantes ipsius, iuxta schema, considerantes, ut corpus sociale, notis constitutivis quibus ex divina institutione ornatur et regitur, nobis perpendendum videtur.

Populus Dei in Christo, regeneratione et unctione Sancti Spiritus, ad populum christianum evehitur.

Populus christianus ille etenim est, qui a S. Petro, in prima sua epistola (2, 9-10) describitur ut: « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis... » de tenebris vocatus in admirabile lumen suum.

Ipse populus est quem Augustinus monstrat dum ait: « Vobis sum episcopus; vobiscum sum christianus ».

Gens sancta constituit populi christiani corpus sociale iis vinculis religatum: « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5).

Sed in hac coniunctione, populo christiano efformante, solidaritas socialis nascitur, quae, pro perfecto corpore sociali, organa diversa diversasque functiones sociales postulat.

Ad hoc corpus organicum S. Paulus refertur dum de Corpore mystico loquitur.

Gens sancta populi christiani, virtute sacramenti socialis nempe, baptismi, corpus sociale Ecclesiae efficitur.

Praecipua et necessaria populi christiani organa, propriis functionibus socialibus praedita, sanctificatio et vitae christianae transmissio sunt, quae quidem, duplici peculiari sacramento constituuntur, videlicet, sacramento sociali Ordinis, pro sacerdotibus et sacramento sociali matrimonii pro familia.

Utraque in praestantissimo et sacro corpore sociali populi Dei, institutione divina effecta sunt.

Ecclesia insuper, sua potestate, statui religioso, eius peculiarem functionem statuendo, formam organicam praestabit.

In iis organis socialibus insertio, vocatione Dei efficitur.

Haec enim vocatio eiusque impletio, statutis auxiliis, intra Ecclesiam coetus sociales instituit.

Vocatio in amplissimo ambitu populi christiani oritur, sed ad hoc ut organa socialia constituantur, vel sacramentum vel acceptatio canonica requiritur.

Inter essentiales functiones, pro bono Ecclesiae a Deo institutas, sacerdotium invenitur.

Pro conservatione vero, et multiplicatione populi christiani, Deus matrimonium instituit, quod, ut specificas functiones habet: vitam propagare, filios christiane instituere, vocationesque in eis a Deo inspiratas accurate colere.

Populus christianus, ad hierarchiam et ad statum religiosum non pertinens, manet in coetu saeculari, et praesertim in vita domestica.

In hoc amplissimo coetu saeculari, vita christiana evolvitur, et praesertim in matrimonio, in quo societas familiaris veluti ad conditionem parvae ecclesiae evehitur, et in qua parentes, fidem et virtutes suos filios docentes et vocationem divinam curantes, quasi munus episcopale exercent, ut S. Augustinus aiebat.

Deinde vero, piae sodalitates, ab Ecclesia erectae veniunt, ut et ipsae in eius vita sociali partem habeant, sive in sanctificatione saeculi sub ductu hierarchiae elaborando, sive actionem parentum, sive alias vitae activitates, suo munere explendo.

Astat praeterea vita socialis vel in communitate domestica, vel in paroeciali et dioecesana, immo et in internationali ambitu, peculiaribus notis insignita.

Astat denique activitas apostolica, quae ad omnes coetus corpus sociale efformantes, propriis suis notis, extenditur. Immo vero et universi christifideles hac obligatione stringuntur, ut vel cum sacra hierarchia laborent, munera eis commissa rite exequentes, vel functionibus ex sua simplici insertione in corpore sociali derivatis obsequantur.

Isti, cives populi Dei simpliciter censentur, qui et vinculo solidaritatis socialis cum ceteris fratribus et officiis quae ex suo baptismo et confirmatione exoriuntur, ligati sunt.

Nullus exstat, ergo, civis populi Dei, officio praestandi servitium a solidaritate christiana postulatum, non obligatus.

Statui sic dicto laicali definitio distincta non datur; laicatus enim est ipse populus christianus, absque vocatione sacerdotali et religiosa.

Definitio laici eadem est ac definitio sacerdotis et religiosi quatenus christiani, addita pro his sua speciali vocatione.

Definitio in epistula prima S. Petri (2, 4-10), clarissime patet: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocabit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei ».

Ad vocabulum, autem, « laicus » quod attinet, vocabulum « saecularis » nobis magis placeret, quod vocabulum indistincte et pro designandis sacerdotibus et religiosis qui in saeculo vitam degunt, usurpatur.

6

Exc.mus P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

1. Quoad sacerdotium fidelium seu laicorum firmiter adhaereo dictis em.morum Ruffini et Siri. Immo fortasse esset melius *non loqui* (nihil dicere) de sacerdotio laicorum, quia theologice et secundum voluntatem Christi non est *verum* sacerdotium. S. Petrus loquitur de « sacerdotio spirituali », spirituales hostias.

Vox « sacerdotium » habet sensum praecisum et clarum; ne confusionem feramus quae alioquin est periculosa et ad haeresim duci potest.

2. Quoad participationem *mulierum* Concilio humiliter *sed firmiter* vocem extollo *contra* talem sententiam, quae est *saltem* piis auribus offensiva: « mulieres in Ecclesia tacent ».

Haec in ipsa aula essent dicenda. Sit inter nos caritas sed super omnia veritas.

7

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

In cap. III constitutionis *de Ecclesia,* in par. 25 tractatur de participatione christifidelium, praesertim laicorum, missioni salvificae Ecclesiae et de cooperatione eorum cum hierarchia « ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis applicetur ».

Licet plurima et quidem sublimia, passim aliquantulum modo nimis abstracto, asserta sint de *vita salutifera et apostolica laicorum,* mirum est quod vix annuitur ad illud obiectum tam concretum cooperationis laicorum

in apostolatu cum hierarchia, quod diffusissimum quidem fuit in Ecclesia, et est adhuc communissimum, ab omnibus cognitum et quasi praxis quotidianae, abinde ab aetate apostolica. Tale est adiumentum allatum a laicis ope oblationum suarum et eleemosynae, quo Ecclesia Christi in suis necessitatibus temporalibus sustentatur et comparat sibi media urgentiora ad debite evolvendum sive cultum religiosum, sive ad messagium evangelicum diffundendum et opera caritativa in universum mundum.

Talis cooperatio laicorum cum hierarchia et participatio missioni Ecclesiae potest appellari fere iuris divini. Nam ab ipsa constitutione figurae Ecclesiae, in umbra, in Veteri Testamento, praescriptum fuerat ministros altaris ab altari vivere et ope oblationum populi Dei. Christus Dominus suis discipulis ordinaverat: Operarium dignum esse mercede sua (*Mt.* 10, 10; *Lc.* 10, 7). Et Paulus, ore Domini, quod « qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14).

Ecclesia cum sit societas visibilis et non exclusive pneumatica, eget rebus temporalibus ad suum apostolatum in terra perficiendum. Etiam Dominus noster, licet signa miraculosa dedisset virtutis suae deambulandi super aquas, nihilominus usus est navi discipulorum ut transiret Tiberiadem.

Aliunde in hac societate christiana, cum clerici seu hierarchia non repraesentent per se classem productricem, necessaria oritur relatio dependentiae christifideles laicos inter et hierarchiam.

Haec relatio fundat illam formam cooperationis in apostolatu quae primordialis dicenda est, et exercetur oblationibus fidelium, vi cuius ipsi iam realiter participes fiunt missioni Ecclesiae et diffusio Evangelii realizatur. Dant temporalia et recipiunt meritum apostolatus. Sic, cursu tot saeculorum constructa fuere, millia et millia aedificia sacra cultus, monasteria, seminaria, scholae et opera caritatis christianae, sive in oriente sive in occidente, quae omnia hodie stant tanquam monumenta constantis cooperationis laicorum cum hierarchia. Ipsa basilica in qua celebratur hoc Concilium est unum ex his monumentis in quo tot fructus laborum christifidelium, vivificati virtutibus fidei, spei et caritatis christianae, mirifice collecti sunt.

Liceat ergo mihi emittere votum quod momentum huiusmodi cooperationis sub forma dilucidiori affirmetur in schemate, in par. 25, pag. 9, sub lin. 13. Oportet expressis verbis in evidentiam ponere significationem spiritualem et momentum apostolicum huiusmodi cooperationis laicorum cum hierarchia, in aedificationem Ecclesiae et ad incrementum Corporis mystici, cum ipsa sit forma concreta, magis accessibilis maioritati fidelium, quasi forma popularis et dicerem proletaria. Iustum est ut eluceat oculis totius populi Dei sensus apostolicus huius cooperationis.

Talis affirmatio explicita censetur tanquam recognitio solemnis quae erit incitamentum utile omnibus christifidelibus.

Ideo adderem, ad pag. 9, sub lin. 13, post verba textus « sacrificio Ecclesiam aedificabant » sequentem pericopem: « Christifideles, illuminati

lumine fidei, ducti, spe futurorum bonorum, a caritate fraterna, oblationibus et eleemosynis coniungentes fructus laboris proprii operi apostolico evangelistarum verbi, participes fiunt meritis apostolatus Ecclesiae in aedificationem et incrementum Corporis mystici ». Proinde laici non exclusive... etc. (sicut est in textu).

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH GABRIEL ANAYA Y DIEZ DE BONILLA

Episcopus Zamorensis in Mexico

Haec mihi liceat breviter adnotare, non in conciliari sessione legenda, sed tantum ut de eo commissio notitiam habeat, et, si nullius valoris ea iudicaverit, pro « non dicta » habeat.

1. Utinam aliqua sumatur decisio circa divisionem capitum, iuxta ea quae in fasciculo « Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schemate constitutionis Ecclesiae », Pars II, ab em.mo card. Suenens proposita sunt. Si enim hoc non statuatur, plurimae ex observationibus a Patribus propositis vel adhuc proponendis, suum valorem amittent.

2. Certissime teneo inter hierarchiam et simplices fideles adesse ex Dei voluntate distinctionem essentialem, et pastores esse a Christo Domino constitutos, ut fideles pascant eisque inserviant, cum et ipsi missi sint non ministrari, sed ministrare. Id passim in schemate affirmatur. Volo autem sincere confiteri quomodo in hac materia caute omnino sit procedendum. Inter populos minus cultos, praesertim inter indigenas qui in mea habitant dioecesi, est haec idea: sacerdotes sunt nostri servi, nam ob nostrum bonum tantum in Ecclesia positi sunt; ergo debent in omnibus nostram facere voluntatem. Et certe, si sacerdotes sunt servi fidelium, hi aliquo modo possunt dici domini, et quoniam dominorum est imperare, servorum obedire, sacerdotes debent, ut illi fideles opinantur, obedire, ipsi autem imperare. His ideis imbuti volunt ut sacerdotes in omnibus ipsis placeant, et omnia agant prout ipsi volunt. Immo, si episcopus non acquiescit eorum voluntati, oboedientiam denegant. Insuper, quod gravius est, nunc luctam durissimam cum sectatoribus Marxismi sustinemus. Cum hi sciunt aliquam obortam esse difficultatem inter episcopum, vel inter sacerdotes et fideles, hos adeunt eisque consilia dant ad denegandam debitam obedientiam, cum episcopus et sacerdotes, ut ipsi aiunt, sint fidelium servitores.

Iam divisiones hac de causa multae sunt, et non pauci fideles aut ad protestantes transeunt aut ad communismum. Credo id accidere in tota Mexicana Republica, et fortassis in tota America Latina; et etiam hoc bene sciunt populi qui sub iugo communistarum vivunt.

Consequenter Concilium ita suum loquendi modum temperare debet, ne ex eius verbis ansam sumant qui divisionem quaerunt inter hierarchiam et fideles.

9

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Ad n. 27 schematis *de Ecclesia. De dignificatione mulierum in Ecclesia.*

In cap. III schematis *de Ecclesia* quod *de laicis* agit, et quod per septem solidas paginas protrahitur, *semel* tantum mulieres nominantur; et quidem recitando textum ad Galatas (pag. 6, lin. 2). Hic et inde aliquoties ad ipsas textus indirecte refertur sub formulis « utriusque sexus », « parentes », etc. Aliqua vellem dicere:

1. relate ad aequalitatem et inaequalitatem ipsarum cum viris in Ecclesia;

2. relate ad quaedam facta hodie a nobis nullatenus spernenda nec obliviscenda;

3. relate ad petitiones quasdam Concilio in favorem mulierum faciendas, attentis quae sub n. 2 dicemus.

1. Quoad primum, salva inaequalitate quantum ad sacram potestatem ordinis recipiendam, omnino tenendum est: nullam esse discriminationem quantum ad tria:

a) Quantum ad elementum supernaturale quod est gratia sanctificans. Viri enim et mulieres, si simili modo motionibus gratiae obsequuntur, eundem sanctitatis gradum adipiscent.

b) Quantum ad dona charismatica et gratias gratis datas, quas Deus elargitur sine consideratione discriminationis sexus.

c) Quantum ad potestatem sacram cultualem et apostolicam, mediantibus characteribus baptismi et confirmationis datam; in quo potestate sacerdotium laicale potissimum consistit.

2. Quoad secundum scil. de factis hodie a nobis nullatenus obliviscendis nec spernendis:

a) Primum factum est socialis dignificatio mulieris, ope praesertim gratiae Christi et praedicationis Evangelii. De hac ista dignificatione sociali, radicitus christiana, loquitur Ioannes PP. XXIII, sanctae recordationis, in Encyclicis Litteris *Mater et Magistra.* Fere enim hodie non est saepta vitae socialis, nec munus ullum, in quibus mulieres operam suam non afferant, secundum ipsarum proprias qualitates. Et sic earum personalitas evolvitur et societas ipsa ubertim ditatur.

b) Secundum factum est iuvamen extraordinarium quod mulieres hodiernae praestant actioni salvificae animarum a Christo Ecclesiae commendatae. Sunt etenim: 1) Plus quam millia millium religiosarum operibus educationis, caritatis et apostolatus, tum in populo christiano, tum apud infideles dicatarum. 2) Et plus quam triginta millia millium feminarum ut ferunt tabulae statisticae, in organizationibus apostolatus laicalis deditarum.

c) Tertium factum a nobis hodie grate considerandum est speciale

adiutorium Concilio praestitum a religiosis feminis, praesertim claustralibus. Nam re vera Ecclesiam semper et nunc Sanctum Concilium non solum iugi oratione et sacrificio adiuvant, sed et non semel earum propriae vitae generosa oblatione.

3. Quoad tertium punctum, scil., petitiones Concilio in favorem mulierum faciendas tria humiliter auderem proponere:

a) Primum, ut inter auditores laicos Concilii numerus symbolicus mulierum admittatur, sicut iam pro hominibus factum est. Et inter has mulieres auditrices, religiosae ipsae includantur. Certissime mulieres assistent ad Concilium tantum ut audiant. Mulieres enim in Ecclesia ne doceant, ait apostolus. Ne doceant publice, commentatur S. Thomas, nam privatim non semel accidit ut meliore et efficaciore modo doceant quam sacerdotes facimus. Et erunt praesentes in Concilio, non ratione curiositatis, quod valde feminum est, sed ut debitum obsequium ipsis tributum prout ex superius allatis liquet.

b) Secundum postulatum. Ut in futura structura Curiae, mulieres etiam admittantur, quae consuli possint in rebus caritatis, apostolatus puellarum, propagationis fidei inter infideles, artis paedagogiae, etc.

c) Ut non solummodo in schemate *de apostolatu laicorum* et *de religiosis,* ubi fusiori verbo de mulieribus agendum erit, sed et in isto schemate fundamentali *de Ecclesia* speciatim de ipsis mentio fiat. Et hoc fieri potest addendo n. 27 haec verba vel similia: « Sacra Synodus, quae magna cum gratitudine conscia est de ingentibus bonis omnium christifidelium, *tam virorum quam mulierum...* ». Et similis formula adhibeatur in pag. 9, lin. 14, scil.: « Proinde laici, sive viri sint, sive mulieres... ».

Venerabiles Patres, dum devoti feminei sexus praestantium in Ecclesiam meritorum memoriam facio et christianarum mulierum a Sancta Synodo specialem mentionem et benevolentiam rogo, imitantem me existimo apostoli, cum recordabatur et commendabat mulieres quae erant in ministerio Ecclesiae, multum laborantes in Domino, adiutrices in Christo, quibus non solum ego, aiebat, gratias ago, sed et cunctae Ecclesiae gentium.

10

Exc.mus P. D. ALOISIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

Breviter loquar *De notione laicorum et christifidelium* ex documentis Pii Papae XI deprompta.

Nonnulli Patres conquesti sunt quod schema nostrum laicos tantummodo negative definiat, scil.: qui nec ad sacram hierarchiam nec ad statum pertinent religiosum (cf. etiam schema *de apostolatu laicorum,* pag. 5, n. 2).

Suntne ergo laici unum et idem ac christifideles? Nullo modo videtur hoc esse affirmandum quia schema pluries distinctionem christifideles inter

ac laicos instituit. Conferatur e. g. pag. 10, linn. 26-27: « Christifideles omnes, laicis non exceptis, ius habent... etc. ». Aliqua hic verbis innuitur distinctio.

Idem legitur in pag. 9, linn. 1-2-3: « Apostolatus autem *laicorum* est participatio ipsius missionis Ecclesiae salvificae, titulo *omnibus christifidelibus* communi ». Brevitatis causa alias omitto citationes.

Ad enucleandam huiusmodi differentiam aliqua documenta Papae Pii XI meminisse iuvabit.

Celeberrimam illam Actionis Catholicae definitionem a tanto Pontifice datam, nempe: « Participatio laicorum ad apostolatum hierarchiae » imprimis in memoriam renovemus oportet.

Qui sint isti laici ab epistula ad card. Van Roey, arch. Mechliniensem in Belgio, die 15 augusti 1928 clare elucet.

Legitur enim: « Cum actio catholica nihil demum sit aliud nisi christifidelium apostolatus, qui, ducibus episcopis, adiutricem Ecclesiae operam praestat eiusque munus quodammodo complet ».

Laici ergo iidem apparent ac christifideles.

In allocutionibus idem Pontifex de primaeva aetate huius apostolatus persaepe disserebat, praesertim epistulam ad Philippenses memorando ubi apostolus Evodiam, Syntichem et alios qui cum eo laboraverunt in praedicatione Evangelii laeto animo extollit.

Evodia et Syntiches, ut omnes norunt mulieres erant, simplices scil. christifideles, adiutricem operam apostolatus cum Paulo sedulo navantes.

Nostra iterum huc quaestio redit. Suntne laici idem ac christifideles? Ex dictis videbitur affirmative esse respondendum sed contra est.

Ratio iam antea ab ipso Pontifice in Litteris Encyclicis *Ubi arcano Dei,* die 23 decembris 1922 data erat.

Nempe episcopos alloquens dicit: « Illud porro in *christifidelium* mentes revocate, quod cum ii, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice privatim inculcando navant operam, tum demum maxime digni sunt qui salutentur " Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis "; tum demum et ipsi (christifideles) nobiscum et cum Christo arctissime coniuncti, Christi regno sua industria et navitate propagando et instaurando, de communi hominum inter se pace, optime merentur ».

In quibus verbis tria sunt consideranda:

1. Loquitur de christifidelibus qui publice vel privatim navant operam adiutricem hierarchiae;

2. Quae quidem opera dignos fideles facit qui maxime salutentur: « Genus electum, regale sacerdotium, populus acquisitionis »;

3. Tali modo operando christifideles cum hierarchia et cum Christo arctissime coniunguntur.

Quae omnia ad genuinam S. Petri verborum significationem potissime

referuntur. Nam populus acquisitionis, regale sacerdotium, et populus Dei a S. Petro plebs christiana dicitur sub analogia cum populo Israel qui « regnum sacerdotale et gens sancta in universum habebatur ». Nam plura sacrificia Veteris Legis a laicis offerebantur, e. g. Sacrificium paschale.

Ergo christifideles, qui operam adiutricem hierarchiae navant etiam cum Christo Sacerdote arctissime coniunguntur et peculiari modo « digni efficiuntur ut salutentur regale sacerdotium, populus acquisitionis, populus Dei », scil. *laos teou,* ad quem notio « laici » pertinet.

Hisce praehabitis mihi videtur legitime affirmari posse: « laici », sensu nostro intenti, sunt christifideles qui vel publice vel privatim adiutricem navant operam cum hierarchia et sub ductu hierarchiae et ita coniunguntur arctissimo modo et cum hierarchia et cum Christo sacerdote.

Aliis verbis: christifideles, pariter nostro sensu accepti, scil. qui non pertinent ad hierarchiam vel ad statum religiosum, laici fiunt per vinculum cum hierarchia quae approbationem, saltem indirectam, vel mandatum vel missionem canonicam donat, et per vinculum cum Christo sacerdote in actum deducendo (Dei et proximi charitate compulsi) regale sacerdotium ad quod, charactere baptismali et praesertim Confirmationis, idonei facti sunt.

Fortasse in caelestibus exemplum invenimus in illis spiritibus, qui, missione divina et hanc missionem in actum reducendo, angeli efficiuntur. Per psalmistam enim dicitur: « Deus qui facit angelos suos spiritus ». « Ac si patenter dicat — ait S. Gregorius Magnus — qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, facit angelos. Angeli vocabulum nomen est officii non naturae » (*Hom. 34 in Evangelium*).

Exemplum in terrestres transferendo haec dicenda videntur: christifideles sunt veluti spiritus, scil. homines spirituales ex dignitate christiana, quae sursum sunt quaerentes non quae super terram; laici vero veluti angeli quia adest aliqualis missio Ecclesiae et haec missio ad actum deducitur operam adiutricem hierarchiae navando.

Ergo vocabulum « laicus » nomen est officii non naturae.

11

Exc.mus P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

Episcopus Manziniensis

Circa cap. III, comma 24. Ratione habita summi momenti « sensus fidei » de quo quam saepissime sermo est praesertim in recentioribus Ecclesiae magisterii solemnis documentis, opportunum esse videtur amplius explicare verba « Hic sensus fidei... coalescit ipsorum consensu de rebus fidei et morum "ab episcopis usque ad extremos laicos fideles", ut dicit S. Augustinus » (linn. 17-19).

12

EXC.MUS P. D. IOSEPH BATTAGLIA
Episcopus Faventinus

Hoc cap. III *de Ecclesia* quod tractat de laicis, ut cap. II de populo Dei in genere mihi placet, quia agitur de tractatione fere nova in theologia dogmatica et pastorali. Innumeri oratores dignitatem laicorum, eorum iura et munera in mystico corpore Christi profunde exposuerunt et pulchre extulerunt.

Tamen hoc schema mihi gravi lacuna labore videtur.

Revera, dum laici invitantur ad praecavendos errores atque ad defendendos « valores morales » et merito proscribitur « laicismus », schema nostrum omnino silet de funesto errore qui nostris praesertim temporibus omnes valores morales infringit et maximum periculum fidei nostrorum fidelium constituit, quia ad hoc directe et praecipue tendit ut loco populi Dei habeamus non solum populum sine Deo, sed populum contra Deum.

Haec perversa doctrina est summa omnium errorum et hereseon, idest materialismus historicus et dialecticus, qui communiter ab eius auctore marxismus nuncupatur, et clarius sub aspectu sociali ac politico communismus appellatur.

Natura huius ideologiae, methodus, astutia, virulentia ad decipiendas et captandas mentes imperitorum, praesertim operariorum et agricolarum, funesti effectus et pericula ob fidem et mores nostrorum fidelium diligentissime describuntur ab em.mo card. Iacobo Lercaro in libro, quem omnes episcopi itali norunt et qui inscribitur: Il Piccolo Sinodo.

Haec ideologia, proh dolor!, invasit et occupat fere duas tertias partes nationum totius mundi et incessanter et omnibus mediis reliquas nationes minitatur.

Quae ideologia totam revelationem et ipsas veritates naturales non solum negat sed impetit et quidquid christiani vel religionis sapit acriter impugnat.

Quod gravius est, instigatores (vulgo activistae) huius perversae doctrinae tanta calliditate pollent ut etiam multos catholicos pervertant, qui fidem catholicam cum hac doctrina componi posse putant.

Quare, cum haec sacrosancta Synodus congregata sit ut veritates fidei captui hominum nostri temporis efficacius exponat, mea humili sententia in tot ac tantis erroribus longe lateque grassantibus, qui, si possibile esset, totum populum Dei pervertere vellent, mihi videtur haec Synodus omnino tacere non posse.

Optime scimus hos errores iam condemnatos fuisse a Pontificibus Pio XI, Pio XII, Ioanne XXIII, et a Paulo VI f. r. in sua magnifica allocutione diei 29 sept., sed nemo est qui non videat quantum momenti afferret praecedentibus declarationibus interventus huius Concilii Oecumenici.

Non agitur de iactandis anathematibus contra quemquam: impugnamus

errores, amamus errantes, et caritate compulsi asseclas huius ideologiae, saepissime magis deceptos quam culpabiles, magis coactos quam voluntarios, magis opportunitate quam persuasione ductos, tamquam filios carissimos in sinu Sanctae Matris Ecclesiae amplecti velimus.

Concludendo, cum in nullo schemate quod hucusque distributum est nulla omnino mentio fiat, ni fallor, de hac ideologia tam periculosa, humiliter propono ut in fine huius cap. III solemniter affirmetur religionem revelatam nullo modo componi posse cum marxismo; neque fas est catholicis eidem adhaerere neque eidem quocumque modo favere.

Addatur fervida adhortatio ut omnes laici huiusmodi errores non solum abhorreant sed maxime adlaborent, viribus unitis, ut fratres errantes Christo lucrifaciant.

13

Exc.mus P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Episcopus Salfordensis

Schema *de Ecclesia* in spiritu pastorali optime componitur eo modo ut Ecclesia tam interne ad fideles quam externe ad ceteros homines sicut populum Dei se praesentet. Omnes fideles in Ecclesia ad sanctitatem vocantur.

Quaedam confusio, tamen, orta est non tantum in hoc capite sed etiam in ordinatione horum capitum — scil. cap. III et IV — eo quod non sufficienter indicatur duplex fundamentum divisionis membrorum in Ecclesia.

Pag. 6, linn. 31-36, datur aliqua descriptio laicorum quae religiosos consulto excludit his verbis « nomine laicorum intelligit fideles qui ... *neque* ad ordinem hierarchicum *neque* ad statum religiosum pertinent ».

Pag. autem 7, lin. 17, alia supponitur distinctio ex distinctione facta in textu inter sacerdotium ministeriale seu hierarchicum et sacerdotium universale — et si iterum anticipari licet — in cap. IV, pag. 21, lin. 5, dicitur statum religiosum seu statum perfectionis acquirendae non esse intermedium quid inter clericalem et laicalem condicionem sed statum esse in quo ingredi possunt sive clerici sive laici (ut dictum est in nota 16).

Haec descriptio maximi momenti erit quando agendum erit de Institutis Saecularibus quorum inter membra multi sunt laici, qui etiam ad praxim consiliorum evangelicorum sese dedicaverint, apostolatum laicalem in mundo exercent.

Unde, ut mihi videtur, quaedam confusio oriri posset.

Duo enim sunt fundamenta divisionis membrorum in Ecclesia. Primum divisionis fundamentum in ordine hierarchico radicatur: « laici » dicuntur qui ad ordinem hierarchicum non pertinent.

Alterum divisionis fundamentum ex modo vivendi in Ecclesia sumitur: « laici » dicuntur qui vitam proprie « laicam » in mundo degunt; et hoc sensu verbum sumitur in cap. III schematis.

Haec secunda divisio omnino practica est et aptissima ad finem huius capitis.

Sed prima divisio in ordine hierarchico fundata praeteriri non debet nisi confusio aliqua oriatur.

Quare duas emendationes proponere audeo. Prima emendatio quamdam mutationem in textu pag. 6 lin. 31 introducere velit, ut sequitur: « Nomine laicorum intelliguntur fideles qui Baptismate in populum Dei cooptati, filii Dei constituti et ad cultum Dei una cum capite Christo deputati, in communi christifidelium statu Deo deserviunt, immo pro parte sua ratione Confirmationis missionem totius populi christiani exercent, etiam per actionem religiosam, sed ad ordinem hierarchicum non pertinent. Inter illos alii ad statum religiosum prout in Ecclesia sancitum pertinent, alii in negotiis huius mundi vitam degunt. Iamvero Sancta Synodus animum speciatim convertit ad illos qui in laboribus huius mundi partes agunt etc. ».

Secunda emendatio est ad modum emendationis iam propositae ab em.mo card. Suenens in libello de Emendationibus. Haec emendatio proponere audet ulteriorem adaptationem totius ordinationis horum capitum ita ut logice et seriatim in quattuor capitibus materia ordinata breviter tractetur secundum indolem totius huius schematis:

1. De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia;
2. De vocatione clericorum ad sanctitatem;
3. De vocatione religiosorum (et religiosarum) ad sanctitatem;
4. De vocatione laicorum ad sanctitatem.

Omnia etiam dici possunt in uno capite secundum titulos indicatos.

Ego, sicut multi Patres in hac aula ante consecrationem episcopalem religiosus fui, et etiam post consecrationem religiosus sum.

In dioecesi mea, sicut in omnibus Ecclesiae partibus, maximum et pretiosissimum adiumentum episcopo praebetur in munere apostolatus quo fungitur a sociis ordinum et congregationum religiosorum et religiosarum, in scholis, in orphanotrophiis, in nosocomiis ut omnes vos, venerabiles fratres, valde scitis. Funestum esset si in hoc schemate radix huius adiumenti, sanctitas nempe religiosorum et religiosarum, clare et ex industria sub titulo expresso non indicetur.

14

EXC.MUS P. D. CRISPULUS BENÍTEZ FONTÚRVEL

Episcopus Barquisimetensis

Infrascripti episcopi, sequentem motionem circa populum Dei et laicorum definitionem, motionem praesentant.

Quidam Pater, adhuc de laico catholico perfectam definitionem desiderari asserebat. Alii autem, post discussiones conciliares, non solum clarum conceptum de iisdem haberi credunt, sed quod nunc adhuc obscurior et difficilior talis definitio evadit contendunt.

De facto, secundum nostram sententiam adhuc clara et perfecta laicorum catholicorum definitio desideratur. Quaedam enim definitiones quae forsitam usitatiores sunt, vel incompletam tradunt notionem de laicis, vel non semper omnino logicam, vel saltem non nostri temporis dicendi modo accommodatam laicorum catholicorum definitionem tradunt.

Secundum nos, clara, vera, perfecta laicorum catholicorum definitio, sequentes notas exhibere deberet: *a*) debet esse clara, i. e. nulli confusioni ansam praebere possit; *b*) debet esse completa, i. e. in terminis ea omnia contineri debent quae ad plenam enucleationem conceptus necessaria sunt; *c*) debet esse omnibus intelligibilis, non solum catholicis et non solum christianis, sed etiam omnibus illis hominibus qui nihil cum religione catholica commune habent; tandem *d*) cum logicae praescriptionibus accommodari deberet. De iis adhuc pauca.

a) Deberet esse clara. Termini definitionis ita evidentes esse debent ut ampliori explicatione non indigeant. Si in definitione verbis utamur quae ipsamet adhuc explicari et enucleari debent, definitio, certo certius, bona non est.

b) Deberet esse completa. In definitione ea omnia numerari deberent quae ad efformandam plenam notionem de re definita necessaria sunt. A. v., in definitione comprehendi debet totum definitum.

c) Deberet esse omnibus intelligibilis. Si verbis utamur quae solummodo pro aliquibus intelligibilia sunt, definitio clara non est, ideo falsa. Si in definitione adhibentur verba cuius notio non omnibus patet, ut v. g. loquamur de charismatibus, vel de mystico Corpore, vel de baptismate, talia verba ab omnibus intelligi non possunt, ideo in definitione adhiberi non possunt.

d) Tandem logica esse deberet, id est, illis elementis constare quae logica pro omni definitione exigit. In definitione ergo considerari debent: genus remotum, genus proximum, species, differentia specifica etc.

Iis omnibus consideratis et praesuppositis, sequentem de laico catholico definitionem praebemus.

Laicus catholicus est omnis homo qui uno vel alio modo ad illam religionem, nempe Ecclesiam catholicam pertinet, quique prout membrum talis religionis bonum personale et bonum sociale, mediantibus observatione legis naturalis, agnitione et practica doctrinae capitis et fundatoris, nempe Christi, necnon obedientia et disciplina eiusdem propriae auctoritatis, promovere intendit.

In ista definitione omnia elementa invenimus. Habemus genus remotum. *Omnis homo,* genus proximum, nempe *qui ad illam religionem pertinet,* genus proximum in quantum homo ut religiosus consideratur et non simpliciter ut homo; mediante *observatione legis naturalis,* en species generalis; *agnitione et practica doctrinae Christi,* en differentia specifica; *necnon oboedientia et disciplina eiusdem propriae auctoritatis;* en individualizatio finis tam pro membris quam pro tota societate. Verba quae in definitione adhi-

bentur ab omnibus intelliguntur et ampliori explicatione non indigent, et nemo est quod non videat quod talis definitio, cum brevissima attentione, ab omnibus intelligi potest.

Ergo, credimus quod talis debet esse definitio laici catholici.

[*Subsignaverunt etiam*]: Bernardinus Echeverría Ruiz, ep. Ambatensis; Caesar Antonius Mosquera, arch. Guayaquilensis.

15

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

1. De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate. Ea, quae in pag. 6, n. 23, linn. 36-40, scil.: « Animum scil. convertit... » et ad finem huius sententiae, mihi videntur omittenda esse. Haec enim sententia aliquomodo limitat et minuit ea, quae proponuntur in hoc numero.

2. De sacerdotio universali. Legendo ea, quae in pag. 7, n. 24, linn. 17-21 dicta sunt, datur impressio distinctionem inter sacerdotium hierarchicum (sacramentum Novae Legis) et sacerdotium sic dictum universale esse aliquid minoris momenti et hic solummodo inter cetera esse memoratam. Iamvero haec distinctio non est aliqua res secundaria. Haec distinctio clare ponenda est praesertim nostris temporibus, cum sunt permulti praedicatores et ceteri, qui sufficienter non intelligentes verbum sacerdotii persaepe vocant omnes laicos sacerdotes omnino falso sensu.

Censeo propterea ea, quae in linn. 17-21 sunt dicta, ponenda esse initio huius n. 24 et postea dicenda, quae sunt pulchre dicta de sacerdotio laicorum.

Quodcumque iudicaverint auctores huius numeri, censeo distinctionem inter sacerdotium hierarchicum et sacerdotium universale valde clare ponendam esse.

3. De vita salutifera et apostolica laicorum. Videtur mihi clarius sublineandam esse necessitatem cognitionis doctrinae nostrae religionis. De hoc fit aliquo modo mentio in pag. 9, linn. 33-36, sed non satis vigorose. Ignoti autem nulla cupido. Tale est factum naturale et propterea universale. Paucum iuvat loqui de vitae sanctitate et praesertim de zelo apostolico ad homines carentes debita cognitione doctrinae.

4. Pag. 10, lin. 21 dicitur: « qui societatem extra omnem religionem extruere contendit *et* libertatem christianam impugnat et eruit ». Loco « extruere contendit *et* libertatem... » propono « extruere contendit *vel* libertatem... ».

Dantur enim homines qui et scholas ac regiones in quibus vitam societatis conantur extruere extra omnem religionem sine tamen directa et violenta persecutione christianitatis et in genere religionis. Sunt et alii, qui directe impugnant libertatem praesertim christianitatis. Concilii pronuntiatio debet clare et distincte omnes amplecti.

16

EXC.MUS P. D. IRENEUS CHELUCCI

Episcopus Ilcinensis

Ad n. 23, lin. 40 haec proponuntur addenda: « Neque praetereundi sunt in hoc mystico corpore qui maxime Christi dilecti cum in terris degeret, prae ceteris diliguntur ab Ecclesia, pueri nempe qui a teneris annis imbui debent ut gratiam baptismalem non modo conservent, sed etiam augeant, Christum ipsum imitantes aetate quidem et gratia et sapientia crescentem apud Deum et homines.

Pueri praeterea quoddam apostolatum exercent in memoriam revocantes illud Divini Magistri « Nisi conversi fueritis sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum ».

Magna igitur debetur pueris reverentia, quia angeli eorum semper vident Patrem qui in caelis est et nihil aliud divinam provocat vindictam quam scandalum eis datum.

17

EXC.MUS P. D. TELESPHORUS IOANNES CIOLI

Episcopus Arretinus

Etsi laude dignum existimem cap. III huius schematis *de Ecclesia* propter ea quae ibi habentur (laude digna quoad substantiam, dum parvipendendae non sint observationes a Patribus factae), attamen deficientiam seu lacunam, et quidem non mediocris momenti, significare liceat, cum nomen laicorum ad parvam partem christianitatis restringere videatur.

Schema enim in pag. 6, inde a lin. 31 haec habet: « Iamvero sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate in populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent, etiam per actionem religiosam, sed neque ad ordinem hierarchicum, neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent. Animum scilicet convertit ad illos qui in laboribus huius mundi partes agunt, sed *spiritu evangelico ducti, concupiscentiis saeculi valide opponuntur, immo vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant* etc. ».

Equidem nemo esse potest qui non sentiat valorem et non gaudeat de pulchritudine horum verborum, attamen quaerere licet: estne opportuna, respondet spiritui pastorali Concilii et ipsi Ecclesiae constitutioni huiusmodi restrictio, ita ut nomen laicorum iis solis attribuatur qui « concupiscentiis saeculi valide opponuntur, immo vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant »? i. e. iis (si verba significant prout sonant) qui vel perfecti sunt vel ad perfectionem sincere et actuose contendunt ac simul opera apostolatus exercere valent?

Si hoc affirmetur ubinam, quaeso, relegandi sunt, et quonam nomine designandi (et hodie procul dubio sunt multi, sicut semper fuerunt) qui Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam etiam, saltem aliquando, receperunt et iam non christiane, vel parum christiane vivunt? Qui in peccata gravia saepe labuntur? Qui, tandem, in eis habitualiter vivunt?

Venerabiles Patres, bene novimus Sacramenta a Christo D. instituta, etiam si cum fructu suscipiantur, homines in gratia Dei non confirmare, bene etiam novimus, et quidem experientia nostra quotidiana, paucos esse, saltem si cum multitudine baptizatorum conferantur, qui concupiscentiis saeculi valide et cum fructu opponuntur, regnum enim caelorum « vim patitur et violenti rapiunt illud » (*Mt.* 11, 12).

Fateor equidem magno cum animi gaudio audivisse in hac aula quae dicta sunt de laicorum vocatione, sicut laetanter consideravi quae in cap. III huius schematis scripta sunt; certus sum etiam multos laicos, non obstantibus magnis huius temporis difficultatibus, vitam vere christianam vivere, sicut persuasum mihi est (sunt enim verba Christi) omnes ad perfectionem vocatos esse, attamen rerum veritatem cum considero multorum animae offeruntur oculis mentis meae qui sine gratia Dei vivunt, neque de ea anxii sunt, etiam inter illos qui die dominico praecepto audiendi sacrum satisfaciunt, et saltem aliquando confitentur.

Quaero ergo: suntne isti membra Ecclesiae? Pertinentne ad populum Dei? Si responsio dabitur affirmativa; et de hoc dubitare non possum, sunt enim baptizati, fidem non abiecerunt (quod si etiam abiecissent, sicut iam notatum est, ab Ecclesia non sunt excisi ob indelebilem Baptismi characterem), quare nihil de eis dicitur in cap. III? Quare nulla ad eos exhortatio ad vitam christianam restaurandam? Si sunt filii errantes, ad nos spectat, etiam solemni quodam documento, eos in domum Patris revocare, si sunt oves quae perierunt, eas quaerere et in ovile reducere debemus.

In memoriam nostram revocare liceat exemplum S. Ioannis apostoli et evangelistae Domini, qui summa cum humanitate et caritate scribebat prioribus christianis, ab ipso in Christo generatis: « Filioli mei, haec scribo vobis ut non peccetis, sed si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed totius mundi » (*1 Io.* 2, 1-2).

Sollicitudo apostoli hic apparet pro peccatoribus non minus quam pro iustis. Hos hortatur ut in gratia Dei perseverent, illos monet ut per confidentiam in potenti mediatione Christi, remissionem peccatorum petant et obtineant.

Et sane oeconomia redemptionis exercetur non tantum conferendo gratiam per baptismum, et exinde adiuvando perseverantiam et incrementum spirituale iustorum, sed etiam per exhortationem, obsecrationem et remissionem peccatorum. In hoc stat summa ministerii pastoralis.

Concludo. Hoc cap. III complendum mihi videtur ita ut appareat amor Ecclesiae pro iis qui in domo sunt ut membra viva et florentia ad

eos nutriendos, fovendos, roborandos, et amor, una cum magna sollicitudine, pro iis qui in domo sunt ut membra mortua, ut filii errantes, ut oves dispersae, ut et ipsi convertantur et vivant.

18

EXC.MUS P. D. IOANNES CULLINANE

Episcopus tit. Flumenzeritanus, aux. Camberrensis et Gulburnensis

Interventio mea brevissima respicit difficultatem vitandi definitionem negativam status communis christifidelium, fidelium nempe qui nec ad ordinem hierarchicum nec ad statum religiosum pertineant.

Difficultas mihi videtur oriri ex ipso vocabulo « laico », nam nomen « laicus » etiam in aliis materiis habet connotationem negativam, puta qui non habet qualificationem specialem in medicina, iure, vel aliis huiusmodi.

Ideo propono ut in constitutione theologica *de Ecclesia* non fiant capita specialia « de laicis » et « de vocatione ad sanctitatem »; in cap. II autem « de populo Dei » tractetur de communi dignitate sacramentali seu sacerdotio omnium christifidelium, deque eorum communi vocatione ad sanctitatem et apostolatum. Omnia alia de modo apostolatus laicorum eorumque relationibus cum hierarchia melius tractarentur in decreto disciplinari *de apostolatu laicorum;* quae dicenda sunt de relatione communis vocationis ad sanctitatem cum statu perfectionis adquirendae possunt remitti ad constitutionem *de statibus perfectionis adquirendae.*

Hoc modo vitari potest vox aequivoca « laicus » in constitutione theologica. Definitio proposita « laici » admitti potest ut terminus iuridicus in decreto disciplinari *de apostolatu laicorum,* sed est minus accurata in constitutione theologica, cum longe maior pars eorum qui ad statum religiosum pertineant sunt theologice loquendo laici, ut iam notatum est ab aliquo Patre.

In hac constitutione, si semper diceretur « christifideles omnes », laici in mundo facile intelligerentur, nec esset necessarium adiungere, ut aliquando fit in schemate, « laicis non exceptis » vel « ideoque et laici » nam talis locutio aliquantulum sapit clericalismo.

19

EXC.MUS P. D. IOANNES CZERNIAK

Episcopus tit. Eudociatensis, aux. Gnesnensis

Ad art. 24, pag. 7, lin. 23. Secundum laudabilem schematis expressionem missio apostolica fidelium habet suum principium et fundamentum in sacramentis praecipue in baptismate, confirmatione, Eucharistia et matrimonio.

Attamen tractatio schematis de sacramento baptismi potius generalis est tantum: « Fideles per baptismum in filios Dei regenerati, ad cultum religionis christianae deputantur et fidem quam a Deo per Ecclesiam acceperunt profiteri tenentur ».

Affirmatio haec magni momenti est, attamen oporteat eam magis evolvere ut possit melius servire ad formandos fideles mediante catechesi et praedicatione de eorum munere apostolico quod habet suas radices in baptismo. Hoc summum bonum fuerit his in regionibus ubi apostolatus non potest organizari.

Baptismo efficimur membra Corporis Christi et praesertim per characterem qui nobis imponitur. Quo charactere, id est per « esse christianum », assimilamur Christo, qui natura sua est Salvator mundi; ergo charactere participamus in munere Redemptoris et Pantocratoris. Omnis ideo christianus gaudet ingenti potestate qua vocatus est ad apostolatum.

Utique, character sacramentalis natura sua deputat in primis ad cultum divinum (S. Thomas, *S. theol.* III, 63, 2), et deinde ad apostolatum. Sed per cultum Dei servimus etiam hominibus, postulantes pro eis gratiam et salutem; cultus est ergo actio eminenter apostolica. Extollendus est praesertim aspectus apostolicitatis cultus.

Non licet separare apostolatum a cultu. Aspectus apostolicitatis cultus patet praesertim in missae sacrificio, supremo actu cultus christiani.

Participantibus in missae sacrificio communicatur missio Christi, collata ei a Deo Patre ad salvandum mundum. Conscientibus huius realitatis, omnis missae sacrificium revocabit in memoriam munus apostolicum. Hoc modo vita fidelium quo magis erit in cultum intensa, eo magis erit apostolica, « missionaria ».

Reddentes Deo cultum ad maiorem eius gloriam, efficaciter poterunt resistere proposito eis a materialismo cultui materiae, technicae etc.

Conclusio. In conclusione ergo proponimus ut in schemate clarius appareat quod cultus sit fons totius actionis apostolicae.

20

Exc.mus P. D. EMMANUEL D'ALMEIDA TRINDADE
Episcopus Aveirensis

Plurima documenta his ultimis decenniis sive ab episcopis, sive ab Apostolica Sede vel ab ipso Summo Pontifice conscripta in lucem posuerunt munus et locum quae laicis competunt in Ecclesia Dei. Nunc prima vice fit, nisi fallor, quod aliquod Concilium Oecumenicum de hac re ex professo tractet. En motivum ut maximas gratias Deo nostro agamus.

Post ea quae audivimus, duobus hisce diebus, in hac aula conciliari, videtur quod adhuc aliquae quaestiones indigeant ut in clariorem lucem ponantur; videlicet: 1. quid sit laicus tandem aliquando? 2. quid sit aposto-

latus et quanam ratione ipsi laici Ecclesiae et hierarchiae apostolatum communicent? 3. quo sensu laici dici possint sacerdotes et quomodo universale sacerdotium laicorum a sacerdotio ministeriali distinguatur?

Tantum de prima quaestione aliquid dicam.

Laicus est nomen adiectivum a verbo *laón* derivatum. Conceptus theologicus nunc vigens, qui a redactoribus schematis *de Ecclesia* receptus est, duo includit elementa: aliud *positivum,* nempe baptismus, quo aliquis fit populi Dei membrum; aliud *negativum,* scil., quod qui tali modo ad populum Dei pertinet neque sit clericus neque religiosus.

Videtur tamen quod hic conceptus theologicus aliqua indigeat explanatione et extensione, sicut iam ab aliquibus Patribus audivimus.

In memoriam revocari oportet vocabulum « laicós », a lingua graeca derivatum, inveniri tantum in versione Antiqui Testamenti ab Aquila facta (numquam vero in versione *Septuaginta* virorum), et ibi quidem numquam ad personas sed semper ad res designandas. Sensus primitivus verbi « laicós » est idem ac « profanus », « non consecratus ».

Adiectivum « laicós » ad nomen « homo » appositum apparet prima vice in epistola S. Clementis Romani ad Corinthios, et ibi ad designandos homines ad statum clericalem non pertinentes.

Haec relatio ad *res profanas,* quae ethymologiae et primi usus vi verbo ipsi inhaeret, debet nunc integrari in conceptu conciliari hominis laici, prima vice nunc praebendo.

Laicus non est ille tantum qui baptizatus est et nec clericali nec religioso statui pertinet; est baptizatus quidem sed qui voluntate Dei saecularibus operibus serio et quantum possibile est efficaci modo incumbit. Liceat ei applicare verbum quod apostolus Paulus, cap. 7 epistolae 1 ad Corinthios usurpatus est relate ad eum qui matrimonio copulatus est. De tali homine dicit Paulus quod *divisus est.*

Haec autem « divisio » homini matrimonii vinculo copulato ita intrinsece inhaeret, ut qui talis non sentiatur dici deberet statum aggressum ad quem certo vocationem non habebat. Est enim haec « divisio » voluntate Dei inhaerens ipsi statui matrimoniali.

Eadem ratione christianus laicus dici debet ex voluntate Dei « divisus ». Haec est eius vocatio eiusque « donum ». Tensio aliqua, ut ita dicam, in corde suo ipse experitur: ex una parte, ut homo in mundo a Deo positus ut mundum suae dominationi subiiciat, experitur appellationem et attractionem ipsius mundi; ex altera vero parte ut christianus non potest non esse intentus verbis quibus Dominus spiritum paupertatis et abnegationis sui ipsius sedulo inculcat.

Si vir laicus christianus his verbis Christi Domini in Evangelio contentis aures claudat non amplius erit homo *christianus;* si autem vocem mundi non audiat potiusque ab eo aufugiat, non amplius erit homo *laicus.* Tensio haec ultimatim solvitur quando christianus laicus statum suum ut servitium Dei accipit eique omnia quibus serio et totis viribus incumbit, Deo refert et

ad eum ordinat. In hoc, nisi fallor, exercitium eius universalis sacerdotii consistit.

En pulchra verba quibus Pius Papa XII hunc hominem laicum christianum, in allocutione in II Congressu Laicorum Apostolatus, descripsit: « Est homo in sua inviolabili integritate tanquam imago Dei constitutus; homo suae personalis dignitatis et sanae libertatis conscius; homo iuste exoptans ut aliis hominibus aequalis habeatur in omnibus quae ipsius dignitatis christianae intimum forum respiciunt; homo modo stabili eius nationi eiusque traditionibus alligatus... ».

Secundum haec verba Papae Pii XII, aliquis typus hominis christiani in oboedientia passiva efformati quin simul sensus responsabilitatis experiatur, in quadam humilitatis specie contexti quae est potius dimissio spiritus et pusillanimitas quam christiana humilitas; qui transfert ad alio in mundo consequendum quae acedia sua hoc in mundo non est assecutus — talis hominis typus — inquam — certo quidem iustis impugnationibus marxistarum ansam praebet, sed talis non est hominis christiani vera atque authentica expressio.

Ut concludam, peto ut in schemate detur suo loco authentica definitio viri laici christiani et ut eius, ut ita dicam, *differentia specifica* non ponatur in aliquo elemento negativo (scil. quod non sit clericus neque religiosus), neque in aliquo elemento positivo quod quidem ipsi commune sit cum aliis christianis, nempe baptismate, sed in elemento ei proprio: scil. homo laicus christianus est ille qui voluntate Dei operibus saecularibus incumbit et ipsis mediantibus et ad Deum ordinatis salutem aeternam sibi et aliis inquirit.

21

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Dolendum quod schema *de Ecclesia,* cum multa bona proferat, attamen nec in capite de populo Dei, aliquid dicat circa munus essentiale, immo vitale, cuiusvis christiani, sive in hierarchia constituti, sive religiosi, sive laici; quod nihil dicat de vera intima vita Ecclesiae.

Nec tamen agitur de sublimibus et subtilibus questionibus, sed de rebus elementaribus, claris, *practicis* iuxta indolem pastoralem nostri Concilii.

Videtur, hoc, regressus, non progressus, relate ad Litteras Encyclicas *Mystici Corporis,* relate ad hodiernum statum studiorum theologicorum et sanae pietatis.

Siquidem, Litterae Encyclicae *Mystici Corporis,* passim docent Ecclesiam, cum sit opus maximum divinae caritatis, non esse tantum societatem, non tantum familiam, sed corpus; mysteriosum, utique, mysticum, sed omnino reale. Huius corporis — sicut in nostris corporibus moralibus seu societatibus — singula membra sunt personae libertate praeditae. Sed in hoc

corpore — quasi sicut in corporibus physicis sed omnino excellentius — caput revera infundit vitam in membra; et membra, quo magis vivificata sunt, eo magis concurrunt ut vivificentur et alia membra, licet infirma et mortua et separata. (Deus enim nos videt simul qua singulos et qua membra Corporis mystici; magis se complacens in uno membro, eo magis se complacet in universo corpore, totumque magis diligendo magis vivificat in singula eius membra).

Hanc vitam nobis comparavit, semel seipsum offerendo in caritate oboediens usque ad Crucem, Christus Dominus, nobis sacerdos a Patre constitutus: sacerdos, scil. mediator, repraesentans Patrem apud nos, repraesentans nos apud Patrem.

Nos, sua gratia praeventi, libertate praediti, debemus quasi agnoscere et acceptum habere hunc sacerdotem a Patre nobis constitutum; debemus quasi ratum facere suum sacrificium, prosequentes eius oboedientiam in caritate sub cruce vitae christianae, ut revera sacrificium Christi exprimat nostram voluntatem, et vere et sincere a nobis offerri possit per Missam. « Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum »; « Causa salutis aeternae omnibus obtemperantibus sibi » (*Hebr.* 7, 25; 5, 9).

Quae omnia, quo perfectius in caritate fiunt, eo plenius fructum sacrificii, scil. gratiam, recipimus: pro nobis ipsis etiam « de condigno »; pro toto Corpore mystico « de congruo ».

« De congruo »; at revera bonum maximum est sic mereri de congruo, cum Pius XII f. r. exclamet: « Sane tremendum mysterium et nunquam satis meditatum, ... ».

Et apostolus Paulus, cum affirmasset « caput non potest dicere pedibus: non estis mihi necessarii » (scil. Deo sic statuente; *1 Cor.* 12, 21), proclamat: « Adimpleo in carne mea ea quae desunt passionum Christi, pro Corpore eius quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24).

(Utique sacrificium Christi omnino perfectum est, et aeternam redemptionem invenit; nam si nos accedimus ad Patrem, si Christo obtemperamus, hoc est fructus sui sacrificii; attamen nobis indispensabile est ut gratia sui praeventi et moti, cum pervenerimus ad usum rationis, accedamus et obtemperemus).

Haec est vita intima Ecclesiae. Quaevis anima, vel humillima et mundo contemptibilis, prosequens per gratiam oboedientiam redemptricem Christi, iuvat vitae totius Ecclesiae, iuvat ut gratia uberius fluat in animas, iuvat ut munus sanctificandi, docendi et regendi sacerdotum, efficax sit.

Exinde patet essentia vitae christianae; exinde patet momentum et vis vitae consecratae ad perfectionem caritatis; patet quam stricte sacerdotium exigat sanctitatem et perfectionem sacerdotum.

Exinde patet fulgidissime munus B. Mariae V., Matris Dei et Ecclesiae.

Deus Unus et Trinus, sicut voluit, ad suam imaginem longinquam et tamen splendidam, universum genus humanum descendere ab uno progenitore, per mulierem de illo « sumpta », illi per amorem coniunctam, ab illo

sic fecundata, ita omnino mirabilius statuit novum Adam et novam Evam, Christum et Mariam: sicut docet constans veneranda traditio.

Maria, quasi de Christo sumpta, intuitu meritorum Christi Virgo Immaculata, omnino Christo coniuncta ineffabili caritate usque ad Crucem, recepit nobis transfundendam vitam supernaturalem, gratiam. Vera mater: non mater adoptiva, cui Christo commisit filios iam progenitos: vera Mater per quam Christus nos generat ad vitam: vera « Mater viventium », vera Mater Ecclesiae. En Mariologia et Ecclesiologia, omnino inseparabiles.

Ardentissime igitur rogo ut SS. Concilium, poliendo et complendo haec quae summatim et imperite dixi, ostendat in plenam lucem Mariam et Ecclesiam; et ostendat plenam veram fecundam vitam christianam.

Loquamur, utique, de apostolatu hierarchico, de apostolatu laicorum (qui hierarchiae debent auxilium praebere in suo ordine, debent in omnibus formis et gradibus vitae humanae ducere in actum ea quae hierarchia docet et praecipit).

Sed prius et profundius et instantius loquamur oportet de hac intima vera vita christiana, quae est — ut utamur verbis dom. Chautard — « anima cuiusvis apostolatus ».

Numquid infirmus — recordemur, quaeso, commotionem et solacium in audiendo telegrammate moribundi arch. Di Leo, offerentis suos « inenarrabiles dolores » pro Concilio — numquid infirmus, numquid pater vel materfamilias omnino oberati pondere et aerumnis filiorum, nihil conferunt ad vitam Ecclesiae? Summus Pontifex recentissime aiebat quasi magis conferre ad felicem exitum Concilii orationes et poenitentiae vel simplicium fidelium, quam labor et opera nostrorum Patrum Conciliarium. Rememoremus S. Theresiam ab I. Iesu, Patronam Missionum aeque ac S. Franciscum Xaverium.

Docemus has fulgidas vitales veritates: demus solacium innumerabilibus animabus; indicemus verum fundamentale remedium ad omnia mala: remedium — fundamentum omnium ceterorum — quod prae manibus est omnibus vel humillimis et insipientibus coram hominibus; et sic excitemus ardentiorem et puriorem caritatem; ostendamus in vera sua fulgida luce Mariam; ut abundantius impetremus gratiam: per quam tandem aliquando luce et vi superna, dirimi et superari possint discrepantiae et difficultates etiam circa ordinem hierarchicum Ecclesiae!

22

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Assentio animadversionibus ab em. card. Ruffini, die 16 huius mensis, factis. Liceat tamen mihi pauca quaedam addere. Primo quidem de ordine nuper a commissione de laboribus Concilii ordinandis proposito, quem inve-

nire est ad calcem pag. 5 schematis nunc disceptationi subiecti. Mens commissionis est ut fiat sermo « de populo Dei in genere », antequam fiat « de constitutione hierarchica Ecclesiae ». Meo humili iudicio, melius est servare priorem ordinem ita ut sermo fiat de sacra hierarchia antequam fiat « de populo Dei ». Hoc enim ordine, ut mihi videtur, res clarius exponitur. Cum de mysterio seu natura Ecclesiae agebatur, iam plura dicta sunt quae ad populum Dei referuntur, ut videri est pag. 9 schematis sub nn. 5, 6 et 7. Quae omnia ibi proprium locum habent, cum populus Dei toti Corpori Christi mystico adaequetur. Si autem a toto mystico Christi Corpore distinguendus sit, tunc eius natura melius intelligitur cognita prius doctrina de sacra hierarchia. Etenim, cum populus Dei inadaequate a Corpore Christi mystico distinguitur, pars illa Ecclesiae dicenda est quae a sacra hierarchia contradistinguitur, pars quae non intelligitur sine habitudine ad sacram hierarchiam, a qua quotidie ut talis scil. ut populus Dei constituitur. Ceteroquin, ipse modus agendi Christi Domini suadet, ni fallor, ut prius de hierarchia in Ecclesia agatur quam de populo Dei. Ex toto Evangelio patet primam Christi Domini sollicitudinem non fuisse congregare populum, in quo et ex quo postea duces seligeret. Iam a primis initiis vitae suae publicae, curat de ducibus futuri populi, populo nondum existenti duces designat. Vocat apostolos, — nec ullum nominatim praeter eos —; uni eorum, Simoni, scilicet, nomen petrae seu rupis imponit. Per duos saltem primos vitae suae publicae annos, circa Christum, praeter apostolos, nihil fixum, nihil permanens, nihil solidum, nihil constans, sed tantum multitudo fluens, quam saepius Sacra Scriptura « turbam » vocat. Omnia fiunt ac si Christus in proprias partes elegisset tantum apostolos seorsim vocare, « turbis » vero praedicare, ipsis apostolis relinquens ut ex turbis efficerent populum Dei. Et revera verus populus non intelligitur sine auctoritate. Antequam enim aliqua adsit auctoritas, ne quidem sermo fieri potest de vero populo; adest tantummodo, ut ita dicam, « prae-populus », mera et nuda pluralitas singulorum hominum, disiuncta et dispersa multitudo, cui nomen « populi » immerito tribueretur, cum ei desit ligamen unitatis per quod solum in populum erigi potest. Quod magis adhuc valet de Ecclesia ubi hierarchia est non solum causa formalis, sed et causa efficiens populi Dei. Haec autem ita vera sunt ut ipsa emendatio em. card. Suenens, prout legitur in fasciculo emendationum qui in aula distributus est, in pag. 8, sub n. 13, lin. 1, appellet ad praedicationem apostolorum qua enascitur novus populus Dei. Populus Dei ergo agnoscitur ex vinculis quibus vincitur sacrae hierarchiae, a qua pluribus donis supernaturalibus ditatur. Verum quidem est membra sacrae hierarchiae ad populum Dei pertinere, tamen non formaliter qua membra hierarchiae. Quatenus enim hierarchiam sacram constituunt, super populum Dei sunt eum formantia ac nutrientia. Postulo, ergo, ut servetur ordo materiae quae in schemate invenitur.

2. Insuper, quae de membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate sub n. 23 dicuntur, minus recta mihi videntur. Et primo quidem,

in constitutione dogmatica signate — et non tantum obiter ut fit v. g. in lin. 21 et pag. 6 — affirmanda est distinctio illa essentialis quae in Ecclesia viget inter sacram hierarchiam et plebem sanctam. Quae affirmatio omnino consonat fini pastorali huius Concilii, cum prima conditio vitae verae christianae sit clara professio fidei, quae ex confusa doctrinae propositione procedere nequit. Possent assumi verba S. Pii X, in litteris encyclicis *Vehementer* datis ad episcopos Galliae 11 februarii 1906: « Scriptura eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat Ecclesiam mysticum esse Christi corpus pastorum et doctorum auctoritate administratum (*Eph.* 4, 11 s.), id est societatem hominum in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate (*Mt.* 28, 18-20; 16, 18-19; 17, 17; *Tit.* 2, 15; *2 Cor.* 10, 6; 13, 10 et alibi). Est igitur haec societas, vi et natura sua, inaequalis; duplicem scil. complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius et auctoritas resideat movendi, ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter ». Haec S. Pii X vel similia verba possent anteponi n. 23. Ad rationem pastoralem huius insertionis addere possim sequentia: Sancta Synodus oblivisci nequit eorum quae plurimum nocet formationi christianae fidelium, in humilitate ac subiectione constanti, ad imitationem Iesu Christi, qui oboediens fuit ac humilis corde. Iamvero, hodie, superbia quae peccatum in mundum induxit, ita commercium sociale invasit ut fere omnes nihil plus odio habeant quam praestantiam qualemcumque. Ne, ergo, Sancta Synodus videatur approbare huiusmodi modum agendi, nitide affirmet oportet illas praestantias quae in revelatione fulciuntur.

Ceteroquin, in schemate *de Ecclesia* ad disceptandum in Conc. Vat. I praeparato, inaequalitas membrorum Ecclesiae, seu distinctio inter hierarchiam et plebem sanctam proponebatur tum in cap. III tum in canone 2.

3. Secundo, quae in pag. 5, linn. 20 ss. inveniuntur, etiam non placent. Nimis generice aequalitatem omnimodam in Ecclesia esse affirmant inter omnia eius membra cuiuscumque nationis, conditionis socialis, vel sexus sint. Estne hoc universaliter verum? Nonne ibi ponenda distinctio? In loco ab apostolo citato, nonne potius ipse de universali vocatione ad populum Dei loquitur, ita ut nullus hominum excludatur? Haec autem universalis vocatio ad Ecclesiam non destruit inaequalitates illas legitimas quae fulciuntur sive in natura, sive in traditione, sive etiam in divitiis, ut docebat Pius XII in allocutione die 24 decembris data 1944 (cf. *Disc. e Rad.,* vol. VI, pag. 239; etiam, alloc. ad fideles par. Marciani, *Disc. e Rad.,* vol. XV, pag. 195), et ipse apostolus, ad Ephesios scribens (4, 11 s.) commemorat diversitatem donorum qua Corpus Christi mysticum organice et ordinate componitur, et in alio loco (cap. 6) eiusdem epistolae, formulas vitae proponit pro christianis in diversis conditionibus socialibus constitutis. Praeterea, in textu

schematis, ex unitate Domini, fidei et baptismatis (pag. 5, lin. 19 s.), perperam concluditur omnium in Ecclesia aequalitas, eo vel magis quod ipsa dona Dei hominibus distribuuntur non secundum aequalitatem, sed divino beneplacito subiiciuntur. Quidam Patres videntur timere ne nimis clara affirmatio auctoritatis et inaequalitatum in Ecclesia offendat mentem hominis hodierni, et caritati, quae inter omnes adesse debet, noceat. Timor hic non videtur solido niti fundamento. Etenim, munus Ecclesiae non est menti saeculi se conformare, sed potius eam corrigere; quoad caritatem autem, ipsa virtus, ut docet S. Thomas, in *S. T.* 2. 2. q. 26, praesertim in c. 6, ordinem requirit non solum in actibus externis, sed in ipsis actibus internis, ita ut quamvis omnes pariter diligere debeamus, non tamen omnes eodem gradu. Propono, ergo, ut linn. 20 et 21, pag. 5 et 1-3, pag. 6, substituantur, post citationem apostoli, haec vel similia: « Insuper nullus a vocatione ad populum Dei excluditur, nec iudaeus, nec graecus, nec servus nec liber, nec masculus nec femina (cf. *Gal.* 3, 28; *Col.* 3, 11), sed ad omnes patent divitiae quibus Dominus Ecclesiam suam ditavit. Ad omnes ergo christifideles pertinet, etc. ».

4. Ob easdem rationes optarem ut in lin. 13, pag. 6, loco « omnes ad eandem vocantur sanctitatem », diceretur « omnes pariter ad sanctitatem vocantur ». Pariter, i. e. sine exceptione; non autem ut omnes eandem consequantur sanctitatem. Haec enim a gratiis dependet, et gratiae a beneplacito divino, quod liberrime et mysteriose eas distribuit.

Eiusdem sunt sententiae: Marcellus Lefèbvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia; Gerardus de Proença Sigaud, arch. Diamantinae; Petrus de la Chanonie, ep. Clermont in Gallia; Ioannes Prou, abb. Solesmensis.

23

Exc.mus P. D. MAURITIUS DE KEYZER
Episcopus Tiniensis, aux. Brugensis

Sub n. 24, cap. III schematis *de Ecclesia* (pag. 8, lin. 13 s.) recte et laudabiliter sermo fit de sensu fidei universi populi Dei et de indefectibilitate Ecclesiae in *credendo.*

Infallibilitas Ecclesiae in credendo fundamentalis est in doctrina de Ecclesia et etiam valde confert ad indolem pastoralem et oecumenicam huius Concilii; quippe quae dignitatem et momentum populi Dei clariori in luce ponit et a fratribus separatis generatim admittitur.

Quapropter non inutile visum est quaedam vobis proponere testimonia praeclara quae hanc doctrinam traditionalem aperte profitentur. Testimonia desumuntur ex theologis posttridentinis tum quia hi theologi omni suspicioni maiores sunt, tum quia haec testimonia eo vel maioris ponderis sunt quod theologi posttridentini potius vitant omnia quae extollunt *fideles* ut in propugnanda hierarchia eiusque praerogativis instent. En testimonia.

1. *Melchior Cano O. P.* (in celebri suo opere *De locis theologicis,* in libro IV, cap. 4) has inter alias conclusiones ponit:

1) Ecclesia *in credendo* errare non potest.

2) Non solum Ecclesia universalis i. e. collectio omnium fidelium hunc veritatis spiritum semper habet sed eundem habent etiam Ecclesiae principes et pastores.

Hic statim notare iuvat modum progrediendi: a populo scilicet fidelium ad hierarchiam seu ab infallibilitate in *credendo* ad infallibilitatem in docendo et non e converso.

2. *S. Robertus Bellarminus* magnam suam famam defensoris fidei nactus est per celeberrimum opus *De controversiis christianae fidei.* In cuius libro 3, cap. 14, tractans nostram quaestionem scripsit: « Et cum dicimus Ecclesiam non posse errare id intelligimus tam de universitate fidelium quam de universitate episcoporum ita ut sensus sit eius propositionis ecclesia non potest errare (i. e.) id quod tenent *omnes fideles* tamquam de fide necessario est verum et de fide; et similiter id quod docent omnes episcopi tamquam ad fidem pertinens necessario est verum et de fide ».

3. *Gregorius de Valencia* in suo opere *Commentaria theologica,* agens de infallibilitate, quaerit cuinam applicanda veniant promissiones Christi. Respondet: primo Romano Pontifici et Concilio; secundo, ait, et haec sunt ipsius verba: « Vis (etiam) illarum promissionum est *omnes* fideles non posse deficere a doctrina fidei, neque omnino neque quoad aliquam ipsius partem ». Et pergit progrediendo a fidelibus ad hierarchiam eodem modo ac Melchior Cano: « Quod dictum est *omnes* fideles non errare a fide, hoc idem de Ecclesiae pastoribus atque doctoribus omnibus dicendum... Hoc ipso quod errare fideles *omnes* non possunt necessario fatendum est neque posse pastores omnes atque doctores errare ».

De *consensu fidelium* quaedam habet valde conspicua contra illos qui putant Romanum Pontificem nullo modo debere rationem habere illius consensus. Sic scribit: « Est etiam in definitionibus fidei habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium quoniam et ipsi sane, quatenus ex ipsis constat Ecclesia, sic Spiritu Sancto assistente divinas revelationes integre ac pure conservant ut omnes illi quidem aberrare non possint... Illud contendo: Si quando de re aliqua controversa constaret fidelium omnium concordem esse sententiam ... merito *posse* ac *debere* Pontificem illa niti ut quae esset Ecclesiae sententia infallibilis ».

Brevitatis gratia omitto testimonia F. Suarezii S. I. et J. B. Gonet O. P., ut unum adhuc afferam.

4. *Billuart* in « Curso suo theologico » simili modo ac Gregorius de Valencia et Melchior Cano probat infallibilitatem Ecclesiae *in docendo* ex infallibilitate eius *in credendo* et quidem modo vere scholastico. « Si, ait, Ecclesia in suis pastoribus repraesentata posset errare in rebus fidei et morum proponendis sequeretur quod *omnes* fideles seu Ecclesia sumpta

pro congregatione omnium fidelium posset errare in credendo et deficere. Atqui falsum consequens ut probatum est. Ergo et antecedens ».

Quomodo haec infallibilitas in credendo et in docendo inter se componantur sic exponitur a Franzelin qui in Vaticanum I tantum habuit influxum: « Spiritus itaque veritatis adest toti fidelium coetui non sinens Ecclesiam aliter intelligere, aliter credere quam ipse per apostolos praedicaverat... Per pastorum et doctorum ministerium ut per gratiam externam quacum nectitur tamquam elementum *longe praecipuum* unctio et gratia interna, idem Spiritus veritatis est principium efformandi et conservandi infallibiliter conscientiam fidei in grege adunato pastoribus ».

Conclusio. 1. Maximi theologi posttridentini clare infallibilitatem fidelium in credendo docent.

2. Modus progrediendi eorum in expositione et argumentatione saepe explicite est a fidelibus ad hierarchiam seu de infallibilitate in credendo ad infallibilitatem in docendo. Nec ullum vident in hoc periculum pro hierarchia.

3. Nequidem periculum vident in asserendo rationem habendam esse consensus fidelium etiam a Summo Pontifice.

Appendix.

F. Suarez S. I. In *Disputationibus in II-II^{ae}* postquam asseruit Ecclesiam universalem non posse deficere a fide per haeresim et hanc doctrinam esse de fide et tam frequentem in conciliis et Patribus ut superfluum videatur aliquid allegare, prosequitur eam nec posse deficere per ignorantiam invincibilem. « Si enim Ecclesia posset errare *credendo* aliquid falsum tamquam de fide certum etiam per ignorantiam invincibilem tota eius fides dubia redderetur, quia in singulis formidare posset et dubitare ne forte per ignorantiam decipiatur ».

J. B. Gonet O. P. in *Clypeus Theologiae*: « De fide est Ecclesiam universam errare non posse in *credendo* et docendo; illa enim est columna et firmamentum veritatis ». Et ex hoc probat Concilium generale etiam esse infallibile.

24

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

In n. 24 permixtim sermo fit de fidelium participatione in notissimo triplici munere Christi: sacerdotali, nempe, prophetico et regali. Tria haec intime inter se coniunguntur, at diversa sunt et, meo iudicio, distinguenda et separanda erunt. Claritatis gratia, tres diversas proponerem paragraphos: 1. de *sacerdotio,* 2. de munere *prophetico* et 3. de *regali.* In *Voto,* de sacerdotio unice directe agemus.

Hac de re, in eodem n. 24 maior desideratur claritas et accurata dispositio. In prima paragrapho sermo fit, fere permixtim et uno tractu, de sacerdotio *collectivo* « populi Dei » et de *individuali* singulorum christifidelium.

Quae quidem duo intime etiam inter se connectuntur, at, ni fallor, non undequaque inter se coincidunt ideoque et separanda erunt. Nos, in voto, de sacerdotio individuali unice loquemur.

Argumentum hoc magni momenti et vivissimae aestimatur actualitatis. Nostris hisce temporibus multa scripta sunt de « sacerdotio individuali fidelium ». Thema frequentissime occurrit in cuiuslibet generis scriptis, in congressibus, in conferentiis etc. adeo ut et inter scientiatos controversia et inter fideles fiduciosa expectatio oborta sit. Doctrina in se pulcherrima est et omnium corda demulcet. At non omnia, quae hinc inde hucusque scripta sunt, ut vera et iusta et indubia aequo iure sunt tenenda. Periculosae etenim novitates, exaggerationes immo et errores, etiam apud catholicos, hac in re vulgantur, ut aperte notaverat Pius XII in Enc. *Mediator Dei.*

Cum ergo terminologia ipsa — sacerdotium, sacerdos, sacrificium, hostia —, in pluribus analogica, aliquali ambiguitate laboret, cumque prima vice in historia, quod ego sciam, in Concilio Oecumenico hac de re sermo directe instituatur, perutile immo et necessarium videtur argumentum clare proponere et accurate explicare. Quod ut praestet, Concilium sacerdotii fidelium factum, naturam et fundamentum theologicum clare stabilire debet.

1. *Factum* indubium videtur. In Evangelio quidem non apparent *textus expliciti.* Iesus enim neque seipsum neque populum suum sacerdotem explicite unquam dixit. Non desunt tamen iudicia et quae initialiter ibi indigitantur (*Mt.* 16, 24; 20, 22; 26, 39), in scriptis apostolorum clare evolvuntur et explicantur. Duas habemus series testimoniorum, quae duas veluti traditiones, intime inter se connexas et mutuo sese complentes, fundare possunt: *a*) S. Petri et *b*) S. Pauli et S. Ioannis. Petrus (*1 Petr.* 2, 5-10) potius de sacerdotio *collectivo* populi Dei directe loqui videtur. Paulus autem (*Phil.* 2, 17; 3, 3; 4, 18; *Rom.* 12, 1; *Hebr.* 9, 14 etc.) et Ioannes (*Apoc.* 1, 6; 5, 10 et 20, 6) quin *collectivum* ignorent, illud potius supponentes, de *individuali* directe agunt.

Quod vero in Paulo et Ioanne clare continetur, ab antiquissima Traditione ad nostra usque tempora, apud Patres et theologos unanimi suffragio asseritur (cf. testim. in schemate: Notae 4-9, quibus alia fere innumera addi possent).

2. *Natura.* Sacerdotium verum, usu metaphoricum. Verba enim quae in Paulo et in Ioanne occurrunt: *θυσία, λειτουργία, λατρευείν* etc. sunt *classica* cum de sacerdotio et sacrificio sermo fit. Nulla ergo apparet ratio qua in casu teneamur illa *metaphorice* sumi. Est ergo sacerdotium verum, *analogicum* utique, sed reale et realitate plenum.

Illius vero indolem explicare non valemus, nisi respectu habito ad sacerdotium Christi, cuius est configuratio, et ad ipsum sacerdotium ministeriale, ad quod quadantenus accedit. Qualiter vero et quomodo?

Christus Dominus « ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce paragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret (*1 Cor.* 11, 22 s.)

sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum (*Ps.* 109, 4) constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earumdem rerum symbolis, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit (Trid. s. XXII).

Instituit ergo Christus sacerdotium ministeriale in apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, quibus *unice* contulit plenam potestatem conficiendi eucharisticum Missae sacrificium in Ecclesia.

Verum si ex Christi institutione res ita se habent, quae et qualis est relatio et necessitudo inter sic dictum sacerdotium fidelium et sacerdotium ministeriale? Daturne fidelibus aliqua *realis* participatio in actione sacrificiali Missae ut et ipsi sacerdotes dici et esse valeant? Non loquimur de participatione illa rituali et liturgica, de qua in schemate *de S. Liturgia* clare locuti sumus, sed de alia intimiore, activa, cultuali et sacrificiali. Competit reapse fidelibus?

Distinctione opus est. In sacrificio Missae duo distingui debent *momenta,* duo *aspectus* vel, si magis placet, duae veluti *partes*: *a*) positio et praesentatio victimae in altari et *b*) illius *oblatio* cultualis et *sacrificialis.* In primo momento fideles nullam habent sed neque habere possunt partem *activam,* cum, ob specialem sacrificii Missae conditionem, positio et praesentatio victimae in altari verificetur per consecrationem transubstantiativam vel per *transubstantiationem in consecratione,* quae unice fieri potest per ministros a Christo Domino institutos, Eius nomine et potestate ab Ipso illis data et aliis, non ministris, omnino incommunicabili.

At de altero momento, de *oblatione* nempe *cultuali* et *sacrificiali* victimae, aliter videtur iudicandum. Dum enim in *positione* victimae per transubstantiationem in consecratione sacerdos ministerialis *unice* agit nomine Christi, cuius vices gerit et cuius minister visibilis est, in *oblatione* agit quoque nomine fidelium, quos repraesentat quique, ut membra Ecclesiae, praesentes in ministro sunt tanquam veri actores ante altare. Huc veniunt verba quae leguntur in *Canone Missae* et quidem, notatu vere dignum, immediate post *consecrationem*: « Unde et memores, Domine, nos servi tui sed *et plebs tua sancta ... offerimus* praeclarae maiestati tuae... ». Fideles ergo *agunt* et partes habent in *oblatione.* Illorum vero actio in eo est quod offerunt *a*) *cum* ministro; *b*) *per* ministrum et *c*) *una cum* hostia principali semetipsos offerendo hostias salutares in conspectu divinae Maiestatis. Competit ergo fidelibus aliqualis vera participatio *activa,* cultualis et sacrificialis, hinc et *sacerdotalis,* in ipso sacrosancto Missae sacrificio, qua fit ut vera aliqua ratione, etsi analogica, et ipsi sacerdotes dici valeant.

Nec sufficiat haec notare. Alia occurrunt hic consideranda: Verum quidem est *sacerdotis* esse offerre sacrificium, sunt enim correlativa et unum sine alio dari nequit, at, ni fallor, munus sacerdotale non absolvitur nec exhauritur in conficiendo et offerendo sacrificium stricte dictum quo sensu illud in theologia accipimus, cum de sacerdotio et sacrificio technice loqui-

mur. Multa enim sacerdotibus adscribuntur eisque competunt quae sacrificia stricte dicta non sunt. Sufficiat memorari verba Pontificis in consecratione manuum presbyterorum: « ... ut quaecumque benedixeris, benedicantur et quaecumque consecraveris, consecrentur et sanctificentur ... » (*Lib. Pont.*). Ipse Christus Dominus, sacerdos in aeternum, de cuius plenitudine sacerdotali omnes nos accepimus, semel in ara crucis « semetipsum obtulit immaculatum Deo » (*Hebr.* 9, 14), a Bethlehem tamen in Calvario multa sacerdotaliter egit quae, arctissimo nexu cum sacrificio crucis connexa, ab illo contradistinguuntur et sacrificia stricte dicta proclamari nequeunt.

Suspicare ergo licet de natura et interna missione sacerdotis esse quidem omnia offerre, ordinare, dirigere et dicare in honorem et laudem Dei, at non tantum oblatione sacrificii stricte dicti, sed aliis quoque bene multis mediis et modis — oratione, benedictionibus, hymnis et canticis spiritualibus —, quibus ipse cultum Deo dare eiusque gloriam continuo curare debet. Hunc in finem sacrificium est utique medium *primum* et *principale,* speciatim in recognitionem supremi dominii Dei, at minime *unicum.*

A principaliori desumitur denominatio, in casu nostro a sacrificio sacerdotium, sed principaliori illa denominatione non tollitur nec excluditur generalis praedicatio, qua sacerdotium intelligimus constitutum et ordinatum ad servitium cultuale praestandum, non praecise, necessario et exclusive per sacrificium stricte dictum, in laudem et gloriam Dei.

En igitur prima nota constitutiva et essentialis sacerdotii: in *cultum, laudem et gloriam* Dei.

Neve dicas talem esse finem et obligationem omnium hominum venientium in hunc mundum ideoque, in praefata explicatione sacerdotii, omnes homines aequo iure sacerdotes dici debere. Nam, etsi quilibet homo cultum Deo dare eiusque gloriam curare teneatur ideoque sub hoc respectu quilibet homo aliquo vero sensu sacerdos-psaltes dici possit et sit, aliquid adhuc singulare, speciale et proprium est in sacerdote, quod ceteris non datur. Sacerdos, enim, praeter et supra obligationem hominibus communem, illa omnia — cultum, laudem et gloriam — Deo praestare debet vi muneris et quasi ex officio, fina ad hoc est *delectus* et ad hoc est *deputatus.* Differentia ergo stat in *deputatione,* qua sacerdos formaliter constituitur in munere sacerdotali, iuxta verba S. Pauli: « Omnis namque pontifex ex hominibus adsumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum » (*Hebr.* 5, 1), quin vero huiusmodi deputatione imminuatur multoque minus excludatur aut negetur *nativa* et interna illa significatio et ordinatio sacerdotii, de qua supra diximus.

Talis autem deputatio diversimode fieri potest et reapse, in historia religionum, diversimode facta est. Dum enim in religione naturali libera hominum voluntate fit et facto aliquo innititur humano et sociali, in religione supernaturali et revelata nonnisi divina positiva institutione, vocatione et electione, fieri potest, quia « nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron » (*Hebr.* 5, 4).

De facto in nova oeconomia salutis electio et institutio a Patre in Filio facta est, quia, ut ait apostolus, « ... Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te... Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech » (*Hebr.* 5, 5-6).

In novo igitur Foedere unus est sacerdos princeps, Christus, de cuius sacerdotio aeterno venit et participat sacerdotium ministeriale ab ipso Domino in apostolis eorumque in sacerdotio successoribus institutum.

Hoc tamen non obstante, adhuc, ni fallor, de sacerdotio fidelium loqui fas est et adhuc fideles aliquo vero sensu sacerdotes dici possunt, quin propterea vel sacerdotium Christi obumbretur vel sacerdotium ministeriale quadantenus imminuatur. Fideles enim etiam ipsi sunt *vocati* et *delecti* et *deputati* ad cultum, gloriam et laudem Dei, et quidem non tantum declaratione aliqua *externa, legali* et *nominalistica,* sed deputatione *interna, effectiva* et *reali* in vera quadam « ontica » realitate supernaturali fundata.

Quae vero natura et quale est fundamentum illius *deputationis?* Tangitur hic in radice problema de natura sacerdotii individualis christifidelium.

3. *Radix et fundamentum theologicum sacerdotii fidelium.*

1) In novo Foedere *unus* est sacerdos: Christus Dominus.

2) Quaelibet *actio cultualis* poni debet in Christo, cum Christo et per Christum in quo Pater sibi complacuit (*Mt.* 3, 17).

3) Fideles per baptismum *a*) segregantur a « non populo »; *b*) inseruntur Christo capiti; *c*) configurantur Christo sacerdoti « ipsiusque sacerdotium pro sua conditione participant » (*Mediator Dei*) et *d*) consecrantur i. e. dicantur et ad cultum divinum deputantur (cf. *Mediator Dei*). Vi ergo characteris baptismalis tota vita christifidelium — sive manducatis sive bibitis (*1 Cor.* 10, 31) — est, in ratione cultus, in gloriam et laudem Dei, « ad serviendum Deo viventi » vel ut clarius et expressius legitur in graeco: « εἰς τό λατρεύειν θεῷ ζῶντι ». Quia consecrati i. e. dicati Deo, christifideles vivere tenentur λατρεύοντες θεῷ, sicque vita eorum, tota quanta, indolem et rationem vere cultualem et sacerdotalem habere debet.

Sacerdotium ergo fidelium ultimo fundatur in ipso *charactere baptismali.*

Immerito igitur in schemate (n. 24) permixtim et uno tracto sermo fit de « diversis sacramentis: baptismo, confirmatione, eucharistia et matrimonio ». Ni fallor, ibi confunduntur et permiscentur tria illa munera, *sacerdotale, propheticum* et *regale,* de quibus fideles utique participant, quae tamen confundi non possunt, quaeque opportune distingui et separari debent.

Conclusio. N. 24 ex integro restructurari debet distinguendo:

1. Sacerdotium *collectivum* populi Dei;

2. Sacerdotium individuale fidelium, et quo explicentur: a) *factum* (ex Scriptura et traditione, b) *natura* (sacerdot. verum, non metaphoricum), c) *radix* et fundamentum (character baptismalis);

3. Opportune distinguantur tria munera: sacerdotale, propheticum et regale, sua cuique, diversis etiam paragraphis, tribuendo.

25

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

Quamvis in n. 26, actualis cap. III, agatur de facultate laicorum, « immo aliquando officium, suam sententiam declarandi, de iis quae ad Ecclesiae vel communitatis bonum pertinent », tamen mihi videtur rem non sufficienter declarari. Existimo enim urgendum esse hoc laicorum officium, quia, inter alias rationes:

a) ex una parte, hodiernis temporibus, vita ita complexa est et problemata tot et tam magna sunt, ut practice impossibile sit pastores animarum cognoscere posse omnia ea elementa necessaria ad rectum iudicium sese efformandum, ex quo grave periculum male agendi consequitur;

b) ex alia parte, non pauci sunt hodie in Ecclesia laici capaces, magno cum amore erga ipsam et sufficienti competentia praediti ad ea elementa iudicii peroptime apportanda.

Praeterea notandum est, huius adimpletionem officii non tantum modo privato factam urgendam esse, sed etiam ope diversorum mediorum « publicae opinionis ».

Certum est totum hoc difficultatibus et periculis non carere, sed cum debita prudentia fovendum est, nam multum confert ad bonum Ecclesiae et ad veram libertatem filiorum Dei, quae nomine oboedientiae et humilitatis non raro extinguitur.

Propono igitur, ut in pag. 10, lin. 29, omittantur verba: « immo aliquando officium », et in lin. 30, post verba: « ... communitatis bonum pertinent », haec alia verba addantur: « Immo, non in paucis casibus, laici verum officium habent suam opinionem pastoribus exprimendi, ut ii revera suum munus recte adimplere possint. Et hoc laici facere possunt, non tantum privato modo, sed etiam ope sic dictae "publicae opinionis", quae hac de causa admittenda, insuper et cum prudentia fovenda est in Ecclesia ».

[*Subsignaverunt etiam*]: Anibal Marichevich, ob. de Villaricca; Vicente Zazpe, ob. Rafaela; M. Blanchoud, ob. de Rio Cuarto; Francisco Austregesilo Mesquita, ob. de Afagados da Ingàzeira (Brasil); Manuel Tato, ep. S. Iacobi de Extero; A. Quarracino, ep. de 9 de julio; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Arg.; Felipe Santiago Benitez, ob. aux. Anunciación (Paraguay); Marcellus Mendiharat, ep. coad. Saltensis (Uruguay); Roberto Cáceres, ob. de Melo; Luis Baccino, ob. de San José de Mayo; Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis; Vladimir Borić, ep. de Puenta Arena (Chile); B. Piñera, ep. Temucensis (Chile); Enrique Alvear U., ob. aux. de Talca; Al. Menchaca L., ob. tit. de Pinara (Chile); Alberto Rencoret, arz. de Puerto Montt (Chile); Ramon Bogarin A., ob. Ioannes Bapt. a Missionibus (Paraguay); Jorge Kemerer, ob. de Pósadas.

26

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Veniam peto aliquas observationes quoad hunc caput facere, et quidem:

1. *De sacerdotio universali, n. 24, pag. 7.* Maxima cum reverentia pro tanto viro uti est em.mus D. card. Ruffini, et aliorum Patrum, cuius animadversiones cordialiter subscribo, peto ut participatio christifidelium in sacerdotio Christi, clare et expressis verbis hoc in schemate retineatur etiam si ex verbis S. Petri hoc non probatur, uti em.mus D. demonstravit. Alii vero textus Sacrae Scripturae, ab aliis Patribus citati, retinendi sunt.

Clare patet christifideles esse membra Corporis Christi mystici; quod si caput est summus et aeternus sacerdos, membra eius quoque sunt revera membra summi et aeterni sacerdotis. Nemo sane dubitare potest manus immo et pedes meos esse membra sacerdotis. Corpus Christi quamvis mysticum, est verum et reale corpus, ideo fideles sunt vera et realia membra; ergo revera participant de sacerdotio capitis.

Ni fallor, actio qua sacramenta conferuntur est actio sacerdotalis. Atqui christifideles a baptismate recipiunt auctoritatem (non privilegium) conferendi baptisma in casu necessitatis; immo ab ipso recipiunt quoque auctoritatem sacramentum matrimonii conferendi cuius ministri efficiuntur. Ideo certe in sacerdotio Christi participant.

Puto quod hoc in schemate clare mentio fieri deberet de potestate fidelium tum 1. ad baptisma in casu necessitatis conferendum, tum 2. et speciali modo quoad matrimonium cuius ipsi ministri efficiuntur per receptionem baptismatis. His diebus quando mundus maxima cum facilitate matrimonia millia millium hominum dissolvit, potestas ministerialis christifidelium quoad matrimonium conferendum et sanctitas matrimonii christiani emphatice declaranda est.

Firma veritate de participatione laicorum in sacerdotio Christi, distinctio inter sacerdotium presbyterorum et laicorum ad commissionem theologicam et peritos remittatur definienda.

2. *De vocationibus sacerdotalibus a christifidelibus promovendis.* Multi Patres saepe dixerunt sacerdotales vocationes nostris diebus imminutas esse. Si statistica ratio omnium sacerdotum tum saecularium tum regularium, et speciatim novarum congregationum fit, forsitan hoc non probatur. Fortasse melius esset dicere quod modernae necessitates maiorem numerum sacerdotum requirunt quam tempore elapso. Ne tamen a christifidelibus verba nostra in dubio ponantur, forsitan melius esset prius quaerere utrum omnes sacerdotes in ministerio incumbant? utrum paroeciae magnarum civitatum et cum opulenta beneficia vacantes sint? vel tantum paroeciae quae pauperes sunt, in parvis locis vel missionibus inveniuntur, copiam non habent sacerdotum? Venerabiles Patres, mundus, immo christifideles, immo Ecclesia, exspectant

quod nos istud et alia similia magni momenti problemata pastoralia solvamus, et postea tantum in theologicas disquisitiones indulgemus. Si nos hoc facimus, tunc facile possumus loqui de munere christifidelium in vocationibus sacerdotalibus fovendis. Ideo puto quod specialis mentio, in aliquo schemate conciliari, de vocationibus sacerdotalibus fieri deberet, et specialis disceptatio quoque facienda esset de hoc et similia practica et pastoralia problemata, si moderatoribus Concilii hoc placet.

Et quidem inter christifidelium apostolatus opera vocationes sacerdotales promovere primum est munus. Ideo hoc in capite specialis mentio de vocationibus sacerdotalibus fieri deberet, et quidem de familia christiana ex qua vocationes germinant; de munere parentum extollendi statum sacerdotalem, et de munere adiuvandi filios qui vocatione sacerdotali praediti sunt. Ideo propono quod ista vel similia verba addantur n. 25, pag. 10, lin. 23: « Christifideles memores sint inter apostolica munera, munus sacerdotales vocationes promovendi praecipuum esse. Quae quidem vocationes in familiis revera christianis germinantur, christiana educatione foventur, statum sacerdotalem extollendo adiuvantur. Parentes ideo saepe orare debent ut Dominus messis mittat operarios in vineam suam, et inter filios suos sacerdotes seligere dignetur. Quod si Deus hoc fecerit, filios adiuvare tenentur ut sancti sacerdotes evadant ».

3. *De christifidelium relatione ad hierarchiam.* Hic quidem mentio fit de obedientia christifidelium quoad hierarchiam; sed relate ad opera apostolatus. Experientia nobis docet quod saepe fideles magis munera sacerdotum cognoscunt quam munera propria; ideo quando dicitur de modo quo ipsi suam mentem pastoribus patefacere tenentur, obedientia erga illos inculcari deberet. Ergo textus ita emendari potest (pag. 10, lin. 34): « semper vero cum caritate et prudentia, veracitate et humilitate, fortitudine et debita reverentia atque obedientia erga illos etc. ».

27

EXC.MUS P. D. HENRICUS DONZE
Episcopus Tutelensis

Viginti quinque episcopi ex Gallia, quorum nomina ad calcem huius documenti indicantur:

1. Divisionem praesentis capituli in duas novas partes approbant, ut in textu « Emendationum », pp. 7 et 10, proponitur;

2. Sequentes emendationes subiiciunt, et textus schematis, qui generatim placet, adhuc in melius mutetur.

A. *Annotatio generalis.*

Ordo huius cap. III hoc modo mutandus eis videtur.

1. De tribus sacramentis christianae initiationis et de statu laici in Ec-

clesia, unde definitio laici. Cf. pag. 6 schematis lin. 31 s., et Documenta adiuncta in fine (I).

2. De sacerdotio regali et prophetico laicorum. Cf. schema pag. 7, lin. 4 s. et pag. 8, lin. 4 s.

3. De apostolatu laicorum, pag. 8 et 9.

4. De aequalitate et inaequalitate membrorum in Ecclesia Christi, necnon de christifidelium relatione ad hierarchiam. Cf. schema pag. 5 et 6, pag. 10 et 11.

B. *Aliae emendationes.*

Pag. 5, lin. 18 ... eadem vocatio ad perfectionem, eadem salus, *eadem fides,* eadem spes, eadem caritas...

Nota: mirandum sane videtur, quod *fides* in hoc contextu omittatur, cum post aliquas lineas citatio epistolae ad Ephesios vocabulum illud expresse habeat.

Pag. 6, lin. 15 ... Pastores super alios... pro « super alios », qui sane verum sensum praebet, sed nimis iuridicum, melius esset: « Ad alios » vel « pro aliis » (cf. *Hebr.* 5, 1).

Pag. 6. lin. 18 ... Vocabulo « populum » vocabulum « laicos » substituendum est, quia iuxta significationem quam vocabulum habet in contextu praecedenti, « populus Dei » complectitur omnes christifideles, cointellecta ipsa hierarchia.

Pag. 6, linn. 20-21. 1) Saepius in schemate vocabulum « fideles » in sensu « laicorum » adhibetur. Oportet terminologiam seligere, quae majorem praebeat fixitatem et praecisionem. In hoc loco, verbi gratia, scribendum est non « fideles », sed « laici ».

2) ... populus autem pastoribus et doctoribus suis *obsecundans ad salutem... N.B.* Habitudo oboedientiae non est unica relatio quae vigeat inter hierarchiam et laicos; hi autem, secundum textum nunc allegatum, videntur unam et unicam missionem habere in Ecclesia Dei, scil. oboedientiam.

3) Quaestio haec de oboedientia subsumenda et pertractanda esset modo minus iuridico et magis spirituali et pastorali. Hoc forte possibile esset in par. 26, pag. 10. Omnes « in populo Dei » quamdam oboedientiam praestare debent, modo unicuique proprio. Etiam Christus Dominus libenter oboediens factus est, et omnes nos ei assimilari debemus. Non deceret episcopos ab aliis fidelibus oboedientiam exigere, si et ipsi ab eadem sese eximerent.

Pag. 6, lin. 31 s.[1] Tota haec descriptio status laici in Ecclesia revisioni subiicienda videtur, secundum formulam quae sequitur:

Iamvero in populo Dei alii ad statum clericalem vocantur, alii ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum, alii tandem — quos Sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit — baptismate in populum Dei cooptati, membra

[1] Textus exaratus ab exc.mo D. J. Ménager, ep. de Meaux.

mystici Corporis Christi effecti et dignitate personae in Ecclesia Dei pollentes, in communi christifidelium statu Deo serviunt et ad caritatis plenitudinem assequendam vocantur, necnon ad missionem totius populi Dei in mundo explendam secundum suam propriam operationem munere funguntur.

Laici igitur, secundum suam vocationem specificam in laboribus huius mundi et in ordinariis conditionibus vitae familiaris et socialis partes ex officio agentes, spiritu evangelico ducti, ad modum fermenti mundum velut ab intra sanctificant, et testimonio vitae suae, fide spe et caritate fulgentis, Christum manifestant et ad eum verbo et opere perducunt.

Sunt etenim in mundo sed de mundo non sunt (*Io.* 15, 19). Saecularis nota laicis magis propria ac peculiaris est, quatenus ipsi secundum formam, modum, locum et rerum adiuncta vivunt quae ex eorum intima praesentia in mundo et participatione eius negotiis dimanant. *In mundo* degunt etc... (vide textum emendationis card. Suenens, pag. 10, [29] lin. 7) usque ad ... « fiant ac crescant », cum mutatione sequenti: Ad ipsos *proprie* pertinet non tantum res temporales ut cooperatores Creatoris gerere sed etiam illas ita illuminare atque ordinare ut secundum Christum et in Christo exsistant et crescant.

Sicut ipsa Ecclesia, ita unusquisque laicus a Deo instrumentum salutis et organon laudis in saeculo constituitur. Unusquisque est coram hominibus testis activus vitae et resurrectionis Domini Iesu, signum quoque Dei vivi. Unusquisque homines fructibus spiritualibus alere debet ut in cunctis negotiis terrestribus spiritus beatitudinum spargatur. « Uno verbo quod anima est in corpore hoc sunt in mundo christiani » (*Epist. ad Diogn.* VII). Quod autem facere non valent nisi consilium sequendo S. Pauli ad Romanos: « Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta » (*Rom.* 12, 2).

Laici insuper aptitudine gaudent ut quaedam munera ecclesiastica, ad finem supernaturalem exercenda, ab hierarchia adsumantur.

Pag. 7, lin. 26 ... acceperunt *ita* profiteri tenentur *ut ad eam alios alliciant.*

Pag. 7, lin. 27 ... ut fidem verbo et opere simul *defendant et diffundant propter opus Christi tradentes animam suam* (cf. *Phil.* 2, 30).

Nota: Modo generali ponendum esset in lucem, quod Sacramenta non sunt tantum pro illa suscipientibus exercitium sacerdotii universalis, sed etiam fons et alimentum missionis apostolicae uniuscuiusque fidelis.

Pag. 7, lin. 32. Partes activas in liturgia agunt, *ita ut caritate Christi compulsi, imaginem offerant visibilem unitatis populi Dei et magis ac magis pro totius mundi salute animas suas impendant et superimpendant.*

Pag. 8, linn. 8-12.[2] In loco textus schematis hic proponitur: « Munus Christi igitur sacerdotale, propheticum et regale quodammodo participant.

[2] Vide interventum exc.mi D. G. Barthe, ep. de Toulon.

Sicut dixit Paulus (*Gal.* 2, 20): "Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus ", ita laici christifideles de caritate Christi vivunt diffusa in cordibus per Spiritum Sanctum, qui datus est eis; consequenter, non sibi vivunt, sed pro fratribus universis, mandatum novum et maximum observantes, mandatum scil. amoris, qua ipse prior dilexit nos, praesertim minimos in quibus vult peculiari modo se agnosci.

Scientes praeterea quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, exspectans revelationem filiorum Dei (*Rom.* 8, 22-23), non solum ipsi illa spe vivunt, sed etiam prompti sunt, ut ait Petrus, de ea omni poscenti rationem reddere (*1 Petr.* 3, 15), ita ut populus Dei, id est Ecclesia Christi, appareat tanquam signum et pignus adventus ipsius Regni ».

Pag. 9, lin. 3 ... titulo omnibus christifidelibus communi *et ex baptismate confirmationeque emanante...*

Pag. 9, lin. 10 « ... ut fides annuntietur *ipsaeque divitiae Christi mundo communicentur...* » loco « valores religiosi ».

Pag. 9, lin. 15 ... sed pretiosissimam actionem ad evangelizationem mundi exercent. *Haec autem evangelizatio, scilicet nuntium Iesu Christi per testimonium vitae prolatum efficaciam uberiorem acquirit quando in ordinariis condicionibus saeculi adimpletur.*

Pag. 9, lin. 33 ... suos personales, *imprimis cum hominibus eiusdem indolis.*

N. B. His emendationibus minoribus adiungenda esset revisio totalis huius par. 25, ut melius ad vitam realem adaptaretur. Peculiari modo patet, quod distinctiones quae proponuntur relate ad formas apostolatus, theoreticae sunt et abstractae, dum reapse, in vita concreta hominum, nunquam ab invicem seiunguntur. Cf. textum Exc.mi Domini Maziers, Documenta adiuncta in fine (II).

Pag. 11, lin. 18 ... indesinenter expleant *in omnibus locis et regionibus terrae ubi negotia temporalia quae gerunt eos conducunt.*

Immo, in quantum id fieri potest, mutuo auxilio sese adiuvent, in adimplendis his officiis, quae membris populi Dei et Corporis Christi in mundo degentibus incumbunt; et memores verborum Domini: « ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20), consentire satagant, ut in fidei claritate, iuges saeculi eventus spectent, in sese quoque vicissitudines quotidianas vitae humanae assumant, et aliorum onera in charitate Christi portent... Dignitatis et vocationis suae conscii... etc...

Episcopi infra scripti emendationes ab exc.mo D. H. Donze, ep. Tutelensi (Tulle) propositas approbant: Exc.mi DD. M. Vial, ep. aux. Nevers, M. Rigaud, ep. Pamiers, A. Atton, ep. aux. Langres, J. Guyot, ep. Coutances, A. de la Brousse, ep. aux. Dijon, G. de Milleville, ep. tit. Gabala, H. Brault, ep. Saint Dié, G. Béjot, ep. aux.; A. Parenty, ep. aux. Arras, G. Jacquot, ep. Gap, M. Rousseau, ep. tit. Ausaja, R. Kérautret, ep. aux. Angoulême, F. Poirier, ep. Port-au-Prince, P. Robert, ep. Les Gonaïves, A. Fresnel, ep. Fort-Dauphin, R. Stourm, arch. Sens, Collini, ep. aux. Ajaccio, M. Maziers, ep.

aux. Lyon, G. Barthe, ep. Fréjus-Toulon, P. Puech, ep. Carcassonne, H. Gufflet, ep. aux. Limoges, Bannwarth, ep. Soissons, M. Riopel, ep. aux. Rennes, J. Le Cordier, ep. aux. Paris, J. Ménager, ep. Meaux, qui duo ultimi omnia approbant exclusa annotatione generali.

Adiuncta documenta.

I. *De tribus sacramentis christianae initiationis.*

Ut quis plene membrum sit populi Dei, desuper nasci debet, secundum illud: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum caelorum » (*Io.* 3, 5) et vitae Christi mortui et resuscitati participare.

Christo Domino incorporatus per Sacramenta initiationis: Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam, christifidelis instrumentum fit Domini in opus recapitulationis et reconciliationis mundi, qui ad Christum deduci debet, testis etiam fidei, cuius donum accepit, et membrum vivum Christi ut crescat eius Corpus in virum perfectum (cf. *Eph.* 4, 12).

II. *Nova redactio art. 25 proposita ab exc.mo D. Mario Maziers.*

Ad populum Dei vocati et in uno Corpore Christi, *per baptismum* constituti quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusdem iugem *sanctificationem totam vitam suam, gratia Christi Creatoris et Redemptoris, conformare tenentur.* Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius missionis Ecclesiae a Christo Iesu commissa et in Spiritu Sancto absoluta.

Omnibus igitur fidelibus onus incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis manifestetur, ut iam patet in primaeva communitate, in qua baptizati oratione, exemplo, verbo, eleemosynis, sacrificio Ecclesiam aedificabant (cf. *Act.* 2, 42; 4, 31; 8, 14; 11, 19-20).

Omnes obligatione tenentur, apostolatum pro viribus exercendi, et propterea omnis christifidelis, utpote membrum corpori Christi unitum, sic vivere debet, ut ad plenitudinem Christi strenue conferant, utque amorem Christi erga Patrem et erga homines plene condividat. Unusquisque christifidelis in mundo constitutus debet in proprio loco, in suo labore quotidiano, signum esse regni Dei, secundum illud: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (*Mt.* 5, 16).

Baptizatus etenim, qui in mundo vivit, duplicem operam explere debet. Utpote membrum Ecclesiae, per unionem suam cum Christo Domino ad eius incrementum et manifestationem concurrit. Utpote membrum societatis humanae, partem actuosam gerere debet in organizatione civitatis terrestris, ut bona creata secundum creatoris ordinationem eius Verbi illuminationem, humano labore, arte technica, civilique cultura, ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in christiana et humana libertate conducant.

Haec autem duplex missio ab eadem persona, eodem tempore et in eodem labore adimpletur.

In christifideli expletur unicum consilium Dei qui omnia in Christo et in Christum creavit.

Per suam actionem Christo unitam, christifidelis mundum purificat et ordinat secundum voluntatem Dei et per eum Ecclesia reapse tanquam lumen pro tota societate apparet.

Ex modo quo agit, et quo eiusdem rationem reddit, christifidelis finem ultimum consilii Dei super nos manifestat, « qui nos elegit ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate; qui nos praedestinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 4-5).

Attamen, adventus Regni Dei non idem est ac incrementum civitatis terrestris.

Alius etenim finis est civitatis terrestris, alius finis ipsius Ecclesiae. Regnum Dei in ipso mundo aedificatur, sed non est de hoc mundo. Aliunde et mundus aedificari non potest nec debet secluso vel negato fine ultimo creationis. Fideles, memores verborum Domini: « reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21) ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera parte infaustae separationi earumdem vel immo oppositioni civitatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit. Ita plurimi christifideles, imprimis laici, spiritu apostolico imbuti, conspicuam conferunt operam ut missio divina Ecclesiae hodiernis necessitatibus plenius respondere valeat. Sicut enim merito probari debent indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita pariter doctrina quae scilicet societatem extra omnem religionem extruere contendit, et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Adhuc sunt Patres conciliares qui timent ne plus quam par est laicis in Ecclesia locus detur. Inanis est timor si omnia recte considerantur. Velim pauca notare (pastorali modo): *Christus - Ecclesia - Laici - Sacerdotes - Hierarchia.*

1. *Sanctissima Trinitas* in sua operatione ad extra « exteriorizat », si sic dicere licet, « relationes » per missiones.

2. Ad perficiendum propositum Redemptionis, *Christus venit in mundum* tanquam « missus a Patre ».

Opus redemptionis adimpletur assumptione naturae humanae *in unione hypostatica* ut fiat instrumentum salutis: *signum visibile efficax salutis* (sacramentum).

3. *Christus glorificatus* (invisibilis) continuat opus redemptionis per Ecclesiam quae fit *instrumentum visibile efficax salutis* (sacramentum).

4. *Ecclesia* constituitur ex membris (sive nuncupatur ut corpus vel familia vel populus). Haec membra Christi vel christiani efficiuntur unione physica supernaturali per medium characteris baptismi et confirmationis.

Character ipse non solum christianos *participes* facit *redemptionis* sed etiam *instrumenta redemptionis activa* (Deo gloria redditur cultu — fructus redemptionis extenditur et intensificatur — mundus materialis et temporalis assumitur).

Per baptismum et confirmationem ergo in populum Dei cooptantur et missionem in mundo exercent. *Haec potestas* vi unionis physicae supernaturalis cum Christo *sacerdotalis vocatur* quia cum Christo laborant ad adimplendam missionem eius in mundo.

5. *Sacerdotes* de populo Dei electi et assumpti *charactere proprio* et speciali *Ordinis* ad valde *superiorem sacerdotium* elevantur et sic amittunt officium quod est proprium laicis, nempe assumptio mundi materialis et temporalis.

6. *Hierarchia* est haeres totalis missionis plenitudine sacerdotii quae dirigit et coordinat omnes actiones populi Dei. Unicuique sua: iura et officia. Deleantur paternalismus et clericalismus.

29

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

In cap. III huius constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* etiam praesupposita divisione adhuc in actum deducenda huius capitis in tractationem separatam « de populo Dei in genere » et « de laicis in specie », mihi videtur non esse abs re si quaedam dicantur et profundius inculcentur de positione laici in Ecclesia uti *persona.*

Quotidie enim in Missa, in Offertorio, ad benedictionem aquae, verba illa repetimus quae effectus Incarnationis perstringunt in ratione hominis constituti in ordine supernaturali, lapsi per peccatum, reformati a Christo Domino per mysterium Incarnationis et nostrae incorporationis in ipsum: « Deus, qui humanae substantiae *dignitatem mirabiliter* condidisti et *mirabilius* reformasti, ... ».

1. Huiusmodi *dignitas* cuicumque creaturae humanae provenit ex eo quod homo est *persona,* « rationalis naturae individua substantia », subiectum (et nunquam obiectum) iurium et officiorum, ad finem ultimum desti-

natus qui nullo modo circumscribi potest limitibus cuiuscumque creaturae, sed qui tantum *Deus* est.

Contra mundi hodierni omnes errores theoreticos et practicos et materialismi et pantheismi et utilitarismi, — quibus ipsa dignitas fundamentalis personae humanae ad nihil vel fere ad nihil reducitur — maxime opportunum videtur ut affirmetur et alte proclametur in Concilio Oecumenico Vaticano II *dignitas personae humanae* in seipsa consideratae, tamquam fundamentum omnium aliorum donorum quibus Deus ipsum hominem cumulavit: non intelligitur enim ordo *super*naturalis sine ipsa dignitate hominis in ordine ipsius *naturae.*

2. Simul tamen affirmari debet *necessitas restaurationis hominis* per Christum redemptorem qui semper vivit in Ecclesia sua: quod totum supponit praecipue doctrinam catholicam de peccato originali et de iustificatione uti definita est in Concilio Tridentino in sessione V et VI.

Tunc vere homo in sua ratione personalitatis physicae et moralis iuxta consilium Providentiae supernaturalis Dei in praesenti statu invenitur, cum, lapsus per peccatum et redemptus a Christo, in applicationem redemptionis introducitur quae fit per renascentiam in Christo per fidem et per sacramentum fidei quod est baptisma: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (*Io.* 3, 5).

Per baptismum enim homo fit persona in Ecclesia (C.I.C.):

a) *mystice*: fit in baptizato prolongatio quaedam mysteriosa ipsius personae Christi: Pater nos adoptat in filios; efficimur fratres eius qui primogenitus est noster; sumus cives sanctorum et domestici Dei (*Eph.* 3, 19) constituimur membra Ecclesiae, in statu *quidem* militiae perpetuae in lucta quam continuo sustinere debemus contra omnes concupiscentias (cf. *1 Io.* 2, 16) ad demonstrandam fidelitatem nostram Patri qui est in caelis, virtute *tamen* corroborati per Spiritum eius in favorem interioris hominis (cf. *Eph.* 3, 16); et haec virtus praecipue ex oratione (ex opere operantis) et ex sacramentis (ex opere operato) provenit: et omnes scimus sacramenta omnia in elevationem esse instituta et etiam in remedium seu *medicinam* ad curandos morbos morales quibus tam arcte in praesenti vita affligimur.

b) *mystice et iuridice.* Personalitas christiana, dignitas humanae personae sic « mirabilius » restitutae per Christum agnoscitur quam plenissime ab Ecclesia in unoquoque fideli, sub quocumque respectu consideretur. Optime dicitur in schemate, in n. 23, pag. 5, lin. 20: « nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata: 1) natione; 2) conditione sociali; 3) sexu, quia "non est Iudaeus, neque Graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos *unus* estis in Christo Iesu (*Gal.* 3, 28; cf. *Col.* 3, 11)" ».

Haec doctrina divinitus tradita Ecclesiae et ab Ecclesia in praxim deducta et ubique propagata illos produxit fructus qui hodie *valores morales humani* ab omnibus admittuntur vel saltem desiderantur, et sunt fulcrum seu summa principia civilisationis christianae. Immo hodie non intelligitur ipsa civilitas

quae careat his principiis eorumque applicationibus (cf. Declarationes iurium hominis ab O.N.U. factas).

3. Asserantur clarius in schemate iura et officia laicorum (praescindo ab ulteriore determinatione et definitione « laici »).

Ex pleniore cognitione iurium et officiorum, laici maxima devotione erga Deum et Christum et maximo affectu et adhaesione Ecclesiae afficientur, et gratia divina moti plenius adlaborabunt ad Ecclesiam conservandam, defendendam et propagandam, atque in mundo in quo vivunt actuositate christiana urgebuntur ad ipsum mundum sanctificandum per testimonium fidei quod reddent Christo Domino, et per laborem et apostolatus opera in vita familiari, sociali, oeconomica et politica.

Plena agnitio et descriptio iurium et officiorum laicorum in relatione ad Deum, ad Ecclesiam et ad mundum multum conferet ad finem Concilii: in vita pastorali, Ecclesia magis ac magis fulcietur auxilio tam pretioso et practico laicorum; in ordine oecumenico fratres separati nullo praeiudicio detinebuntur erga Ecclesiam ex laicorum positione, quae tota ex Evangelio hauritur, cui semper conformis fuit praxis Ecclesiae, historia teste; demum in missionibus, omnes homines sincero animo ingredi possunt in Ecclesiam, quae est semper Mater et Magistra veritatis, gratiae et libertatis filiorum Dei.

30

Exc.mus P. D. CAROLUS FERRARI
Episcopus Monopolitanus

Velim (et mecum alii venerabiles Patres) enixe commendare attentioni et curis huius S. Synodi particularem condicionem coniugum christianorum, ut de ipsis, iam in hoc schemate, etiamsi breviter, aliquid dicatur circa duo capita sequentia:

1. *De speciali relatione sponsorum ad populum Dei.* Quamvis et coniuges christiani, sicut ceteri fideles, ex baptismate hauriant theologicum fundamentum, quo membra Ecclesiae exsistunt; per sacramentum matrimonii, tamen, constituuntur in statu permanenti gratia sacrato et elevato, ex quo oritur eorum peculiare munus ecclesiale. Non tantum enim cooperant Deo creanti, filios et filias generando, sed ipsum Corpus mysticum, seu populum Dei aedificant, saltem, ut minus dicam, materiam primam praebendo.

2. *De gratia sacramentali in munere apostolatus exercendi.* Insuper coniuges christiani in statu quodam constituuntur in quo instant et eminent iura et munera populi Dei ad apostolatum exercendum, prophetica, scil., sacerdotalia et regia. Nam, educando, rudimenta christianae fidei proli praebent; actioni sanctificanti sacramentorum filios offerunt, eorum vitam orationis instruunt et in disciplina vitae christianae eos dirigunt. Quae omnia eis ex officio et iure naturali proveniunt et quidem peculiari titulo gratiae sacramentalis.

[*Subscripserunt etiam*]: Helder Camara, ep. (tit.) Salditanus; Andreas Makarakiza, ep. Ngozi (Burundi); Jos. Martin, ep. Bururi; Michael Ntuyahaga, ep. Usumbura; Jos. Gargitter, ep. Brixinensis; Ioachim de Lange, ep. tit. Foticensis; Lud. Lévesque, ep. Hearstensis; Felix M. Verdet, év. de La Rochelle et Saintes.

31

EXC.MUS P. D. SALOMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

Semel introducto capite *de B. Maria Virgine* in ipsum schema *de Ecclesia,* tamquam corona totius tractatus de Ecclesia, videtur quid magis logicum, quod caput *de populo sancto Dei,* ponatur ut cap. II eiusdem schematis, noviter dispositi, sicut innuitur ab em.mo relatore, in pag. 5 eius relationis.

Et hoc, non solum quia, si Maria est in culmine Ecclesiae, populus Dei est in eiusdem Ecclesiae basi, sed etiam quia, hodierno tempore, percipitur periculum adesse quod sacerdotalis institutio nimis separetur a populo, et sic cadat vel in clericalismum, quem inimici Ecclesiae valde spernunt, tamquam si esset aliqua casta a populo sancto Dei seiuncta eique veluti opposita; vel etiam in imperialismum, a S. apostolo Petro reprobatum « ne dominetur in cleris »; vel, tandem, in laicismum, tamquam si esset mera functio administrativa, sine ulla relatione supernaturali ad Ecclesiae mysterium, et ad eiusdem munus transcendentalem.

Hinc, omnino, probanda sunt, et in schemate retinenda, illa omnia quae admirabili, prorsus, modo dicuntur de regali sacerdotio, quo fungitur populus sanctus Dei, ex quo et pro quo, unice, surgit sacerdotium ministeriale, in sua duplici functione presbyteratus et episcopatus. Nam est eadem gratia sanctificans, recepta in baptismate ab ipsis fidelibus, quae in omnibus sacramentis corroboratur ad finem specialis functionis, ad quam, rite et supernaturaliter, exercendam Christi fideles deputantur.

Sic fideles, totam vitam socialem penetrantes, eamque sanctificant et simul etiam mundi saluti cooperantur.

Hinc videtur maxime convenire quod caput de populo Dei in ipso schemate praecedat caput *de episcopis,* quod evadat III.

In quaestione vero de diaconatu uxoratis concedendo, urgendum est non esse hanc quaestionem dogmaticam sed mere disciplinarem, eamque ab uno Summo Pontifice solvendam, qui, conditionibus vitae hodiernae rite perspectis, et pro diversis regionibus Ecclesiae, poterit novam aliquam disciplinam concedere, diversam ab illa, quam alii Pontifices, in aliis conditionibus societatis et populi christiani, decernendam rite arbitrati sunt.

Semel autem exceptione facta a lege caelibatus pro diaconis, non videtur quomodo possit eam negari ipsis presbyteris. Nam per illam concessionem ordo sacer, etiam in Ecclesia latina, desinit esse impedimentum dirimens matrimonium, et per hanc diversam utriusque ordinis disciplinam, vita Ecclesiae prorsus magis complexa redditur, et ipse presbyteratus, non paucis mini-

steriis ipsis diaconis relictis, aliquo modo depauperatur et sic minus alliciens vocationes.

Nam, hac exceptione facta solis diaconis, problema vocationum prorsus acuitur. Etenim clerici plurimi, ex metu futurae defectionis, gradum divini servitii, illis faciliorem et quorundam naturae magis consonum, libentius amplectabuntur.

Neque problema oecumenicum solvit, nam ministri protestantes, qui Ecclesiam nostram ingredi cupiunt cum fidelibus suis, hac specie diaconatus ipsis reservando prorsus alieni erunt, utpote diminuti in sua ipsorum recepta dignitate.

Sic videtur haec quaestio melius tractanda in schemate de clericis, in quo latius erit tractandum etiam de ipso presbyteratu, hoc in schemate fere omisso, in quo eius dignitas magis extollatur, eiusque conditio socialis securior maxime in senectute et infirmitate reddatur.

32

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Liceat mihi votum meum exprimere circa doctrinam sacerdotii, in qua, licet tam fundamentalis sit, videtur mihi non pauca deesse pro concinna et plena declaratione.

Vellem ante omnia ut sacerdotium Christi, ex quo omne aliud sacerdotium derivatur et a quo et significatum et vim accipit et cuius alia omnia non possunt esse nisi participationes in maiorem lucem ponatur, claritate plena tam in suis constitutivis, quam in suis effectibus et fructibus. Fiat proinde clara doctrina de sacerdotio.

Ipse enim Christus est summus, aeternus, unicus sacerdos. Ipse unica principalis victima. In ipso omnia constant. Ipseque est qui solus potest dicere: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.

Omnia alia in Ecclesia sunt omnino participationes sacerdotii Christi quae certe a pluribus multifariam, multisque modis, sive iurisdictionaliter sive per sacram unctionem et ordinationem, per manuum impositionem recipitur.

Sive per episcopos, sive per presbyteros et alios Sacros Ordines, vel etiam per ordines minores, aliqua potestas recipitur.

Bene determinentur in quibus et quibus rationibus, quo sacramento et qua ratione, in confectione victimae, in oblatione; qua populi vel delegatione vel repraesentatione.

Quomodo autem limitetur in presbytero, quomodo plenitudo sit in episcopis; quid habent laici, quid eis desit ut semper, licet regale, magnum sacerdotium habeant non tamen sicut sacerdotes qui sacramento proprio et speciali Christo Sacerdoti configurati sunt ut possint consecrare, remittere peccata in confessione.

Haec, in hac hora laicorum, clare debemus explicare et in luce sacrae theologiae dogmaticae et pastoralis fundare ut sit per hoc Concilium magnus theologicus et pastoralis progressus.

33

Exc.mus P. D. ANDREAS IACOBUS FOUGERAT
Episcopus Gratianopolitanus

Cap. III schematis *de Ecclesia* et emendationes ab em.mo card. Suenens propositae, nobis gaudium afferunt, nobis autem videntur non in plenam lucem ponere munus Sanctae Ecclesiae ut *Mater fidelium.*

Unde sequitur: in aliqua umbra remanent duae notiones: 1. prima notio: pueri et *filii Dei, generati,* nutriti et coadunati in unam familiam; 2. secunda notio: *fratres* et plena fraternitas christiana.

Prima pars. Ex voluntate Christi Ecclesia, in nomine Domini et per gratiam suam, est Mater christianorum. « Nemo potest habere Deum Patrem qui non habeat Ecclesiam Matrem ». Ecclesia regenerat seu ad vitam novam generat pueros suos. Postea congregat, convocat ac coadunat eos: non tamen ut advenas externos, sed ut filios, qui iam sunt familiae suae. Nutrit et roborat eos, non tanquam hospites unius diei, sed ut filios domus familialis et commensales mensae domesticae. Etsi ad seipsam vocet omnes homines, Ecclesia non est mera congregatio electorum per fidem iam salvatorum, sed adunatio filiorum, ex eadem nova stirpe, et ex eodem novo genere natorum. Sunt nota prima verba baptismi christiani: « Quid petis ab Ecclesia Dei? — Fidem. Fides quid tibi praestat? — Vitam aeternam ». Ecclesia non esset societas, communitas, populus nisi esset primum familia Dei.

Libenter loquimur omnes de populo Dei: et bene facimus. Nomen magnum est et nobile. Mentibus nostris innuit totam amplitudinem mundi et totam seriem saeculorum. Aliunde, hodiernis diebus cum emittitur hoc verbum in publicum, nascuntur et in cordibus christianorum et in mentibus non-christianorum imagines et desiderium pulchrae communitatis. Et sic mundus hodiernus fit dives hereditate biblica et spe magna.

Ergo hoc nomen debet in honore poni et fideliter debet conservari.

Attamen indiget maiore claritate et maiore « dulcedine humana ».

Maiore claritate: nam verus populus Dei non potest exsistere, in oeconomia novi foederis, si non exsistit prius Corpus mysticum Christi quod est Ecclesia: a Corpore mystico populus nascitur et roboratur, et acquirit permanentem per saecula vitam. Christus, in Ecclesia sua et per Ecclesiam suam, generat et vivificat populum Dei, qui sic sine fine crescit et semper latius lumen revelationis et salutis diffundit. Non dici potest populum Dei sensu stricto generare Corpus mysticum: e contra populus Dei est germinatio efflorescens a Corpore mystico: nobilitas populi Dei sic sollemniter affirmatur.

Et secundo, populus Dei maiore « dulcedine humana » semper indiget. Quo maior enim est populus, eo plenius indiget caritate interna, ut habitent

in eo humanitas, pax, et benevolentia. Ut populus Dei afferat hominibus beneficia multa, necesse est ut in illo semper crescat « spiritus familialis ». Qui non amat Ecclesiam ut matrem et familiam suam, et omnes christianos ut fratres, qui non aedificat Ecclesiam ut domum suam propriam, non habet ius affirmandi seipsum esse exploratorem et ducem populi Dei. Hoc est mysterium Ecclesiae, (quia Spiritus Sanctus diffunditur in omnibus cordibus nostris): plus crescit verus populus Dei et plus sensus familialis christianus floret. Quo amplior fit, eo intimior evenit: « Vocabo non plebem meam plebem meam, et non dilectam dilectam... In loco ubi dictum est eis: non plebs mea vos, ibi vocabuntur *filii Dei vivi...* » (*Rom.* 9, 25-26). Et sic populus Dei nascitur, quia familia Dei crescit. In *2 Petri* legimus cum gaudio verba Principis apostolorum saepe citata: « ... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis etc. ». Illa praeclara nomina veniunt ut conclusio exhortationis, in qua primus apostolus loquitur de generatione ad vitam novam et de aedificatione domus familiae communis eorum qui ex Deo nati sunt. Iam Paulus dicebat, coniunctim (*Eph.* 2, 19) « cives sanctorum... et domestici Dei... » (*συμπυλιται των αγιων.... οικειοι Θεου...*)

(Tradam exc.mo secretario generali emendationes in quibus *haec notio Ecclesiae matris,* Ecclesiae ut magnae familiae novae filiorum Dei, et fratrum et cohaeredum primogeniti Christi, explicita erit, et de quibus sapientes iudicabunt).

Secunda pars. Breviter indicare velim alteram consequentiam. Miror, in omnibus paginis Novi Testamenti et praesertim Actuum Apostolorum et Epistolarum, *christianos vocari fratres* et illam novam fraternitatem tam frequenter et tam pulchre enuntiatam esse, et aliunde textibus nobis propositis fere totaliter abesse: nomen, et divitiae in nomine inclusae, nobis unice per transennam proponuntur. Legi, primo, schema nostrum, et, secundo, primam epistolam Ioannis: et in aliqua anxietate cordis remansi. Mundus hodiernus de iustitia et de fraternitate loquitur cum spe et fervore: et Encyclica *Pacem in terris* nos invitat discernere in multis cordibus sinceris, quae ab illis verbis moventur, aut nostalgiam aut secretum desiderium Dei. Ecclesia sola detinet divitias plenas verae et totalis fraternitatis, populus Dei solus est populus fratrum quorum fraternitas sit permanens, invincibilis et aeterna. In ea parte schematis in qua agitur de populo Dei et laicis, mihi videtur exsistere gravis omissio illius vigoris amoris fratrum: hic amor est distinctiva nota novi hominis, destinata ad cultum novum, et ad illam vitam novam quae a Paulo apostolo saepe, et praesertim in fine *1 Cor.,* magnifice describitur. Apostolatus inter christianos, et apostolatus apud non-christianos non sufficienter alitur his veritatibus et his auxiliis spiritualibus quae continentur in « Novo mandato » Christi, quod est signum verorum discipulorum Christi: « Si quod... est mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges fratrem tuum sicut teipsum. Plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 9-10).

(Tradam secretariatui additionem schemati, in hoc sensu et in hac mente, iudicio doctorum cum humilitate propositam).

Et hic finis declarationis meae. Gratias omnibus qui aures benevolas praebuerunt his simplicissimis verbis.

Additio proponitur cap. III (de populo Dei et speciatim de laicis) n. 23, pag. 6, lin. 21 post « ad salutem communem cooperentur » (hic addatur): « Nomen quod saepius datur (longe ante reliqua vocabula) membris Ecclesiae nascentis, praesertim in Actibus Apostolorum et in Epistolis, est nomen " fratres ", et communitas christiana describitur ut *vera fraternitas christiana in Christo et propter Christum.* Sic novum mandatum caritatis locum eminentem occupabat, et permanenter debet in Ecclesia occupare ». Ergo, votum a nobis emittitur, ut redactio in maiorem lucem ponat illam fraternitatem communem, ab omnibus impletam, tum a pastoribus erga oves, tum ab ovibus erga pastores. Hoc est enim fundamentale principium unionis.

34

EXC.MUS P. D. ALOISIUS FRANCO CASCÓN

Episcopus Nivariensis

Liceat mihi quasdam observationes adducere ad cap. III *de Ecclesia,* eo animo ut doctrina exposita compleatur, quaedam dubia ex eo orta dissipentur, et vel in minimis perficiatur.

Pag. 5, linn. 5-6. Haec sunt magna principia quibus respectus hominum ad Deum, et hominum inter se moderantur: libertas, caritas, iustitia, veritas. Earum restauratorem Christum agnoscimus, quique coetum redemptorum intra suum limitem constituit. Frequentes sunt loci Scripturae Sacrae quibus haec confirmantur. Pontifex Maximus Ioannes XXIII, felicis recordationis, large in Encyclica *Pacem in terris* exponit. In lineis relatis schematis tantum duo afferuntur: caritas, veritas. Nonne doctrina plenior esset, si illa quattuor adducerentur? Ita redigi posset: « Populus ille, beneficiis divini redemptoris cumulatus, ab eoque in communitatem *libertatis, iustitiae,* caritatis et veritatis constitutus... ».

Pag. 5, lin. 10. Cum in capite de episcopis loquitur, de eorum officiis ad fideles haec tria memorantur: docere, regere, sanctificare. In linea quam adduximus ea memorari et colligi videntur, sed duo tantum enumerantur: sanctificare et regere. Cur de magisterio siletur? Perfectionem et uberiorem tum dictionem tum doctrinam censemus si ita diceret « sed ut fideles *doceant,* pascant et regant ».

Pag. 5, linn. 21 ss. Aequalitas omnium christianorum in Christo et in Ecclesia in hac paragrapho exponitur, ratione habita nationis, et conditionis socialis et sexus hominum. Verbum tamen censemus addendum ut strictius distinguatur conditio socialis hominum « stirps », quod mundus nominat « sanguis nobilis » (sangre azul). Apud Christum et Ecclesiam unus dumtaxat est sanguis. Notio est magni pretii socialis magnique effectus in humilibus

et in mundo laboris. Ita redigi possit: « Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata natione, *stirpe,* conditione sociali, sexu... ».

Pag. 6, linn. 17 ss. Respectus hierarchiam inter et fidelium populum in hac paragrapho exarantur, et duobus punctis distinctio sistitur: ex hierarchiae parte in servitii necessitate; ex populi respectu in submissione et obedientia. Cuius, nec distinctio nobis accurata, nec notio clara videtur. Distinctio et differentia inter hierarchiam et populum ab ipsa et constitutione et structura Corporis mystici pendet. In eius organica constitutione distinctio consistit. Servitii lex in hierarchia et obedientiae in populo consequentia est logica et necessaria ex constitutione Corporis mystici. Optanda videtur redactio pressior et subtilior huius paragraphi, ut ambiguitas dispareat et nitidius doctrina perluceat.

Pag. 6, lin. 31 ss. Conceptum « laicorum » in populo Dei haec paragraphus definire intendit, hasque conditiones statuit: primam, baptismum; secundam, vitae rationem sive exsecutionem Missionis populi christiani. Quam definitionem ancipitem et imperfectam existimamus.

Ut corpori populi christiani (populi Dei) quis adhaereat, haec tria requiruntur: baptismus, unitas fidei, et cum Romano Pontifice communio. Missionem populi Dei exequi logica est harum conditionum sequela.

Animadvertendum attamen, si christiani sint, quorum vitae ratio indigna est populo Dei, his tamen conditionibus ornati, infitiari non posse intra corpus populi Dei eos manere; intra Ecclesiam et penitus in ea sunt. Iusta igitur non est definitio; alia optatur iustior et ambiguitatum immunis.

Pag. 7, linn. 17 ss. Obiectum sacerdotii universalis fidelium in hac paragrapho describitur, quod duobus punctis continetur: hostias Deo gratas esse probis moribus, et testimonium Christi dare. Aliquid tamen nobis deesse videtur aeque in obiecto sacerdotii fidelium contentum: praecones nuntii Christi esse ex vitae testimonio et apostolatu, ad normas et instituta hierarchiae.

Obiectum sacerdotii universalis fidelium tria continet: primum, Deo consecrationem, sive hostias iucundas Deo praeberi; tum, Christi testimonium proferre, eius personae per fidem doctrinae eius; tertio, apostolos eius nuntii ad mundum esse, ratione habita eorum « laicorum » conditionis; quod postremum in schemate neque adumbratur quidem.

Pag. 7, linn. 17 ss. Optanda esset expositio uberior et aequior distinctionis sacerdotii universalis et sacerdotii ministerialis. Subobscura latet sacerdotii ministerialis notio. Maxima claritate exarandum hoc sacerdotium oportet in suis variis respectibus, ut omnes ambages et confusiones arceantur.

Pag. 8, linn. 1-3. Patrum in familia specificum sacerdotium haec tria complectitur: praecones vel fidei magistros in hoc templo esse; larem et filios in servitium Dei consecrare; sacras vocationes promovere. Talem doctrinam in pontificiis documentis legimus. Schema secundam partem reticetur, quae, certo, capitalior est.

Consentaneum hanc doctrinam subnotare ducimus, eo quod, ut omnibus

patet, familiae hodiernae communiter hunc conceptum propriae naturae amiserunt, et inconditae et sese mores paganorum referentes apparent. Proprium in ordinem a Deo stabilitum locandae sunt.

Pag. 8, linn. 8 ss. Aliquid in his lineis desideramus. Ratione virtutis participationis sacerdotii Christi magnum praeceptum caritatis erga homines, maximeque pauperes, exequi affirmatur. Esto. Nonne tamen addere expediret, totum praeceptum exequi, ad duos adspectus, ad Deum nempe et ad proximum? Primo mandato integro satisfacimus, quo effecto, omnis exequitur lex, ut est in Sacra Scriptura: « Plenitudo legis dilectio ».

Pag. 8, num. 25: *De vita salutifera et apostolica laicorum.* Fontes a quibus apostolatus laicorum dimanat clare in hoc numero schematis non videmus. Tres esse putamus: baptismum, confirmationem et missionem Ecclesiae.

Optimum esset ut hi fontes adumbrarentur eorumque vis significaretur. In schemate tantum prior denotatur, quatenus per baptismum christianus Christo adhaeret eiusque sacerdotii particeps fit, illo sensu universali de quo sermo fit. Admodum opportunum esset reliquos duos fontes perscrutari et super eos totum apostolatum laicorum statuere.

35

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Hae animadversiones proponuntur, approbantibus 83 episcopis Galliae.

Circa doctrinam de populo Dei, vellem quoad duo in hac aula proposita, consensum afferre et etiam, si possibile est, confirmationem. Circa doctrinam de laicis e contra dissentire liceat et quoad duo quae hic audivimus.

Circa doctrinam de populo Dei.

1. Cum omni claritate universis baptizatis applicata est ab exc. De Smedt distinctio classica inter tres aspectus sacerdotii Christi. Quae distinctio, traditionalis et dilucida, opportune — ut videtur — *posset substitui divisioni* minus satisfacienti, et hic iam in controversiam vocatae, de activitate apostolica laicorum, quae invenitur sub n. 25.

Quidquid in hoc n. 25 consideratur, optime circumscriberetur et integre licet aliter dispositum, sub hac divisione muneris sacerdotalis, prophetici, et regalis christiani-in-Christo-viventis. Sic res ab altiore loco sumeretur in plena luce theologica, ad honorem populi christiani et etiam... doctrinae.

2. Dictum est eloquenter de populo Dei ut aliquomodo usque ad nonchristianos se extendente. Cui considerationi fundamentum theologicum afferri posse videtur ex introductione notionis essentialis *gratiae capitis in Christo.*

Simplicia enim et extra controversiam sunt verba S. Thomae de Christo capite (S. Th. III, q. 8, a. 3). Nihil est quod se abscondat a calore gratiae

eius, attingit a summo caelo usque ad extremum terrae, a caritate consummata electorum in gloria usque ad eos in quibus nondum fides ad actum reducitur sed qui ad ipsam, gratiis praevenientibus, suaviter provocantur. « Ideo dicendum est — sic S. Thomas — quod Christus est caput omnium hominum ».

Legitime igitur considerantur, in schemate de Ecclesia etiam non catholici, utpote iam realiter suo modo gratiae capitis Christi subiectis.

Circa laicos.

1. Saepius in hoc schemate loco verbi potestatis, invenitur: *ministerium* vel servitium. Et hoc aliquando minus placuit. In hoc tamen nil mirum. Quaestio enim erat de fundamento auctoritatis — episcoporum in specie —, et haec inquisitio non poterat non ducere ad fontem Verbi Dei revelantis: unde modus ipse loquendi Evangelii assumptus est. Et melius est cum Evangelio abundare quam ab ipso, etiam bonis datis rationibus deficere.

Cum subscribit quis: « Servus Servorum Dei », nemo dubitat quis sit iste, nec putandus est inde suum munus negare vel tantummodo consuetudini favere. Notio ministerii intrinseca est notionis auctoritatis, quae dicit dependentiam a Deo ad bonum aliorum, ministerium amoris divini. « Amas me? Pasce oves meas ». Non amittitur auctoritas dum dicitur ministerium, nec inde significatur quaedam superficialis et accidentalis additio parenetica. Non omne ministerium est auctoritas sed omnis auctoritas est de se ministerium.

2. Dictum est etiam in hodierna Ecclesia *dona gratis data,* seu charismata de quibus Paulus loquitur ad Corinthios, in *1 ad Cor.,* et alibi, non iam esse nisi raro concessa. Dubitari quidem nequit aliqua ex his donis, ex necessitate inchoandae Ecclesiae, quid extraordinarium attulisse sive in se sive in adiunctis, ad commovendas et excitandas mentes hominum in novam viam Christi.

Sed quomodo cogitari possit, praetermissis accidentalibus elementis, evanuisse in Ecclesia ipsa ista dona in quibus dividitur et diversificatur unicum donum Spiritus, nempe gratiae haec datae « ad aedificationem » usque modo progredientem « Corporis Christi »? Nonne sat clara est enumeratio S. Pauli, praesertim si confertur locus ex *1 ad Cor.* cum locis affinibus ad *Rom.* 12, 3 s. — vel *Eph.* 4, 11, 12 — « qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate... »; si notatur etiam quod ipsa doctrina de membris in Corpore Christi expresse in his exemplis fundatur.

Impossibile est dicere hic agi solum de donis ad tempus. Haec usquemodo permanent. Et, his donis sublatis, vix superessent in Ecclesia sive opera assistentiae, sive Actio catholica, sive alia multa... Credant laici, et in ipsis, haec dona permanere pro confortatione et honore suo: nedum timeant, hoc credant et pastores in Ecclesia quae his donis indiget ad vivendum et ea, feliciter, quotidie in se experitur, vigilans tantum ut omnia « secundum ordinem fiant ».

Conclusio. 1) Divisioni propositae sub n. 25, substituatur divisio ex sacerdotio Christi desumpta quale participatur hoc sacerdotium in homine christiano, et textus inde recognoscatur; 2) addatur *verbum de gratia capitis Christi* ut melius appareat influxus universalis Christi in Ecclesia viventis ad universum mundum; 3) non mutentur loci ubi potentia per *ministerium* exprimitur; 4) non deleatur quae dicuntur *de charismatibus* in Ecclesia.

[*Adhaeserunt etiam*]: Em.mi PP. DD. Feltin, Gerlier, Lefebvre, Liénart; exc.mi Ancel, Atton, Audrain, Bannwarth, Barthe, Bézac, Bontems, Boudon, Brault, Caillot, Cazaux, Chevalier, Darmancier, de Bazelaire, de Cambourg, de la Brousse, de Milleville, de Provenchères, Desmazières, Donze, Dupont, Dupuy, Elchinger, Goupy, Gouyon, Guerry, Guilhem, Guyot, Hermil, Jacquemin, Jacquot, Jenny, Johan, Julliard, Kérautret, Kervéadou, Le Bellec, Lebrun, Le Couédic, Leuliet, Louis, Martin Pierre, Marty, Maziers, Michon, Mouisset, Pailler, Piérard, Pioger, Poirier, Puech, Rigaud, Riobé, Riopel, Rougé, Rousseau, Sauvage, Schmitt, Stourm, Théas, Urtasun, Vial, Villot, Vignancourt, Vion, Vuccino, Weber.

36

Exc.mus P. D. FORTINUS GÓMEZ LEÓN

Archiepiscopus Antequerensis

Pag. 6, linn. 31 ss., definitio laicorum forte exactior haec erit: « *Homines* qui baptismate in populum Dei cooptantur *ut* in communi christifidelium statu Deo *serviant,* et pro sua parte missionem populi christiani in mundo *exerceant,* etiam per actionem religiosam, quin ad ordinem hierarchicum neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum *pertineant* ».

Ita dicitur, quia baptizati qui de facto Deo non serviunt neque missionem exercent, *tamen laici sunt.* Immo, ad Ecclesiam pertinet et laicus dici potest baptizatus ille indifferens qui Spiritu Dei non vult duci, vel concupiscentiis saeculi non valide opponitur. Ideo paragraphus melius finiret sic: « Omnes secundum operationem uniuscuiusque membri *corpus Ecclesiae coagmentare debent,* donec perveniat ad aetatem plenitudinis Christi... » etc.

Pag. 8, lin. 7, aptius heic addatur subsequens paragraphus ita leviter mutatus: « Munus Christi igitur sacerdotale... mandatum eius novum et maximum *observent...* ».

Eadem pagina, lin. 13, loco verbi « fructum » dicatur « *laudem* ».

Ibidem, in lin. 22, ubi de sensu fidei, ita mutetur: « ... sub eius assistentia inhaeret, et a magisterio ducitur ac sustentatur *ut* credentes active *respondeant...* ».

Pag. 9, lin. 15, post verbum deputantur dicatur: « ... sed, *quia ad Ecclesiam Christi pertinentes, ut* pretiosissimam actionem ad evangelizationem mundi *exerceant* ».

Pag. 10, lin. 7: deleatur vox « fideles » et punctum finale ita ut simpliciter phrasis pergat: « ... memores *tamen sint* verborum Domini: « Red-

dite ergo, etc. ». Cum enim tota paragraphus de laicis agat qui per opera saecularia seipsos aliosque sanctificare debent, melius deleatur vox « fideles », ne videatur de aliis esse sermo.

Pag. 10, lin. 18, ubi dicitur: « Sicut enim merito probari debet *indoles laica* terrenae civitatis... », vitetur vox « laica » quia in quibusdam linguis vernaculis usu venit ad indicandam exclusionem cuiusvis religionis. Melius diceretur: « indoles profana », vel « indoles mere temporalis », aliave similis; eo vel magis quod praecise infra in lin. 19 legatur « infensus laicismus » seu « saecularismus ».

37

EXC.MUS P. D. MICHAEL GONZI

Archiepiscopus Melitensis

Sapientiae ac prudentiae Patrum liceat mihi subiicere breves quasdam animadversiones, argumentum *de Ecclesia* tangentes, quod n. 23, cap. III, nunc examini subiectum. Sunt sequentes:

1. Ipse titulus huius paragraphi quae inscribitur: « De membrorum in Ecclesia *aequalitate* et *inaequalitate* » multum quidem de *aequalitate,* parum autem de *inaequalitate* praesefert. Notiones et definitiones, quae propriae sunt iuris, cum moralibus ac mysticis commisceri videntur; unde trahitur conclusio: « Una est ergo totius organici Corporis vocatio ». Verum quidem, sed tantum mystice.

2. Quod magis apparet, cum sermo fit de distinctione inter fideles et hierarchiam, ubi plane profitetur: « Distinctio enim quam ipse Dominus inter hierarchiam et populum posuit, simul est coniunctio... » et non sine aliqua contradictione, saltem verbali, additur: « Ecclesiae praepositi populo inserviant », cum praeesse et servire simul sint inter se repugnantia et solummodo moraliter vel intentionaliter coniungi queant. Et si S. Augustinus citatus valde bene dixit: « Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum », addit tamen firmiter: « Vobis enim sum *episcopus* », id est inspector, qui praeest et ducit etiam cum servit.

3. Unde mihi videtur non bene describi in schemate *distinctio* nec *iuridica,* nec *moralis* inter duos *status,* laicorum nempe et clericorum. Dum e contra in iure ipsamet sole clarior lucebat. Perlegantur, quaeso, canones iuris canonici: can. 107: « Ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis... », et can. 106: « Qui in divinis ministeriis per primam tonsuram saltem mancipati sunt, clerici dicuntur ». Tandem de sacramento Ordinis incipiens tractare, legislator ait in can. 948: « Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ». Ubi innuitur clericorum et laicorum *etiam distinctio munerum,* quae alibi accurate et per singula describuntur. Quae omnia et singula explanata iam et definita fuere a Patribus Sacrosancti Concilii Tridentini in sessione 33, quatuor ante saecula et proprie idibus mensis iunii anno 1563.

Conclusio. Existimo perinde opportunum esse sequentia prae oculis ponere: *a*) per baptismum omnes fideles quotquot sunt, sive laici, sive clerici, in Ecclesia aequaliter fieri filios Dei et insimul constituere *Corpus mysticum Christi; b*) clarissime enuncianda distinctio, ex iure divino procedens, clericos inter et laicos, ut semper Ecclesia catholica docuit inde ab initio; *c*) definitio clara et inaequivocabilis status clericorum in iure ita ut ex principiis hoc loco statutis, erui possit ad quae officia et munera auctoritas ecclesiastica adhibere eos possit vel non.

38

EXC.MUS P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCÍA

Episcopus tit. Cidramensis, aux. Toletanus

Quum in annunciato capite « de populo Dei in genere » omnes considerari debeant qui Christo incorporantur, huiusmodi caput ea omnia eaque sola complecti debet quae populum Dei qua talem respiciunt, idque sub aspectu theologico. Quod ut attingatur, ita procedendum esse censeo:

1. Christus Dominus Ecclesiam suam « acquisivit sanguine suo » (*Act.* 20, 28). Ita homines, qui « aliquando non populus, nunc vere sunt populus Dei » (*1 Petr.* 2, 10).

2. Christus autem non solum, ut bonus pastor, vitam suam dedit *pro* ovibus suis (*Io.* 10, 11); sed etiam vi gratiae capitalis vitam suam *dat ovibus* suis (cf. *Io.* 6, 57; 15, 1-8).

3. Ex hac vitae communicatione tam arcta oritur coniunctio inter Christum et populum suum, ut a S. Augustino « res grandis, arcana atque divina » dici potuerit.

Hac arcta coniunctione Christus non tantum « singula membra sibi adsimilata vult, — sic ait Pius XII in Enc. Litteris *Mystici Corporis Christi* (n. 46) —, sed etiam totum Ecclesiae Corpus ».

Qua similitudine obtenta, mirum non est eumdem Summum Pontificem sic hortari: « Assuescamus necesse est in Ecclesia ipsum Christum videre. Christus est enim qui in Ecclesia sua vivit » (*ib.* n. 92).

4. Hac incorporatione hominum Christo populus vere sanctus ontologice efficitur, « gens sancta », regale sacerdotium, regnum Dei in terris.

5. Nec solum: siquidem Christus, qui « solus emoriens, immensum redemptionis thesaurum Ecclesiae suae, nihil ea conferente, dilargitus est; ubi de eiusmodi thesauro distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum intaminata sua Sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri » (*ib.* n. 43). « Ex uno et per unum salvamur et salvamus », aiebat iam Clemens Alexandrinus (*Strom.* VII, 2). En populus Dei, Ecclesia, socius Christi in applicanda hominibus per saecula redemptione.

6. Hic vero populus, sanctus et instrumentaliter sanctificans, organice constituitur, specificis functionibus vitalibus ditatur, propria gratia seu charismate vivificatis, in bonum totius Corporis.

Ex hac « Spiritus Christi communicatione efficitur, ut, cum omnia dona, virtutes et charismata, quae in capite excellenter, uberrime efficienterque insunt, in omnia Ecclesiae membra deriventur, et in iis secundum locum quem in mystici Iesu Christi Corpore occupant, in dies perficiantur, Ecclesia veluti plenitudo constituatur et complementum redemptoris; Christus vero quoad omnia in Ecclesia quodammodo adimpleatur » (*ib.* n. 78); quae doctrina pulcherrime a S. Paulo exprimitur in ep. *Eph.* 4, 15-16: « Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate ».

7. His syntethice propositis, aptior locus daretur in capite pertractandi summatim de praecipuis organis, nimirum: de sacra hierarchia, ob specialem nexum cum Christo capite, de munere ecclesiali sacri connubii, de efficacia ecclesiali virginitatis propter Deum, et de ceteris gradibus, officiis, etc. quae in vita populi Dei suum momentum servant, testante apostolo in *1 Cor.* 12.

8. Ex hac visione Ecclesiae Christi, Sponsae Christi, populi Dei, Corporis Christi, logicae erui possent sequentia consectaria: *a*) vocatio omnium membrorum populi Dei ad sanctitatem (cf. *Eph.* 4, 24); *b*) obligatio generalis ad apostolatum. « Nos autem omnes — clamabat Pius XII — Christo in salutifero hoc opere debemus sociam praestare operam » (*ib.* n. 57); *c*) obligatio specifica adimplendi sincere proprium munus, propriamque missionem « in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 12-3), ut mundo manifestentur thesauri absconditi in Ecclesia a Christo, eius conditore, « ut innotescat... per Ecclesiam multiformis sapientia Dei » (*Eph.* 3, 10).

39

Exc.mus P. D. CAROLUS P. GRECO

Episcopus Alexandrinus

Faveatis ut faciam aliquas animadversiones circa cap. III « de laicis ».

1. Una tantum vice in hoc capitulo Ecclesia recte appellatur *Corpus Christi mysticum;* in plurimis locis appellatur simpliciter *Corpus Christi.* (Brevitatis causa omittam locos citatos).

a) In par. 23, lin. 14, in proferendo textum ex Pontificali Romano, dicitur: « ex multis, et alternae dignitatis, membris unum *corpus Christi* efficitur ».

b) Sub par. 24, lin. 39, legitur: « Cives ... ad perpetuandum saeculorum decursu, *corpus Christi...* ».

c) In par. 25, linn. 37-39, sunt haec verba: « Ad populum Dei vocati et in uno *corpore Christi* sub uno capite constituti... ».

d) In eadem paragrapho, pag. 9, lin. 20, legitur: « Universos tamen oportet ad augmentum extensivum et intensivum totius *corporis Christi* cooperari ».

e) Demum in par. 27, lin. 13, dicitur: « ... ad iugem *corporis Christi* aedificationem... ».

Mihi videtur quod in constitutionibus tam magni momenti istius magnae Synodi rectius et accuratius diceretur, quandocumque est sermo de Ecclesia, non simpliciter *Corpus Christi* sed *Corpus Christi mysticum,* ad tollendas confusiones quae in hac re mentibus fidelium iam exsistunt. Multi enim scriptores et orationes confundunt Corpus Christi verum, reale, physicum, natum ex Maria Virgine, passum, mortuum, resurrectum, sedens ad dexteram Patris ac praesens in Sacra Eucharistia, cum corpore eius *mystico,* quod est Ecclesia ex multis membris constituta. Multi libri multaeque scripturae in periodicis et ephemeridibus religiosis adhibent istas similesque locutiones: « Christus est Ecclesia », vel vice versa, « Ecclesia est Christus »; « Paroecia est Christus », vel vice versa « Christus est paroecia ». Secundum istos qui incaute et inaccurate scribunt et loquuntur et ita confundunt corpus Christi verum ac praesens in SS. Eucharistia, cum corpore Christi mystico, id est, Ecclesia, conclusio logica sed absurda deduci poterit quod quando aliquis recipit corpus Christi eucharisticum totam Ecclesiam recipit. Mihi videtur illas expressiones non esse accuratas ac proinde eas esse causas confusionis et erroris, et censeo hoc concilium debere errorum ansam tollere.

Observavi quod Beat.mus Pater, Paulus VI, feliciter regnans, in allocutionibus et scriptis semper adhibet nomen completum *Corpus Christi mysticum* quando ad Ecclesiam refert. Itemque Patres qui in hac aula de Ecclesia uti de corpore loquebantur semper adhibebant vocem *Corpus Christi mysticum.* Exemplum vicarii Christi et Patrum conciliarium nobis monstrat viam rectam quae sequenda est.

2. In par. 25 optime et firmiter inculcatur obligatio laicorum participandi in missione salvifica Ecclesiae. Operam navare pro animabus et incremento Ecclesiae non est mere pium exercitium pro devotulis sed est obligatio et onus conscientiae pro omnibus laicis. Pag. 8, lin. 38, legitur: (Laici) ... « ut viva membra, ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem, vires suas omnes ... conferre tenentur ». Pag. 9, lin. 5, dicitur: « Omnibus igitur fidelibus *onus honorificum incumbit* adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines, omniumque temporum et ubique terrarum magis applicetur ».

Experientia duce, dicendum vero est quod laici generatim, quia habent firmam fidem et amorem ardentem erga Christum et Ecclesiam — et permulti isti inveniuntur ubique fere terrarum praesertim ubi cohortationem et stimulum recipiunt a ducibus in Ecclesia — libenter, imo libentissime, se monstrant ad participationem in Ecclesiae operibus. Mirum est quae et quanta laici possint facere et de facto faciant pro Ecclesia sub regimine auctoritatis ecclesiasticae, quando dantur opportunitates.

Attamen saepe accidit quod laici, varias ob rationes, impediuntur quin munera sua propria laicorum in Ecclesia perficiant. Multi sunt in Ecclesia regentes qui timent laicos quasi isti vellent regere Ecclesiam aut doctrinam

falsam docerent. Ni fallor, haereses in Ecclesia nunquam a laicis inceptae sunt et raro christifideles gubernium Ecclesiae sumere conati sunt. Optime deinde mihi videtur constitutionem huius capituli (pag. 9, lin. 8) postquam decernit obligationem et onus, affirmare ius laicorum cooperandi in religionis operibus, his verbis: « *Ius* proinde iidem (laici) habent, ut pro suis viribus, opus salutare Ecclesiae etiam operose, suo modo, participent ».

Itaque ius eorum pro Ecclesia operandi non est eis denegandum. E contra pro hoc laicorum iure propugnare debemus eadem vi qua eorum obligationem et onus adlaborandi pro Ecclesia proclamamus, secundum spiritum Pii Papae XI, qui descripsit Actionem Catholicam uti participationem laicorum in operibus hierarchiae; et Pii Papae XII, qui dixit: « Qui amat Christum Dominum et proximum non potest non esse apostolus »; et Ioannis Papae XXIII, qui scripsit in epistola ad hierarchiam Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis: « Munus docendi doctrinam christianam a fidelibus praesertim organizatis in praeclara illa Confraternitate Doctrinae Christianae est forma apostolatus laicorum maxime necessaria et pretiosissima ».

Rationes datae in constitutione pro obligatione et onere necnon iure laicorum non coordinantur sed dispersae sunt et non facile inveniuntur in capitulo. Meo humili iudicio, clarius et fortius esset si diceretur hanc obligationem et ius laicorum fundari quatuor praesertim rationibus:

a) Laici sunt membra *Corporis Christi mystici*. Ut membra Corporis Christi mystici debent adjumentum praebere eadem ratione qua membra corporis humani adiumentum ei praebere debent ad vitam, incrementum vigoremque totius corporis sustentanda.

b) Laici evehuntur ad sacerdotium regale et universale per regenerationem baptismi et Spiritus Sancti unctionem, uti dicitur in par. 24, lin. 5. Dum sacerdotes ministeriales et sacramentales debent offerre Deo sacrificium illibatum Corporis et Sanguinis Christi, et seipsos cum illo, laici uti membra sacerdotii illius universalis tenentur offerre Deo universa quae possident, i. e., seipsos, sua talenta, suas dotes, suas opes, suum servitium totale secundum proprium posse in omnibus Ecclesiae operibus, in cooperatione cum episcopis et presbyteris ac sub eorum regimine.

c) Ecclesia maxime indiget laicorum auxilio. Cum numerus fidelium de die in diem crescat, et cum e contra numerus sacerdotum, sororum et fratrum, comparatus et incrementum fidelium, fere ubique terrarum decrescat et cum insuper problemata Ecclesiae omnimode multiplicentur, Ecclesia maxime eget adiutorio laicorum. Ecclesia praesertim hodie est sicut mater quae magno periculo vel magna egestate versatur et ad filios enixe clamat ut illi eam adiuvent.

d) Christifideles per opera omnia quae directe ad Deum, Ecclesiam animasque salvandas diriguntur, etiamque per opera saecularia quae amore Dei perficiuntur, seipsos aliosque sanctificant, ita ut mundus Spiritu Christi imbuatur, atque in iustitia et pace finem suum attingat. In quo officio universaliter adimplendo laici principem locum tenent (pag. 9, linn. 37 ss., n. 25).

Dicitur hoc esse saeculum aureum pro laicis in Ecclesia. Potius dicendum est hoc esse saeculum aureum — imo millenium — *pro Ecclesia,* si adhibet laicos in omnibus suis operibus, secundum posse et velle laicorum.

40

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

1. In textu « de populo Dei » non semper clarum est utrum agatur, cum hoc vocabulum adhibetur, de iis qui ad hierarchiam non pertinent (cf. pag. 6, linn. 17-21), an de tota Ecclesia, hierarchiam includente (cf. pag. 7, linn. 6-13). Nec pulcherrimus textus S. Augustini (cf. pag. 6, linn. 27-30) difficultatem eliminat.

Mihi videtur univoce de populo Dei loquendum esse, quatenus universos christifideles, cum suis diversis mansionibus, complectitur.

2. Quando autem transitus fit ad tractationem de populo Dei (a cap. I ad cap. II) clare exponenda est habitudo inter imaginem « Corporis mystici » antea adhibitam et hanc aliam loquendi rationem. Clarum esse debet semper de una eademque Ecclesia agi, sed nunc locutionem « populus Dei » praeferri ut melius explicentur quae ad eius compositionem et vitam pertinent.

3. Ne tractatio de populo Dei sit nimis generica et quasi evanescens, nonnulla inserenda essent, quae in sequentibus proponuntur.

4. Quomodo populus Dei et Corpus Christi constituatur ut non « massa » sit, ut aiunt, sed vere populus.

a) Unumquodque membrum populi Dei et Corporis Christi, unusquisque scilicet christifidelis, ab eo qui recentissime in populum ingressus est usque ad Summum Pontificem, ad sanctitatem et ad servitium Dei in Ecclesia vocatur, praeditus propria christiana incommunicabili et insubstituibili personalitate et responsabilitate, et sua, ut ita dicam, physiognomia, unusquisque suum donum habens.

Quapropter, christianus quivis, sive pontifex vel sacerdos, sive religiosus, sive laicus, nullo excepto, est in Ecclesia discipulus Christi, ius habet ut sibi praestentur media ad veritatem et sanctitatem attingendam; scienter et libere, quantum possibilitas sinit, ab Ecclesia humiliter et gaudenter recipit veritatem Christi et donum gratiae, ut possit magis magisque laudem Deo dare, operi apostolico Ecclesiae participare, et sic Ecclesiam exprimere et mundo manifestare.

Unusquisque, scienter et libere, quantum possibilitas sinit, ad Ecclesiae vitam et ad aedificationem Corporis Christi contribuit per dona sive naturalia sive supernaturalia, quae ipsi Deus largitus est. Unde, quamvis Ecclesia ex una parte nullo ex hominibus indigeat, alia ex parte omnibus indiget quos Deus ad ipsam pertinentes aeterno suo consilio voluit.

b) Nullus autem christifidelis, neque si sit eremita, potest seiunctus

ab aliis christianis manere et vivere in sola personali relatione ad Christum; omnes, in unum populum Dei, in unum Corpus Christi confluunt: non solum, sicuti in schemate dicitur, omnes in Ecclesia eadem dignitate filiorum Dei pollent, communem originem a Deo patre ducunt, ad communem finem qui est Deus tendunt, eadem fide, spe, caritate, vivunt; sed omnes sunt invicem solidales, invicem membra, omnes scienter et libere iisdem bonis caelestibus communicant, omnes coadunantur et mutuo complentur in oratione Dei, in operibus Ecclesiae, in mysterio celebrando eucharistico.

Tali modo, in quantum reapse adest participatio ad vitam Christi, singulorum sensus fidei et singulorum caritas coalescit in consensum fidei et amoris universi populi christiani.

c) Populus autem Dei universus organice constat diversis communitatibus (ut iam Pater Fiordelli recoluit), ex quibus praesertim memorandae sunt: singulae Ecclesiae dioecesanae circa suum pastorem de facto in paroecias articulatae; singulae christianae familiae.

Quae item familiae et praesertim dioeceses, sicuti singuli christifideles, invicem solidales sunt, mutuo complentur et uniuntur in unico Corpore Christi.

d) Inter christianos autem condiciones differentes distinguendae sunt: plurimi a Deo vocantur ut Ipsi et fratribus serviant in communi statu christianorum, plerumque in mediis temporibus negotiis et ambitibus operantes et degentes (qui passim laici appellantur); quidam a Deo vocantur ut per quandam « religiosam », ut aiunt, oblationem magis directe in servitium Ecclesiae, sive per orationem sive per operas, addicantur (qui « religiosi » appellantur); sunt demum qui, sacram hierarchiam constituentes, vocantur, et per ordinem sacrum consecrantur et deputantur, ut munus sacerdotii ministerialis in Ecclesia exerceant, potestatibus propriis exclusive praediti, circa Corpus mysticum et circa Corpus eucharisticum Christi (cf. eorum munus docendi, regendi, sanctificandi, orandi, eucharisticum sacrificium celebrandi), compagem Ecclesiae in sua unitate et articulatione constituentes.

Circa quam tripartitionem notare velim ipsam non esse adaequatam, quasi ageretur de tribus speciebus unius generis; sed potius ipsam inter alia plurima signum esse complexitatis et profunditatis vitae et realitatis Ecclesiae, quae non sinit se facile concludi in schematibus rationis humanae. Praeterea hoc quoque in mente habeatur, quomodo scil. etiam hae tres condiciones vitae christianae mutuo necessario connectantur ad efformandam plenitudinem vitae Ecclesiae ipsius et ad eius missionem explendam.

Quoad laicos autem videtur magnam attentionem ponendam esse ut clare appareat non esse intentionem Concilii praecisam definitionem laicorum vel laicatus dandi; videtur enim adhuc non adesse de hoc communem doctrinam, praesertim si de vocatione ad temporalia quoad laicos loquitur; adsunt enim plures difficultates: plurima opera temporalia etiam per religiosos, per sacerdotes exerceri possunt, vel per diaconos stabiliter institutos; laici ipsi possunt ad vitam vocari quae magis directe ordinatur ad Regnum

Dei, puta eos qui in servitio permanenti operibus Ecclesiae addicti sunt vel sacristas.

De facto tamen vita laicorum hanc notam characteristicam generatim habet, ut, vocatione sua, negotiis temporalibus vacent et in ambitibus ordinis temporalis vivant.

Aliud schema in praesto est in quo de participatione laicorum ad apostolatum Ecclesiae agitur. In praesenti autem schemate aliquid dicendum videtur in genere de collaboratione eorum qui negotiis temporalibus operantur ad totam vitam Ecclesiae (nempe ad actionem liturgicam, ad munus evangelizandi, ad actionem caritativam, ad vitam administrativam, ut in nota 22 prioris schematis de apostolatu laicorum innuebatur); iam enim magis magisque patet non solummodo loquendum esse de parte quam laici habent in apostolatu Ecclesiae sed, ampliori visione, de eorum activa participatione, per id quod eis proprium est, ad totam vitam populi Dei.

5. Ut melius conceptus populi Dei attingatur videtur circa ea quae sequentur brevem saltem mentionem faciendam, nisi de his in cap. II iam loqui praeferatur.

a) De sanctitate Ecclesiae et christifidelium (eorum sanctitas ontologica, ut ita dicam, et eorum vocatio ad plenitudinem amoris); non clare apparet nexus c. VI (de vocatione ad sanctitatem) in toto schemate;

b) de sacerdotio universali: magna saltem pars eorum quae n. 24 de sacerdotio scilicet universali dicuntur, non tam de laicis quam de Ecclesia et christifidelibus in genere dicenda sunt;

c) de apostolatu Ecclesiae et de suo obiecto, *etiam circa res temporales*: quomodo omnes, unusquisque suo modo proprio, sive hierarchia, sive religiosi, sive laici concurrant in unum eundemque apostolatum unius Ecclesiae.

41

Exc.mus P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad. c.i.s. Lemovicensis

In schemate *de Ecclesia* ubi « de laicis » tractatur, nomine « filii Dei » decorantur, sed quasi per transennam. Pag. quoque 6, linn. 31 ss., in illa definitione descriptiva laicatus, nec ulla mentio filiationis divinae traditur.

Attamen talis gratia filiationis divinae ad similitudinem Filiationis aeternae Christi, est ratio ultima praedestinationis nostrae, secundum verba S. Pauli ad Romanos: « Praedestinavit nos conformes fieri imaginis Filii sui » (8, 29). In hac enim dignitate invenitur qualitas et quasi forma constitutiva laicatus. S. Athanasio affirmante: « Filii sumus in Filio Dei ».

Omnia in laicatu ab illo titulo: « Filius Dei » per gratiam, plane explicantur, nempe: et intimior eius amicitia cum SS. Trinitate ex baptismo orta et Ecclesiae incorporatio atque iura ad caelestem hereditatem « heres Dei, coheredes autem Christi ». Ab illa divina filiatione « sacerdotium regale » populi Dei quo insignitur, dimanat, et ab illa eadem gratia obligationes

oneraque laicorum, ut testificatio vitae christianae inserviens mundo, missio eius apostolica pro omnibus hominibus, sine consideratione eorum inaequalitatis nationis et conditionis socialis.

A filiatione ergo omnia procul dubio promanare affirmatur tum quae ad sanctitatem, quam ea quae ad divinum cultum spectant, cum laicus, per baptismum, Christo incorporatur, — « christianus, alter Christus » — et ut talis participans triplicis illae dignitatis Christi, qui Propheta, Sacerdos et Rex est constitutus; et inde participans etiam, cum ipso et in ipso, muneris evangelizandi mundum, profitendi fidem eius per cultum, necnon aedificandi Ecclesiam, non tantum in re temporali, verum etiam in spirituali, sub hierarchiae tamen principatu.

Unde instantissime postulo ut in definitione laicatus, *tam insignis gratia filiationis divinae,* in plena luce et tamquam fundamentum huius capitis inseratur, cum sit radix et fons omnium qualitatum coetus laicorum in Ecclesia.

42

Exc.mus P. D. ALOISIUS GUÍZAR BARRAGÁN
Episcopus Saltillensis

Loqui intendo de cap. III schematis *de Ecclesia,* praecipue circa n. 23: « De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate ».

Pluries in hac aula, loquentes, non tantum circa hoc cap. III schematis *de Ecclesia,* sed etiam circa alia duo iam tractata, maiorem precisionem et claritatem petierunt in declaranda constitutione Corporis Ecclesiae, ita ut organica structura qua Ecclesia dotata est a Christo conditore, plene manifestetur indeque clarius appareant, tam iura et officia membrorum quae ipsam constituunt quam eorum mutuae relationes.

Schema nostrum, se referens ad universale sacerdotium fidelium, sub n. 24, linn. 22-23, hanc sententiam Divi Thomae opportunissime tradit: « Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis in sacramentis innititur et per ea ad actum deducitur ». Explicatio tamen quam proponit revera non satis placet, nam videtur incompleta et aliqua obscuritate laborat.

Nemini latet quod notio clara et praecisa organicae constitutionis Ecclesiae, ex ipsa Christi institutione desumenda est: quod autem Christus instituit ad organice constituendam Ecclesiam, sunt sacramenta: non quidem omnia sacramenta, sed tantum baptismum, confirmatio et Ordo; (hic ultimus in tribus gradibus divinitus institutis): illa nempe sacramenta quae hominem supernaturaliter disponunt, perpetuo charactere signant eum formaliter deputando ad diversa munia in Ecclesiae corpore vel corpore Christi mystico exercenda, ita ut, intra miram unius corporis unitatem, per diversa sacramenta recepta, obtineatur diversificatio membrorum, iuxta varietatem functionum quas vita Ecclesiae requirit.

Iuvat hic afferre sententiam illam tam sensu plenam doctoris gentium (*Col.* 1, 18-19), ubi loquens de Christo ait: « Et Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium ... ut sit in omnibus Ipse primatum tenens, quia in Ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare ».

Christus igitur, in quo omnis plenitudo inhabitat, est *principium* et est *caput* corporis Ecclesiae, et « de eius plenitudine nos omnes accepimus, ut testatur *Ioannes* (*1 Io.* 3, 1).

Quomodo autem de hac plenitudine participamus? Respondendum est: fundamentaliter et essentialiter, per illa tria sacramenta, et quidem in aedificationem Corporis Christi:

Per baptismum nempe, Ecclesiam Christi ingredimur et eius membra efficimur et fidem christianam profiteri debemus.

Per Confirmationem christianus plene perficitur et roboratur, constituitur quasi miles Christi eiusque fidem defendere et diffundere tenetur.

Per diaconatum, presbyteratum et episcopatum, ad quos diversos gradus sacri Ordinis nova et diversa iura et officia adiunguntur, completur organica structura Corporis Ecclesiae.

Notabilem lucem profert adnotare quod in his tribus sacramentis, incluso unoquoque gradu sacri ordinis, et *in illis tantum,* Spiritus Sanctus traditur illo gradu et modo quo fidelis sacramentum recipiens destinatur in aedificationem Corporis Christi.

Sane, datur in baptismate, iuxta verba Christi: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (*Io.* 3, 5). Datur in Confirmatione: « Et imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum » (*Act.* 8, 17); constat etiam ex liturgia Confirmationis: « Deus qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti ».

Datur in diaconatu, quasi ad praeparandum candidatum ad sacerdotium: « Accipe Spiritum S. ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius » (ex liturgia huius ordinis).

Datur in ordinatione sacerdotis: « Accipe Spiritum S.; quibus remiseris peccata, remittuntur eis; quibus retinueris retenta sunt » (ex liturgia huius ordinis).

Traditur denique episcopo et quidem ab unoquoque trium co-consecrantium, ut eius officium debite adimplere valeat.

Haec igitur sacramenta (et non alia), per indelebilem characterem quem imprimunt et per Spiritum Sanctum quod in ipsis diversimode traditur, fidelibus tribuunt diversa iura eosque deputant ad diversa officia et sic constituitur Christi mystici et Ecclesiae corpus.

Quaeretur fortassis: quid dicendum circa hanc quaestionem de aliis sacramentis?... Quid de minoribus ordinibus et statibus perfectionis sive hominum sive mulierum?

Respondeo ad 1.: alia sacramenta sunt certe magnae et pretiosissimae Christi institutiones vel necessariae vel mirae utilitatis pro fidelibus et pro

Ecclesia, quae tamen non pertinent ad organicam constitutionem corporis Ecclesiae, sed ad restituendam et augendam vitam spiritualem et gratiam membrorum et ad dignificationem et sanctificationem christiani coniugii et familiae.

Ad 2. et 3.: tum minores ordines, tum status perfectionis sive hominum sive mulierum non sunt de institutione divina, ideoque nullatenus pertinere possunt ad Ecclesiae fundamentalem et essentialem structuram, sed potius constituunt eius perfectiva complementa, quod ex iam dictis patet.

Propositio: ut haec doctrina, ex Sacra Scriptura et ex saeculari et universali Ecclesiae praxi desumpta, inseratur in definitiva praesentatione materiae quae sub n. 23-24 huius schematis tractatur, ita ut organica constitutio Christi Corporis et eius Ecclesiae desiderata praecisione et claritate omnibus appareat.

43

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE

Episcopus Flaviobrigensis

Cap. III in genere optimum nobis videtur et propter doctrinam nitide et bonis argumentis expositam de omnibus his quae ad existentiam, naturam, excellentiam, extensionem et officia apostolatus laicalis referuntur et propter submissionem et reverentiam quae omnibus apostolis laicis respectu hierarchiae sunt exigenda.

Tamen aliqua particularia notanda iudicamus. Unde caput propositum placet iuxta modum vel placet prae oculis habitis sequentibus emendationibus.

1. In introductione dicendum videtur « In communitatem vitae, caritatis et pacis » sub vinculo oboedientiae. Vincula enim quibus populus Dei Christo Domino devincitur non sunt solum moralia, sed etiam physica vitae participatio datur. Sic ab aliis societatibus haec divina societas distinguitur prout invocando doctrinam S. Pauli et Ioannis docet Pius XII in Encyclica *Mystici Corporis Christi.*

Videtur etiam cooperatio populi Dei oriri ex ipsa insertione in Corpus Christi, in quo membra crescere debent in mensuram plenitudinis aetatis Christi sub ductu capitis per iuncturas subministrationis.

2. In pag. 6, linn. 31-35. Definitio laicorum non videtur perspicua omnino, cum fere etiam fratribus separatis applicari possit, etsi mens clara sit ex contextu. Proinde laici in Ecclesia catholica clarior conceptus desideratur.

In pag. 7, n. 24. Ampla expositio sacerdotii Christi Domini esset facienda ut sacerdotium membrorum universorum ex diversa participatione huius divini sacerdotii appareret ut sic unio doctrinae patefieri posset. Christus Dominus sacerdotium suum aeternum Ecclesiae communicat ut in tempore illud exerceat. Christus Dominus per Ecclesiam quam quasi instru-

mentum coniunctum suae divinitati assumit, eadem opera facit quae persona divina per sacram humanitatem a se assumptam faciebat. Gestus, actiones Christi continuantur in Ecclesia ad salutem animarum, opus redemptionis semel peractum in cruce continuatur in Ecclesia per ministros Christi. Fideles de hoc sacerdotio etsi non ministeriali participant per baptismum, confirmationem et sacram Eucharistiam.

3. In pag. 8, linn. 15-16. *Sensus fidei* per Spiritum Sanctum qui est veluti anima Ecclesiae, omnibus datur. Potest comparari conscientiae. Ecclesia habet conscientiam veritatum et haec conscientia plura elementa quam scientia ipsa habet. Sic populus Dei et Christi fideles habent conscientiam alicuius veritatis cuius enucleatio scientifica ipsis non patet. Sic v. g. in casu Immaculatae Conceptionis. Hierarchia quae a Spiritu Sancto ducitur habet scientiam et ipsi competit plena directio conscientiae Ecclesiae, quam et ipsa habet utpote ab eodem Spiritu Sancto mota.

Nam, ni fallor subiectum traditionis non identificatur simpliciter cum magisterio. Tota enim Ecclesia credens non solum est *passiva* sed etiam *activa* in tradendo deposito fidei, utique nunquam sine magisterio ecclesiastico. Fideles enim non tantum a magisterio accipiunt, sed etiam datur influxus positivus fidei totius populi Dei in magisterium. Hic influxus non est auctoritativus ut patet, sed nihilominus est valde realis, ut monstratur in toto decursu historiae Ecclesiae. Hic est sensus charismatum, donorum nempe Spiritus, quae multis fidelibus conceduntur in bonum Ecclesiae, quod bonum est in primis bonum fidei.

4. Pag. 8, lin. 25. Ex antea dictis insistendum et amplificandum est quod charismata ab apostolo Paulo in *1 Cor.* 12-13-14 enumerata, in Ecclesia existere semper et majori abundantia quam saepe vulgo creditur. Anima non potest non seipsam manifestare. Sanctitas Ecclesiae in his charismatibus etiam apparet. In quacumque canonizatione et beatificatione nobis manifestantur sed in aliis non paucis qui ad altare non ascendent, existunt. Rectoribus Ecclesiae competit et eorum genuitatem approbare et dirigere.

5. In pag. 10, lin. 5. Distinguitur opus profanum ab opere religioso sed tamen separari non debent. Nam possumus hic applicare dictum Domini: Homo non separet quod Deus coniunxit.

Nec agitur solum de fine operantis ex intentione etc., sed de fine ipsius operis quod profanum dicimus. Omnia in Christum a Patre ordinata sunt et omnia constant in Christo. Redemptio, ut innuit divus Paulus, etiam cosmica est ita ut creata dolores sentiant partus, ex violentia a peccatoribus illata. Tota enim creatio aliqualiter Christo Domino incorporatur per sacram eius humanitatem. Ordinatio obiectiva a Deo datur etiam rebus profanis. Sic v. g. labor profanus hominum maxime in nostra societate. Labor in genere ordinatur ad bonum proximi ut videre est in tot laboribus, quae non fiunt ad bonum laborantis sed aliorum et quidem obiective non ex intentione subiectiva opificis. Ut par est, ipsi opifices suum fructum subiectivum obtinent qui plerumque in salario consistit.

Haec ordinatio divina efficax est. Sed exigit et jubet Deus ut haec ordinatio obiectiva operis assumatur in superiorem ordinem caritatis ab ipso opifice faciendam. Posuit Creator viam naturalem quam persequendo homo assumat opus in ordinem supernaturalem ad quem elevatus est in praesenti oeconomia. Habet opus fere omne profanum ordinationem obiectivam in caritatem, quam homo perficere tenetur.

Sic labor extollitur et honoratur juxta Dei voluntatem nec pervertitur ut fit a materialistis, qui laborem extollunt sed sine Deo, nec divina ordinatione. Sic sensus pastoralis fulgeret et idea sublimis quam Ecclesia de humano labore habet, pretium et honorem humano labori daret. Christus Dominus et B. Virgo et eius sponsus S. Ioseph, exemplaria imitanda sunt.

6. *De vita salutifera et apostolica laicorum.* Sub n. 25, littera c, pag. 10, lin. 11 ubi dicitur: « Infaustae separationi ». Verbum *infaustae* nimis durum consideramus. Nos separationem moralem et oeconomicam Ecclesiam inter et Statum distinguimus. Primam omnino damnamus et doctrinam contrariam acriter defendimus, ut si societas et Status quae Dei creaturae sunt, nullam cum Ipso relationem et vinculationem haberent. Secundam separationem, nempe oeconomicam concedimus.

Sed manente in thesi et in solidum doctrina *de non separatione morali* Ecclesiae et Status et contraria doctrina reiecta, in praxi et in particulari quoad modum et practicam procedendi rationem prae oculis populorum circumstantiae et tempora sunt habenda.

Unde verbum *separatio* ex rerum conditione et adiunctis temporum in quibus facta est, in praesenti schemate sensu peiorativo sumitur et inde adiectivum *infaustae* quod proponitur.

Tamen hodie ut accidit in Statibus Foederatis et aliis locis cum separatio detur non inimica Ecclesiae sine oppositione civitatis terrenae contra Deum ex qua plurima beneficia Ecclesiae catholicae orta sint in sua expansione et multiplicatione, verbum *separatio* enucleandum esset profundius. Plures hodie opinantur, datis conditionibus in quibus Ecclesia versatur ex hac amica separatione, ubi necesse sit ipsam admittere, plura beneficia oritura essent.

Separatio haec in praxi vere amica et fructifera et proinde laudabilis foret, si Ecclesiae absoluta libertas conferretur agendi iuxta leges canonicas quin ullo modo immisceretur in rebus Ecclesiae, sicut nec ipsa Ecclesia in rebus Status, dummodo non interveniat laesio moralis vel ethica, quo in casu Ecclesia in suo dominio manet si talia condemnet.

Revera opportunum fore videtur si Concilium Oecumenicum hac de re principia, in quantum possibile est, clara et valde definita daret.

Praeterea desideratur in schemate, in hac parte de laicorum apostolatu, applicatio particularis sed magni momenti ad obligationem catholicorum in re politica adlaborandi.

Ut accidit cum verbo « mundus » quod vario sensu in ipso Evangelio S. Ioannis sumitur, sic etiam contingit cum verbo « politica ». Ex recta

enim vel mala politica innumera bona vel mala sequuntur. Christifideles laici obligatione premuntur activam partem agendi, ne ut aliquando accidit, campus inimicis christiani nominis relinquatur.

Politica, quae ars est dirigendi homines ad bonum commune obtinendum, iuris naturae principiis et Ecclesiae doctrinae subiacet. In hoc sensu iure suo Ecclesia intervenit. Cum vero agitur de factionibus politicis quae media concreta et modo suo quaeque proprio applicanda contendunt ut bonum commune sic et non aliter obtineant v. g. hoc regimine, sub hac dynastia, in hac vel alia regiminis forma, Ecclesiae haec media sunt indifferentia, dummodo bonum commune obtinere conentur sub principiis moralibus et doctrinae catholicae non contrariis, salvando iura personae prout in Encyclica *Pacem in terris* promulgata sunt.

Valde opportunum foret ut Ecclesia, in hoc Concilio Oecumenico sua maxima auctoritate, rem hanc declarare vellet.

7. In pag. 10, sub n. 26. Commendanda revera oboedientia sed aperiendo sensum oboedientiae apostolicae. Haec oboedientia est *activa* oboedientia collaborationis. Laici collaborant « cooperantur » ut dicitur in introductione. Unum enim idemque est opus apostolatus, aedificatio scilicet Corporis Christi, dilatatio regni Dei in terris. Idem ergo scopus.

Laici meliorem habere possunt conditionum rerum cognitionem saepe et audiendi erunt. Paternalitas excessiva quae nihil aliis committere vult, sed meram passivam subiectionem exigit, difficulter hodie admittitur et multos laicos, ab apostolatu arcet. Etiam responsabilitas maior pluribus in rebus eis concedenda ut in labore apostolico interesse habeant; eorum professiones, rerum scientiam ad Ecclesiae utilitatem et animarum salutem conferant. Sub ductu et imperio sacrae hierarchiae, cui suprema apostolatus directio semper et unice competit. Haec putavi proponenda.

Votum « de notione populi Dei ».

Notandum est schema silere notionem de populo Dei (etsi in primis numeris capitis primi aliqua per transennam dicantur), quae saltem descriptive danda esse videtur, prout iam etiam ab aliquibus Patribus in aula conciliari laudabiliter notatum fuit.

Haec notio sequentes notas includere potest, ab ipsa S. Scriptura desumptas:

1. *Relate ad originem*: *transcendentalem*: *a*) est populus *Dei electus,* *b*) a Christo *acquisitus,* *c*) Spiritu Sancto *congregatus; historicam*: *a*) indolis ergo omnino supernaturalis, *b*) conditio societatis perfectae, scil. « plebs perfecta », *c*) perfectio populi A. T. scil. a Christo Filio David, semen Abrahae.

2. *Relate ad elementa constitutiva*: *ex relatione Dei erga populum*: *a*) Deus est praesens, *b*) est Regnum Filii, *c*) per Spiritum Sanctum, in ipsa civitate, in cordibus civium; *ex relatione populi ad Deum*: *a*) unus Dominus, *b*) unum Corpus seu regnum Christi, *c*) unus Spiritus, habetur et in civitate

et in civibus; *populus in seipso*: *a*) genus electum (a Patre), *b*) populus acquisitionis, regale sacerdotium (a Filio), *c*) gens sancta (a Spiritu Sancto).

3. *Relate ad praesentiam in mundo*: *a*) *in* mundo, quin sit *de* mundo, *b*) *peregrinans* in Hierusalem caelestem, *c*) *abstinens* a carnalibus desideriis, conversationem *bonam*.

4. *Relate ad organicam structuram*: « plebs perfecta »: *a*) Christus Caput, Rex; Petrus: petram, *b*) Apostoli, columnae, *c*) fideles seu cives.

5. *Relate ad finem ultimum*: regnum caelorum: *a*) Christus Rex regnabit in aeternum et quidem etiam supra inimicos suos scil. triumphum finale, *b*) Christus dabit Regnum suum Patri suo, *c*) sic erit Deus omnia in omnibus!

Duo notanda praecipue sunt relate ad praedictas notas:

1. explicite dicatur *nota de peregrinatione* in Hierusalem caelestem; etenim et materialismus eiusque influxus etiam in fideles nostros, et insistentia in actione saeculari christifidelium pastoraliter illam expressionem exigunt. Alia ex parte et oecumenismus ipse contentus erit.

2. explicite etiam oportet et exprimere *notam de triumpho finali Christi*, ut spes et fides sperandorum sustineat omnes qui persecutionem patiuntur; unde et exprimatur Christum regnaturum *etiam supra inimicos suos*, ut firma spes Ecclesiae confundat persecutores et sustineat percussos.

Unde, redactio plus minusve sequens esse posset: quae quidem *post introductionem et antequam de « membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate »* in n. 23 loquatur, *introduci posset*:

23. (*De Ecclesia, populo Dei*). Novus populus Dei electus (cf. *Hebr.* 4, 9; 8, 8-10; *2 Cor.* 6, 16; *1 Petr.* 2, 10; *1 Thess.* 1, 4; *Rom.* 9, 25-26), a Christo acquisitus (cf. *1 Petr.* 2, 9), mundatus (cf. *Tit.* 2, 14) et sanctificatus (cf. *Hebr.* 13, 12) est Ecclesia, « Sancto Spiritu congregata » (Oratio Missae, feria VI temporum Pentec.), plebs perfecta (cf. *Lc.* 1, 17) semen Abrahae, qui est Christus (cf. *Gal.* 3, 16. 29).

Cives igitur huius civitatis, quo Deus Pater « eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae » (*Col.* 1, 12-13), sunt cives sanctorum et domestici Dei (cf. *Eph.* 2, 19), domus spiritualis, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*1 Petr.* 2, 5-9). In ipso tamquam in templo suo vivo vel tabernaculo inhabitat Deus et deambulat Deus (cf. *2 Cor.* 6, 16; *Apoc.* 21, 3), simul ac ipse Dominus Deus templum civitatis est et Agnus (cf. *Apoc,* 21, 22). In suorum civium cordibus enim diffusa est caritas Dei per Spiritum Sanctum (cf. *Rom.* 5, 5) et superscriptae sunt leges Domini (cf. *Hebr.* 8, 10). Unde cives isti, etsi in hoc mundo vivant, non sunt de hoc mundo (cf. *Io.* 18, 36), sed sunt cives Hierusalem caelestis (cf. *Hebr.* 12, 22), non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquirentes (cf. *Hebr.* 13, 14); ideoque tamquam advenae et peregrini deambulantes sese abstinent a carnalibus desideriis et conversationem habent bonam, ut gentes videant opera eorum bona et glorificent Patrem qui in caelis est et Deum in die visitationis (cf. *1 Petr.* 2,

11-13; *Mt.* 5, 16). (Hic includitur paragraphus secunda n. 23, cum aliquibus modificationibus quae sublineamus).

Unus est *ergo* « Populus Dei » (*1 Petr.* 2, 10), eadem nobilitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione *ex Spiritu Sancto* (cf. *Io.* 3, 5), eadem filiorum Dei gratia, eadem vocatio ad perfectionem, eadem salus, eadem spes, eadem caritas, eadem media salutis pro omnibus: « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5). (Hic saltatur ad tertiam phrasim huius paragraphi secundae n. 23, ut linea logica de unitate servetur).

Ad omnes pertinet regale sacerdotium, quo Christus « fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo » (*Apoc.* 1, 6); « idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant Illum » (*Rom.* 10, 12), « *qui sine acceptione personarum iudicat secundum uniuscuiusque opus* » (*1 Petr.* 1, 17); « *unus Panis* », *de quo participamus* (*1 Cor,* 10, 17); *unus Spiritus, in quo* « omnes nos in unum corpus baptizati » *et* « *potati* sumus » (*1 Cor.* 12, 13); *eadem vita,* viventes *nempe* de fide in verbo Dei et de corpore et sanguine Domini, usquedum caelestes nuptiae in regno Patris parentur. (Hic phrasis media n. 23, ut conclusio).

Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata natione, conditione sociali, *divitiis vel* sexu, quia « non est Iudaeus, neque Graecus: non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes vos " unus " estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28; cf. *Col.* 3, 11). (Hic additur nova paragraphus de Regno Christi et Dei, deque plebe perfecta seu societate organica).

Filius David, Christus, « *Princeps pacis* » (*Is.* 9, 6), in hoc populo suo caput est et primatum tenet (cf. *Col.* 1, 18; *Eph.* 5, 23). Deus enim « dedit ei potestatem et honorem et regnum » (cf. *Dan.* 7, 14) et « caput supra omnem Ecclesiam » (*Eph.* 1, 22). Unde « oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius » (*1 Cor.* 15, 25). Et veniet « deinde finis: cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem » (*1 Cor.* 15, 24). Ipse enim est « Rex regum et Dominus dominantium » (*1 Tim.* 6, 15; *Apoc.* 19, 16; cf. *Apoc.* 1, 5), cui « omnia subiecta sunt.., sine dubio praeter Eum qui subiecit Ei omnia. Cum autem subiecta fuerint Illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit Ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 27-28). Laeto igitur animo Ecclesia, populus Eius canit: « Tu Rex gloriae, Christe! » (Hymnus *Te Deum*).

Civitatis « fundamentum igitur aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus » (*1 Cor.* 3, 11), « Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: et qui crediderit in Eum, non confundetur » (*1 Petr.* 2, 6).

Caput autem et Petra, Christus aedificavit Ecclesiam seu civitatem « suam » super petram Petrum (cf. *Mt.* 16, 16-18), ita ut « cives sanctorum » sint « superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 20). Et sic murus

civitatis est habens fundamenta « Duodecim » apostolorum (cf. *Apoc.* 21, 14), quibus Christus dedit suam missionem et potestates (cf. *Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 16).

Informationis causa valeant dicta.

44

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Caput hoc maximum gaudium atque pretiosum stimulum allaturum est omnibus laicis qui proprii muneris in Ecclesia conscii vitam agunt apostolicam. Sine enim ulla ambiguitate declaratur eorum participatio missioni salvificae Ecclesiae atque officium simul et ius apostolatum exercendi.

Sensus gratulationis merentur accipere omnes hi qui labore strenuo hoc schema confecerunt. Duo tamen notare vellem.

1. Etsi indoles eius oportet esse praeprimis doctrinalis, *non sufficienter* hoc in cap. III *resonatur anxietas pastorum Ecclesiae*:

a) relate ad immensas multitudines hominum qui nondum evangelizatae sunt et *qui sine amplo concursu laicorum* efficaciter attingi nequeunt. (Hoc valet tam pro regionibus quae a pluribus saeculis nuntium Christi acceperunt quam pro illis in quibus tempore tantum recentiori incepit evangelizatio. Cogitemus de progressibus indifferentismi et materialismi et de parvo numero catholicorum 500.000.000 relate ad incolas totius orbis 3.000.000.000);

b) pro sic dicta consecratione mundi hodierni. Nonne humiliter confiteri debemus hunc mundum novum qui sub oculis nostris consequenter ad mirabiles progressus technicos rapidissime extruitur usque adhuc *minimum influxum* a christianismo accepisse?

Concludendum ergo quod ubique terrarum semper sed speciatim hodie actio laicorum sese protendens ad omnes activitatis humanae campus non solum est pretiosissima (ut dicitur pag. 9, lin. 15) sed urgentissima et ita necessaria ut nihil aliud ei substitui posset.

Nec dicendum quod haec anxietas non debeat in textu manifestari, qui utpote doctrinalis debeat esse tantum descriptivus ac omnibus temporibus adaptatus. Nam ad instar Christi cuius veluti viva continuatio, Ecclesia tota et in omnibus membris eius debet sensus ipsius Christi indesinenter reproducere. Ipse autem « videns turbas misertus est eis: quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem » (*Mt.* 9, 36). Declaravit etiam: « Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur? » (*Lc.* 12, 49).

2. Liceat nunc alteram animadversionem facere circa indolem *communitariam* apostolatus Ecclesiae et proinde etiam laicorum.

Optime asseritur quod populus ... ab eo (i. e. divino redemptore) in *communitatem* caritatis et veritatis constitutus, ab eo etiam ... ad universum mundum mittitur (schema, pag. 5, lin. 7).

Etiam quando definiuntur laici (schema, pag. 6, lin. 33) recognoscitur ipsos « pro parte sua *missionem totius populi* christiani in mundo exercere ». Alluditur etiam aliis in locis « ad hunc *socium* laborem christifidelium » (schema, pag. 9, lin. 10) et in adhortatione finali (n. 27) hortantur iidem utriusque sensus fideles « ut *collatis viribus* missionem suam expleant ».

Optandum tamen est ut hoc officium *unionis omnium* in apostolatu adhuc fortius inculcetur tam in peragenda actione quam in reddendo testimonio.

Cur non magis inniteretur in textibus Novi Testamenti, his speciatim ubi Christus insistit in absoluta necessitate *communis testimonii* totius Ecclesiae. Diriguntur enim hae monitiones de quibus Dominus in *Mt.* 5, 13-16, ubi de obligatione pro omnibus discipulis mundum a corruptione servandi et operibus bonis illuminandi, non tantum ad omnes et singulos christianos sed ad totum Ecclesiae coetum qua coetum seu populum. Hae locutiones: « Vos estis sal terrae », « Vos estis lumen mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita », etiam sensum communitarium includunt. Ceterum Christus proposuit explicite omnium christianorum unitatem, aliis verbis Ecclesiam unitate fulgentem uti testimonium absolute requisitum pro fide mundi in veritatem suae divinae missionis. Ait enim in *Io.* 17, 20-21: « Non pro eis autem rogo tantum sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint...: ut credat mundus, quia tu me misisti ».

Si autem nunc quaeritur utrum sufficiens exstet hoc testimonium collectivum atque utrum plerique christiani satis conscii sint partium quas habent in hoc testimonio collectivo componendo responsio videtur negativa. Immo multi christiani, etsi saepe inconscie, modum agendi Evangelio contrarium atque exigentiis castitatis, caritatis et iustitiae ostendunt ita ut in quibusdam casibus eorum vita non ut testimonium sed potius ut « contra-testimonium » seu scandalum appareat. Hic modus agendi constituere potest magnum impedimentum pro evangelizatione « massarum operiarum » semper numero crescentes. Quapropter peto:

1. Quod magis sublineatur obligatio apostolatus laicorum, v. g. pag. 9, lin. 15 loco « pretiosissimam » dicatur « necessariam ».

2. Quod momentum *testimonii* collectivi seu melius *communitarii* totius Ecclesiae et praesertim laicorum in meliori luce ponatur, v. g. in adhortatione finali pag. 11, n. 27. Posset hac in adhoratione inseri propositio quaedam huiusmodi: « Praeprimis fideles magis conscii fiant (vel doceantur) de eorum parte in testimonio a tota Ecclesia praestando »; vel si magis placet: in lin. 21, addatur: « Ne erubescere debeant ipsam Ecclesiam quae propter peccata plurium non satis se praeberet ut lumen vitae, sal terrae, regnum iustitiae » vel aliud huiusmodi.

45

EXC.MUS P. D. IOSEPH HOEFFNER
Episcopus Monasteriensis

Duo animadvertere velim:

1. Apostolatus laicorum potissimum et principaliter *non* in adimplendis muneribus ab hierarchia eis commissis consistit, sed in exemplo vitae vere christianae et in responsabilitate pro ordine temporali ad normas iustitiae et caritatis instaurando. Qui ordo tum in eis, quae ad res politicas, tum in eis, quae ad res sociales vel oeconomicas spectant, pro salute animarum magni momenti est. Condiciones enim sociales et oeconomicae non raro iustitiae et caritati tantopere repugnant, ut multi homines ex una parte vitam vere christianam vix ducere possint, ex altera parte Christum et Ecclesiam pertinaciter reiciant. Quapropter restauratio huius ordinis egregia quaedam forma apostolatus laicorum dicenda est.

2. Apostolatus ipsum ordinem temporalem attingens et informans proprie et ordinarie laicis incumbit, ita ut in hoc munere maiores partes habeant quam clerici, quibus imprimis divini verbi praeconium et divinorum mysteriorum dispensatio commissa est. In christifidelium relatione ad hierarchiam ecclesiasticam *principium subsidiaritatis* observandum est, quod in Litteris Encyclicis *Quadragesimo anno* « gravissimum principium » vocatur. Pius autem Papa XII explicite declaravit principium subsidiaritatis in quacumque societate valere, etiam in Ecclesia, salva eius hierarchica structura (Allocutio Pii XII, 20-2-1946: *A.A.S.,* 38, 1946, 144-145) i. e.: Sicut ea quae a parochis proprio marte perfici possunt, ad curiam episcopalem avocare non licet, et sicut ea quae ab episcopis vel a conferentiis episcoporum — salva structura hierarchica Ecclesiae — effici praestarique possunt, eis relinquenda sunt, *ita etiam* quae a laicis propria industria et responsabilitate perfici possunt, clero demandanda non sunt, salva semper structura hierarchica Ecclesiae.

Quapropter has emendationes in schemate faciendas esse concludo:

1. pag. 10, lin. 30: omittatur « vel communitatis ». Ratio: superfluum est; nam quae ad communitatis bonum pertinent, per se et principaliter laicorum est.

2. pag. 11, lin. 2: post « eisque » addatur: « in rebus fidei et morum ». Ratio: in rebus mere temporalibus laici ad obediendum praepositis ecclesiasticis non tenentur.

3. pag. 11, lin. 3-4: textus ex *Eph.* 6, 5-6 omittatur. Ratio: laici ad clericos non se habent sicut servi in imperio romano ad dominos.

46

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

1. Prima par. n. 25 quaestionem fundamentalem apostolatus laicorum aggreditur, per verba quae *triplicem affirmationem successivam* continent. Revera, primo asseritur, pro membris vivis, obligatio adlaborandi pro Ecclesiae incremento; secundo, *definitio* quaedam apostolatus laicorum traditur; tertio, laicorum apostolatum esse *onus* honorificum edicitur necnon verum *ius* constituere. Ceterae paragraphi eiusdem numeri *descriptionem* exercitii apostolatus laicorum continent.

Iamvero, prima et obvia observatio haec est: iidem conceptus repetuntur, etsi diversis verbis adhibitis. Revera eamdem significationem habent sequentes affirmationes: « ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes ... conferre tenentur » (linn. 39-41); « onus honorificum incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis applicetur » (linn. 5-8); « pro suis viribus opus salutare Ecclesiae operose suo modo participent » (linn. 8-9).

Haec prima observatio *meliorem et accuratiorem redactionem* integrae paragraphi omnino suadet.

2. Ipsa *apostolatus laicorum definitio,* quae in linn. 1-5 continetur, facile ad trutinam revocari potest. Sane in hac definitione *a*) edicitur apostolatum laicorum esse « participationem ipsius missionis Ecclesiae salvificae »; *b*) statim duplex huius apostolatus fons enumeratur, scil. « titulus omnibus christifidelibus communis » vel titulus « a sacra hierarchia additus »; *c*) asseritur laicos numquam clericos vel religiosos fieri: « quin tamen propter hunc ultimum titulum laici ex suo statu exeant ».

Quid de hac definitione sentiendum? *In genere* affirmari potest his duobus defectibus laborare: *a*) est incompleta, quia differentiam specificam inter apostolatum hierarchicum et apostolatum laicorum neque proclamat neque innuit; *b*) est incongrua, quia elementum quoddam introducit laicis extrinsecum, scilicet titulum cuiusdam commissionis a hierarchia superadditae.

Quod ut patefiat, sequentia explicanda sunt.

a) *Conceptus missionis.*

3. Notum est verbum *apostolatus* ideam *missionis* secumferre: ideo *omnis apostolus dicitur missus.* In textibus N. T. qui mittuntur ad opus salutis peragendum appellantur *praedicatores.* Ex. gr. apud *Mc.* (3, 14) Christus « fecit ut essent duodecim cum illo et ut *mitteret eos praedicare* »; apud *Lc.* (9, 2), eos ipsos Christus « *misit praedicare* regnum Dei ». Immo et ipse Christus sese habet tamquam a Patre missum ad praedicandum (*Lc.* 4, 18; 4, 43-44). Consequenter et Paulus asserit se esse *positum* (scil. missum)

« *praedicatorem* et apostolum et magistrum gentium » (*1 Tim.* 2, 7; *2 Tim.* 1, 11). Quare dicitur in *Rom.* 10, 15: « Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? ».

Ex his autem id deducitur: *illi qui mittuntur a Christo sunt praedicatores,* ut regnum Dei hominibus annuntient *cum auctoritate et fidelitate.* Praedicatio ergo importat *vocationem et missionem* ab eo datam, qui auctoritatem habet. Hic est apostolatus stricte dictus, qui in Ecclesia nomen accipit *apostolatus hierarchici,* scil. apostolatus eorum qui *in Ecclesia potestate pollent ad regnum Dei authentice et publice hominibus praedicandum.* Innecessarium ergo videtur innuere opus sanctificationis atque regiminis populi Dei a praedicatione seu magisterio veluti a fonte profluere.

4. Praeter hanc missionem stricte dictam, alia adest *missio, ampliori modo intelligenda*: agitur scilicet de missione quam habet Ecclesia ad opus salvationis hominibus communicandum. Hoc autem sensu, *confunditur cum ipso fine Ecclesiae a Christo,* in eius fundatione, concredito.

Missio ergo Ecclesiae non esset nisi continuatio et perpetuatio finis a Deo intenti in Verbi incarnatione: quare relatio intima et intrinseca adest inter missionem Christi et missionem Ecclesiae, adeo ut *utraque eadem sit,* etsi diversis mediis — diversam naturam certe habentibus — consequenda. Christus revera ad redemptionem hominum missus fuit, semel in cruce perficiendam; Ecclesia a Christo per Spiritum *continuo* mittitur, ut redemptionem, semel peractam, hominibus applicet. Iamvero, haec missio, Ecclesiae propria, omnibus christianis incumbit, quia omnes membra Ecclesiae sunt; diversitas graduum ac ministeriorum, quae certe in Ecclesiae membris adest, nullo modo tollit, — *immo et supponit* — quominus missio illa omnibus incumbat.

5. Quare, quando pro laicis affirmatur eos partem habere in missione Ecclesiae, *vox « missio » sensu generaliori sumitur,* idque provenit ex membrorum conditione quam habent, scil. ex incorporatione ad populum Dei per baptismum. E contra, quando vox « missio » *in sensu strictiori adhibetur,* tantum ille appellari potest missus, qui missionem ad praedicandum per actum positivum mittentis — illius scilicet qui hac potestate gaudet — acceperit. Hac de causa, praedicationem *publicam* S. Thomas affirmat esse propriam membrorum hierarchiae: « docere et persuadere publice in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad praelatos » (II-II, q. 177, a. 2).

b) *Laici et confessio fidei.*

6. In traditione christiana *baptismus* appellari solet *sacramentum fidei* (« spiritualis generatio in vitam christianam », iuxta verba S. Thom., III, q. 72, a. 5), et *confirmatio, sacramentum confessionis fidei* (iuxta S. Thom.: « sacramentum plenitudinis gratiae », *l. c.,* a. 1 ad 2; « spirituale augmentum promovens hominem in provectam aetatem », *l. c.,* a. 5). Sane, secundum S. Thomae doctrinam, ille qui baptismum recepit « potestatem spiritualem habet ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum »

(*l. c.,* a. 5 ad 2); confirmatus autem « accipit potestatem publice (scilicet coram aliis) fidem Christi verbis profitendi, *quasi ex officio* » (*l. c.*). Inter characterem et gratiam baptismi atque confirmationis intima adest ergo relatio: re vera sacramentum confirmationis baptismum perficit atque complet.

Ex alia parte, confessio fidei non est nisi actus externus, qui *signum et expressionem* constituit fidei internae. Quapropter fides eiusque confessio unam eamdemque realitatem constituunt, quae salutem hominis operatur. Ita loquitur Paulus in *2 Cor.* 4, 13: « et nos credimus propter quod et loquimur », et *Rom.* 9, 10: « corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem ». Praeterea, haec confessio *sensum cultualem* habet, est scilicet vera Dei laudatio: « per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius » (*Hebr.* 13, 15).

Iamvero confessio fidei, utpote manifestatio externa fidei internae, est *obligatoria* pro omnibus hominibus, ita ut, sine ipsa, salus obtineri non possit. Quia tamen agitur *de praecepto positivo,* eatenus obligat quatenus eius necessitas adest. Recte S. Thom. affirmat: « confiteri fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis; sed aliquo loco et tempore, quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo *vel etiam utilitas proximis impendenda* » (II-II, q. 3, a. 2).

7. Ergo confessio fidei — necessaria ad salutem pro iis qui baptismum receperunt — pro adultis in Christo, scilicet confirmatis, *verum ius ac peculiare officium constituit,* praesertim nostris temporibus: secus utilitas proximis impendenda subtraheretur. Hoc modo laici in missione Ecclesiae vere participant et suum apostolatum exercent. Immo et quia gratiam in baptismo et confirmatione collatam supponit ac requirit, ideo talis participatio nullam potestatis communicationem supponit aut postulat, nullamque missionem stricte dictam.

Praedicatio ideo publica, scilicet missio a Christo et ab Ecclesia collata, *constituit apostolatum hierarchicum; confessio vero fidei, apostolatum laicorum.* En causa *distinctionis specificae* inter utrumque apostolatum.

c) *Actus in confessione fidei contenti.*

8. Confessio fidei importat praeprimis ut laicus, quasi « privatim ... colloquendo » — iuxta verba S. Thom. (II-II, q. 177, a. 2) — *propriam fidem in Christum ceteris hominibus verbo annuntiet.*

Id clare deducitur e Sacra Scriptura. *a*) Revera ex *1 Petr.* 2, 9 colligi potest novum populum Dei, eatenus « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » appellari et nuncupari potest, quatenus destinatur ad hoc « ut virtutes (scil. opus Christi) annuntiet eius qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum ». Annuntiare ideo seu divulgare Christi doctrinam de salute mundi functio est propria omnium christianorum.

b) Laicorum activitas in hoc sensu apparet in plurimis N. T. documentis. Laici enim fuerunt illi qui in Antiochia (*Act.* 11, 19) et in Samaria (8, 4) verbum Dei annuntiaverunt et evangelizaverunt; per Thessalonicenses

diffamatus fuit sermo Domini in Macedonia et Achaia (*1 Thess.* 1, 8); coniuges Aquila et Priscilla veri catechistae fuerunt pro Apollo, « cui diligentius (scil. accuratius) exposuerunt viam Domini » (*Act.* 18, 26).

c) Laicorum fidei confessionis causa, plures appellantur ab Apostolo Paulo *synergoi,* scilicet *coadiutores,* eo quod in opere missionario eum adiuvabant. E. g. Aquila et Priscilla (*Rom.* 16, 3), nonnullae mulieres (*Phil.* 4, 2-3), Epaphroditus (2, 25), Philemon (1), Urbanus (*Rom.* 16, 9).

9. Etiam ex fidei confessione clare deducitur necessitas testimonii vitae christianae.

Sane hoc constat ex ipsa natura confessionis: haec enim est *signum* et *expressio* fidei internae, in corde exsistentis, atque integram vitam hominis pervadere conantis. Hoc sensu, ait S. Thom.: « exterior locutio ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur » (II-II, q. 3, a. 1).

Ipsa evangelizatio seu fidei confessio praesupponit ergo et exigit testimonium propriae vitae, sive privata haec sit sive publica.

10. Ex quibus clare deducitur confessionem fidei, in sua duplici manifestatione, scilicet in testimonio vitae et fidei Christi annuntiatione, constituere proprium et specificum apostolatum laicorum. Haec sunt potissima elementa quibus laici opus « consecrationis mundi » perficere possunt ac debent.

Hic autem apostolatus laicorum, qui specifice a hierarchico differt, *ipsum complet* atque *cum ipso collaborat*: revera uterque *unicum* atque *completum* apostolatum Ecclesiae constituit. *Una* certe est *Ecclesia,* quae per authenticum magisterium hierarchiae atque simul per privatam laicorum confessionem fidei, omnibus hominibus regnum Dei annuntiat atque salutiferum opus Christi.

d) *Hierarchia aliquid laicis communicare potest.*

11. Revera, etsi confessio fidei dici debeat propria laicorum, eo quod ex gratia baptismi et confirmationis veluti enascitur, tamen certum est *hierarchiam aliquid actioni laicorum,* quasi *ab extrinseco, addere posse.* Hoc autem accidit, quando sic dictum *mandatum* confertur.

Primo, tale mandatum *pluribus laicis, in associatione aliqua communiter agentibus,* conferri potest. Effectus iste est, nisi aliud constet: *intimius* laicorum apostolatum *coniungit cum hierarchia,* scilicet eum reddit *officialem,* integre tamen servata eius natura.

12. Secundo, tale mandatum *laico determinato, ad ministerium verbi expresse cooptato* (in officium catechistae vel religionis professoris v. g.) dari potest. Tunc *vera communicatio* eidem confertur *missionis canonicae stricte dictae,* ita ut laicus dici et appellari possit ac debeat *verus delegatus a hierarchia in potestate publica magisterii* exercenda.

Ex hoc deducitur talem actum a hierarchia positum *quaestionem* constituere *de facto,* quia de re superaddita agitur, quae neque peculiarem statum laicorum mutat in Ecclesia, neque necessitatem confessionis fidei, ipsis con-

sentaneam, tollit aut supprimit. Quapropter *in specifica notione apostolatus laicorum talis mandati mentio fieri non debet.*

Concludendo: *a*) nova et accuratior redactio fiat integrae paragraphi, ita ut omnes repetitiones tollantur; *b*) notio apostolatus laicorum sequentibus vel similibus verbis componatur: « apostolatus autem laicorum, qui veram participationem constituit in missione Ecclesiae salvifica, in fidei professione consistit, mediante propriae vitae testimonio necnon verbi Dei ceteris hominibus annuntiatione ».

47

Exc.mus P. D. LUDOVICUS JULLIARD

Episcopus tit. Vulturiensis, vic. ap. Insularum Novarum Ebridarum

Imprimis iuvat declarare quod praesentis capituli « de populo Dei » tractantis substantia mihi placet, forma autem satis meliorari potest, quo modo proposuit em.mus card. Suenens in emendationibus quae typis publicatae sunt. Inter plura, illis subscribo, quae de fidelium sacerdotio et charismatibus dicta sunt.

Nihilominus meliores possent fieri diversae partes huius textus, eorumque consectaria practica fusius declaranda videntur, inter quae his attendere faveatis:

1. Optime commendatur in par. 23 (pag. 6, linn. 21-26) « De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate » fraterna habitudo inter Christi ministros et ceteros fideles; sic enim ad praxim vergunt principia in eadem paragrapho, necnon in fine par. 21 (« De episcoporum munere regendi »), et in par. 13 memorata exhortatio B. Petri scribentis ad presbyteros: « Pascite ... gregem Dei ... neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo ».

Cavendum est autem ne mores in Ecclesia recepti videantur impedire fraternas relationes sic commendatas. V. g. nomina honorifica quibus praelatos alloquimur, non ex Evangelio deprompta, sed ex aula regum et imperatorum, vel ex palatiis mediaevalium procerum accepta, nihil fraterni exprimunt; vestes nobilis quidem antiquitatis, sed penitus obsoletae nimisque pretiosae pauperum invidiam et scandalum nonnunquam excitant. Illis et similibus ansam praebemus eis qui, inconsulte quidem, non tamen sine veri specie Ecclesiae catholicae obiiciunt quae scribebat Iacobus apostolus: « Si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut: Sede sub scabellum pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se? » (*Iac.* 2, 2-5).

Talibus moribus, reverentiam iam non consequimur, sed incommoda

modicitatis non avertentes, ea saepius incommodis opulentiae cumulamus. Unde intelligendum est nos, suffragium propositis textibus daturos, sic pacturos esse mores ecclesiasticos Evangelio magis conformare, et supradictis renuntiare quae fraterno obstant commercio cum hominibus hodiernis, praesertim plebeis.

2. Optima quidem de caritate Christi quam participamus erga fratres, praesertim minimos, in par. 24 (pag. 8, linn. 8-12) dicuntur, sed in his verbis duo in melius mutanda sunt:

Primo, alium aptiorem locum accipere debent in paragrapho;

Secundo et praecipue, mentio « minimorum fratrum » in primis diligendorum brevior est quam oportet ut illi satis attendatur, verusque sensus tribuatur. Paulo fusius et clarius declarandus est modus quo factis, et non verbis tantum, fratres humiliores diligendi sunt, cum debito honore et sine ista superba sollicitudine et benignitate, cui nunc non raro datur nomen paternalismus.

Verae enim et commendandae caritatis primum opus est iura servare et tueri, seu iustitiam tum commutativam tum socialem facere, ac proinde non tantum famem, egestatem et morbos, verum etiam omnis generis oppressionem nimiasque inaequalitates oeconomicas impugnare. Quod populus christianus non seorsum facere debet, sed cum omnibus hominibus iustitiam amantibus, et pro cuiusvis generis et religionis hominibus quoquo modo depressis et afflictis, in quibus ipse Christus deprimitur et patitur. Verbi divini praeconibus non licet reticere de vehementibus monitis quae scripsit Iacobus apostolus, cap. 5 Epistolae suae catholicae, nec de sociali doctrina Ecclesiae.

Scimus utique hanc materiam in schemate decimo septimo tractandam esse, sed quis certo praedicere auderet Concilium hoc schema discussurum et auctoritative propositurum intra rationabiles temporis limites? De cetero perutilis erit brevis enucleatio huius assertionis de fraterna caritate tamquam primitiae schematis decimi septimi eiusque vinculum cum eius dogmaticis fundamentis.

Haec omnia collegi in duabus emendationibus secretario propositis.

Emendationes propositae.

1. Pag. 6, lin. 24, *deleantur* verba: « in sacro ministerio positi ».

Lin. 25 sic ferat: « *a Christo missi illumque imitantes, docendo, sanctificando et pascendo ministrant,* ut mandatum... ». Huius emendationis scopus est ut clarius indicetur mens « ministrandi » quam habere debent pastores a Christo dati (cf. *Mt.* 20, 24-28).

2. Pag. 8, linn. 8-12 *reponendae sunt* in finem par. 24, *sublatis* ab illa verbis: « *monente Apostolo* » *etc.* (linn. 35-36) et potius *amplificandae* ut infra: « Praeest enim charismatibus caritas, eorumque operationes ad bonum Ecclesiae ordinat (cf. *1 Cor.* 13-14). Per ipsam enim fideles novo maximoque mandato Christi Domini ita parent, ut genuino modo adimpleant officium sacerdotale, propheticum et regale, quod a Christo participant. Per

illam quidem caritatem proximos amamus ea dilectione, qua ipse prior dilexit nos, praesertim minimos fratres, in quibus vult peculiari modo se agnosci, etiamsi plus minusve alieni sint a visibili compagine Corporis eius mystici. " In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate " (*1 Io.* 3, 16-18). Opus autem praestantissimum et urgentissimum verae caritatis christianae in eo consistit, ut provideat necessitatibus vitalibus, dignitati et iuribus socialibus omnium hominum, praesertim pauperrimorum maximeque destitutorum et derelictorum ». (Huius textus repositio in finem paragraphi ex eo venit, quod per modum conclusionis exponit modum et spiritum, quo adimplere debemus triplex munus de quo tractatum est. Insuper optime sequitur ea quae de charismatibus scripta sunt, talem consequentiam adhibente S. Paulo in cap. 12-13 epistolae ad Corinthios primae. Rationes autem amplificati textus exponuntur supra in ipsa allocutione).

48

EXC.MUS P. D. IOSEF KOESTNER
Episcopus Gurcensis

Ad schema *de Ecclesia,* cap. III, n. 24, linn. 3, 19. *Propositio mea: loco « De sacerdotio universali » dicatur « De sacerdotio communi omnium fidelium »*. *Ratio*: Secundum animadversiones em.mi card. Bacci vox « universalis » pro sacerdotio omnium fidelium adhibita non clare exprimit, quod dicere vult. Rationes em.mi repetere non videtur necesse.

Aliud votum in aula prolatum erat, ut dicatur sacerdotium « inchoativum », quia sic distingueretur a sacerdotio *pleno ministeriali.* Quo termino autem non vitatur falsa opinio, ac si sacerdotium fidelium tantum gradu a sacerdotio ministeriali differret et non essentialiter.

Propterea proponere licet, ut pro termino « sacerdotium universale » dicatur « sacerdotium commune omnium fidelium ». Tali expressione: *a*) evitantur in aula allatae difficultates contra terminum « universale »; *b*) melius exprimitur conceptus communitatis, quae est populus fidelis, « genus electum »; *c*) optime includuntur etiam ii qui sacerdotio ministeriali funguntur, sed etiam consecrati sunt per baptismum et confirmationem sicut ceteri fideles ad sacerdotium omnium fidelium; *d*) bene distinguitur sacerdotium ministeriale, quod evidenter non est *commune* omnibus, a sacerdotio omnium fidelium.

49

EXC.MUS P. D. IOANNES LAURENTIUS KULIK

Episcopus tit. Rhandensis, aux. Lodzensis

In schemate *de Ecclesia,* cap. III « de populo Dei », n. 25, lin. 19, pag. 10, in sententia post verba: « propriis regitur principiis »... sequentem addictionem humiliter inserere propono: « numquam tamen legi naturali et legi positivae divinae obstantibus ».

Et sententiam hanc ita proferre: « Sicut enim merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, numquam tamen legi naturali et legi positivae divinae obstantibus ». Et probo:

1. Experientia saeculi XX docet maxima scelera contra humanitatem in quibusdam regionibus lege auctoritatis civilis et ratione status argumentasse, v. g. campi exterminationis, leges de liceitate abortus et divortiorum sacramentalium matrimoniorum, violatio dierum festorum lege sancita.

2. Attamen Papa Ioannes XXIII, gloriosae memoriae, in litteris encyclicis *Pacem in terris* ad rem dicit: « ... si forte rei publicae moderatores contra eundem ordinem atque adeo contra Dei voluntatem vel leges ferunt, vel aliquid praecipiunt, tunc neque latae leges, neque datae facultates civium animos obstringere possunt; cum oboedire oporteat Deo magis quam hominibus » (*A.A.S.,* 55, pag. 271).

3. Etiam S. Thomas: « ... quoad lex humanam in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam » (*Summa Theol.,* I-II, q. 93, a. 3, ad 2).

4. Superius quidem in versu 13 et 14 dictum est: « ... nulla humana auctoritas ne in re quidem profana Dei imperio subtrahi possit », non videtur sufficiens. Nam inferius in linn. 18 et 19 legimus assertionem, quae potest dare occasionem periculosae interpretationis: cives legibus etiam iniustis a gubernio civili statutis adstringi posse.

Rogantur ergo Patres Concilii, ut quaestio hodie tam gravis accuratim explicari possit.

50

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT

Episcopus Umtaliensis

Postquam de episcoporum dignitate sumus quamplurima locuti, de populo Dei agendum est nobis.

Textus loquitur de grege et pastore, evangelica parabola usus, et ipsius Domini verbis inspiratus. Harum metaphorarum non verba sed sensus accipiendus videtur: nempe unitas illa intima quae inter pastorem et oves intercedit, qua pastor oves suas cognoscens nominatim vocat, et qua oves eius

vocem audiunt et sequuntur; et illa etiam unitas qua pastor non sibi sed ovibus parcens, sese immolare paratus est ut e luporum rabie eas eripiat.

Termini pastoris et ovis non satis congrue adhibentur ad significandum onus et privilegium evangelizandi, ad quod fideles vocantur, sed non oves, quae certe evangelii praecones fieri non possunt.

Haec omnia magis clare et laicorum dignitate aptiore modo dicuntur, si adhibeatur notio familiae, in qua laici, uti spirituales episcopi filii, eum sequi, illum audire, ipsum adiuvare et possunt et debent. Hodie laici doctiores quam antiqui, ad opus evangelizationis vocari digni et apti sunt; sed ad id non alliciuntur exercitio non semper satis pastorali auctoritatis episcopi, qui gregem suum a longe pascit per litteras quas semel in anno, fere ignotus fidelibus scribit. Haec distantia vel divisio, laicos non allicit, sed potius in fide tentat. Clima quoddam familiae instauremus ut patres inter filios moveamur, vivamus, et agnoscamur. Ne fugiamus ab eis: non vocemus tantum, sed quaeramus; ubi illi sunt et nos esse debemus, etiam iis in locis quo illi relaxationis publicae et honestae causa saepe convenire noscuntur. Episcopi problema non est ut honoretur, sed ut ametur: amari est patris, honorificari est domini.

Laici non ad hoc vocantur a Deo ut opera stricte ecclesiastica e sacerdotum et episcoporum manibus eripiant et ita auctoritate ornentur potiori, sed ut cum eis laborent, et eos adiuvent, ut filii. Hoc modo missio laicorum plenius et clarius apparebit, et eorum dignitas in ecclesia praefulgebit. Quae si fiant, non amplius erit necesse insistere in notione obedientiae sicut gregis, sed obedientiae ut filii.

Post Dei gratiam, cooperatio effectiva et fructuosa laicorum in vinea Domini omnino dependet ab habitudine episcoporum. Si episcopi suas indigentias, desideria et alia huiusmodi, ita confidenter laicis aperiunt ut ipsi possint intelligere se cum patre benevolente de rebus Dei agere, fructus maximi momenti in ecclesia colligi poterunt.

Audiantur opiniones laicorum caritate et magna cum benevolentia, recolentes quod nec episcopi venerunt ministrari, sed ministrare.

Quamvis oblivisci non debeamus quod laici nostri, saepe suam paupertatem abscondentes, nos sustinent, tamen non ut simplices benefactores habendi sunt, quia animae sunt immortales quae auxiliis nostris spiritualibus indigent, praesertim exemplo vitae christianae a nobis profunde gerendae.

Clare ex nostra discussione pateat quod laici qui ex Concilio suae dignitatis et officii declarationem expectant, eam in notione filiorum invenire poterunt clarius quam in ovis notione.

Antequam finem imponam huic parti de laicis vellem petere ut forma litteraria in lin. 8 introductionis mutetur, ut documentum haec Synodo magis dignum habeatur. Confunduntur duae, imo tres, metaphorae cum dicitur: « Pastores instituti sunt non ut totum onus aedificandi mystici corporis in se suscipiant ». Pastores pascunt, non aedificant.

Aliud quid, sed breviter adiungam: mundus ab hac sacra synodo expec-

tat explicitam declarationem de laicorum dignitate in ecclesia, sed ut mihi videtur, urgentiori modo expectat etiam aliud, nempe ut clarius, distinctius, et sine ulla ambiguitate declaretur aequalitas hominum coram Deo, ita ut error qui pestilenter grassatur et qui vulgato nomine « racismus » dicitur, denuntietur definitive et solemniori quo potest modo damnetur. Ad quid loquimur de dignitate populi Dei, si odia fratricida non extirpantur? Plura utique dicuntur in hoc capitulo de aequalitate in ecclesia, sed non satis. Mihi valde displicet quod nec luculenter, nec sufficienter, nec specifice « racismi » error damnetur. Pro apostolatu in terris sic dictis missionum, valde utile foret si haec sacrosancta synodus fortiter exprimat in hac materia doctrinam Ecclesiae. Evangelico remedio indigemus, sed non omnes obediunt evangelio. Ideo dicatur et declaretur, homines omnes ex amore a Deo creatos, et pro omnibus, sine ulla distinctione nationis, stirpis, conditionis culturalis vel socialis, Christum esse passum et mortuum. Ex hoc duplici fonte, hominum omnium dignitas oritur, regitur, et fovetur.

51

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

I. *Laudatio huius cap. III de Ecclesia eiusque momentum pro Ecclesia.* Fas mihi sit cum multis aliis in hac aula, praeiacens caput de populo Dei, speciatim de laicis iterum laudare. Multorum episcoporum expectatio hoc textu impleta est, nec minus laicorum, qui omnes ab hoc Concilio aliquod definitivum, theologice bene fundatum, de laico eiusque activitate in Ecclesia sibi sperant. Quod non tantum vota episcoporum pro Concilio praeparando comprobant, sed etiam opinio publica horum dierum nostras disceptationes in hac aula prosequens et in ephemeridibus cotidianis legenda aut in conferentiis pro prelo audienda. Nobis omnibus persuasum est, renovationem Ecclesiae et mundi tantum eventuram fore, si etiam laici in hoc opere congruentem partem habeant. Ergo pro futuro, ut hoc S.D.N.P. Paulus VI, in sua ultima Epistola ad singulos episcopos nos clare docet, « laicos ad hoc salvificum munus participandum efficientius asciscendos esse ».

Verum est, quod multi declararunt et cum quibus etiam ego consentio, textum praeiacentem non esse perfectum — de cetero nihil in mundo perfectum est — tamen nobis documentum praeberi, quod observationibus Patrum emendatum pro vita et activitate Ecclesiae maximi momenti erit. Ad hunc finem assequendum etiam observationes, quae sequuntur, adlaborare cupiunt.

II. *De divisione cap. de populo Dei in 2 capita eorumque compositione.*

1. *De divisione textus.*

Propono, ut cap. III dividatur in duas partes, et quidem in unam partem de populo Dei, et secundam de laicis. Quae divisio iam in textu praeiacenti

innuitur. Ratio huius divisionis est, ut prius tractetur de toto populo Dei et postea tantum claritatis et gravitatis causa in proprio capite de aliquo speciali statu huius populi Dei.

Qua divisione peracta et approbata propono praeterea, ut cap. de populo Dei statim post caput de mysterio Ecclesiae, i. e. ut cap. II huius schematis ponatur, et caput de laicis ut cap. IV post cap. de episcopis, presbyteris et diaconibus inseratur. Quae omnibus fidelibus, i. e. toto populo Dei, communia sunt anteponantur divisionibus in populo Dei. Dignitas episcopalis et sacerdotalis ita non minuentur, e contrario divitiores fient, quia ita episcopi et presbyteri etiam his partem habebunt, quae omnibus christifidelibus secundum voluntatem Christi et Ecclesiae communia sunt.

2. *De nova distributione textus.*

a) Pro novo cap. de populo Dei sumantur e praeiacenti textu de populo Dei sequentes partes: n. 22: introductio, quae autem ad hanc novam ordinationem adaptari debet; n. 23: de membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate, usque ad verba ... « hoc salutis », pag. 6, lin. 30; n. 24: de sacerdotio universali, necnon de sensu fidei et de charismatibus christifidelium; de peccato in Ecclesia sancta Dei; de principio subsidiaritatis; n. 26: de christifidelium relatione ad hierarchiam (pag. 10, linn. 39 ss.) sed tantum quae de oboedientia dicuntur, quia haec non tantum de laicis, sed pari modo de omnibus fidelibus valet et ideo ad caput novum de populo Dei pertinet. Conclusio.

b) Pro cap. de laicis sequentem divisionem propono: 1) introductio (cf. n. 22); 2) de laicis eorumque dignitate (n. 23, pag. 6, linn. 31 ss., revisus, v. seq. observat.); 3) de vita salutifera et apostolica laicorum (n. 25, revisus, v. seq. obs.); 4) de relatione inter christifideles et hierarchiam (n. 26, linn. 23-38, revisus, v. seq. observat.); 5) adhortatio et laudatio.

3. *Ad propositiones ut supra liceat mihi sequentia animadvertere*:

a) Quamvis textus maxima in parte e capite praeiacenti adhiberi possunt, tamen ad novam distributionem adaptari et suppleri debent.

b) In additionibus libenter propositiones sequor, quae in Fasciculo cum emendationibus ad partem II de Ecclesia ab em.mo card. Suenens factae sunt.

c) Textus n. 24, pag. 7, lin. 30, adaptetur ad cap. I constitutionis *de sacra Liturgia.*

d) Mea ex parte proponerem, ut post numerum « de sacerdotio universali, necnon de sensu fidei et de charismatibus christifidelium » duo numeri novi proprii inserantur, et quidem de peccato in Ecclesia sancta Dei et « de valore principii subsidiaritatis in Ecclesia ». Quod principium subsidiaritatis attinet, hoc, sicut clare docebat Pius P. XII, valorem suum habet etiam pro Ecclesia et ideo sequentes paragraphos de episcopis, presbyteris, diaconis et laicis bene praeparare possit. De altero numero postea fusius.

e) Numerus, qui cap. novum, i. e. II, de populo Dei concludat, pari

modo connexionem cum sequentibus capitibus, i. e. de episcopis, sacerdotibus, diaconis et laicis et etiam cum cap. IV de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia demonstret et ita totam sequentem materiam praeparet. Si divisio a multis desiderata admittitur, conor, si optatur, textum congruentem pro hoc numero praeparare.

III. *Ad n. 24, pag. 7, lin. 30.* In n. 24 (pag. 7, lin. 30) participatio laicorum in eucharistia celebranda ita theologice exponitur: « (Fideles) divinam victimam, verbis consecrationis a sacerdote in altari positam, per manus eius Deo offerunt ». Haec expositio non sufficere videtur: 1) quia non correspondet his, quae iam a magisterio ordinario de participatione fidelium in sacrificio Missae declarata sunt. Encyclica *Mediator Dei* expresse dicit « (christifideles) non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso quodammodo sacrificium offerre, qua quidem participatione populi quoque oblatio ad ipsum liturgicum refertur cultum »; 2) quia a Patribus Concilii haec doctrina Encyclicae *Mediator Dei* iam recepta est. In n. 48 enim cap. I constitutionis *de sacra Liturgia* dicitur « (christifideles) immaculatam hostiam non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso » offerre.

Cum etiam pro laicis celebratio eucharistiae sit culmen et centrum totius vitae christianae, maximi momenti esse videtur ut constitutio, quae expresse de laicis agit, praecise et integre partes definiat, ad quas populus christianus — uti dictum est in cap. I constitutionis *de sacra Liturgia* — « vi baptismatis ius habet et officium (n. 14) ».

Ceterum censeo in multis aliis locis schematis de Ecclesia non satis considerari ea, quae iam in constitutione *de sacra Liturgia* dicta sunt, e. g. de populo Dei et de dignitate Ecclesiae localis.

IV. *De peccato in Ecclesia sancta Dei.* Iam saepius in hoc Concilio monebatur, ne in schemate *de Ecclesia* finalitas eschatologica negligeretur. Ecclesia nequit intellegi nisi ut populus Dei eschatologicus peregrinans per tempora, annuntians mortem et resurrectionem Domini, donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26). Sed peregrinatio haec eschatologica saepe intelligitur modo nimis abstracto. Locutio nempe fit fortasse de difficultatibus et caliginibus itineris in hoc saeculo. Sed si loquimur de Ecclesia peregrinante in sensu publico plus intelligimus; Ecclesia vocatur peregrinans, quia populus in omnibus difficultatibus et miseriis huius vitae non est sine culpa, non est sine peccato.

Populus Dei Novi Testamenti in hoc est continuatio populi Veteris Testamenti. Saepe populus viam Domini sequi vult, sed proh dolor iterum atque iterum eam derelinquit; vult fidelis esse, sed iterum atque iterum infidelis invenitur: vult sancte et iuste sub Dei gratia vivere, sed iterum atque iterum peccatorem sub ira Dei se exhibet. Homines huius mundi saepe observant, Ecclesiam concretam valde diversam esse ab ea, quam theologi et praedicatores describunt. Theologia Ecclesiam sanctorum describere videtur, vita ipsa autem Ecclesiam peccatorum demonstrare videtur. Quid dicendum ad

hanc quaestionem, quae christianis hodiernis saepissime ponitur et quae in schemate nostro omnino tractanda est?

Si responsum nostrum homines hodiernos convincere vult, non triumphalisticum et simulatum, sed realisticum et plene sincerum esse debet, i. e. nobis non licet hac in terra tantummodo ecclesiologiam gloriae proclamare, quae ad consummationem saeculi pertinet. Quando de Ecclesia peregrinante loquimur, (sed) semper ab ecclesiologia crucis incipere debemus. Quid hoc significat?

Credimus et profitemur Ecclesiam sanctam. Sed sanctitas haec non est sanctitas perfecta Dei, qui — ut oramus — est « solus sanctus ». Sanctitas Ecclesiae continuo periculo et tentationi obnoxia est. Pro Christo solo, non pro Ecclesia valet: « tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato » (*Hebr.* 4, 15). Pro Ecclesia autem valet: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno » (*Hebr.* 4, 16). Ecclesia semper denuo indiget Dei misericordia, gratia, remissione peccatorum. Vult et debet esse et est secundum voluntatem Christi communio sanctorum, sed de facto in hoc statu viae invenitur per malitiam hominum semper etiam communio peccatorum et ita communio paenitentium. Ita peccata, quae fiunt in Ecclesia sancta Dei, sola remissione et Dei gratia deleri possunt. Ecclesia est in mundo, sed etiam mundus est in Ecclesia, et locus pugnae inter gratiam et peccatum est cor hominis. « Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, et aliud volumus, quia adhuc sumus in hoc saeculo », ait S. Augustinus (*In Io. tract.* 81, 4: P.L. 35, 1842). Sanctitas praecise Ecclesiae urget eam, ut sit semper denuo Ecclesia paenitens, ut semper denuo remissionem peccatorum humillime a Deo imploret.

Hoc fit cotidie in liturgia Eucharistiae, quae incipit cum « Confiteor » omnium participantium sine exceptione. Hoc fit cotidie in oratione Dominica, etiam quando Ecclesia orat: dimitte nobis debita nostra. Iam Concilium Carthaginense XVI, excludens omnem Ecclesiologiam novatianisticam, donatisticam, i. e. triumphalisticam et idealisticam, clarissime declarat, ipsos sanctos in Ecclesia debere se agnoscere peccatores et veraciter et non tantum humiliter debere semper orare: dimitte nobis debita nostra (cf. Denz. 106-108).

Ex hoc sequitur: Si locutio fit de « Ecclesia sine macula et ruga » (*Eph.* 5, 27), hoc in sensu stricto et pleno de Ecclesia in statu finali et perfecto tantum intelligendum esse. Ut dicit S. Augustinus: « Ubicumque autem in his libris commemoravi " Ecclesiam non habentem maculam aut rugam", non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, habet unde cotidie tota dicat: dimitte nobis debita nostra » (*Retr.* II, 18: P.L. 32, 637 s.). Confer ad eandem doctrinam etiam S. Thomam, *S. Th.*, III, q. 8, a. 3, ad 2. Ita in Liturgia Dominicae XV post Pentecosten oramus: « Ecclesiam tuam, Domine, mise-

ratio continuata mundet et muniat, et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur ».

Ex his omnibus sequitur: schema nostrum sub hoc respectu accurate corrigendum esse, et hoc praesertim relate ad 4 puncta:

1. Secundum ea, quae diximus, introducatur numerus de peccato in Ecclesia sancta Dei; praeterea pari modo locutio fiat de gloria et de peccatis populi Dei.

2. Non tantum unio Ecclesiae cum Christo ubique urgeatur, sed etiam distantia Ecclesiae peregrinantis et paenitentis a Christo, qui est Dominus Ecclesiae, Pastor errantium, et solus sanctus.

3. Explicite dicatur Ecclesiam semper esse reformandam, uti dixit Summus Pontifex in allocutione de die 22 septembris huius anni: « di quella perenne riforma, di cui la Chiesa stessa, in quanto istituzione umana e terrena, ha perpetuo bisogno ».

4. Et ultimo: Ad mentem Summi Pontificis in allocutione eius inaugurali sessionis secundae Concilii fiat explicita confessio conresponsabilitatis et conculpae Ecclesiae nostrae pro divisione christianorum.

V. *De laicis eorumque dignitate.* Verum est, non facile esse aliquam definitionem de laico pronuntiare. Ideo etiam schema nostrum non definitionem, sed tantum descriptionem proponit. Talis autem descriptio non dicat, quid laicus non sit, sed fortius modo positivo, quid sit.

Laicus duobus *elementis* fundamentalibus, i. e. duabus vocationibus divinis constituitur. *Primum elementum* est eius vocatio ad fidem, ut christianus sit, et ex eo eius relatio ad Christum et eius Corpus mysticum, i. e. ad Ecclesiam. Laicus habet ergo suum locum in Ecclesia eiusque vita et activitate participat. (In n. de laico eiusque dignitate ergo breviter ea omnia recapitulentur, quae in capite de populo Dei de fidelibus dicta sunt, praeprimis de participatione laici in variis muneribus Christi; praeterea clare dicatur laicum personam in Ecclesia esse cum omnibus christianorum iuribus et officiis, quae etiam eius missionem ad apostolatum continent).

Secundum elementum laicum constituens est, ut « vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificet » i. e. eius character saecularis. Iste, et ibi textum em.mi card. Suenens sequor, « laicis magis proprius et peculiaris est, quatenus ipsi secundum formam, modum, locum et rerum adiuncta saeculari condicioni respondentia vivunt » (*Emendationes,* pag. 10, ad n. 29).

De ista vocatione S. Paulus Ap. loquitur in sua 1 Epistola ad *Cor.,* e. g.: « Volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidam sic, alius vero sic » (cap. 7, 7); aut: « Unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet » (cap. 7, 17); aut: « Unusquisque in vocatione qua vocatus est in ea permaneat » (cap. 7, 20).

Ex his duobus elementis satis etiam dignitas et etiam responsabilitas laicorum elucent, qui non tantum suam positionem in mundo, sed etiam satis bene fundatam et gravem in Ecclesia habent.

Propono ergo, ut descriptio laici ex his positivis elementis fiat et omnia negativa exclusa maneant. Pariter omittantur enuntiationes, ac si laici propterea a Concilio vocentur, quia fere ubique penuria sacerdotum premimur (cf. pag. 9, lin. 16).

VI. *Quaedam ad definitionem de apostolatu laicorum.* Definitio (pag. 9, linn. 1 ss.) in genere placet. Tamen remanent aliqua dubia, quae in textu clarius exprimi debeant:

1. Quo constat « missio Ecclesiae salvifica » (lin. 2)? Qui conceptus prima vice in hac connexione adhibetur et ideo melioris declarationis egeat, quia est fundamentum non tantum apostolatus laicorum, sed cuiusvis apostolatus.

2. Necesse est, ut etiam aliquid dicatur de relatione Ecclesiae eiusque missione ad hunc mundum. Ibi esset locus conveniens, quo plura dici debeant de Ecclesia et mundo, imprimis de mundo hodierno et moderno.

3. Praeterea etiam phrases definitionis, nempe « titulo omnibus christifidelibus communi » et « titulo a sacra hierarchia addita » (linn. 3-4) fusius declarari debeant. Quod primam phrasim attinet, nempe « titulo omnibus christifidelibus communi » haec totam activitatem continere videtur, quae laicis ratione baptismi, sive singulis, sive in consociatione competit. Ad secundam phrasim i. e. « titulo a sacra hierarchia addita » pertinent ea omnia, quae a laicis ex aliqua relatione ad hierarchiam exercentur.

4. Quod autem apostolatum laicorum in concreto attinet (cf. pag. 9, sub litt. *a, b, c*), hic, i. e. eius definitio, optime e duobus elementis laicum constituentibus, nempe ex eius duabus vocationibus in ecclesia et ad mundum, ut supra, derivari possit.

Propono ergo, ut textus his omnibus prae oculis habitis revideatur et ad hunc laborem propter intimam connexionem huius partis cum schemate *de apostolatu laicorum* etiam membra huius commissionis adsciscentur.

VII. *Quaedam ad relationem inter christifideles et hierarchiam* (n. 26). Vera sunt, quae de iure et facultate laicorum in relatione sua ad hierarchiam dicuntur (cf. pag. 10, linn. 23-30), quamvis etiam aliquae phrases, e. g. « Hoc tamen ut ... adimpleatur, ante omnia per Ecclesiae instituta ... est exercendum » (pag. 10, n. 26, linn. 30 ss.) melioris declarationis egeant.

Fusius explicanda sunt secundam meam opinionem etiam verba « adiumenta ad salutem necessaria et utilia ». Verum est, sanctitatem in Ecclesia pro omnibus eandem esse, non autem viam ad hanc sanctitatem. De hac via, quae saepe vocatur spiritualitas pro laicis, ibi aliquid dici debeat, quia plerumque in labore nostro pastorali nostram spiritualitatem in laicos transponimus, quam nosmetipsi a religiosis assumpsimus. Laici vere ius habent, ut eis a suis pastoribus spiritualitas eorum vitae et vocationi congruens et adaequata annuntietur.

Praeterea si verba n. 26 remaneant saltem quoad contentum, uti sunt, aliquem clericalismum aut saltem timorem prae laicis sapere videntur. Relatio inter laicos et Pastores sit fundata in persuasione, laicos egere pro sua vita

christiana et activitate pastoribus, sed etiam pastoribus laicos necessarios esse, qui tantum iis cooperantibus officia sua praesertim in hoc mundo moderno adimplere poterunt. Concilium ambos conspectus sibi prae oculis teneat et adhortationem suam tum pastoribus tum laicis dirigat. Multi textus S. Scripturae ibi nobis optimam viam praebere poterunt.

Deo maximas gratias, ut iam multos laicos habemus, qui variis modis, saepe in difficillimis adiunctis, ut operarii in fabricis sive aliis locis, viri, mulieres et iuvenes laborem suum Ecclesiae eiusque pastoribus praebeant. Praecipuae mentionis mihi etiam ii digni esse videntur, qui ut laici ex variis regionibus mundi in terris missionum laborant et ita hoc salutiferum opus sacrificio suo personali adiuvant.

Propono ergo, ut Concilium hoc agnoscat, his, qui veri hodierni temporis apostoli, martyres et confessores nominari possunt, gratias agat et eos simul adhortetur, ut etiam pro futuro in fidelitate Christi et Ecclesiae permaneant.

[*Subsignavit etiam*]: Iacobus Weinbacher.

52

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

In parte II schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* locis signatis, quae sequuntur varianda propono.

N. 22, pag. 5, linn. 6-7: addendum est: *benigne et provide sic disponente,* et ita fieret redactio: « ab Eo *benigne et provide sic disponente,* ut instrumentum ». *Rationes*: *a*) In hac introductione statuuntur principia activitatis laicorum, inter quae eminent illa motiva deprompta ex Christo capite Corporis mystici. Relate ad fideles splendet ratio mutuae necessitatis, Christi nempe et membrorum, appositae in encyclica *Mystici Corporis,* Pii XII, par. 10. *b*) Innuitur haec relatio inter christifideles et caput Corporis Christi in adhortatione finali, par. 27 (pag. 11, linn. 15-16).

N. 22, pag. 5, lin. 10: Addendum est: *iuxta indolem organicam Ecclesiae,* et sic maneret redactio: « ut cuncti suo modo et in suo ordine *iuxta indolem organicam Ecclesiae* ad commune opus ... ». *Rationes*: *a*) Agendo de principio missionis populi in Ecclesia urgenda est ratio organica apposita a Pio XII, encyclica *Mystici Corporis,* par. 8. *b*) Optime admodum conclusionis recolitur deinde haec functio organica in fine par. 23 (pag. 7, lin. 1). Convenit vero eamdem rationem organicam stabilitate admodum principii in introductione.

Quae omnia tamen vestro clarissimo iudicio tota sinceraque voluntate trado.

53

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS IOACHIM LOPES DE MOURA
Episcopus Portalegrensis-Castri Albi

Hisce diebus, magna spes tenet nobis, Venerandi Patres, scil. ut notio laici in Ecclesia, quae usque adhuc tantum omnibus patebat ut a nemine definitio postularetur, possit tandem aliquando definitione, saltem descriptiva, comprehendi.

Iam aliqui ex vobis, Patres, magna cum sollertia, adlaboraverunt sive ad definitionem in textu exaratam crisi subiiciendam, quia nimis negativa censetur, sive ad definitionem aliquo modo novam extruendam, inter quos eminent exc.mi Patres Murcillo et Ménager.

Mihi autem visum est nostro intento valde commendabile, si nunc, capite quarto iam perlustrato, quae, sparsim, prolata sunt, aliquomodo in unum reducantur ut conspectus syntheticus prae oculis habeatur, unde forsitan, definitio oriri possit.

Quo facto, sic definitio habebitur: *laicus christianus* est persona humana, ad imaginem et similitudinem Dei creata, quae, per Baptismum, acquirit cum Christo, aeterni Patris Filio, sacerdote, rege, propheta, initialem similitudinem, in eiusque Corpore mystico a Spiritu Sancto vivificato, insertionem, adoptione filiorum Dei recepta, necnon ad sanctitatem vocationem, secundum divinam electionem, ita ut subsequens eius in Ecclesia vita sit ex fide et sacramentis nutrita ac roborata, aliquoties, forsitan, recuperata, variis Sancti Spiritus muneribus adaucta, praeceptorum observantia et virtutum exercitatione libera effecta, ab hierarchia referta et ducta; tali pollens vita, *christianus laicus* testis, tum verbo, tum operibus, mysterii paschalis « pro mundi vita » exsistit, in spe suae omniumque salutis, totus, consistit, simulque res temporales, ad seipsum, ad familiam, ad professionem, ad societatem spectantes, et sibi quomodocumque concreditas, ab intus, sacras facit, et sic, gratia indesinenter augescente, in plenitudinem caritatis Dei et proximi, ad gloriam SS.mae Trinitatis, ad amussim progreditur.

Ex his laicis christianis, Deus et Dominus noster, alios ad specialem sui imitationem, per consilia evangelica in praxi deducenda, invitat; alios autem, vel etiam eosdem, eligit in servitium Sacrae Hierarchiae ad eius officia adimplenda. Sed nec haec electio, nec illa invitatio aliquid auferunt ex iis quae laicum christianum essentialiter definiunt ita ut, sive simpliciter religiosi, sive ad sacram pertinentes hierarchiam, cum laicis in pluribus coincidunt nec inter eos omnes oppositionem aliquam haberi potest: quae religiosis vel clericis sunt propria adduntur iis essentialibus quae cum laicis sunt communia. Et sic totius populi Dei acies ordinata habetur!

54

EXC.MUS P. D. IOANNES McELENEY
Episcopus Kingstonensis

N. 23, pag. 6, lin. 36 usque ad pag. 7, lin. 2: proponitur ut haec omittantur, ut immediate post sententiam « Iamvero ... pertinent » introducantur ea quae iam proposita sunt ut addenda in fine huius paragraphi (cf. *Emendationes super schema de Ecclesia,* Pars II, n. 29, pagg. 10-11). Rationes:

1. Si accipiantur ea quae in *Emendationes,* n. 29 proposita sunt, omnino superflua erunt ea quae in schemate nunc dicuntur a pag. 6, lin. 36 usque ad pag. 7, lin. 2.

2. Si tamen haec retinenda iudicabuntur, saltem emendanda erunt, ut dicatur: « Animum scil. convertit ad illos qui in laboribus huius mundi partes agunt, sed *vocantur ut* spiritu evangelico ducti, concupiscentiis saeculi valide *opponantur,* et *ut* mundum velut ab intra *sanctificent,* ita *ut* omnes secundum operationem uniuscuiusque membri augmentum Corporis *faciant* ... ».

3. Ratio huius emendationis est: quia verba schematis videntur dicere Synodum animum suum convertere ad illos tantum laicos qui vocationem suam christianam actu implent: i. e., qui reapse concupiscentiis saeculi valide opponuntur, mundum actu sanctificant, augmentum Corporis faciunt, etc. Laici sunt omnes qui consecratione baptismali vocantur ad haec facienda, et ad omnes Synodus attendere debet, sive sancti sint, sive peccatores.

N. 24, pag. 7, linn. 22-23: dicatur: « Indoles sacerdotalis totius communitatis fidelium in sacramentis innititur et per ea principaliter ad actum deducitur ». Rationes:

1. Verba schematis: « Indoles sacra et organice extructa communitatis sacerdotalis » sensum facile intelligibilem non habent; res clarius exprimi debet.

2. Addenda est vox « principaliter », quia sacerdotium omnium fidelium exercetur etiam modis non-sacramentalibus, uti eadem pag. 7, linn. 14-16 iam indicatum est.

N. 24, pag. 8, linn. 24-28: dicatur: « Praeterea, idem Spiritus Sanctus, qui divina libertate operatur ubique in Ecclesia, dona sua " dividens singulis prout vult " (*1 Cor.* 12, 11), iugiter distribuit inter omnis ordinis fideles gratias quasdam speciales quibus ipsi redduntur apti et prompti ad suscipienda varia opera vel munera ad utilitatem Ecclesiae, secundum illud... (*1 Petr.* 4, 10) ». Rationes:

1. Vox « Praeterea » melius congruit quam vox « propterea » quae in schemate habetur.

2. Notio libertatis S. Spiritus in suis donis distribuendis magni est momenti, sed non satis apparet in schemate.

3. Clarius dici debuit S. Spiritum charismata dare fidelibus omnis ordinis in Ecclesia.

4. In schemate conceptus « charismatis » non satis clare exponitur verbis: « varia dona et munera ad servitium ».

N. 24, pag. 8, linn. 30-31: dicatur: « cum gratiarum actione accipienda sunt, et quantum fieri potest obsecundanda ». Ratio: omitti non debuit mentio de cooperatione humana praestanda gratiae divinae, ut fructus charismatum habeatur.

55

Exc.mus P. D. GEORGIUS MANRIQUE
Episcopus Orurensis

Magno cum gaudio, V. P., doctrinam de laicis vidimus locum habuisse in redactione praesentis schematis *de Ecclesia.* Iure meritoque hoc advenit. Tot enim exstant necessitudines spirituales nostrarum dioecesium, tantaque sacerdotum atque vocationum sacerdotalium egestas, quod nonnisi in apostolatu et actuosa operositate laicorum advenientium in auxilium curae pastoralis nostrae et nostrorum sacerdotum, aliqua spes arrideat.

Maximi momenti est, igitur, et Venerabilibus Patribus Conciliaribus attente perpendenda, opportunitas immo et necessitas, doctrinam de natura, missione et opere laicorum perlucide exponendi atque ante oculos omnium christifidelium in doctrina conciliari *profundius et ordinatiori modo* evolvendi quam textus schematis propositi in hoc cap. III facit. Re enim vera:

1. Magis in lucem ponere oportet divitias vocationis christianae omnium et cuiuscumque baptizatorum, *vi eorum baptismi,* eiusque connexionem vitalem cum Christo capite atque intimissimam communionem caritatis cum omnibus aliis membris eiusdem Corporis Christi mystici.

2. Tum *ex hac caritate,* tum *ex charactere sacramentali* baptismatis, maxime autem et *confirmationis,* quo sacerdotio Christi participes fiunt, exsurgunt pro omnibus christifidelibus onera praecipua, quae ipsis, utpote devotis filiis Ecclesiae, magis honor quam onus apparebunt. Non enim participatio in missione salvifica Ecclesiae laicis offerri oportet quasi onus extrinsecus auctoritative impositum, neque ut labor paternaliter mendicatus, sed onus ex ipsa intima natura vocationis eorum christianae profluens, conscientiam filiorum premens pondere suavissimo caritatis et amoris erga Ecclesiam matrem et erga omnes homines fratres, pro quorum aeterna salute mortuus est Christus.

A) Onus scil. imprimis *exemplaritatis* in vita sua christiana in mediis rebus terrenis, et vivum testimonium fidei coram omnibus gentibus, maxime autem non credentibus. Nomine et gratia Christi Capitis, se ipsos scire fas est instrumenta necessaria « consecrationis mundi », mundi huius, inquam, qui sine Deo et absque Christo vitam suam socialem exstruit.

B) Onus, denique, *apostolatus* sub diversimodis formis et iuxta multiplices necessitates membrum Ecclesiae, sive per diffusionem nuntii evangelici necnon culturae christianae, sive per opera caritatis, sive per associationes aliaque opera apostolica.

Triplex ergo adnumeratio diversarum formarum activitatis apostolicae laicorum, quae sub n. 25 schematis ponitur, *sub duplice tantum capite* enucleetur:

a) circa bona, scil. stricte *religiosa* et *moralia,* et

b) circa opera stricte saecularia.

3. Quod autem omnia sub benigna potestate pastoris a laicis fiant bene schema sub n. 26 patefacit.

56

EXC.MUS P. D. CLEMENS IGNATIUS MANSOURATI

Archiepiscopus tit. Apamenus, aux. patr. Antiochenus Syrorum

Observationes et emendationes quas vobis humiliter proponere intendo, cum his quae iam feria VI ultimi hebdomadis ab exc.mo arch. Paderbornensi dicta sunt, maxime cohaerent ac eodem spiritu oecumenico imbuti sunt.

1. Capitulum de laicis in specie brevi introductione ornetur uti iam in nova ordinatione ab em.mo card. Suenens proposita, factum est. In ista introductione tamen breviter in memoriam revocentur quae de munere sacerdotali populi Dei dicta sunt. Nunc enim laicis sunt applicanda. Post textum novum introductionis uti in emendationibus proponitur, linea ultima sic mutetur: « ut cuncti sua participatione muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Iesu Christi suo modo ad commune opus explendum cooperentur ».

2. In n. 23, pag. 6, lin. 13, deleatur vox « eamdem ».

3. In n. 23, pag. 6, lin. 18, loco « et populum » scribatur: « cetera membra populi Dei ».

4. In n. 23, pag. 6, linn. 31-36, accuratiore et magis positivo modo indicetur quid sit laicus: « qui baptismate in populum Dei cooptati, in statu vitae directe et personaliter ad curas saeculares assumendas ordinato, Deo serviunt eumque adorant ».

Laicus enim distinguitur a clerico et religioso per suum statum vitae. Laici status vitae differt a statu vitae clerici eo quod hic *non directe* ad curas saeculares ordinatur, sed e contra directe ad ministeria ecclesiastica destinatur ac reservatur; differt a statu vitae religiosi eo quod hic *nec directe nec personaliter* ad curas saeculares destinatur quippe qui in una parte in coetu religioso vivit et ex alia parte *directe* ad vitam et activitatem religiosam seu ad Deum ordinatam vocatur.

5. In novo textu munera ecclesiastica sensu lato sumpta, quae laicis tribui possunt (can. 145 § 1) accuratius describantur.

6. Quando in n. 25 vita salutifera et apostolica laicorum describitur, in memoriam revocanda est triplex divisio quae in anterioribus capitibus et

articulis semper et optime servata est, nempe participatio triplicis muneris Christi. Secus perditur harmonia hucusque egregie observata.

Qua de causa antequam incipiat enumeratio *a*) *b*) *c*) prius omnia synthetice illuminentur doctrina sacerdotii universalis, his vel similibus verbis (mutando pag. 9, linn. 8 et 9): « Ius proinde iidem habent, ut pro suis viribus opus salutare Ecclesiae in Christo offerentis, docentis et regentis etiam operose suo modo participent ».

7. Admitti non potest in descriptione eorum quae laicis incumbunt, non fieri mentionem de cultu seu de vita religione informata qua laici ad laudem gloriae Dei vivere tenentur. In praesenti descriptione omnia diriguntur ad hominem et mundum sanctificandum. Qua de causa divisio aliqualiter mutata proponitur:

Sub *a*) detur novus textus in quo indicatur laicos, sacerdotium Christi participantes, praeprimis teneri ad cultum in vita personali, in vita ecclesiali et in vita publica.

Sub *b*) adunentur ea quae nunc sub a) et b) habentur et quae tractant de annuntiatione *veritatum fidei* et de diffundenda *cognitione valorum moralium*. Haec coniungantur cum dignitate laicorum qui capaces sunt hoc modo participandi munus propheticum Christi.

Sub *c*) descriptio conservetur (nunc iam sub c) data) eorum quae laici *operari* debent in saeculo ut ita omnia instauretur in Christo. Haec autem ponantur in luce participationis muneris regalis Christi. Haec autem omnia non mere « humanistice » describantur, sed praesententur ut operatio christiani laici *in Christo* et *cum Christo*.

8. In praedicto numero, quando sub *c*) agitur de operando in saeculo desideratur amplificatio et applicatio eorum quae supra iam dicta sunt (n. 24) de matrimonio. Loquendum videtur de vita familiali in qua pater et mater, in virtute sacramenti, speciali modo sacerdotium Christi participant offerendo, docendo, regendo familialiter.

9. In n. 25, pag. 10, lin. 6, loco « lumen » dicatur « fermentum »; lin. 7 loco « fideles » dicatur « laici »; linn. 14-15 deleatur: « plurimi christifideles, imprimis ».

In n. 26, linn. 23-24, deleatur « christifideles omnes, ... non exceptis ».

10. In n. 26 iterum inserantur ea quae in prima redactione dicebantur de opinione publica in Ecclesia (*schemata constitutionum et decretorum*, series secunda, pag. 62).

57

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

Loquor in cap. III, de n. 24. In descriptione omnium elementorum, quibus fundatur et exercetur sacerdotium universale christifidelium, opportunum videtur enuntiare explicite, post munus sacerdotale, propheticum et

regale Christi, illud munus quo Christus tanquam Messias a prophetis annuntiatus (immo ista tria sunt partes et attributa muneris messianici), consummationem foederis Veteris Testamenti et expectationem gentium, in regno Dei adimplevit. Perdurat enim opus messianicum in et a populo christiano, qui illud manifestat, et in cursu mundi reapse diffundit, in signum adventus regni. Ecclesia est populus messianicus. Opportunitas huius enuntiationis est:

1. Textus prophetarum Veteris Testamenti nutriunt efficaciter, secundum sensum proprium, doctrinam et actionem fidelium.

2. Messianismus est pars integralis regni Dei qui venit. Christus est Messias. In sacramentis fideles accipiunt Christum sicuti est, i. e. Messiam laborantem ad homines salvandos. Vis sacramentalis est messianica et praebet vim apostolicam.

3. Christus Messias eamdem missionem ac Ecclesia praebet. Ecclesia est populus messianicus. Sicut populus christianus populus electus Veteris Testamenti, sed vi nova, est ad salutem hominum. Quod exc.mus Montini dixit in Congressu pro apostolatu laicorum, anno 1957; dixit gallice: « La mission de l'Eglise nous invite à contempler la trace du Christ à travers les siècles: vraie trajectoire qui crée l'histoire; l'histoire avec son sens et sa valeur qu'elle communique à l'histoire humaine qui, autrement, ne sait où les chercher et où les trouver. Le mot "mission" suggère à notre esprit cette notion de mouvement qui caractérise la vie de l'Eglise: elle part du Christ; par lui, elle est envoyée, poussée en avant, suivie; par son intermédiaire, le Christi vient jusqu'aux hommes, franchit les frontières qui séparent les nations, chevauche les siècles, entre en contact avec la vie humaine, ses formes, ses institutions, ses coutumes, ses civilisations ».

4. Profundius fundatur in oeconomica christiana virtus spei, quae non solum individuos roborat, sed ipsam communitatem fidelium promovet, praesertim organismos apostolatus, tanquam vis collectiva, in vitam aeternam.

5. Sic contra messianismos temporales et eorum seductionem, aliquando impiam, reintegratur explicite veritas in constructione regni implicata. Et fundatur in ipso Christo exercitium caritatis fraternae in diversis operibus civilis culturae ad utilitatem omnium prorsus hominum (cf. *ibi* n. 25, *c*). Munus fidelium laicorum plenius illuminatur.

6. Efficaciter manifestatur Ecclesia tanquam « signum » inter gentes, secundum prophetiam S. Ioannis Baptistae, secundum praedicationem apostolorum, secundum doctrinam Patrum (cf. *Pacem in terris*).

Quapropter proponitur haec additio in n. 24, pag. 8, lin. 12, post munus sacerdotale, propheticum et regale Christi, addatur:

Item munus messianicum, quo Christus consummavit foedus Veteris Testamenti et expectationem gentium; ita in populo christiano continuatur ut, in cursu mundi, beneficia spiritualia et temporalia a prophetis promissa et a Christo semel adepta, reapse inter homines fraterne diffundantur, in signum adventus regni et in missionem Ecclesiae.

58

EXC.MUS P. D. IOANNES MAZUR

Episcopus tit. Bladiensis, aux. Lublinensis

Humiliter propono, ut in schemate *de Ecclesia,* cap. III, n. 25, pag. 9, linn. 33-36, problema de acquisitione scientiae religiosae apud laicos magis lucide, et in alio loco, e. g., novo commate *d*) huius n. 25 exprimatur, ita nempe, ut clarius pateat, sufficientem scientiam veritatis revelatae et doctrinae catholicae praesertim doctrinae socialis Ecclesiae conditionem « sine qua non » esse omnis actionis apostolatus, atque ex clara huius rei propositione, pastoribus obligatio docendi fideles; fidelibus vero obligatio acquirendi profundiorem scientiam in his rebus magis clare appareat.

De hac re est quidem sermo in loco supra citato, sed secundum humile iudicium meum, plus de hac quaestione dici debeat, quia conditiones hodierni temporis et gravitas problematis apostolatus laicorum hoc postulare videntur. Nam iura et obligationes in memoriam fidelium laicorum revocatae et eis commendatae, satis magna instructione de revelatione et doctrina Ecclesiae uti motivo et instrumento adimplendi egent.

59

EXC.MUS P. D. MARCELLUS MORGANTE

Episcopus Asculanus in Piceno

Nemo est qui non videat cap. III schematis *de Ecclesia* indole pollere pastorali. Huiusmodi tamen sollicitudo omni ex parte laudabilis esset dicenda, si non minore ratione seu mensura veritatis iura tueretur, in Concilio praesertim, cuius praecipuum munus est veritatem revelatam considerare atque proponere.

1. Liceat igitur, ad par. 23 quod attinet, ubi de *Ecclesiae membrorum* agitur, nonnulla animadvertere ut graves vitentur aequivocationes, simulque ut fini vere pastorali et oecumenico rectius ac efficacius consulatur.

Patribus improbantibus *definitionem,* in laudata paragrapho, membri Ecclesiae ex animo censentio, at simul opinor definitionem allatam si non erroneam, ob manifestum elenchi defectum, aequivocam esse et perniciosa consectaria inducere posse.

Enimvero: *a*) si nomine laicorum in Ecclesia, intelliguntur fideles qui « baptismate abluti, Deo serviunt et missionem totius populi christiani in mundo exercent », nullum apparet discrimen inter baptizatos, qui iure meritoque Ecclesiae sunt membra, et eos qui, extra verum Christi ovile, vivunt ac militant.

Non est enim heic sermo de regno Dei, neque de Ecclesiis christianis in genere, sed de *Ecclesia Christi,* quae minorem patitur extensionem.

Necessarium proinde videtur definitionem integrandam esse, explicite

asserendo necessariam *subiectionem legitimae hierarchiae* a Christo in Ecclesia sua constitutae. Sicut enim in superioribus haud semel dictum fuit episcopos non esse membra coetus episcoporum nisi coniunctos ac subiectos Romano Pontifici, a pari declaranda est necessitas coniunctionis et subiectionis hierarchiae ut baptizati membra Ecclesiae dici valeant.

b) Locutio: « *Deo serviunt* » in sequentem immutanda videtur: « *Deo et Christo vivunt* ». Ratio prostat: est enim magis completa, comprehensiva et congrua doctrinae et menti Apostoli Pauli affirmantis: « mihi vivere Christus est ».

c) Postrema tandem verba definitionis seu declarationis: « ... et pro parte sua missionem totius populi christiani, etc. ... », minus probanda videntur: vel quia aptior esset eis locus in paragrapho sequenti (ubi de sacerdotio universali), vel quia membrum Ecclesiae, si non tantum in suo ortu sed etiam in suo operari consideratur, prius de sua quam de aliorum salute sollicitus esse debet, ex recto caritatis ordine, cum apostolus Paulus singulos moneat: « ... salutem vestram operemini ».

Tandem, locutio praelaudata cum, ex usu universali in Ecclesia, sit technica (quod in Concilio oblivioni non est demandandum), sensu proprio referenda est missioni a Christo Domino vel a hierarchia legitima alicui personae vel coetui concreditae.

2. Utile praeterea, et pastorali Ecclesiae et Concilii muneri consentaneum videtur, sollemnis seu explicita declaratio de gravi morali obligatione *perseverandi in Ecclesia,* cum apostolus doceat: « Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti ... rursus renovari ad poenitentiam ... » (*Hebr.* 6, 4 ss.).

3. Cum, postremo, non desint, proh dolor, qui ab Ecclesia ob ignaviam, fragilitatem, ignorantiam, vel a falsis prophetis, materialismi praesertim, decepti, ab Ecclesia deficiunt, ad munus pastorale Concilii pertinet ut et de his, in paragrapho, sermo fiat, non ad eos severe damnandos, sed, effusa caritate, ad domum paternam relictam invitandos, et eos certos faciendos quod fratres et patres perseverantes, Dei gratia, domi seu in Ecclesia, ipsos excepturi esse eodem animi ardore inflammati ac pater de quo in Evangelio legitur filio redeunti obvium se dedisse et: « ... misericordia motus, accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum » (*Lc.* 15, 20).

Quibus patefactis matris Ecclesiae sensibus: *a*) rarior fiet iniuriosa calumnia contra iniquam Ecclesiae severitatem erga lapsos; *b*) baptizati qui defecerunt et mortui sunt, facilius resurgent ut domum paternam seu Ecclesiam iterum petant; *c*) fratres, in fide fortes sed in caritate debiles, confratrem redeuntem, animo non aegro (uti in parabola super laudata legitur), sed animo largo et optimo excipient, defectionis immemores, amoris autem solummodo memores. Christus enim Dominus venit in mundum ut homines vitam habeant, servent, et abundantius habeant. Quod si defecerint, noverint, filii Dei ac fratres nostri, cor Ecclesiae esse cor Christi, qui venit « salvum facere quod perierat ».

60

EXC.MUS P. D. IOANNES MORKOWSKY

Episcopus tit. Tigavitanus, coad. c.i.s.
et adm. ap. Galvestoniensis-Houstoniensis

Relate ad cap. III schematis *de Ecclesia* hanc emendationem scripto tradere velim. Pag. 9, lin. 5, post periodum quae terminatur verbis: « ex suo statu exeant », addatur altera periodus sic sonans: « Immo, qui digni sunt nominis christiani, sequaces sunt Christi, ipsiusque amorem erga Patrem caelestem et caritatem erga omnes fratres humanos participantes, per intimi cordis sui zelum compulsi erunt ut desideriis cordis Christi satisfaciant ».

Praeter fundamentum dogmaticum et ontologicum necnon iuridicum apostolatus laicorum deesse videtur in toto schemate verbum de fundamento hoc magis pastorali et psychologico. De hoc defectu locutus est rev.mus et exc.mus Hervas et alii Patres in aula.

61

EXC.MUS P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Schema in genere placet. Nonnullas tamen observationes faciendas puto. Terminus « sacerdotium universale » mutetur potius in « *sacerdotium commune* » (pag. 7, lin. 19). « Sacerdotium universale » non rectis interpretationibus ansam dare potest. « Sacerdotium *commune* » commendatur ex rationibus sequentibus: 1. agitur de re omnibus membris Ecclesiae *communi,* tum simplicibus fidelibus tum membris hierarchiae. 2. actuari nequit nisi in *communione* ecclesiastica, (agitur enim de *populo* sacerdotali), dum sacerdotium hierarchicum, saltem in quibusdam (sacrificium missae) actuari potest etiam quando sacerdos separatus est a communione ecclesiastica.

Verba in pag. 7, linn. 28-29: « ... vota sua cum votis ministri litantis iungentes... » corrigantur sic: « *vota sua cum votis universae Ecclesiae iungentes* ... »; aut sic: « *vota sua cum voluntate summi sacerdotis iungentes, eumdem Christum, divinam victimam* ... ». Verba uti nunc iacent a subiectivismo quodam immunia esse non videntur. Minister litans potest nimirum in statu peccati esse, nulla vota sensu proprio elicere aut facere (scil. *sua,* aliud est vota Ecclesiae!), immo etiam fidem non habere, et tamen valide missam offerre.

Pag. 7, linn. 34-35: « ... se invicem in vita coniugali et prolis educatione sanctificant... » reformetur sic: « ... se invicem in vita coniugali et prolis educatione *in sanctitate appetenda* (acquirenda) *adiuvant* ... ». Deus potest *sanctificare* hominem; homo potest per gratiam divinam *sanctificare* semetipsum; homo non potest sanctificare alium. Est locutio *nimis impropria!*

Pag. 7, linn. 38-39: loco « ... qui sub gratia Spiritus Sancti... » ponatur rectius: « ... *qui in baptismate per gratiam Spiritus Sancti...* ».

Pag. 8, lin. 1: loco « saepe sunt primi fidei praecones » ponatur sic: « *ex officio coniugii christiani sunt primi fidei praecones* ». Ecclesia requirit a matrimonium contrahentibus ut prius confirmati sint, in matrimonii autem sacramento ius ad gratias pro religiosa quoque educatione prolis suscipiunt coniuges christiani.

Pag. 8, ad dicta in linn. 20-23: *sensus fidei* populi christiani potiusquam in *profundiori perspicientia* fidei consistere videtur in quadam *discretione* seu facultate *expedite discernendi* inter verum et falsum in rebus fidei, inter doctrinam quae ex deposito fidei christianae vere et recte deducitur et doctrinam quae aliunde — ut quoddam « corpus extraneum » (ut ita dicamus) — in christianam fidem introduci temptatur.

Pag. 9, lin. 39: « Spiritu Christi imbuatur » forsan potius scribendum « spiritu Christi imbuatur », i. e. cum *s* minuscula!

Pag. 9, lin. 40: « principem locum » melius: « *praecipuum* locum ».

Pag. 10, linn. 6-7: « Ita Ecclesia... apparebit »; scribatur potius sic: « *Ita Ecclesia magis magisque totam societatem humanam salutari lumine Christi reapse illuminare poterit* ».

Pag. 10, linn. 12 et 18: terminus « *civitas terrena* » potius, quatenus inveniri facile potest, commutetur alio termino idoneo, cum hic terminus iam ab Augustino quodammodo secum fert characteristicam *mali,* quod procul dubio redactoribus schematis adsignificare in mente non erat.

In describendo integro hoc contextu linn. 7-22, redactores evitare voluerunt notam distinctionem inter potestatem ecclesiasticam directam et indirectam, sed nunc haec descriptio nimis confusa effecta est. Ex una parte stigmatizatur indebita permixtio *religionis* cum *rebus mere civilibus,* ex altera parte insistitur nullam activitatem humanam Dei imperio subtrahi posse! Quae certo certius maiorem claritatem cohaerentiamque exigunt.

Hic locus praeterea demonstrat quam incerta terminologia adsit in hoc campo theologico. Usurpatur nempe in schemate in genere terminus « laicus » pro nomine « baptizato » ideoque subdito potestatis ecclesiasticae; deinde in lin. 18 insistitur in « indole *laica* terrenae civitatis », quod evidenter dici vult agi de campo activitatis humanae, quae potestati ecclesiasticae directae subiecta non est, et denique sermo fit de infenso « laicismo », ubi evidenter non intelligitur doctrina quaedam quae indolem laicam terrenae civitatis docet sed simpliciter indolem eius *areligiosam!* Forsan poterit maior claritas terminologica in hunc locum induci, ambiguitates autem evitari!

Pag. 10, lin. 39 ad pag. 11, lin. 10: haec alinea non placet, quia confundit — ut videtur — oboedientiam civilem et oboedientiam ecclesiasticam! Reformetur igitur ita, ut sermo fiat hoc loco de sola oboedientia ecclesiastica, quam laici legitimae hierarchiae ecclesiasticae exhibere tenentur. Ad oboedientiam civilem non obligantur soli laici, sed etiam clerici, id est hierarchia (praetereamus nunc privilegia historice acquisita). Quapropter

si schema loqui velit de oboedientia civili, speciale caput introducendum esset de relationibus inter Ecclesiam et Statum. Si autem id pro nunc non tenetur opportunum, melius tunc taceatur de oboedientia civili.

De cetero oboedientia ecclesiastica et oboedientia civilis nullatenus eiusdem sunt naturae, quapropter in eandem lineam minime ponendae sunt!

62

EXC.MUS P. D. PETRUS MARTINUS NGO-DINH-THUC
Archiepiscopus Hueensis

Sub nomine populi Dei comprehenditur tum hierarchia tum laicatus in Ecclesia. Insuper si votum alicuius Patris conciliaris exauditur, tota humanitas Ecclesiae includi deberet. Quidquid sit, mihi stupenda res videtur quod nusquam expresse schema de populo Dei sermo sit de mulieribus, ita ut Ecclesia appareat totaliter masculina. Dum realitas non ita se habet. Nonne mulieres constituunt maiorem partem laicatus — immo humanitatis —? Nunquid illae mulieres non patiuntur tam multas praescriptiones ecclesiasticas molestissimas et iniustas? Utique, scio bene quod Ecclesia debuit ita agere ut non offenderet praeiudicia illarum aetatum. Sic, divus Paulus imposuit velum mulieribus in Ecclesia, ne displicerent angelis. Cur ita viri superbo modo deberent incedere in Ecclesia nudo capite, quod est contra morem hodiernum clericorum tum in occidente tum in oriente. Ita mulieribus impositum fuit silentium, dum in hac Basilica muri nuper resonuerunt vocibus Patrum. Ita religiosae ad lavanda sacra linteamina debent obtinere licentiam ecclesiarum. Ita apparet hic et nunc ista iniusta discriminatio in ista aula conciliari. Ubi sunt inter peritos — et auditores — mulieres? Nunquid arte curativa, educativa, in missionariis activitatibus religiosae nostrae quorum numerus est immensus, sunt expertissimae, quorum aures sunt aeque curiosae ac virorum.

Cur nostra aetate atomica, ubi fere ubique terrarum mulieres obtinuerunt iuridicam aequalitatem cum viris, in sola Ecclesia Christi illas iniuriosas discriminationes adhuc patiuntur, dum Mulier collaboravit ad nativitatem Ecclesiae in cruce Domini, absentibus barbatis viris excepto Ioanne, dum Ecclesiam nostram, hic et nunc, sanctae mulieres ubique terrarum sustinent suis humeribus et scapulis. Quid potestis facere, Patres, quid possunt facere sacerdotes vestri sine illis sanctis mulieribus? quasi nihil.

Ergo in nomine vestrarum matrum, sororum, religiosarum, enixe peto ut in hoc capite aliqua mentio fiat expressa de hoc devoto femineo sexu, et in iure novi Codicis eradicentur illae discriminationes adversus sexum illum fortissimum. Tandem aliquando gratus ero ei qui poterit mihi praebere textum evangelicum apertum apodicticum, qui arceat sorores B.M.V. a muneribus sacris.

63

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Mihi liceat aliquas observationes facere de variis paragraphis huius capitis.

I. N. 22, p. 5 (*Introductio*).

1. Populus Dei de quo in hoc capite agitur, duplici sensu sumitur: *a*) omnes christifideles globatim ut in *1 Petr.* 2, 9-10; *b*) simplices fideles in sensu liturgico et iuridico, per oppositionem cum hierarchia, ut in *Hebr.* 7, 2: « Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi »; item in Missali: « populus respondet... »? Sic et in n. 23, pag. 6, linn. 17-18.

Optandum est ut in eodem capite, idem verbum in eodem sensu adhibeatur, vel cum additamento, v. g. simplices fideles.

2. Desideratur aliqua definitio populi Dei. Mihi videtur elementa quibus constituitur populus Dei, inveniri posse in epistolis petrinis. Sic « Deus... regeneravit nos in spem vivam ... in haereditatem incorruptibilem ..., renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi » (*1 Petr.* 1, 3-4; 23), et quidem per baptismum: « vos nunc similis formae salvos facit baptisma » (*1 Petr.* 3, 21), « ut per haec efficiamini divinae consortes naturae » (*2 Petr.* 1, 4).

Haec nova vita nutritur et crescit: *a*) per fidem in salutem, « in quem (Iesum) nunc non videntes, creditis » (*1 Petr.* 1, 5, 8, 2); *b*) per spem: « in spem vivam... Credentes exultabitis laetitia inenarrabili » (*ib.,* 3, 5); *c*) per caritatem: « Quem cum non videritis, diligitis ... in oboedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici corde invicem diligite » (*1 Petr.* 1, 8, 22).

His elementis instructi, efficimur « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei » (*1 Petr.* 11, 9, 10).

Proinde optarem ut in lin. 5, huius paragraphi, introducatur definitio seu potius declaretur sensus populi Dei: Populus Dei iis constituitur, qui fide, spe et caritate, per baptismum, in Deo renascuntur ex semine incorruptibili atque divinae consortes naturae efficiuntur.

II. N. 23 (*De membrorum in Ecclesia Dei aequalitate et inaequalitate*).

Quantam consolationem Sacra Synodus afferet mundo, per solemnem proclamationem aequalitatis inter fratres quoad dignitatem et ad sanctitatem vocationem!

Talis affirmatio multum adiuvabit ad tollendum: *a*) apud plures fideles hoc erroneum praeiudicium quod ipsi coram Deo a personis in sacris constitutis nimis distantes sint et sanctitas vitae sit earum proprium dominium, minime vero omnium filiorum Dei; *b*) apud plures gentes nuper ad politicam independentiam accedentes hoc nocivum praeiudicium quod Ecclesia catholica « Colorum populorum » distinctionem faciat!

Ut clarius in evidentiam haec aequalitas in filiorum Dei dignitate et inaequalitas in munere ministeriali ponantur, optarem ut in pag. 6, linn. 11 s. dicatur: « Si igitur in Ecclesia, quamvis omnes in Christo sint fratres, ideoque omnes ad eamdem vocantur sanctitatem, quia ut ait Petrus, omnes " coaequales nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri et Salvatoris I. C. " (*2 Petr.* 1, 1), attamen non omnes eadem via incedunt neque singuli eadem fidelitate et virtutis alacritate Deo invitanti respondent ».

III. N. 24, pag. 7 (*De sacerdotio universali*).

Proponere audeo ut expressio « sacerdotium regale » expressioni « sacerdotium universale » substituatur. Rationes sunt:

1. Magis concordat cum expressione scripturistica S. Petri (*1 Petr.* 2, 9).

2. Clarius manifestat notam socialem et supernaturalem huius novi sacerdotii. Etenim omnis homo naturaliter est religiosus, eique opus est ut saltem aliquando in vita, divinitati sacrificia laudis, precationis vel expiationis offerat. Quando tamen de societate agitur, populi princeps, seu dux (sub nomine regis, imperatoris, etc.) ius et munus habet, pro toto populo, supremae divinitati hostias offerendi. Sic fiebat temporibus antiquis in variis regnis, v. g. in Imperio romano, in Palestina (Melchisedech, rex Salem, David et alii reges Israel; in plagis Extremi Orientis, ut in Sinis, Iaponia, etc.). Hoc sacerdotium distingui debet a sacerdotio ministeriali positive instituto.

In Novo Foedere, omnis christifidelis, Christo regi conjunctus, per baptismum consecratus, confirmatione corroboratus, huic Christi sacerdotio regali et supernaturali participans, sacrificium laudis, immo totam vitam tanquam hostiam viventem, non solum proprio nomine, sed etiam omnium aliorum fratrum nomine, una cum Christo offerre valent, ac communionis sanctorum vi, et pro se et pro aliis.

IV. N. 25, pagg. 8-10 (*De vita salutifera et apostolica laicorum*).

Mihi videtur, ni fallor, quod in hac paragrapho de vita apostolica laicorum, tota praeoccupatio ad regiones christianas neo-paganismo imbutas fertur; et paucissima verba et quasi per transennam, ad multo plures regiones quarum populi duas tertias orbis terrae populationis partes constituunt, consecrantur! (pag. 9, linn. 5-9).

Praeterea nihil dicitur de fratribus persecutionem propter iustitiam patientibus qui, in gravissimis angustiis et in continuo periculo vitae positi, a Sacra Synodo verba consolatoria incessanter exspectant, et quos fratrum preces et sacrificia spiritualiter sustinebunt in spem vivam atque a Deo maximas gratias pro perseverantia obtinebunt.

In hoc, S. Petrus optimum exemplum nobis dedit in sua priore epistola: *a*) de aposolatu apud paganos in cap. 2, 11-12; *b*) ad persecutionibus submissos; in cap. 3, 13-17: « Etsi quid patimini propter iustitiam, beati »; *c*) ad vitam aeternam.

Miror quod in omnibus schematibus nullibi fit mentio de igni inextinguibili, de stridore dentium, de poena aeterna, ad quae Christus ipse et Apostoli saepe invocabant. Pono initium sapientiae timor Domini!

64

EXC.MUS P. D. IOANNES NUER
Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

Asseritur, et quidem recte, in schemate § 25, pag. 9, linn 22-25: « ad laicos spectat etiam ut conditiones diffusioni religionis idoneos promoveant *valoresque morales* diffundant, hac quidem ratione ut in ipso saeculo viventes, mundum evangelico nuntio illuminent ».

Mundus absque dubio in omnibus suis aspectibus evangelico nuntio illuminandus est. Hoc vero nuntium et diffusione et exitu careret, nisi evangelii genuino spiritu, qui paupertatis et a mundanis delectationibus abscissionis spiritus est, effunderetur. Hic revera fuit spiritus Christi qui in hunc mundum veniens ad evangelizandum pauperibus, seipsum pauperem efficit. Ideoque illi omnes, qui ad opus Christi in saecula promovendum vocati sunt, eodem spiritu apostolatum suum agere tenentur.

Laici proinde hoc paupertatis spiritu animati, vitae domesticae et sociali christianum testimonium efficaciter reddere possunt. Opusque vere pastorale efficere atque omnia in Christo restaurare.

Ita sodaliter ut populus Dei agentes laici hominum hodiernis aspirationibus recte satisfacerent. Laici revera, Christum pauperem imitantes populumque evangelizantes, vividiorem in se animadverterent responsabilitatem ut Christo mundum lucrifaciant.

Omnia igitur quae hucusque relate ad clerum de spiritu paupertatis et de evangelizandis pauperibus pluries relatum est, eadem relate ad laicos nunc iteranda sunt. Ne tamen proposita in qualicumque abstractionis condignatione maneant, necesse est ut practicas realesque conditiones et pro clero et pro laicis determinemus. Praeprimis pro clero qui exemplo Christi gregem ad vivifica pascua ducere tenentur. Pro laicis qui « medice cura teipsum » quoad clerum repetere nequeunt, exemplum quod a nobis pro se receperunt et aliis communicare possint.

Ex omnibus praefatis, Venerabiles Patres, proponere vellem ut schemati adderetur: *laici pauperibus evangelizent in spiritu Christi pauperis.* Et ita Ecclesiae apostoli, sicut sacerdotes ita et laici, eandem Christi imaginem mundo ostendere possunt.

65

EXC.MUS P. D. ALEXANDER OLALIA
Episcopus Lipensis

In scriptis has duas observationes exc.mo ac rev.mo secretario generali circa nn. 22 et 25 cap. III *de Ecclesia* (Pars II) infrascriptus tradit.

Ab aliquibus Patribus recte notatum est dum sermo de cap. III in genere fiebat, quod schema cum de laicorum apostolatu agit, nullibi mentionem

explicitam facit de *formatione* quam *in vita interiori* laici habere debent; quamvis sicut omnes scimus haec vita interior fundamentum sit omnis apostolatus.

Propterea, opportunum esse mihi videtur, verbis claris et explicitis declarare quod in nn. 22 et 25 modo tantum generali indicatur.

Sic in n. 22, linn. 9-10, ubi legitur « ut fideles ita pascant et regant », addatur « *donec formetur Christus in eis* », et deinde prosequatur ut in schemate, « ut cuncti suo modo et suo ordine ... » etc.

Verba « donec formetur Christus in eis » desumpta sunt ex Epistola ad Galatas ubi S. Paulus dicit: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19).

Deinde, in n. 25, ad finem paragraphi *b*), linn. 37 ss., sequentia addantur, quae prorsus omnia desumpta sunt ex Littera Papae S. Pii X ad Italiae episcopos, die 11 iunii 1905: « Ad instauranda vero omnia in Christo per apostolica opera, superna gratia opus est, quae non nisi per unionem cum Christo obtinetur. Tunc solum laici ad familias et ad humana consortia Christum portare efficaciter valebunt, cum et in semetipsis ipse Christus iam formatus maneat, sine quo apostoli nihil possunt facere (cf. *Io.* 15, 5). Omnes itaque ad apostolatum sese devoventes, solidam spiritualem formationem habere debent, ne in vanum, inconstantem et decipientem "activismum" incidant, cum periculo proprio et detrimento animarum ».

66

Exc.mus P. D. ANTONIUS ONA DE ECHAVE
Episcopus Lucensis in Hispania

Finis est voti huius additionem quandam promovere cap. III (in praesenti structura) schematis *de Ecclesia.*

Cum agatur de re tanti momenti in vita christiana ut sacerdotium universale seu commune est, non videtur sufficere notare in schemate eius existentiam ac finem; sed etiam origo fontalis istius sacerdotii connotari debet.

Aperte debet nuntiari quomodo divinus redemptor noster non solum tradidit populo Dei gratiam qua divinam vitam participet, septem mediantibus sacramentis; sed etiam participationem eiusdem proprii sacerdotii, mediante sacramentali charactere quem duo — baptisma et confirmatio — sacramenta conferunt ad constitutionem sacerdotii universalis (seu communis); et unum — Ordinis nempe — ad constitutionem sacerdotii hierarchici aut ministerialis. Sacerdotia quidem essentialiter distincta.

De sacramento baptismatis legitur in Encyclica *Mediator Dei*: « baptismatis lavacro, generali titulo christiani in mystico Corpore membro efficiuntur Christi sacerdotes, et a charactere, qui eorum in animo insculpitur, ad cultum divinum deputantur; atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua conditione participant ».

Haec participatio sacerdotii, mediante charactere baptismali acquiritur, sed intensior redditur a charactere Confirmationis sacramenti, ita ut « civis » factus Ecclesiae in baptismate proindeque actor in Corpore Christi — nempe Ecclesia — accrescendo, « miles » Christi specialiter deputatur ad fidem exterius propugnandam contra eius hostes.

Et quia militia non adest sine duce, alterum est sacramentum — sacramentum Ordinis — in quo, mediante charactere, constituitur sacerdos ut sacer dux exercitus seu militiae Christi, ita ut hierarchice sacerdotium universale (seu commune) diffundat et dirigat, ut verbis Pii XI et Pii XII fulcitur (Encycl. *Miserentissimus redemptor* ac All. « *Vous Nous avez...* », 22 sept. 1952).

Meo quidem iudicio, dari nequit definitio metaphysica sacerdotii universalis (seu communis) et absque revelatione determinari non potest mediatio quam secum ferat; aut essentia sacrificii spiritualis vel ritualis, etc. ..., sed opinor absque dubium constare eius traditionem animae a characteribus sacramentorum baptismi et confirmationis; immo sacerdotium hoc exerceri in sacramento matrimonii ita ut contrahentes sint ministri; et in participatione nota sacrificii eucharistici ubi fideles vota sua iungunt cum votis ministri litantis.

Ideo infrascriptus his litteris enixe postulat ut sive in « Introductione », n. 22, sive in par. 24 ante lin. 22 cap. III schematis *de Ecclesia* addatur connotantia de origine sacerdotii universalis (seu communis) in charactere sacramentali quem sacramenta baptismatis et Confirmationis praestant, et de eiusdem sacerdotii exercitio — praeter proprio et utpote tali — in sacramento matrimonii et in sacrificio eucharistico modo exposito.

67

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Circa novam ordinationem capitum ab em.mo card. Suenens propositam. Si totam doctrinam de Ecclesia Christi tradere intendimus, necessarium sane est ut *aspectus eschatologicus Ecclesiae* clarius in lucem edatur, et capita, saltem brevia, addantur de consummatione Ecclesiae in caelis, nempe de sanctis et speciatim de B. Virgine. Nonnulli enim Patres, in aula et extra aulam, id petierunt. Quapropter totum schema de Ecclesia melius praesentaretur si quinque capitibus iam in emendatione 1 enumeratis aliud, et ultimum, adderetur, nempe: De Ecclesia consummata, scil. de sanctis et de B. Virgine.

Ad emendationem 8, cap. 2: de populo Dei in genere (Introductio): (Quae sequuntur ad ea quae iam supra dicta sunt referuntur).

Data intentione totam doctrinam de Ecclesia tradendi, mirum sane videtur quod S. Synodus, dum intentionem suam declaret mysterium Ecclesiae in

tota eius amplitudine ante oculos habendi, nihilominus ad unam tantum partem populi Dei animum vertat, nempe de hac una populi Dei parte quae *in terra commoratur.*

Ecclesiae eschatologicus aspectus in fine emendationis 2, et aliquo modo in emendatione 13, breviter adumbratur. Sed nonne periculosum sit de populo Dei in cap. II tractare ac si ultra fines huius perituri mundi nullum locum amplius habiturus esset.

Ad emendationes 10, 11 et 28 (cap. 3): de sacerdotio universali. Quamvis haec doctrina de sacerdotio universali ad dignitatem laicorum maxime conferat, necessarium tamen est ut, in ea exponenda, maxima cura adhibeatur, et explanationes Encyclicarum *Mediator Dei* et *Miserentissimus redemptor* ad mentem revocentur.

In hac materia, valde placeret si verba quae in emendatione 28 (cap. 3) ab exc.mo Carli proponuntur in definitivo textu insererentur.

Ad emendationem 16: de non-christianis ad Ecclesiam adducendis. Per totum schema *de Ecclesia* quaestio de missione Ecclesiae ad non-christianos passim tangitur, sed hoc nobis insufficiens videtur. Ad mysterium enim Ecclesiae recte intelligendum, necessarium est ut haec quaestio clare et quidem fortiter, verbis ex S. Scriptura desumptis, utpote necessaria et ineluctabilis adimpletio mandati Christi proclametur.

Quapropter valde optatur ut haec paragraphus refundatur et extendatur ut totum theologicum ambitum evangelizationis omnium gentium attingere queat.

Quaestio talis momenti nullo modo omitti potest in schemate dogmatico de Ecclesia, quod, si haec omissio committeretur, certo truncatum evaderet.

Insuper nobis videtur quod, dum graves rationes adsint cur fundamentum theologicum evangelizationis totius mundi in schema *de Ecclesia* inserendum sit, nihilominus necessarium est ut practicae quaestiones ad speciale schema *de Missionibus* transferantur.

In hoc contextu, ut propositum fuit ab episcopis regionis burdigalensis, optatur ut caput « de missione Ecclesiae » introducatur (cf. *Emendationes,* pars II, n. 2).

Ad emendationem 31 (seu ad antiquum n. 26): de christifidelium relatione ad hierarchiam. Forsitan necessarium est sermonem habere de necessitate qua tenentur pastores ut coepta, vota et desideria a fidelium proposita attente in Christo considerent, et de reciproca necessitate qua christifideles, seu laici, tenentur ut pastoribus suis, seu praepositis, aurem praebeant et eis in simplicitate cordis oboediant.

Sed displicet hic parallelismus, ut ita dicam, quo populus Dei sub duabus distinctis et quasi oppositis categoriis semper repraesentatur, nempe hierarchia ex una parte et fideles ex altera. Certe talis oppositio ad naturam Ecclesiae recte intelligendam minime inservit. Forsitan, haec omnia melius dicerentur et reciperentur si Ecclesia, non tam ut societas hierarchica et iuridica, quam ut familia inter se coadunata ac mutua affectione et reverentia

roborata ante oculos omnium poneretur, aut si vis comparationis analogiae Corporis mystici daretur, quod, sub diversitate membrorum et eorum mutuis relationibus, reapse est unum.

Ad n. 27 schematis de Ecclesia, partis 2, p. 11. Valde placet exhortatio ut omnes utriusque sexus fideles, collatis viribus una cum hierarchia, sub Christo capite missionem suam apostolicam indesinenter expleant.

Certe numerus eorum qui actuositer in Catholicae Actionis Consociationibus laborant, semper crescit, sed quid de numero eorum qui, usque adhuc religionem mere individualisticam et egoisticam habent.

Ad missionales regiones quod attinet, magni passus fiunt ut spiritus Catholicae Actionis omnem massam pervadat. Sed assistentia generosa virorum ac feminarum ex christianis regionibus necessaria ad longum tempus erit.

68

Exc.mus P. D. ALOISIUS PARO

Episcopus Diocaesariensis in Isauria

In cap. III, n. 24 schematis, inter alia, sermo est de dignitate quae omnibus christifidelibus competit secundum placita Sacrae Scripturae; quae dignitas nititur in sacramentis christianae initiationis, i. e. in baptismate et confirmatione et fulcitur participatione sacrificii eucharistici et, secundum specialem applicationem pro laicis etiam sacramento matrimonii et familia christiana. Etenim haec sacramenta statum gratiae sanctificantis vel conferunt vel augent, et revera haec est dignitas tam excelsa qua divinae naturae nos consortes efficimur.

Sed, ut experientia docet, aliquando vel tam saepe evenit ut christianus baptizatus et confirmatus et pane eucharistico enutritus et casto connubio iunctus, aut fragilitate humana aut pravitate animi compulsus, ab illa tam excelsa dignitate pro dolor recedat et splendorem vitae christianae obscuret vel amittat per peccatum grave. Propterea in schemate hortatio fit christifidelibus ut perfectionem adipiscantur impugnando in seipsis et in aliis regnum peccati.

E condicione letalis peccati christianus exurgit et vestem candidam baptismi rursus induit ordinarie ope sacramenti poenitentiae, quod habendum est tamquam altera salutis tabula pro iis qui gratiam amiserunt et damnum non tantum sibimetipsis sed etiam Corpori mystico universo intulerunt.

Cum autem Christus Dominus et redemptor instituerit sacramentum paenitentiae directe ad destruendum peccatum, humiliter proponere vellem ut in schemate nostro, pag. 8, lin. 6, post verba « regnum peccati » addatur haec emendatio « maxime per sacramentum paenitentiae »; vel si melius placuerit in aliquo alio aptiori loco schematis, sicut iam innuit em.mus D. card. J. de Barros Câmara, eadem vel similis emendatio introducatur, ita ut mentio fiat de sacramento paenitentiae ut instrumento ad acquirendam vel augendam gratiam et ideo ad perfectionem christianam assequendam.

69

EXC.MUS P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus Heracleopolitanus

Secundum novum ordinem capitum huius constitutionis, cap. III « de populo Dei et speciatim de laicis » nunc cap. II efformare debet, quod inscribitur « de populo Dei », his scil. detractis quae ad laicos in specie pertinent.

Perspectis autem elementis quae in schemate populum Dei in genere spectant, intentio schematis sat clare apparet. Declarato enim Ecclesiae mysterio (cap. I), agitur nunc de omnibus fidelibus in unum congregatis, prout unum efformant populum, a Deo in Christo iisdem donis cumulatum ac ad eumdem finem vocatum. Exinde aequalis sub hoc respectu dignitas omnium fidelium eorumque mutuae necessitudines declarantur. Deinde speciatim agitur de « sacerdotio universali » ab omnibus fidelibus exercito.

Nunc autem censeo schema augendum ac in ordine meliori componendum esse, atque esse perficiendum quoad doctrinam.

1. *De schematis complemento et ordine.* Schema strictius et citius de natura et de bonis communibus populi Dei loquitur (n. 23, pag. 5, lin. 13 ad pag. 6, lin. 11), atque nimia qua par est instantia de aequalitate et mutua necessitudine fidelium verba facit (pag. 6, linn. 11-30). Insuper doctrina de « sacerdotio universali » clarius doctrinae totius schematis adnectenda esset.

Sane, schema praesertim intendebat declarare unitatem et aequalitatem fidelium eorumque communem vocationem, atque inculcare ipsos fideles ad hierarchiam non pertinentes « Ecclesiam esse », immo ad commune sacerdotium populi Dei participare. Attamen, illa intentione servata, expedit ut ista capita in ambitu doctrinae locupletioris ac magis aequilibratae de populo Dei in genere tradantur.

Ut doctrina illa completior convenienter proponatur, totum schema hac idea centrali organice ordinari potest: Populus Dei, praefiguratus in populo in Abraham electo et per Moysen ordinato in regnum sacerdotale et gentem sanctam (cf. *Ex.* 19, 6), a Christo sumit originem per fidem et baptismum, atque, ex omni lingua et natione constitutus, *de plenitudine Christi* accipit *sanctitatem* et *regale sacerdotium.*

Secundum istam populi Dei considerationem, aequa pars in schemate tribui potest sanctitati populi Dei, quae ei nota essentialis est. Sanctitas enim perfecta terminus est quo Deus populum suum adducere vult, uti clarissime Sacra Scriptura testatur. cf. *Ex.* 19, 6; *Lev.* 11, 44; 19, 2; 20, 7; *Deut.* 7, 6; *Is.* 62, 12; *1 Cor.* 1, 2; *Hebr.* 10, 10; 13, 12; *1 Petr.* 1, 16; 2, 9-10).

Quapropter, in hoc schemate locus vere idoneus habetur pro doctrina de vocatione communi ad sanctitatem, atque ibidem transferenda esse censeo ea quae de hac re in cap. IV huius constitutionis dicuntur.

At sanctitas membrorum populi Dei magis ontologice praesentanda esset,

scilicet ut causata a gratia quae a Christo capite in eius membra per fidem et baptismum profluit. Quae gratia nos filios Dei adoptivos (cf. *Rom.* 8, 14-17; *Gal.* 4, 4-7) et « divinae consortes naturae » (*2 Petr.* 1, 4) efficit, morti et resurrectioni Christi conformat (cf. *Rom.* 6, 4; 8-11), atque nos « invicem membra » (*Eph.* 4, 25) constituit « caritate fraternitatis invicem diligentes » (*Rom.* 12, 10). Consequenter, de vita morali loquendum est ad imitationem Christi, necnon de necessaria mortificatione (cf. *Col.* 3, 5) ac de pugna spirituali (cf. *Eph.* 6, 12; *1 Cor.* 9, 24 ad 10, 13). Recordanda etiam esset mirabilis doctrina de inhabitatione Trinitatis in animabus sanctis (cf. *Io.* 14, 23). Denique, loquendum est de vera patria populi sancti Dei, quae in caelis est (cf. *Phil.* 3, 20), « civitas Dei viventis » (*Hebr.* 12, 22), in qua sancti, Deo similes, visione Dei fruentur (cf. *1 Io.* 3, 1-3; *1 Cor.* 13, 12).

Deinde, agendum est de « sacerdotio universali christifidelium ». At in hoc argumento doctrina schematis perficienda est, prout infra dicam.

Denique, ex exposita doctrina de Populo Dei deducantur consectaria de communi dignitate membrorum ac de eorum mutuis necessitudinibus. Sed hic etiam doctrinam schematis (n. 23) meliorem reddere oportet.

Sic totum schema quatuor paragraphis compleri potest:

1. De populo Dei, qui de plenitudine Christi accipit.
2. De communi vocatione christifidelium ad sanctitatem.
3. De « sacerdotio regali » (vel « sacerdotio spirituali ») necnon de sensu fidei et de charismatibus christifidelium.
4. De communi dignitate et de mutuis necessitudinibus membrorum populi Dei.

2. *Doctrina schematis perficienda.* Doctrina schematis perficienda est quoad « sacerdotium universale » (n. 24) et quoad « aequalitatem et inaequalitatem membrorum in Ecclesia » (n. 23).

a) Quoad « sacerdotium universale ». Ipsum vocabulum « sacerdotium universale » non videtur conveniens. Dubito enim quin in hoc sensu inveniatur in traditione. Adhibendum est potius verbum S. Scripturae « sacerdotium regale » (cf. *1 Pt.* 2, 9) vel « sacerdotium spirituale fidelium » (cf. *1 Pt.* 2, 5: « ... sacerdotium sanctum, offerre *spirituales* hostias).

Doctrina ipsa de communi sacerdotio spirituali fidelium accuratius proponenda est, sive quia fidelibus non est adhuc familiaris, sive quia omnis erronea interpretatio vitanda est (cf. Litt. Enc. *Mediator Dei, A.A.S.,* 1947, pp. 553-555).

b) Quoad aequalitatem membrorum Ecclesiae. Doctrina de aequalitate membrorum Ecclesiae (n. 23, pag. 6, linn. 11-17) maiori cum discrimine proponenda est, his prae oculis habitis scil.: communi et aequali dignitate praediti sunt relate ad Deum, a quo vocantur et eliguntur et ad quem ordinantur per Christum, ita ut gratia in omnibus sit eadem quoad essentiam et finem; multae et magnae differentiae inter membra existunt, non solum « quia non omnes eadem via procedunt, neque singuli eadem fidelitate et alacritate Deo invitanti respondent » (pag. 6, linn. 11-12), sed praecipue

quia Deus gratiam diversimode, prout vult, dispensat (cf. *Eph.* 4, 5-7: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi » (cf. S. Thomas Aq., I-II, q. 112, a. 4); cum autem fideles sint « unus in Christo Iesu » et « invicem membra », oportet ut maiora dona gratiae, quae alii acceperunt, in utilitatem etiam aliorum communicatione fraterna deveniant.

70

Exc.mus P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

Ad cap. III schematis *de Ecclesia* i. e. « de populo Dei et de laicis » et quidem ad n. 24, ad ultimam partem pag. 8 nonnullas animadversiones facere mihi liceat.

1. In loco citato sermo est de variis donis et muneribus, quin etiam de charismatibus quae laicis quoque a Spiritu Sancto dantur.

Em.mus card. Ruffini hac in aula quidem dixit charismata Ecclesiae tempore apostolorum tamquam dona specialia tributa esse, diebus autem nostris rarissime tantum expectari posse, immo, si bene audivi, fere totaliter deesse.

Hoc forsitan verum esse potest si agitur de charismatibus specialibus stricto sensu, quamvis Spiritus Sanctus sufflet omni tempore ubi vult, et semper in Ecclesia Dei exstiterunt sancti donis extraordinariis praediti.

Sed quidquid sit, certum est etiam nostris diebus Spiritum Sanctum saltem charismata ordinaria i. e. varia dona et munera ad servitium christifidelibus abundanter distribuere, et quidem non solummodo hierarchiae sed etiam laicis, qui omnes ad populum Dei electum pertinent. Ad omnes fideles S. Pauli apostoli verba ex epistola ad Romanos cap. 12, v. 6-8 directa sunt, si dicit nos habere « donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate ». Deus in providentia sua admirabili et in omnipotentia et sapientia sua hominibus multiformes indoles et diversissimas facultates naturales et supernaturales donavit. Sunt dona gratis data in bonum totius Ecclesiae. Si Deus aliquem ad veritatem et ad Ecclesiam vocaverit, tunc iste homo electus et sanctissimis sacramentis consecratus obligatus est, ut donis et facultatibus sibi datis utatur in honorem Dei. Et hoc modo potest et debet veram missionem in apostolatum ad augendum regnum Dei in mundo adimplere.

Quomodo regnum Dei tempore apostolorum crescere potuisset, si homines baptizati totum laborem apostolis reliquissent, si non se ipsos obligatos tenuissent, ut omnes collaborarent ad extendendum evangelium ubique terrarum? Primi christiani agebant monitionem S. Petri sequentes: « Vos autem

genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*1 Petr.* 2, 9), et ita crescebat regnum Dei in mundo.

Etiam nostris temporibus nobis non est data alia via pro dilatatione evangelii quam illa quam S. Petrus demonstravit. Immo in societate moderna, in qua sacerdotes ipsi in multos campos vitae vix intrare possunt, magis quam prius christifideles laici requiruntur, qui fermentum in societate humana sint et tamquam signum veritatis Christi appareant.

2. Si in schemate loco citato sermo est de charismatibus vel de variis donis hominibus tributis, secundum meum humillimum iudicium unum neglectum esse videtur. Nihil enim dicitur de necessitate, ut ista dona et indoles a Deo datae excolantur. Quanta pretiosissima talenta in ecclesia Dei infunduntur! Non sufficit, quod in schemate exprimitur dona extraordinaria non esse temere exspectanda et iudicium de eorum genuinitate rectoribus Ecclesiae humiliter submittendum esse. Cura nostra esse debet, ut facultates istae et multiformes indoles evolvantur. Unusquisque ex nobis experientiam facere potest, quam bonam voluntatem multi laici habent et quanto animi ardore parati sunt ad laborandum pro Deo et pro ecclesia Christi. Sed inhabiles sunt. Non sunt sufficienter instructi. Eorum instructio religiosa cum absolutione scholae elementaris finivit. Scientia in rebus profanis crescebat, intelligentia religiosa autem quasi infantilis remansit.

Ideo officium nostrum est, ut omni modo institutiones faciamus pro adultis, praesertim pro iis, qui donis egregiis praeeminent, ut systematice excolantur et in veritatibus religiosis doceantur. Discere debent, qualia problemata religiosa in societate moderna existant et quomodo unusquisque in sua professione et suo loco apostolatum exercere possit. Magis nunc quam temporibus anterioribus debemus scholas nostras et universitates laicis aperire et saltem ubique instituta specialia et cursus scientificos erigere, et quidem pro viris et mulieribus. Est mirabile dictu, quanto ardore, quali enthusiasmo et quanto successu permulti laici studeant etiam propriam theologiam. Non raro hac in re ipsos sacerdotes superant. Ad minimum autem quovis modo operam dare debemus, ut omnes christifideles bonae voluntatis secundum diversas facultates et indoles capaces fiant ad participandum munus Christi sacerdotale, propheticum et regale.

Incrementum regni Dei tunc certissime sperare possumus, si ubique in societate humana, in campo politico, in spatiis industrialibus, in artibus, in scholis et universitatibus christifideles in religione vere exculti et ardore apostolico animati existunt, qui ut lux mundi, ut sal terrae et civitas in montibus praeeminent.

Conclusio. Preces mea est, ut in ultima parte n. 24 addatur haec vel similis enuntiatio: « Omni modo procurandum est, ut ubique institutiones habeantur, quibus laici, et quidem viri et mulieres, secundum diversas facultates et indoles excolantur et capaces fiant ad veritatem Christi repraesentandam et apostolatum in mundo exercendum ».

71

Exc.mus P. D. IOSEPH PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis-Castellionensis

1. *De ordine doctrinae cap. II.* Proposita est a commissione de laboribus Concilii coordinandis nova divisio praesentis cap. III, nempe: de populo Dei in genere (nostrum futurum cap. II) et de laicis in specie (futurum cap. IV).

Haec nova divisio est omnino retinenda. Tum hierarchia enim, tum laici nihil aliud sunt nisi partes huius populi Dei, seu divisiones eius internae. Optima etiam remanet sequentia capitum, primum enim agitur de totalitate populi Dei (cap. II), postea de praepositis eius (cap. III) seu hierarchia, ultimo de laicis (cap. IV).

Futurum cap. II construi posset duabus sectionibus, quarum prima ageret de vita Christi in populo Dei ac de eius manifestatione per notas Ecclesiae; altera proferret doctrinam de missione Ecclesiae seu totius communitatis christianae.

Sectio I deberet proferre doctrinam de Ecclesia ut haerede promissionum ac praesertim de indefectibilitate harum promissionum, prout nempe Ecclesia, seu tota communitas christiana, sacerdotio Christi donata, indefectibilis est in vera fide tenenda et in verbo Dei servando, indefectibilis etiam in perseverantia Dominici servitii per spem, caritatem et alias virtutes. Nec posset deesse specialis doctrina de notis Ecclesiae ubi explicaretur earum character ille mirabilis de quo locutum est Concilium Vaticanum I (Denz. 1794/3013). Schema enim nostrum intendit manifestam reddere « claritatem Christi super faciem Ecclesiae resplendentem » (n. 1). Iamvero, haec claritas Christi in Ecclesia splendet in ipsa realitate historica notarum ipsius. Ne taceat proinde de iis schema nostrum.

In altera sectione agendum esset de missione Ecclesiae, et quidem, non tantum de missione hierarchiae nec de missione laicorum tantum, sed de missione totius communitatis christianae.

Circa quam, initio, animadvertendum est quod tota missio totius communitatis christianae, etiam in suo aspectu coniunctionis cum Deo vel confessionis Dei et Christi, seu in suo aspectu transcendenti, est missio in mundo. Ita videtur intelligenda doctrina evangelica de regno Dei messianico ut fermento, sale et luce. Non videtur proinde admittenda doctrina, a qua schema nostrum forsan non est omnino immunis, quasi tantum ad laicos homines spectaret consecratio mundi, quae onus est totius Ecclesiae, omnium proinde fidelium baptizatorum; et sicut episcopalis consecratio non delet characterem et obligationes hominis baptizati, ita etiam non tollit missionem talis hominis erga mundum. Addit, e contra, novam obligationem ex ministerio exortam, quod totum est in iuvandis fratribus in eorum parte consecrationis mundi adimplenda.

Haec missio Ecclesiae praesentis in mundo exponenda esset in eius habitudine ad Deum et Christum, ad totam communitatem christianam, ad homines singulos et ad mundum profanum. Circa quae, *haec duo* addere liceat:

a) Missio Ecclesiae relate ad Deum et Christum exponenda esset modo concreto, ratione nempe habita mundi hodierni, qui patitur tentationem multiplicem atheismi, practici nempe, existentialistici, marxistarum. Prae oculis habens *hanc* tentationem, Concilium extollere deberet missionem Ecclesiae ut testis *unius* Dei in medio *huius* mundi, ubi tot idola locum Dei occupaverunt, et ad hanc missionem verbo et opere adimplendam omnes adhortare.

Augmento gradus vitae et commodorum exulat ab homine hodierno sensus Christi, et quidem crucifixi. Propterea Ecclesia debet eum alte confiteri coram mundo nostro et ad hanc confessionem omnes suos filios invitare.

b) In doctrina Ecclesiae de ipsius missione relate ad totam communitatem christianam, quasi activae hominum corredemptricis per cooperationem in vita, passione et morte Christi, videtur dicendum:

1. De continuitate crucis Christi in Ecclesia, ac de speciali forma huius crucis in omnibus qui propter Christum persecutionem persequuntur;

2. De charactere missionario totius actuositatis Ecclesiae;

3. Speciatim de obligatione totius communitatis christianae ad cooperationem unitati christianorum reficiendae praestandam ac simul fidei inter infideles propagandae.

2. *Notulae duae unionem spectantes.* Ea quae praecedunt occasionem suppeditant elaborandi expositionem theologicam « concretam et historicam », « circa historiam salutis dispositam », qualem observatores delegati exposcebant a catholicis et qualem Summus Pontifex Paulus VI paratus erat fovere (*L'Osservatore Romano,* 19 oct. 1963, pag. 1), ut propius invicem omnes christiani accederemus. Sed caput nostrum praebet etiam locum agendi de aliquibus quaestionibus circa quas genuina expositio doctrinae catholicae magna esset cooperatio ad hodiernum dialogum oecumenicum ac proinde ad unionem christianorum.

a) Optandum ut sub finem capitis nostri ageretur de valore ecclesiologico communitatum christianarum extra Ecclesiam catholicam, et quidem seiunctim de illis quae episcopatum retinent validum ac merito ab Ecclesia catholica semper appellatae sunt nomine Ecclesiae (cf. *Schemata Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series secunda*: *De Ecclesia et de B. Maria Virgine* (Typ. Polyglottis Vatic. 1962, p. 87-89) ac de illis quae talem episcopatum non retinent. Et ratio est quia secus schema nostrum deficientius erit quam illud propositum disceptationi Patrum in sessione prima, in quo non tantum agebatur « de habitudine Ecclesiae Catholicae ad christianos singulos separatos » (quod etiam tractatur in schemate praesenti, cap. I, n. 9), sed etiam « De habitudine Ecclesiae catholicae ad communitates christianas separatas » (vol. cit., n. 51, pagg. 81-82). Praeterea huius expositione doctrinae responsum daretur quae-

stionibus propositis ab ipsis observatoribus delegatis, e. g., a Luca Vischer, in sua relatione ad Comitatum Centralem Concilii Oecumenici Ecclesiarum, ubi agens de iis « quibus hucusque nulla data est solutio, quaeque tamen solvenda sunt si revera intenditur versus progressus dialogi inter Ecclesias » (*La Documentation Catholique,* 60 [1963] 1324), asserit « Ecclesiam catholicam romanam numquam sibi proposuisse quaestionem de momento ecclesiologico Ecclesiarum non romanarum ut entitatum, sed tantum de momento membrorum baptizatorum qua talium illarum Ecclesiarum » (*ib.* 1333), addens « quaestionem (hanc) esse notabilis momenti pro futuro dialogo oecumenico. Nec potest considerari (responsum huic quaestioni) ut gestus vel actus amicabilis, sed agitur de elemento fundamentali » (*ib.* 1334).

b) Omnibus notum est communitates christianas Consilio Oecumenico Ecclesiarum addictas, positas nunc esse coram quaestione de sensu ac valore dogmatico traditionis. Cum autem schema nostrum proponat Ecclesiam esse sacramentum unitatis omnium, praecipue christianorum, in Christo, optandum videtur ut Ecclesia adimpleat hanc missionem suam unitatis effectricem et adiutricem quatenus iuvet christianos non catholicos in eorum inquisitione circa traditionem, per germanam expositionem doctrinae catholicae de hac re. Quod praestari potest cum in futuro cap. II agetur de fidelitate Ecclesiae in servanda et tradenda hereditate Christi.

72

Exc.mus P. D. CAROLUS QUINTERO ARCE
Episcopus Vallipolitanus

Doctrina cap. III schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* placet quia in eo nota distinctiva « esse pastorale » ad quadruplicem finem Concilii assequendum positive confert, nempe: tum ad cognitionem et innovationem Ecclesiae, tum ad dialogum sive cum fratribus seiunctis sive cum mundo temporali hodierno instituendum. Attamen duo vota proponere volo:

1. Ad integrandam doctrinam de laicis, ponentur in hoc capite ea quae in schemate decreti *de apostolatu laicorum* dicuntur de *missione* et de *mandato laicorum* ut clare melius exponatur quo sensu laici participent de apostolatu hierarchico.

Missione enim canonica hierarchia laicis committit actus *clericales* circa quos ipsi laici nullam competentiam propriam habent; sicut v. g. *a*) facultas administrandi SS. Eucharistiam, quam grassante persecutione anni 1927 in Mexico laicis tributam esse novimus; *b*) ipsi parochi nunc laicos adsciscunt ad publice doctrinam christianam tradendam, ad quod missio canonica requiritur; *c*) Summus Pontifex f. r. Pius XII locutus est de necessitate tradendi laicis selectis curae animarum partes.

Per *mandatum* vero hierarchia sibi unit activitates proprias laicorum ut ea quae laici ipsi proprio nomine agere possunt agant etiam nomine auctoritatis Ecclesiasticae.

Unde propono ut n. 26, pag. 10, cum de christifidelium relatione ad hierarchiam sermo est, inseratur haec doctrina de mandato et de missione canonica laicorum.

Hierarchia active dirigit laicorum apostolicas activitates, vel sibi proprias vel clericis proprias; et laici ex sua parte activitates has apostolicas menti hierarchiae accommodant ut apostolatus eorum sit vere complementum ipsius apostolatus hierarchiae.

2. In divisione tripartita munerum hierarchiae ne adhibeatur terminus « pastorale » loco termini « regale »; sicut in schemate passim fit verbi causa: pag. 6, lin. 14: « quidam ex voluntate Christi doctores, mysteriorum dispensatores et *pastores* constituuntur »; et in eadem pag. 6, lin. 25: « auctoritate Christi et docent et sanctificant et pascunt ». Iamvero haec identificatio verbi « regendi » cum verbo « pascendi » non tantum non prodest sed immo nocet intentioni commissionis.

Commissionis intentio est extollere adspectum pastorale ministerii ecclesiastici, et si identificatur terminus « pastor et pascere » cum terminis « rex et regere » minuitur adspectus pastoralis ministerii hierarchici nam sequeretur munera docendi et sanctificandi non esse pastoralia quod absonum est.

Unde propono ut divisio tripartita munerum hierarchiae « Docendi, sanctificandi et regendi » restituatur.

73

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

In toto schemate *de Ecclesia,* in quatuor eius capitibus saepe saepius et optime Ecclesia consideratur ut populus Dei. Hoc quasi omnibus Patribus valde placet ac in futurum Ecclesia sub hoc aspectu populi Dei mundo et praecipue fidelibus clarius apparebit. Sed mihi videtur, non satis insistitur in hoc quod conceptus populi Dei desumptus sit ex Sacra Scriptura.

Universum genus humanum quod mox trecenties centena milia complectetur (tre miliardi) in plures dividitur ramos qui multum inter se differunt cutis colore, membrorum et totius corporis figura, cultu humano civilique, lingua et educatione. Et tamen omnes sunt homines pertinentes ad universum genus humanum anima immortali praediti et ut ait apostolus stans in medio Areopagi: « Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, quaerere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum » (*Act. Ap.,* 17, 26-27).

Ex una parte Sacra Scriptura loquitur de populis et gentibus et tribubus terrae et ex altera parte de uno genere hominum vel de universo genere humano, de populo Dei electo, tum in Vetere tum in Novo Testamento. In antiquo foedere populus Israel passim vocatur populus Dei, ex quo egredietur virga de radice Iesse, ad salvandas omnes gentes. Hic populus Dei

electus custos est divinae revelationis et verus Dei cultor. In novo foedere autem conceptus populi Dei valde mutatur designatque communitatem christianorum quae heres simul et plenitudo populi Dei facta est. Hic novus Dei populus transgreditur omnes fines et limites populorum naturalium. Radix huius populi est ipse Christus Dei Filius, secundum Adam qui sibi redemit hunc populum per proprium sanguinem.

In *Act. Ap.* 15, 14 legimus: « Simeon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo ».

Et quid dicit S. Paulus in *2 Cor.* 6, 16: « Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus ». Idem apostolus in epistola ad *Rom.* 9, 23-26 scribit « ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae quae praeparavit in gloriam, quos et vocavit nos non solum ex Iudaeis sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam plebem meam et non dilectam dilectam et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam. Et erit, in loco ubi dictum est eis: non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi ».

Et denique ipse Petrus pulcherrime omnia haec coronat diademate aureo in epistola sua prima 2, 9-10: « Vos autem genus electum regale sacerdotium gens sancta populus adquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus nunc autem populus Dei; qui aliquando non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti ».

Hoc fundamentum scripturisticum ex fonte revelationis desumptum omnino mihi exponendum esse videtur in introductione ad caput tertium schematis *de Ecclesia* i. e. in n. 22, pag. 5.

Deinde consectaria doctrinae de unico populo Christi et Dei deducenda sunt:

1. In populo Dei i. e. in Ecclesia differentiae et dissimilitudines quoad cutis colores, corporis figuram, cultum humanum et civilem, educationem, institutionem et linguam, etc. non sunt tanti momenti quia coram Deo non est acceptatio personarum et cives huius populi unitatem perfectam constituunt sub Christo capite.

2. Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus qui dividit singulis prout vult. Unus Deus, una fides, unum baptisma, una Ecclesia, unus Christus per quem et cum quo et in quo populus Dei omnem honorem et gloriam Deo exhibet.

3. Lex princeps huius populi non alia potest esse quam caritas Dei et proximi.

4. In hoc populo Dei uniusquisque est custos fratris sui.

5. In hoc Dei populo non potest esse nisi unus pastor Christus Dominus eiusque vicarius in terris.

74

Exc.mus P. D. AUDINUS RODRÍGUEZ Y OLMOS

Archiepiscopus S. Ioannis de Cuyo

Audeo exc.mae commissioni pro schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* hanc mittere definitionem laici, ut ea utatur eo modo quo melius ei videbitur. *En definitio*: « Laicus in Ecclesia dicitur homo fidelis, per baptismum populo Dei aggregatus; sacrae hierarchiae subiectus et partem ipsius non efformans, qui in saeculo manens testimonium est Christi; sed cum gratia baptismali sit Christo insertus, dum Christus Summus et Aeternus Sacerdos in Sacrificio Eucharistico seipsum Patri offert per sacerdotem ministrum, de regali sacerdotio Ecclesiae et ipse participat ».

Laici dividuntur in duas categorias. Alii enim ligantur votis ab Ecclesia recognitis, qui *religiosi* nominantur, sive in communitate vivant sive etiam in saeculo maneant. Sunt autem alii qui votis non ligantur ab Ecclesia recognitis, et *laici proprie* loquendo dicuntur.

75

Exc.mus P. D. SAMUEL RUIZ GARCIA

Episcopus Chiapasensis

In cap. III, n. 25, pag. 9, paragrapho c), schematis *de Ecclesia,* sermo est de « operibus saecularibus » in quibus christifideles seipsos aliosque sanctificare debent et merito additur: « In quo officio universaliter adimplendo laici principem locum tenent ».

Ast videtur in re tam magni momenti pernecessarium esse tam auctoritatis ecclesiasticae quam laicorum actionis limites definire, iure quorumque servato. Alioquin — quod proh dolor non infrequenter evenit — suam propriam actionem laici evolvere non poterunt eo quod constanter timore correpti illos ab auctoritate ecclesiastica fore praepeditos, aut in omnibus omnino eorum decisionibus ab eadem pendere debere, cum non levi inde nocumento secuto, praesertim urgentibus circumstantiis.

Auctoritas revera ecclesiastica in rebus ad saecularia pertinentibus, potestate initium dandi vel tutelandi, omnino non gaudet. Laicorum siquidem est initiativas habere — sit ita dictum — in rebus ad oeconomiam, ad politicam actionem aliasque iis similibus pertinentibus, necnon organizationes, principiis christianis imbutas, structurare ac plena responsabilitate easdem in prosperum ducere iter. In quo animadvertere numquam fortasse erit satis, laicos sese movere in ambitu sibi ipsis proprio, eosque nulla alia subdi erga auctoritatem ecclesiasticam obligatione, nisi illa consilium tunc impraesentiarum expetendi quando principiorum christianorum applicatio non tam evidens sit, ut recte possint eorum conscientiae dictamina sequi, aut altera oboediendi ecclesiasticam determinationem quando — post debitae informationis acquisitionem — ipsa iudicet processum quemdam aliquamve acti-

vitatem moraliter erroneam aut fidei vel bonis moribus graviter infensam, vel tandem determinatam quamdam activitatem, iustitiae, caritati, aliaeve christianae virtuti esse clare adversam.

Ex altera vero parte ecclesiastica auctoritas conscia sit se habere hac in re officium praesertim negativum, quippe quae non sit destinata ut immediate vel mediate oeconomiam, administrationem rerum publicarum, vel activitatem politicam regat. Eius actio coangustatur ad claram principiorum christianorum expositionem, ad indicandum errores in re morali et religiosa forte in programmatibus aut in exsecutione incidentes, haec autem omnia ita caute faciendo ut in antecessum praepropera iudicia sedulo vitentur.

Horum principiorum formulatio ab Encyclica *Pacem in terris* Papae Ioannis XXIII felicis recordationis desumi potest, iuxta quem praecipua hominis iura — ad quae defendenda quis omnibus licitis mediis potest et debet uti — haec sunt: ius ad propriam vitam, ad laborem, ad culturam acquirendam; ius ad bonam famam, ad inquisitionem veritatis, ad eiusdem informationem et communicationem; ius ad utendum mediis ad exercitium propriae religionis, ad liberam electionem status, ad educationem filiorum; ius ad exercenda civica, politica et oeconomica officia; tandemque ius ad participationem in rebus publicis.

Laicis quapropter non satis est evolvere caritativam vel religiosam activitatem ut eorum officia christiana exhausta et adimpleta putentur; opus eis etenim est ut ibi praesentes ibique operantes sint, ubicumque mundana quaedam structura indigeat principiis christianis dirigi.

Non semel, Ioannis XXIII verba memorantes, conaminum infructuositas explicatur quia laici sunt quandoque parum exculti; sed non paucis aliis in casibus — cur hoc reticere debemus — quia defuit in hac materia debita ab hierarchia principiorum explanatio immo et observatio.

Ideo proponitur sequens mutatio n. 26, pag. 11, lin. 4, scil.: substitutio paragraphi « Nedum censurae iniustae ... mundum redemit » cum sequenti: « Sciant vero laici iura et officia auctoritatis ecclesiasticae esse legem et ius naturae promulgare, urgere exercitium iustitiae et caritatis aliarumque virtutum in ordine privato et publico; applicationem autem principiorum ad res concretas ad ipsos pertinere, sub lumine prudentiae christianae; Ecclesiam autem tantum impedituram esse determinatum modum actionum vel consociationum quae respiciunt directe res humanas, quando certo iudicare possit auctoritas ecclesiastica, haec opponi legi divinae ».

76

Exc.mus P. D. FERDINANDUS RUIZ Y SOLÓRZANO

Archiepiscopus Yucatanensis

Sobre los laicos: Creo necesario, incluso por las consecuencias futuras, hacer una distinción clara entre el sacerdocio jerárquico, que es el nuestro y del cual no participan los laicos, y el sacerdocio universal, el « regale

sacerdotium » de que habla San Pedro, que no da a los laicos poder sacramental alguno. He visto un escrito, hecho con el consentimiento de varios Padres Conciliares, en el que no sólo no se hace, sino que se elimina cualquier distinción entre esos dos sacerdocios; lo cual, sobre ser falso, es muy peligroso.

77

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

1. Satis prolixum est; repetitiones varias continet. Tam unum quam alterum censeo omnino corrigendum.

2. Cum cap. II constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* erit, non potest habere titulum « de populo Dei et speciatim de laicis », sed simpliciter *de populo Dei,* ad quem quippe pertinent omnes, et hierarchae et laici; omnes ergo in hoc capite aequaliter comprehendi debent. Hoc prae oculis habeamus, ne misceamus res.

3. Schema non exponit rem modo bono. Sentitur in exaratione praeoccupatio explanandi doctrinam ita, ut fratres nostri amati dissidentes non offendantur. Quo fit, ut obscure appareat, quod est catholicum. Valde timendum, ne tractatus modo non catholico aliquando interpretetur, e. g. quando de iure populi agitur, vel quando sacerdotium verum a spirituali non distinguitur.

At, certissimum est nos adspirare ad completam unionem cum fratribus nostris separatis, quos ab infantia amare didicimus, quorum conversionem toto animo exspectabamus et exspectamus. Meminerint vero Fratres mei veneratissimi nos nunquam fratres protestantes attingere, sed solummodo quosdam theologos eorum. Ab his autem protestantes non dependent, nam unusquisque fidem suam immediate ex S. Scriptura sumit sicuti velit intelligere. Proinde, in finem ad quem tendimus, dialogi nunquam mentalitatem ingentium numerorum fratrum dissidentium mutabunt. Cur ergo doctrinam catholicam quasi cooperire? Dicamus eis rem claris verbis; « veritas liberabit nos » et illos. Amanter sine dubio procedamus; ostendamus ea, quae in doctrina eorum vera sunt, iam in nostra quoque, utpote Iesu Christi, doctrina contineri. Sed nostram palam pandamus.

4. Censeo schema *de populo Dei* hanc divisionem materiae habere debere:

a) Deus in infinita sua bonitate, sicut in Vetere Testamento, quod praeparatio fuit ad Novum, per Iesum Christum Filium suum populum novum sibi comparavit, non carne et sanguine coaginatum, sed gratia Spiritus Sancti ex cunctis nationibus coadunatum, qui populus Ecclesia Dei vivi, Corpus mysticum Christi est.

b) In hunc populum, sive hanc Ecclesiam, seu Corpus, homines incorporantur per participationem characteris Iesu Christi, qui eis infunditur:

per baptismum nascitur homo supernaturaliter, quia recipit characterem Christi ut Filii Dei;

per chrisma in virum perfectae aetatis crescit, quippe qui charactere exornatur Christi ut Messiae, i. e. servi (vd. Isaiam), operatoris Dei, laborando et pugnando et patiendo pro eius regno;

per alia sacramenta alitur et augmentatur haec participatio in Christo;

per Ordinem character Christi, in sensu stricto sacerdotali, imprimitur, quia hoc sacramento christianus recipit ius in Corpus verum Christi (Eucharistiam) et in Corpus eius mysticum (ipsum populum).

c) Participantes ergo, inde a regeneratione, characteris Domini nostri Redemptoris, cuncti christiani « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis », sunt, et omnes et singuli; Christus enim in suo charactere sacerdos est; qui ergo ei participat, sacerdos efficitur « ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum », « offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum ». Universale hoc « sacerdotium sanctum » ex baptismate, et ulterius ex chrismate oritur; quibus autem non datur potestas illa in Corpus Christi, quae sacerdotium in vero sensu constituit. Hoc verum et proprio sensu sacerdotium per infusionem novi characteris, in sacramento Ordinis, christiano traditur.

d) Ex hac participatione in charactere Christi, qui tribus illis sacramentis infunditur, sequitur omnem hominem christianum teneri non tantum procuranda suiipsius vita sanctificanda « deponentes omnem malitiam, ... ut in eo crescatis in salutem », sed etiam adlaborando « in aedificationem Corporis Christi » sub regimine eorum, quos sacramento Ordinis « Spiritus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ». Hoc non est ius quoddam, sed officium et servitium; quo maior est gradus participationis in quoquo sacramento, maior obligatio.

Hanc existimo esse doctrinam Matris nostrae Ecclesiae sanctae catholicae et apostolicae. Hanc solam existimo explanandam in schemate, de quo tractamus, nihil aliud. Fusius autem, melius quam exposui meis pauperibus verbis, adhibitis verbis Scripturae, traditionis, Patrum, necnon magisterii ordinarii et extraordinarii. Specialiter de chrismate doctrina sarte et lucide exponatur, monstrando participationem ex hoc sacramento in messianitate Filii Dei. Nam, quid iuvat dicere: confirmationem esse complementum baptismatis? in quo sensu? Velim explicetur!

De laicis speciatim autem nihil dicatur; est aliud schema *de apostolatu laicorum*. Nec de hierarchia, quia proprium quoque habet schema.

Statuere vero ius laicorum, non est rectum, quia omnis ministratio in Ecclesia est servitium, quamvis in hierarchis etiam potestas. Quando de muneribus hierarchicis semper sermo est ut servitio, quomodo in hoc schemate operatio laicorum tamquam ius asseritur?

Alia omitto, quia iam plus et melius a D. card. Ruffini prolata sunt.

78

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Brevissime loquar. Doctrina et spiritus cap. III schematis *de Ecclesia* mihi valde placent. Deest vero definitio laicorum. Non omnes sunt laici bonae notae. Exstant etiam christifideles qui institutionem christianam et Ecclesiae sacramenta quidem receperunt at postea reliquerunt, et cultum Deo debitum et legem christianam neglexerunt; inveniuntur ergo et permulti christiani indifferentes. Isti ad Ecclesiam profecto pertinent et interdum occasione baptismorum, nuptiarum et exequiarum ad parochiam revertuntur. Quomodo hos nominabimus? Laici sunt etiam isti, qui ad plenam vitam christianam sunt quidem revocandi, sed non confundendi cum iis qui extra Ecclesiam sunt, ut innuere videtur textus noster cum de primaeva communitate loquitur, in qua baptizati oratione, exemplo, verbo, eleemosynis, sacrificio Ecclesiam, conversione paganorum, aedificabant. Conatus et studium laicorum, qui ferventes sunt, convertendum est profecto primum ad laicos indifferentes. Distinctio igitur necessaria est, quia hodierno statui rerum respondet. Hoc meminisse iuvabit ne proferamus nostra constitutione aliquid, quod extra mundum et nostrum tempus est.

His dictis adhaereo toto corde schemati de populo Dei. Laici nostri nobilem sensum suae vocationis invenerunt et cupiunt sic vivere in mundo ut ex eorum caritatis, vitae integritatis et aequitatis exemplis Christi vultus in omnibus locis eorum navitatis refulgeat. Testimonium ei sua christiana praesentia praestant, ita ut mores christiani possibiles et christiana visio mundi desiderabilis appareat atque solutionem praebeat difficultatibus quae quotidie se offerunt. Quod copiose ab Ecclesia receperunt, aliis verbo et opere dare volunt. Mersi rebus terrenis, inter homines dubiis et erroribus anxios viventes, oratione et caritate et fraterna necessitudine lucem et pacem eorum animis donare possunt et volunt. Ut Ecclesia legitimitatem et limites sui apostolatus solemniter declaret, exspectant. Eorum fidelitas certa est et probata; nolunt se subtrahere ecclesiasticae hierarchiae oboedientiae.

Multa munera, quae nunc sacerdotes absolvunt, laicis qui forsan magis idonei sunt, committere possumus. Consilia in inceptis, in quibus habiliores sunt, postulare possumus. Suo apostolico zelo, suae vitae testimonio, verbis opportuno tempore prudenter et amice prolatis ignem, quem Christus venit mittere in terram, in campo suae operositatis accendunt. Postulant ut principia theologica, quibus nititur apostolica cooperatio, et limites ipsius cooperationis sibi ostendantur. Et dein petunt maternam fiduciam in filios, qui Ecclesiam amant et pro animabus sanguine Christi redemptis semet impendere cupiunt.

Sic mihi ultimis diebus ante iter romanum ut Concilio interessem, in conventu solemni in mea sede episcopali habito laici dixerunt et ego in Concilio dico.

79

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

De populo Dei.

Prooemium.

Consilium divinum « eligere nos in ipso ante mundi constitutionem » (*Eph.* 1, 4) effecit ut missiones Verbi et Spiritus Sancti essent ad creandum mundum propter hominem intuitu Christi, ad hominem plasmandum ad imaginem Dei ut assumetur, ad congregandam multitudinem in unum in Christo. Deus hominem creando praeparavit sibi populum, antea figuratum per populum Israel, nunc effectum per Ecclesiam peregrinantem, ad plenitudinem adductum in Christo toto regni iam instaurati.[1]

Filius Dei, in sua propria vocatione (cf. *Mt.* 12, 16) et in sua missione (cf. *Io.* 17, 18) est forma Ecclesiae hominibus missae et ipsos vocans ut se congregent ad constituendum populum Dei « ex omnibus gentibus, tribubus, populis et linguis » (*Ap.* 7, 9). Ad imaginem Christi, Ecclesia est populus propheta, populus regalis, populus sacerdotalis.

Ecclesia, populus Dei, est imprimis communitas vitae, quae crescit et ad perfectionem pervenit in pleroma Christi; ut serviant isti communitati Christus institutiones statuit ut illae dent vigorem et unitatem toto tempore interiecto inter duos suos adventus.

Sub titulo « De populo Dei » hoc caput agit de Ecclesia ut communitate.

1. *Ad imaginem Dei.* Deus, perfecte unus et simplex, creat propter semetipsum genus humanum ad suam imaginem, ideo unum in pluribus personis et capax vitae divinae. Ultra multiplicitatem et varietatem, omnes homines, omnium locorum et temporum, gaudent iam unitate originis et vocationis; sociabiles cum sint natura et simul vocati per gratiam, omnes invitantur ad eumdem finem gloriosum qui est ut constituant unicum populum filiorum propter Deum. Homines nequeunt propriam perfectionem attingere si ad effectum non perducant consilium Dei, ideo si membra non fiant communitatis vitae huius Populi, quam Deus ipsi sibi efformat; homines in seipsos iniuriam facerent si non uterentur ad hunc finem mediis quibus disponere possunt, et Ecclesia officium iustitiae habet ea media ad eorum dispositionem ponere. In statu actuali mundi, non obstantibus bellis et dissidiis exprimuntur motus unitatem versus, licet erroneis formis, inter populos orbis terrarum; Ecclesia gaudet de isto signo temporum et vult totam suam vim adhibere ut satisfaciat isti exspectationi. Unitas et catholicitas exiguntur ab ipsa intima natura Populi Dei.

---

[1] *Is.* 64, 8; 63, 8; 51, 16; cf. *Apoc.* 21, 3.

Deus solus est sanctus, sed cum praecipiat « sancti estote quoniam ego sanctus suum » (*Lev.* 19, 2), Ipse dat homini, qui est imago sui ipsius, simul et praeceptum et gratiam illud perficiendi.

Omnis homo, in qualibet terrae natione, vocatur ad istam sanctitatem, id est ad perfectionem caritatis. Sola Ecclesia, quae Spiritum possidet, potest illi praebere conditionem ambientem in qua in ipso accendatur hic amor per frequentationem sanctorum. Intelligens signa temporum, in quibus videre est florentia opera socialia et philanthropica quae totum complectuntur mundum, ipsa gressus facit erga omnes, caritate et benignitate plena, ut eos recipiat et sanctificet eos portando ad unionem cum principio amoris. Sanctitas et apostolicitas exiguntur ab ipsa intima natura populi Dei. « Deus elegit nos ... ut essemus sancti ... in caritate » (*Eph.* 1, 4). Ecclesia, ut sponsa multitudinem vocans ad conventum, in statu habituali sanctitatis est. Ratione historiae, populus peregrinans magis magisque converti debet, ad acquirendam hanc sanctitatem, quae tamen in eo est ut res sacramenti Corporis Christi.

2. *Populus foederis.* Genus humanum, quod peccatum ita dispersit ut etiam in intimo homine divisiones causaret, servavit impressam in seipso imaginem, quae exigit ut denuo se congreget in unitatem. Amor Patris restituit foedus laesum. « Dicam Non-populo-meo: populus meus es tu; et ipse dicet: Deus meus es tu » (*Os.* 2, 25). Deus homines appellat ut congregentur — est ipsa definitio Ecclesiae. Ecclesia est vocatio uniuscuiusque hominis.

Foedus initum a Deo cum populo originem ducente ab Abraham est executio historica, primo singulariter in favorem Israelis, vocationis communis. Israel, electus inter omnes populos terrae, constitutus est populus Dei, figura corporalis et in antecessum exhibita conditionis vitae oblatae omnibus post adventum Salvatoris. Sed, etiam tunc, in vocatione Israelis, continebatur lectio universalitatis: « Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris ... Et erit in loco ubi dicetur eis: Non-populus-meus vos, dicetur eis: Filii Dei viventis » (*Os.* 1, 1). S. Paulus in hoc textu perspicit ingressum infidelium in populum Dei (*Rom.* 9, 25). Toto hoc tempore, Deus etiam praeparabat nationes infidelium, non per revelationem explicitam, sed illis dando gratiam seminum in corde conditorum, quorum omnis anima Deum colens potest conscia fieri.

Per Mariam, quae in se continet totum populum Dei, eo quod est Mater Christi alpha et omega, Filius Dei semetipsum reddit Filium hominis, ut assumat et redimat omnes dispersos. Novus populus filiorum natus est, et, nunc, omnes homines acquisiverunt, per victoriam crucis, potestatem ut filios Dei fiant. « Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei » (*1 Petr.* 2, 10). In imaginem transformamur a Domino (cf. *2 Cor.* 3, 18).

Vi novi foederis in sanguine unius Redemptoris, novus populus est vere et totaliter populus Dei sacer (*Deut.* 7, 6; 14, 2; 26, 19); ideo separatus, iuxta typum Israelis oppositi nationibus, non amplius autem in ratione stirpis sed in ratione spirituali.

3. *Populus propheta.* Ad imaginem Christi, Verbi incarnati, missi, popu-

lus Dei est propheta et apostolus. Est communitas hominum qui omnes vocati sunt ut pro Deo loquantur et eius verbum diffundant.

« Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit » (*Is.* 43, 21); « Vos autem genus electum ... ut virtutes annuntietis eius qui ... vos vocavit » (*1 Petr.* 2, 9). Oratione laudis nomine populorum adhuc infidelium effusa et praedicationem peragendo evangelii salutis, populus Dei est propheta et apostolus. Vocatus non solum ex Iudaeis sed etiam ex gentibus (*Rom.* 9, 24) ut efficiat unum populum cum infidelibus (cf. *Eph.* 1, 11) qui coheredes sunt (*Eph.* 3, 6), populus Dei gratiam apostolatus recepit (cf. *Eph.* 3, 2), in aedificationem corporis Christi ... donec occuramus omnes ... in virum perfectum (*Eph.* 4, 12-17); ipse ad effectum deducit suam missionem zelo in praeparatione evangelii pacis (*Eph.* 6, 15) et oratione ut apostolus cum fiducia notum faciat mysterium evangelii (*Eph.* 6, 19).

Apostolatus propheticus vere est vocationem communem populi Dei; tamen haec vocatio ad effectum deducitur secundum charismata propria et singularia uniuscuiusque (*Eph.* 4, 7; *1 Petr.* 4, 10) et praecipue in illis apostolis et prophetis positis ut fundamentum aedificii (*Eph.* 2, 20). Populus Dei est in statu missionis — omnes enim sunt apostoli et tenentur ad reddendum testimonium; iste status habitualis accipit formam corporalem in illis quos Deus elegit et posuit, per gratiam sacramentalem, ut ex tota eorum vita missionem divinam faciant.

4. *Populus regalis.* Ad imaginem Iesu, filii David, regis saeculorum (*Ap.* 15, 3), sancti, populus Dei dicatur ministerio regali caritatis. Homo, rex creationis, semel ac creatus est in sinu populi Dei, vocatur ut regnet seipsum vincendo et se efficiendo servum omnium. « Ipse rex sit eius cuius servus fuit ante, peccati, hostiam seipsum vivam Deo offerens » (Hilarius, *in Ps. 67,* PL 9, 465). « Eritis mihi in peculium de cunctis populis ... et vos eritis mihi in regnum sacerdotale » (*Ex.* 19, 5-6). Istud regnum filiorum Dei significatum fuit iam ab origine quando Deus dixit primis temporibus generis humani: « Subiicite ... ecce dedi vobis omnem herbam ... et universa ligna ... » (*Gen.* 1, 28-29), et Deus confirmavit regem Filium incarnatum, novum Adam, omnia dedit in manu eius (*Io.* 3, 35). Suis dictis et factis, Iesus, cui servire regnare est, manifestavit formam quam habere debet Regnum: Beati pauperes ... ipsorum est regnum caelorum (*Mt.* 5, 3). Sanctitas evangelica est norma fundamentalis regni. Populus Dei, qui est populus sanctus (*Is.* 62, 12), vocatur ad perfectionem caritatis; serviendo et amando, ipse efficitur victor, dominans mundum, in summam colligens genus humanum. Medio unico simul et multiplici caritatis, ipse attrahit omnes populos terrae ad sinum Ecclesiae, quam Spiritus vivificat (cf. *Is.* 55, 4).

In hoc populo sancto, unusquisque vocatur ad eamdem perfectionem et illam ad effectum deducit secundum propria charismata. Elegit nos ut essemus sancti (*Eph.* 1, 4). Omnes sunt homines Dei, aliqui sunt religiosi: electi sunt ut eiusdem (perfectionis) sint formae praecipuae, ipsi voluntarie se ponunt in statu perfectionis acquirendae et ita significant visibiliter sanctita-

tem Ecclesiae; domini cum sint omnium rerum eo quod nihil possident, ipsi iam sunt Regnum Dei in terris et illud amabile manifestant in conspectu omnium hominum.

5. *Populus sacerdotalis.* Ad imaginem Christi, pontificis magni, populus Dei habet missionem sacerdotalem. Convocatus et constitutus est ad cultum. Homo est sacerdos creationis ut eam offerat in sacrificium laudis suo Creatori; lapsus, ipse se subiecit potestatibus huius mundi, quibus cultum indebitum praebet; tamen in omnibus nationibus infidelium sacrificium traditionale continet germina veritatis, quae omnes vires missionariae Ecclesiae evolvere debent cum benevolentia et intime ea perscrutando.

Israel erat populus sacerdotalis et conscius erat se hoc munere fungi pro omnibus populis terrae. Prophetae eius nuntiabant: « Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis (Is. 61, 6); ratione transfigurationis in Christum, archi-iereon, filii populi Dei vere tales sunt sacerdotes qui, simul cum tota creatione quam consecrant, semetipsos offerunt ut hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (*Rom.* 12, 1). Eorum sacerdotium est ministerium cosmicum et missionarium: ipsi sunt sacerdotes evangelii ut fiat oblatio Gentium accepta (*Rom.* 15, 16), in eorum oblatione eucharistica assumunt imperfectas nationum oblationes, et per eorum zelum apostolicum in eorum conversionem tendunt. Diffusio fidei est actus sacerdotalis.

Totus populus Dei est sacerdotalis in suo statu et conditione et omnis christianus est minister Evangelii; aliqui tamen, ratione electionis, ordinantur sacramentaliter ad implendum munus specifice sacerdotale, sunt figura corporalis, antea figurata per sacerdotium aaroniticum, ipsius status Ecclesiae, secundum oeconomiam Incarnationis. In populo Dei, omnes sunt homines Ecclesiae; ecclesiastici vero constituti sunt in ministerium praesidendi actus totius coetus, cum potestate conficere Eucharistiam, quae Ecclesiam construit.

6. *Actio populi Dei.* Populus Dei, ex aqua renatus et Sancti Spiritus sphragi impressus, participans vitae divinae, constituitur unus per assimilationem in Christum, Filium unicum. Una fides, unum baptisma (*Eph.* 4, 5) faciunt ex multitudine redemptorum populum unicum propter Deum, ultra singularitatem personarum et diversitatem charismatum et munerum. In baptismo rex et sacerdos et propheta efficeris (Chrysostomus, *In 2 Cor. hom.* 3, 7; P.G. 61, 417); actio populi Dei sita est in gradu huius triplicis status et ad effectum perducitur in vita liturgica.

Unitas et sanctitas in baptismo inchoatae et in parousia perfectae, per gradus efficiuntur, intra ista duo extrema, per liturgiam, quae origo est profundioris perscrutationis et augmenti. Haec « actio populi », qui vocatur ad se congregandum, est opus omnium et suum centrum habet in Eucharistia, quae fecit populum Dei cum redigit imaginem ad suum exemplar, et mittit communicantes ad omnes homines. Liturgia Eucharistica — pro totius mundi salute — est signum efficax apostolicitatis et catholicitatis populi

Dei, qui, et ipse missus, nuntiat verbum omnibus linguis et vocat omnes, quaecumque sit eorum conditio vitae, ad communionem eiusdem panis, ad eumdem mysterium paschale Domini.

Ita ad effectum reducitur communio sanctorum omnium Ecclesiarum; inter omnia membra populi Dei quae se nutriunt ad eumdem altare efflorescit motus communionis bonorum corporalium, culturae, virtutum sanctorum — erant illis omnia communia ... neque enim quisquam egens erat inter illos (*Act.* 4, 32).

7. *Extensio populi Dei.* Secundum consilium salvificum universale Dei, omnes nationes terrae, omnes classes hominum, et imprimis veri pauperes quibus Iesus benedicit, sunt in potentia populus Dei. Nihil eorum quae Deus creavit est alienum ab Ecclesia: ipsa quidem est una fide et baptisma, sed diversa ratione omnium bonorum particularium quae ad se accipit, ad instauranda omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt (*Eph.* 1, 10).

Populus Dei praebet conditionem vitae commodam, omnibus apertam ut reconciliet (omnes) interficiens inimicitias (*Eph.* 2, 16) et eos prope Deum adducat, ut possit dicere: vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi (*Eph.* 2, 13).

Populus Dei est catholicus, id est secundum totalitatem Dei qui eius Pater et exemplar est, secundum totalitatem fidei quin aliquid omittat, secundum totalitatem genus humanum, et in singulis accipiens formam novam et particularem, licet semper similem Christo Iesu.

Se extendendo ad omnes homines totius mundi, populus Dei consecrat et offert omnem creaturam « quae revelationem filiorum Dei expectat » (*Rom.* 8, 19), nam Deo placuit sibi reconciliare omnia per sanguinem crucis (cf. *Col.* 1, 20).

Populus Dei, Christum ferens, extenditur usque ad ultimum terrae, ut omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus (*Phil.* 1, 11).

Populus Dei, advena dispersionis (*1 Petr.* 1, 1), tendens ad congregationem omnium in semetipsum perficiendam, peregrinus (*1 Petr.* 2, 11) sub ductu novi Moysis, transit per omnia tempora, peragit reditum ad Patrem in Regno paratum, in quo, iam factus turba multa (*Ap.* 19, 1), plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur (*Eph.* 1, 23), celebrat novam Liturgiam laudis perfectae.

Commissio de laboribus Concilii coordinandis in ea fuit sententia ut schema de Ecclesia ita mutaretur ut de populo Dei in genere agatur prius quam de episcopatu et de laicis; ex hoc fit ut aliquae mutationes in aliis capitibus schematis videantur introducendae. Inferius ponuntur aliquae mutationes congruentes cum nova divisione schematis; quae prius posita sunt constituunt exemplum capitis « de populo Dei », quod submittimus commissioni.

Placet hic dicere notionem « populi Dei » indicare ipsam rem in se existentem, cui proinde locus dandus est prae iis quae solum « imagines » Ecclesiae sunt. Verbum « populus » bis invenitur in schemate: in cap. I, par. 2, pag. 7, lin. 29 et in par. 3 eiusdem capitis, pag. 8, lin. 11; hoc tamen non sufficit et ideo necesse est ut expresse ponatur et amplitudine quam meretur.

Audemus proponere mutationes quae sequuntur: existimamus illas, praeter alias utilitates, hanc habere quod fundamentum theologicum pro iis quae « de missionibus » sunt praebeant: id in praesenti schemate non satis factum est. Ignoscatur uni ex illis qui locum tenent Ecclesiarum Asiae, qui de iis rebus sollicitus est, impossibilitatem in qua fuit rem prius exponendi.

Caput I.

Par. 2 (emendata est redactio, sub titulo: *De consilio Patris*).

Aeternus Pater notum fecit « nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, in ipso » (*Eph.* 1, 9-10). Verbum Dei creat et vocat genus humanum ad implendam missionem ipsi a Providentia collatam constituendi Populum ad imaginem Dei in Christo consummatore omnium rerum. Haec congregatio iustorum ... (lin. 22) ... (pag. 8, lin. 2) ab origine humani generis inchoata ... (pag. 8, lin. 3) in nostris temporibus manifestata et in novissimis perfecta.

Par. 3. Deus creat per suum Verbum prolatum: talis est origo missionis Verbi. Missum in terram populo Israel per vocem prophetarum, Verbum, caro factum tempore statuto a Deo, missum fuit omnibus filiis Dei dispersis ut eos in unum congregaret; simul mittens et missus, ipse constituit institutionem salutis et hanc ad effectum perduxit per mysteria suae vitae historicae quam Ecclesia continuat. Ecclesia enim est simul sacramentum et medium salutis et communionis vitae et eorum ad effectum perductio in communitate baptizatorum. Christus Iesus, Verbum veritatis et Panis vitae, nuntiatus et praefiguratus hebraeis voce prophetarum et manna, est excellenter sacramentum huius communionis novi populi Dei. Sicut vero Israel ... (lin. 11).

Par. 4 (proponitur titulus: *De missione Spiritus*).

Missus a Patre ut creaturam foecundam reddat, halitus oris Patris vivificans hominem, Spiritus habet missionem illuminandi genus humanum in veritate inquirenda, et accendendi eius amorem. Ipse est amor Dei, qui ad homines venit — « sicut dilexit me Pater, ita ego eos dilexi ... Sicut misit me Pater, ita ego eos misi » (*Io.* 17, 23 et 28). Opero autem ... (lin. 24). (In fine, post lin. 39): Spiritus in Ecclesia coadunat, sanctificat et omnes christianos ad mundum missos inspirat.

Par. 5 (proponitur nova redactio, loco par. 7, sub titulo: *De missione Ecclesiae,* agendo de elementis quae sequuntur):

Ecclesia ut sacramentum Christi; Ecclesia convocata et convocans eos qui foris sunt; Ecclesia catholica et apostolica (i. e. super apostolos fundata

et ad omnes gentes missa); Ecclesia ut recapitulatio hominum in plenitudinem Christi.

Par. 6 (proponitur nova redactio sub titulo: *De Ecclesiae imaginibus,* simul ponendo par. 5 et 6 antiqui schematis — aut: de populo Dei, si de hoc caput distinctum non fit; in hoc casu de Ecclesiae imaginibus agendum esset in par. 7). Nulla est ratio ut magis foveatur imagini Corporis quam imagini vineae, quam ipse Iesus adhibuit et quae tantum loci habet in S. Ioanne. Unicuique imagini tribuenda est sua vis missionaria (v. g. vinea — augmentum; sponsa — foecunditas; mater — universalis ...).

Par. 7 (aut 8) (ex par. 8, proponitur titulus: *De mysterio filiationis*). (Lin. 15) Catechumeni vere uniuntur Ecclesiae fide, sacramento inchoato, subiectione hierarchiae: sunt christiani, concepti, nondum nati.[1] Voto coniunguntur praecatechumeni mere audientes.

Par. 8 (aut 9) proponitur titulus: *De coniunctione cum aliis christianis.*

Par. 9 (aut 10) proponitur titulus: *De vocatione non christianorum* (*ad Ecclesiam*).

Caput II (antiquum).

Par. 11 (lin. 16, addendum): Ecclesia apostolica est quia super apostolos fundata et ad omnes gentes missa. Ideo Episcopatus, sicut Duodecim, Ecclesiae peregrinantis fundamentum constituit et usque ad ultimum terrae populum Dei conduxit. Ut vero Episcopatus...

Par. 15 (proponitur nova redactio sub titulo: *De presbyteratu*).

(Institutio). Antea figuratus per ministros sacerdotii aaronitici, coetus Seniorum conveniebat ad apostolos, partem habebat curae totius Ecclesiae nascentis, a Spiritu Sancto institutus (*Act.* 20, 28) et ab apostolis et eorum successoribus constitutus (*Tit.* 1, 5) ad multiplicandam praesentiam apostolorum et eam dilatandam in sinu totius humanae societatis.

(Natura). Successores seniorum, presbyteri funguntur in Ecclesia munere sacerdotali, quod participatio est sacerdotii pleni episcopi: hoc munus in eo est ut congregent ecclesiam loci ad Eucharistiam celebrandam. Presbyter suum sacerdotium habet ab episcopo (i. e. a Christo qui in Ecclesia agit per episcopum) et cooperatur eius triplici muneri: prophetae, pastoris et sacerdotis; ipse facit ut fideles verbum Dei audiant, ipsos ducit et sanctificat per sacramenta quorum conficiendorum potestatem recepit, et exemplo suae vitae. Iuxta oeconomiam Incarnationis et vi institutionis divinae, sacerdotium est hierarchicum ut sit vere catholicum.

Sacerdotium presbyterorum est collegiale quia originem habet ex sacerdotio pleno episcopi, per quod visibile redditur et longius producitur in existentia historica Ecclesiae unicum sacerdotium supremum Christi. « Una enim est caro Christi ... et unus episcopus cum presbyterorum collegio, et diaconis conservis meis » (Ignatius Antiochenus, *Ep. ad Philadelphienses,* 4;

---

[1] S. Augustinus, *In Ioan.* 44, sermo 46.

Bull. Maxim. Vet. Patrum, Lugduni 1687, vol. II, pag. 83). Liturgia eucharistica significat, et oportet ut semper melius significet oculis fidelium ad aedificationem populi Dei, unitatem presbyterii, praecipue in concelebratione. « Episcopus in *collegio presbyterali* princeps est, presbyteris cum eo concelebrantibus » (S. Leo, *Ep.* 9).

(Consequentiae). Unitas presbyterii circa episcopum, ubi unusquisque suas facit sollicitudines aliorum omnium, fundamentum est in Ecclesia dioecesana, unitatis actionis liturgicae, pastoralis et missionariae, ad imaginem collegii episcopalis in Ecclesia universali.

Eucharistia, quae Ecclesiam construit, unit omnes presbyteros circa episcopum et laicos circa presbyterum ut eos constituat in unicum Christum et adducat ad testificandum apud eorum fratres adhuc infideles.

Ad instar vocationis particularis S. Pauli, cui collegium duodecim apostolorum commisit evangelizationem infidelium (*Gal.* 2, 7-8), ubicumque degerent, vocatio missionaria Ecclesiae peculiariter ad effectum deducitur in illis ex suis presbyteris qui totam vitam suam devovent evangelizationi infidelium in illis Institutis missionariis, quae ab Ecclesia approbantur et (audemus proponere) quibus commissio particularis collegii episcoporum attribuit evangelizandos aliquos populos.

(Finis huius paragraphi, a lin. 28 incipiendo, potest manere qualis nunc est, si paragraphus specialis pro gradibus inferioribus hierarchiae non ponitur).

Par. 17, lin. 17 (addatur): Episcopus etiam sollicitudinem habet non solum infidelium qui in sua dioecesi inveniuntur, sed etiam totius illius maioris partis universi quae suam liberationem exspectat; incrementum evangelizationis suae dioecesis arcte connectitur cooperationi effectivae quam ipse praestat evangelizationi mundi.

Par. 19 (addatur in initio). Episcopus est magister doctrinae, pater dividens panem vitae.

Hoc munus magistri et prophetae constituit eius ministerium missionarium. Episcopi sunt praedicatores...

Caput III (antiquum) (aut IV novum: *De laicis in specie*).

Par. 23 (29), pag. 6: substituantur lineae 17-21 per ea quae sequuntur: Tamen Ecclesiae structura hierarchica est, qualis definita est a S. Paulo: « (estis) superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 20). Fideles laici innituntur hierarchia et ista Christo, Petra prima, quam primatum Petri repraesentat (praesentem reddit). Ministri Ecclesiae deputantur servitio laicorum et isti servitio omnium eorum fratrum, praecipue infidelium. Fideles autem ...

(Verba *populus* et *fideles,* proprie, omnia membra Ecclesiae designant, non solum laicos).

(Supprimenda pars finalis paragraphi a lin. 31 incipiendo, nam quae ibi dicuntur pertinent ad omnem populum Dei).

Par. 24 et 26 (antiquae): ordo mutandus inter illas: vita apostolica laicorum originem habet a Christo per episcopum qui laicos sanctificat per sacramenta, praecipue per ea quae missionem aliquam conferunt. Conveniens est ut de fundamento, et ideo de hierarchia, prius agatur.

Par. 25 (De vita salutifera ... — proponitur titulus: *De missione laicorum,* ut divisio huius capitis concordet cum illa cap. I).

Paragraphus haec retractanda est ut ea quae sunt propria laicorum in luce ponantur; praecipue dici potest:

Aliter ac ministri et religiosi, fideles laici sunt christiani qui ad effectum perducunt eorum divinam vocationem in mundo, ratione habita essentialis ad mundum relationis. Iam, e sexto creationis die, Deus non laborat nisi cum homine (cf. *Gen.* 1, 26).

Introducti in mysterio mortis et resurrectionis Domini vi sacramenti baptismi — omnis apostolatus impulsionis — et sic incorporati in Christo cum aliis sanctis, deinde chrismatione confirmati, ad mundum missi sunt ut mundum istum sacrum reddant, se praebendo ut testes et signa efficacia Christi. Sacramentum Eucharistiae — fons permanens apostolatus — ipsos consecrat et sanctificat ut haec signa ad cosmicam efficacitatem ducantur. Fideles laici, in scientia rerum quae ad Deum spectant eruditi et ex altare nutriti, eunt in mundum, ut signum, lux et ad mundi unificationem in pace cooperatores. Qui videt christianos videt et Christum.

Laici christiani reddunt semper perfectiora dona et vires naturae, probitatem et peritiam in munere implendo, amorem laboris quo opus Creationis continuatur secundum Creatoris ordinem, ut prima creatio in novam creaturam in Christo significationem suam adimplet.

Laici christiani signa sunt et per matrimonii statum. « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32). Illi enim extollunt corporum unionem usque ad ordinem Christi et Ecclesiae, necnon carnis foecunditatem ita extollunt ut generentur novi christiani non solum in eorum prole sed etiam in fratribus non-christianis ad fidem adductis, quasi fructus eorum amoris.

Laici christiani signa Christi sunt praecipue per caritatem manifestam unione illorum qui inter amant et proximos colunt, praesertim pauperes et derelictos. Illi effectivae caritatis testimonium reddunt per exemplum vitae in propria familia, aut, maiori libertate abutendo, per generosam deditionem in servitium Evangelii. Et sic tota illorum omnium vita manifestat Christum qui venit ministrare et vitam suam dare ut multos in unum congreget.

Cosmos et omnia quae in eo continentur opus sunt Dei in Verbo creantis, manifestant id quod cognosci potest de Deo (*Rom.* 1, 19), ideo hominem ponunt in relationem ad suum Creatorem: hac ratione mundus sacer est. In mente christiana authentica, nihil profanum adest. Per peccatum hominum mundus hunc characterem amisit; homo christianus mundum consecrare debet. Hoc est opus praecipue fidelium laicorum, ratione eorum vitae in sinu mundi qui exspectat.

Creati in Christo Iesu in operibus bonis quae praeparavit Deus ut in illis ambulent (*Eph.* 2, 10), isti mediationis munus funguntur ita ut mundus fiat nova creatura in Christo (*2 Cor.* 5, 17), omnia instaurando in eo, quia fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus (*1 Cor.* 3, 11).

Secundum Incarnationis oeconomiam, materia ritus finem habet praebendi homini, determinate et corporaliter, mundum denuo sacrum reddendum, consociandi operi sanctificationis et glorificationis omnem creaturam materialem, sub motione Spiritus qui renovat faciem terrae. Et sic homo christianus, novus rex creationis, libere ac recte materia uti potest, ut S. Paulus scripsit: « sive mundus, sive vita ... sive praesentia, sive futura: omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ... Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » (*1 Cor.* 3, 23; 15, 28).

A hierarchia instituti ad sensum sacri acquirendum, fideles laici ipsam hierarchiam iuvabunt ad suam nobilitatem reddendam omni creaturae materiali, ut materia ritus acquiret veritatem suam ideoque vim significandi. Ipsi igitur ritibus utuntur, sub forma sacramentalium, ut mundum consecrent et sic eum Deo reddant. Est exsecutio, magis propria laicis, muneris sacerdotalis populi Dei.

Christiani ad mundum missi sunt, ut in omni loco terrae et aeris necnon apud omnes homines, manifestant Christi praesentiam sanctificantem ac consecrantem. Est munus apostolicum populi Dei, praesertim laicorum. Omnes creaturae, per mediationem Filii in filiis agentis, consecrandae sunt ut fiant novae creaturae, vocatae ad tabernaculum Dei cum hominibus aedificandum, in exspectatione adventus Iesu Christi qui nova facit omnia, ut S. Ioannes iam vidit: « caelum novum et terram novam » (*Apoc.* 21, 1-5).

Caput IV (antiquum).

Par. 30, linn. 12 ss. (pag. 19), substituendae his quae sequuntur: Ratione muneris prophetici populi Dei, homo christianus vocatur ad apostolatum exercendum ratione suae cooptationis in Ecclesia apostolica. Character a baptismo et confirmatione impressus illum reddit alterum Christum, missum, mandatum habentem a Christo per episcopum. Apostolatus fidelis laici habet figuram propriam duplici ratione; laicus eamdem conditionem vitae habet ac eos qui « longe » sunt a hierarchia, sed « prope » Ecclesiam ratione ipsius cui prope vivit; insuper laicus habet charismata convenientia suae conditioni vitae, charismata quae hierarchia iudicat et promovet.

Sanctitas christianorum non coarctatur in voluntatis propositis, sed corporalis fit in operibus charitatis. Ecclesia praesens est mundo per membra quae caritatem exercent et ad hoc creant apta opera: Institutiones ad catechismum docendum, scholas, nosocomia ... Haec sunt opera totius populi christiani: hierarchiae proprium est ea sanctificare per verbum et sacramenta, laicorum est ea creare et dirigere iuxta eorum scientiam. Insuper

partem habendo in opera eiusdem generis, quae a societate civili creata sunt, laici ea transformant, sicut fermentum, ad finem: « instaurare omnia in Christo ».

Par. 32. Mutanda sub titulo: *Formae particulares status sanctitatis Ecclesiae.*

Tota Ecclesia est in statu sanctitatis; unusquisque christianus vocatur ad sanctitatem et ad ipsam tendit iuxta gratiam propriam. Tamen aliqui eliguntur a Deo ut sint figurae corporales sanctitatis Ecclesiae, figurae particulares eo quod se ponunt in statu totalis dispositionis vi consecrationis sui ipsius. (Sequitur textus par. 32, mutando «ad consilia evangelica » in « ad vitam deditam Evangelio »).

Par. 32 bis: proponitur sub titulo: *Formae particulares status missionis Ecclesiae.*

Tota Ecclesia est in statu missionis! unusquisque christianus vocatur ad apostolatum. Tamen aliqui vocantur ut omnem suam vitam ad hoc devoveant se totos impendendo in ministerium missionarium, quocumque in loco. Eorum actio se exercet in forma stabili vitae, ab Ecclesia approbata, sc. in variis Institutis Missionariis laicis.

80

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI

Minister generalis O.F.M.

Schema in universum sumptum omnino placet; in toto orbe certocertius omnes, speciatim laici, cum gaudio salutabunt Concilium Vaticanum II, cum, in historia Conciliorum oecumenicorum, prima vice disceptatio explicite facta sit circa laicos. En aliquae animadversiones circa hoc cap. III.

Divisio constitutionis dogmaticae, sicut optime dicitur in nota pag. 5, aliter ordinetur. Secundum meum submissum iudicium haec divisio magis logica et proprior esset: 1) De Ecclesiae mysterio; 2) De populo Dei; 3) De constitutione hierarchica Ecclesiae; 4) De statibus perfectionem profitentibus; 5) De laicis.

Quae in schemate in initio capitis « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » dicuntur, opportunius in capite « de populo Dei » ponantur, quia et praesules et statum perfectionis profitentes et omnes laici ad sanctitatem vocantur.

Introductio (p. 5) consequenter aliquantisper mutetur.

Ad pag. 5, lin. 18: pro « eadem vocatio ad perfectionem » correctius dicatur « similis vocatio ad perfectionem ».

Ad pag. 6, lin. 13: deleatur verbum « eamdem » et dicatur « omnes tamen ad sanctitatem vocantur ». Linn. 15-17: mutetur textus sic: « constituuntur, *quaedam* tamen inter omnes viget aequalitas quoad dignitatem ... communem ». Linn. 17-18: melius dicatur: « Distinctio enim, quam ipse Dominus inter hierarchiam et alia membra posuit, simul est coniunctio ».

Linn. 31-36: ne quis definitionem « laicorum », quae clara et praecisa est, impugnare possit, sufficit ut addatur verbum « hic »: « Iamvero sacrosancta Synodus nomine laicorum *hic* intelligit fideles ... ».

Ad pag. 7, linn. 4-6: dicatur melius: « In Christo novus populus Dei ad templum spirituale et *quoddam* sacerdotium sanctum ... evehitur ». Linn. 40 ad pag. 8, lin. 3: deleantur verba « quasi munus episcopale, ut ait Augustinus, exercent » (pag. 8, linn. 1-2), quia male interpretari possunt. Dicatur: « In hac velut Ecclesia domestica, parentes *sint* primi fidei praecones et sacras vocationes Deo dante foveant ».

Ad pag. 8, lin. 8: deleantur verba: « sacerdotale, propheticum et regale », quia nimis exquisita apparent, et dicatur simpliciter: « Munus Christi igitur quodammodo participantes, mandatum eius novum » etc.

Ad pag. 8, linn. 22-23: dicatur: « cui credentes active responde*ant, ut* veritatem fidei profundius perspiciant et in vita fidelius applicent ». Linn. 25-26: deleantur verba « seu diakonian », quia nimis exquisita, et dicatur simpliciter: « Spiritus dat fidelibus varia dona et munera ad servitium, secundum illud » etc. Lin. 38: proponerem: « et in uno Corpore sub uno Capite Christo constituti ».

Ad pag. 9, linn. 20-21: deleantur verba « extensivum » et « intensivum », quia nimis scholastica.

Ad pag. 10, lin. 11: deleatur verbum « infaustae ». Lin. 27: scribatur « ostendant ». N.B. In hac schemate saepe adhibetur modus indicativus, ita ut realitati non respondeat. Melius et efficacius adhibeatur modus optativus. Lin. 32: post verba « est exercendum » adiungatur: « si vero non sint, erigantur ». Linn. 36-37: omittatur citatio « Spiritum nolite extinguere » (*1 Thess.*, 5, 19), quia perperam adducitur.

81

Exc.mus P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO

Episcopus Palentinus

In n. 25, linn. 25-35, pag. 8, de charismatibus et charismaticis.

Placet mihi doctrina quae traditur in schemate pariterque placent quae de hac re aliqui Patres dixerunt, quibus adhaereo.

Quasdam vero animadversiones et additiones exponere audeo. Ex prima epistola ad Corinthios patet charismata in tres categorias distribui. Dicit enim: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus, unde constat ab uno Spiritu Sancto, qui totum Ecclesiae corpus pervadit, donari et speciales gratias, quae dicuntur gratis datae ad commune bonum Corporis Christi, et ministrationes seu officia publica ad aedificationem et regimen totius Ecclesiae et operationes in eumdem finem, ut sunt opitulationes diversi generis.

Aliae sunt gratiae seu dona extraordinaria, non omnibus neque semper

et ubique concessa neque frequenter quidem manifestata; alia sunt peculiaria dona quibusdam, sive de hierarchia aut de communitate laicorum vel religiosorum coetuum, raro sed omnibus temporibus historiae distributa. Ut patet, charismata non appellantur dona communia communesque illustrationes et inspirationes Spiritus Sancti, neque eius in animabus iustis inhabitatio.

Notandum valde est, ad praecavendos errores, non esse ius ad opponendum charismaticos, seu ut quidam dicunt Ecclesiam pneumaticam, sacrae hierarchiae, quasi duos ordines diversos constituerent; charismata enim, sicut ex primaeva christiana communitate constat, tam pastoribus et clericis quam christifidelibus concessa sunt.

Iterum asserendum est ab ordine et activitate charismatica, saltem privata, non fuisse exclusas mulieres, tum in statu religioso cum in conditione laicali, sed ipsas sicut viros extraordinariis gratiis donatas fuisse multaque bona attulisse vitae et progressui Ecclesiae; sufficiat in memoriam revocare S. Theresiam a Iesu, S. Catharinam Senensem, S. Iulianam Cornellionis, S. Margaritam de Alacoque illasque posteriores, quae vel Instituta condiderunt ad adorationem et reparationem eucharisticam, vel Eucharisticos Conventus efficaciter promoverunt, ut Martha Tamisier; vel indefesse laboraverunt pro institutione festorum Iesu Christi Regis, ut Maria Noalla, et Mariae Reginae mundi, ut Maria Marbidelli.

Confirmatur horum charismatum existentia hodierna in vita plurium christianorum et in processibus beatificationis et canonizationis sanctorum utriusque sexus.

Huc enim trahenda sunt clarissima opera caritatis — quae opitulationes ab apostolo nominantur — tam virorum quam feminarum per plures annos immo et per totam vitam inservientium debilioribus membris Corporis Christi, ut sunt senes derelicti, amentes, contagiosis seu repugnantibus malis laborantibus, a quibus homines generatim abhorrent et in quorum servitium per amorem Christi gaudentes vitam impendunt tot membra Institutorum Religiosorum.

Huc etiam referenda sunt mirabilia exempla fidelitatis erga Christum et Ecclesiam fratrum nostrorum, qui magno quidem numero ut *gloria Christi* fortissime resistunt persecutionibus inimicorum nominis Dei et Filii sui eiusdemque in terris vicarii in pluribus orbis regionibus, aemulando constantiam martyrum et confessorum praecedentium saeculorum et ineluctabile argumentum apologeticum mundo praebendo.

Nunc vero aliqua de charismaticis in ordine ad hierarchiam. Apostolus in capitibus 12-14 principia statuit, ex quibus normas practicas deducit et applicat, quae etiam pro nostro tempore valent, magnique sunt momenti.

Principium primum: charismata dantur ad utilitatem seu bonum commune Ecclesiae, ad aedificationem Ecclesiae. Unicuique, ait, datur manifestatio Spiritus ad utilitatem; qui prophetat Ecclesiam Dei aedificat.

Secundum principium: Spiritus prophetarum, seu charismaticorum, prophetis subiecti sunt; non enim est dissensionis Deus sed pacis.

Unde recte normam practicam infert: Omnia honeste et secundum ordinem fiant. Et cum indubitata auctoritate particulares praescriptiones tradit pro usu charismatum, tam viris quam mulieribus, nempe:

A) Pro viris: de usu linguarum verba proferant duo vel ut multum tres in qualibet congregatione et unus interpretetur. Si non sit interpres, taceat qui loquebatur; de usu prophetiae, duo vel tres dicant, ceteri diiudicent, sed poterunt omnes prophetare per singulos, seu unus post alium.

B) Pro mulieribus: mulieres in ecclesia, nempe in publico, taceant, non enim permittitur eis loqui sed subditas esse; si autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieribus loqui, nempe in actu publico ecclesiae.

Idem dicit se aliis ecclesiis praescripsisse.

Et non aliter se gesserunt Pontifices et Pastores cuiusvis temporis erga charismaticos seu simulantes et se tales effutientes coram populo, ut contigit tempore manicheismi et priscillianismi, postea cum beguardis et beguinis postremo cum quietistis et hodie in casibus apparentium charismatum, miraculorum, caelestium apparitionum etc.

Demum, quia nostris etiam temporibus dantur quandoque casus dubiae genuinitatis, qui stricte et rigorose considerandi sunt, necesse est, ut facit schema, sublineare et urgere ius et officium competentis auctoritatis ecclesiasticae ad discernendum et iudicandum de his quae prodeunt veluti manifestationes extraordinariae Spiritus divini vel caelestium apparitionum et communicationum, simulque obligationem tam clericorum et religiosorum quam christifidelium standi et fideliter oboediendi decisionibus Ecclesiae hierarchicae.

Conclusio: opportunum videtur ut in praecitato n. 25, post lin. 31 haec aut similia addantur verba: « Quam humilem submissionem Sancta Synodus enixe commendat et omnibus urget ».

82

EXC.MUS P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Kotabaruensis

Liceat mihi haec quae sequuntur maxima cum reverentia exponere.

In relatione super schema *de Ecclesia* dicitur cap. III in duas partes dividendum esse, quarum prior (nempe de populo Dei in genere) ponenda est ante cap. III, altera vero fiet cap. IV.

Nobis clarum non est quaenam praecise pars actualis cap. III fiet in novo ordine cap. II et quaenam pars fiet cap. IV.

In relatione dicitur, quod « schema quoad substantiam manebit sicut est ». Apparet tamen hanc novam divisionem habere consequentias non exiguas pro materia actualis cap. III et etiam pro materia cap. II.

Non videtur esse munus Concilii has consequentias in discussionibus conciliaribus statuere. Hoc potius ad commissionem theologicam pertinet.

Rogamus ergo, ut commissio nobis indicet:

1. Quomodo caput actuale III dividendum sit.
2. Quasnam consequentias haec divisio habebit pro materia cap. III et etiam cap. II.

Quando hoc non fit, confusionem superfluam in discussionibus conciliaribus exspectandam esse putamus.

83

Exc.mus P. D. ARTURUS ANTONIUS SZYMANSKI RAMÍREZ

Episcopus tit. Cerasuntinus, coad. c.i.s. S. Andreae de Tuxtla

Relate ad cap. III schematis *de Ecclesia,* n. 23, pag. 6, linn. 31 ss. optatur notio clarior, positiva et completa laici: Ob hanc rem audeo proponere hanc mutationem in paragrapho quae notionem laici praebet. « Iamvero sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate in populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo *et proximis* serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent etiam per actionem religiosam *cum participent sacerdotii Christi etsi non sint membra hierarchiae vel status religiosi...* ».

Cum res sit maximi momenti etsi parva eam secretariatui trado in scriptis.

84

Exc.mus P. D. IOSEPH VINCENTIUS TÁVORA

Archiepiscopus Aracajuensis

1. Quaestio de conditione deque missione laicorum in Ecclesia et in mundo supervacanea non est, nec secundaria vel transitoria, neque ad singulorum prostat arbitrium. Est enim maximi momenti et vere essentialis in totius Ecclesiae missione, necnon pro salute generis humani omnino valida.

Ceterum, est iterum quaestio homines huius temporis permaxime attingens illorumque mentes et corda excitans: quisne est terrestris huius vitae finis et quomodo poterit mundus ordinari, ut a pluribus, immo ab omnibus, talis consequatur finis?

2. Minime ex insufficienti sacerdotum et religiosorum numero in Ecclesia dignitas missioque et munus laicorum clara evadunt. Oritur nempe ex vocatione ipsa divina atque humana, *propria* hominum, eis, *ab origine mundi,* liberrimo et amantissimo Creatoris Dei consilio, concessa, eo quod tribuerit ipsis propagationem generis humani, occupationem et dominationem totius terrae, usum facultatum, virium et divitiarum mundi, curam ordinationis humanae societatis, tam localis quam nationalis et internationalis, ad elevationem in suam pristinam dignitatem et ad salutem procurandam omnium hominum, in terra et in caelo, in tempore ac in aeternitate (*Gen.* 1, 26-29).

Divina haec atque humana vocatio *in Creatione* entibus rationalibus concessa, per peccatum protoparentum reiecta, non fuit ab offenso Deo suspensa, nec suppressa. Intuitu tamen, praeparatione et actione Incarnationis et Redemptionis fuit ipsa « mirabilius reformata », ut ab Ecclesia in Offertorio dicitur Missae. Re enim vera, iuvantibus Christo eiusque Ecclesia, laici christiani, per baptismum et confirmationem perque omnes supernaturales gratias sacramentis adnexas, non solum propriam suam vocationem agnoscunt atque adimplent, verum etiam, tamquam apostoli et missionarii, veri testes sunt et nuntii eiusdem divinae et humanae vocationis omnium hominum in toto orbe terrarum, necnon totam suam vitam in omnibus suis modalitatibus personalibus et collectivis, atque ordinem totius mundi et totius humanae societatis in hunc dirigunt finem.

Ignorantia et negligentia missionis divinae et humanae laicorum, etiam pauperum atque indigentium miserorum, gravissima habet consectaria pessimosque fructus gignit in Ecclesia et in mundo. Inde enim in Ecclesia sequitur separatio religionis et cultus ab ipsa vita eiusque, ut fertur, problematibus. Inde etiam in mundo falsus conceptus religionis et Ecclesiae, cum inevitabili evasione ab eadem per liberalismum et materialismum etiam inter fideles serpentes.

Exinde tota *educatio religiosa et christiana* includere debet fidelium impulsum in suam divinam et humanam missionem, ita vero ut *tota vita in omnibus suis aspectibus et in omni suo ambitu,* in familia scilicet, in officina, in tempore ad quietem destinato, in recreatione, in cultura, in relationibus mixtis, in matrimonii praeparatione, in aetatis adultae curandis viis, in vita privata, civili et publica, in relationibus internationalibus, appareat ut vocatio divina et humana necessaria ad obtinendum finem a Deo intentum in mysterio Creationis et Redemptionis.

Hoc ut fiat, *dialogus requiritur concretus et, ut dicam, practicus inter laicos* — iuvenes et adultos, praesertim opifices — et *hierarchiam, sacerdotes nempe et religiosos,* dialogus, dico, qui dirigatur mutua cum reverentia, veracitate, fiducia et amicitia, et quidem circa omnia problemata vitae, ut haec omnia *videantur, iudicentur et solvantur* ad lucem doctrinae Ecclesiae, speciatim nostris temporibus ad normas Encyclicarum *Mater et Magistra* et *Pacem in terris.*

Unio omnium populorum, progressus technico-scientificus, augmentum rapidissimum exitus demographici, omnia cum his coniuncta problemata, omnia haec ubique urgent atque urgebunt hanc laicorum missionem, quae sit in mensura talium problematum ordinata. Sunt hodie quingenti millionum laicorum catholicorum, cum tamen numerus sacerdotum et religiosorum in Ecclesia catholica ad duos milliones non ascendit. Ecclesiae christianae non plus habent quam mille milliones, cum e contra in toto orbe iam sint tres circiter millia milliones incolarum. Ante finem currentis saeculi iam erunt septem millia milliones in mundo. Maxima huius multitudinis pars suam ignorat missionem divinam. Curnam non debeamus inde inquietari et moveri

nos de sacra hierarchia Ecclesiae? Nonne erit ipsa animarum cura taliter dirigenda et inspiranda? Quomodo audient sine praedicante?

Et haec missio divina et humana, propria laicorum, ordinanda est secundum dimensiones problematum mundi hodierni; non impedit tamen participationem ipsorum in cultu, in catechesi et in aliis operibus pastoralibus. Contrarium evenit, nam missio laicorum excitat et perficit talem collaborationem et participationem. Sine huiusmodi laicorum missione, certo fallax esset collaboratio et participatio. Missio tamen laicorum, coniuncta omnimodae vitae paroeciali, renovat actionem totius Ecclesiae populique Dei activitatem.

Non paucis metuenda est agnitio et exaltatio vocationis propriae laicorum. Minuit, aiunt ipsi, vocationes sacerdotales et religiosas. Attamen *experientia* contrarium omnino docet, nam sine dubio laicorum vocatio in saeculo exercita optima omnium occasio evadit multiplicandarum vocationum. Familiae etenim christianae et apostolatus laicalis vera sunt seminaria vocationum sacerdotalium et religiosarum. Alia non raro media quibus vocationes excitantur decipiunt et inutilia redduntur.

Sit Synodus Vaticana Secunda providentialis occasio episcopis, sacerdotibus, religiosis et laicis renovandae diffusionis apostolicae missionis laicorum et in mundo et in Ecclesia, necnon necessariae collaborationis ratihabendae ac efficacis inter omnia membra Ecclesiae, ut in novo quodam mundo inque nova societate, *ubique et semper,* Christus vivat, regnet atque imperet.

Quia tempus deest, emendationes quas proponimus in textum schematis *de Ecclesia* apud Secretariatum Concilii Oecumenici deponentur.

[*Subsignaverunt etiam*]: Helder Camara arch. (tit.) Salditanus; Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis; Gerardus M. M. Penido, arch. Iudicifor.; Franciscus Austregesilo de Mesquita, bispo de Afogados da Ingázeira; Nivardo Monte, aux. de Aracajú; Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis; José arcib. de Fortaleza; Manuel, bispo de Caicó; Antonio Fragoso, ep. tit. Ucrensis; Carlos, arcib. de Olinda y Recife; Manuel, bispo de Campina Grande; Otavio, bispo de Palmeiras dos Indos; José, bispo de Sete Lagõas; Augusto Petró, bispo de Vacaria; Ioannes Hoffmann, Fr. Westphalen; Albertus Ramos, arch. Belemensis, Agnelo Rossi, arch. Rib. Prêto.

Caput II: « *De populo Dei in genere* ».

Pag. 7, n. 8: Introductio, lin. 5. Post « vertit » *inserere*: « In intentione Creatoris, totum genus humanum ab ipso creatum est populus Dei; habet divinam originem, divinum et aeternum finem, divinam missionem et vocationem in terris et in caelo. Omnes homines lapsi in terra manent vocati a Deo ut fiant membra populi Dei. Est missio Ecclesiae eis hoc Evangelium eorum vocationis nuntiandi ».

Pag. 8, n. 12: *De sensu fidei.* (In textu Pars II *De Ecclesia,* alinea 3; lin. 23). Post « applicando » *addere*: « Sic sensus fidei enim generat *vitam* fidei, ideo ut in tota vita, semper et ubique, cum omnibus haec fides elu-

cescat et fiat apostolica et missionaria. Dicit enim Scriptura: Fides sine operibus est mortua — et possumus addere: mortifera ».

N. 13: *De populo uno et universali;* pag. 9, 24 linea, in fine alineae 2. Post « ad salutem vocati » *addere*: « Haec unitas et dilectio maxime erga pauperes et egenos manifestabitur. Dicit enim Christus: « Quod minimo fecistis, mihi fecistis... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare... ».

Caput IV: « *De laicis in genere* ».

Pag. 10, n. 28: *Introductio.* Post primam phrasim nonne potest *inserere*: « Quaestio « de laicis » maximi est momenti, quia agitur de *omnibus* hominibus creatis a Deo et vocatis a Christo qui non sunt sacerdotes et religiosi: sunt *numerosissima pars* populi Dei; haec pars rapide crescit et omnes habent in Ecclesia et in mundo *propriam* missionem, quae a sacerdotibus et a religiosis impleri nequit. Hodie sunt 500 milliones laici contra 2 milliones sacerdotes et religiosos in Ecclesia catholica; sunt 1000 milliones laici in Ecclesiis christianis, et 3000 milliones in orbe terrarum; ante finem huius saeculi erunt 7000 milliones laici.

Hi omnes a Deo Creatore et a Christo Redemptore vocati sunt ad fundamentalem missionem divinam et humanam: nempe, propagare genus humanum; occupare, exploitare omnem terram; uti omnibus viribus et divitiis mundi, societatem humanam localem, nationalem et internationalem instituere, ad promotionem et ad salutem humani generis et gloriam Dei: scilicet omnia creata instaurare in Christo. Munus hierarchiae, fontes omnium gratiarum supernaturalium in Ecclesia *debent* eis adiuvare ad suam vocationem et missionem divinam et humanam propriam in terris cognoscendum et explendum, ut finis creationis et redemptionis obtineri possit ».

Pag. 11, lin. 4: « ... fructibus *materialibus* et spiritualibus... ».

N. 32. *Adhortatio.* Haec adhortatio fiat toti Ecclesiae et non solum laicis; scilicet hierarchiae, sacerdotibus, religiosis et laicis.

85

EXC.MUS P. D. FIDELIS MARIUS TUBINO MONGILARDI

Episcopus tit. Cernitzensis, aux. Limanus

Ad n. 25 (*De vita salutifera et apostolica laicorum*). Textus, post aliquod prooemium laude dignum, specificat apostolicam laicorum activitatem sub triplici respectu: *a*) quatenus haec induit directe sensum religiosum, scil. oratione, verbo, eleemosinis, sacrificio diffundit « valores religiosos » in mundum; *b*) quatenus promovet conditiones idoneas diffusioni religionis, firmando « valores morales », atque ita parat homines, et conscientiam socialem favorabilem fidei efformat; et *c*) quatenus ipsa opera saecularia professionis vel occupationis, sub luce Dei exercita, testimonium veritatis et caritatis christianae evadunt, ad cognitionem et imitationem impellentes.

Isti tres gressus pulchre delineantur. Fundamentum aptitudinis ad apostolatum est non natura operum, sed dignitas christiana agentis; ex hac operationes omnes sanctificantur et fiunt medium, per quod non solum splendet vita christiana, sed facilius redditur inceptum ipsius Ecclesiae catholicae.

Attamen sub littera *c*) subito videtur mutari aliquantum nexus et progressus idearum: christianus uti private agens in mundo est lux Christi, sed fit transitus ad Ecclesiam qua talem et ad habitudinem inter eam et ordinem civilem, quod per se non est materia elenchi. Revera textus conatur flectere ideam ad christianum, uti civem, et iam facile progreditur ad enunciandam summam principiorum philosophiae politicae. Cum hoc sit opportunum, quaestio erit non eliminandi sed expoliendi textum.

1. In primis, servata citatione S. Matthaei 22, 21, breviter enuncietur positivo modo notio « *distinctionis* » duarum potestatum et mutua collaboratio; postea negative gressus fiat ad vitia enumerata in textu, quae sunt indebita commixtio rerum civilium et religiosarum, et separatio. Alicubi vocabulum « separatio » aeque sonat ac distinctio; unde refert differentiam explicare.

2. Auferantur aliqua verba, quae campum actionis individualis excedunt, et non sunt necessaria (pag. 10, lin. 6: « Ecclesia reapse tanquam lumen pro tota societate apparebit »).

3. Mutetur textus in pag. 10, linn. 14-15: « Plurimi christifideles, praesertim laici »; dicendum videtur « Plurimi laici », et sic concordia servatur cum titulo qui loquitur *de laicis*, non introducendo clericos.

4. Et haec est observatio magni momenti, expungendum est illud de « indole *laica* terrenae societatis ». Haec verba sunt correlativa illis, quae inveniuntur in pag. 7, lin. 22: « Indoles *sacra* communitatis sacerdotalis ». Iamvero, si « indoles laica » sumatur obiective, id est, pro materia activitatis civilis (uti innuitur ex contrapositione cum indole *sacra*), vox « laica » est male sonans propter usum vulgatum et historiam liberalismi. Si subiective intellegatur, scilicet pro illis qui in Ecclesia sunt laici, non convenit propter distinctionem duarum potestatum uti terminologia, quae est iuris interni Ecclesiae, relate ad statum. Certe ex hac variatione textus disparet ludus verborum cum « laicismo »; sed haec non est ratio. Unde textus ita corrigendus: « Sicut enim terrena civitas, saecularibus curis iure addicta, secundum suam indolem propriis regitur principiis, ita pariter infensus laicismus... » et cetera. Salvo meliori iudicio.

86

Exc.mus P. D. GERARDUS VALENCIA CANO

Episcopus tit. Rhesainensis, vic. ap. Bonaventurensis

Ad litteram *c*) par. 25: « Probe noverit mundus se peramanter ab Ecclesia aspici », dixit Paulus VI in sua allocutione die 29 septembris.

Sed quis est hic mundus ab Ecclesia dilectus, in cuius servitio omnes nos intendere cupimus?

Est imprimis quoddam reale, quoddam exsudans quando in laboribus materialibus, quando in moralibus, semper tamen humanis.

Iste homo, ut hic et nunc, est ille laicus sive passivum sive activum elementum populi Dei.

Iste est qui, hac vita degens, nos invitat, non tantum ut in pulchris verbis nos erga ipsum declaremus dilectionem, sed ut in suam descendamus palaestram ad laborandum cum illo.

Verumtamen caveamus ne iste mundus nostram erga pauperes praedilectionem intelligat quasi paupertas sit normalis hominis status. Non enim a Christo beatificata simplex paupertas fuit, sed « paupertas spiritus ».

Ideoque nemo non videt quod omne genus egestatis non bonum humanitatis est sed vere morbus.

Populus Dei idcirco non potest suam peragere missionem patienter sublevando suas egestates, sed viriliter laborando ut omnes gentes semper novas victorias tam materiales quam morales attingat.

Diligere enim pauperes quia pauperes, est illos decipere.

Ecclesia Christi sic insudat tam cum sapientibus divitibusque in eorum laboribus quam cum operariis egentibusque in earumdem patientia: illos stimulando eiusmodi ac istos, non vero ut in dies distantia inter illos amplificetur, sed ut in dies in mundo egestas superetur.

Divitiae etenim hominum sive spirituales sive materiales, dona divina cum sint, non sunt neque destruendae neque abominandae sed in bonum commune utendae ut multiplicentur et amplificentur, et sic mundus universus in via progressus perambulet.

Progressus enim cum sit normalis hominis conditio est igitur etiam populi Dei palaestra, ut in ipsa militando finem ultimum quisquis homo attingat.

Conclusio. Iam die 17 huius mensis exc.mus Philbin erga degentem in hoc mundo populum Dei nostram trahebat attentionem, ut homini, sicuti est, serviamus. Fere ipsam, cogitamus, esse nostram doctrinam, et sic, duobus votis vestraque benevolentia ad commissionem denuo redigendum cap. III hanc mittimus humilem ideam.

87

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII
Episcopus Marsorum

Circa cap. III schematis *de Ecclesia,* mihi videtur in clara luce ponenda esse praesertim doctrina S. Pauli de mystico Corpore Christi, quippe quae quam maxime apta sit ad extollendam dignitatem laicorum et ad significandas relationes quae intercedere debent inter clericos et laicos.

Si enim certum est membra, quibus potissimum repraesentantur laici, vivere non posse sine capite, est etiam certum caput, quo potissimum repraesentantur clerici, nihil agere posse sine membris.

Ceterum haec veritas expressa est ab ipso Christo Iesu notis verbis: « Ego sum vitis, vos palmites » (*Io.* 15, 5).

Palmites a vite abscissi, arescunt; at etiam vitis, sine palmitibus, fructus afferre non potest.

Nullo alio modo melius patere potest dignitas laicorum in Ecclesia.

Eodem tempore optime manifestatur quomodo clerici et laici inter se tractare debeant.

Clerici debent amare laicos eorumque maximam habere curam, sicut facit caput quoad membra; laici autem debent, toto corde, oboedire clericis, sicut membra oboediunt capiti.

Ubi membra caput non sequerentur aut, quod peius esset, eius vices gerere vellent, totum corpus ad mortem duceretur.

Minime inutile est haec in memoriam revocare, his nostris temporibus: nam ob magnam diffusionem illius erroris qui laicismus vocatur, etiam fideles christiani parvam vel nullam oboedientiam interdum praestant sacerdotibus et ipsis episcopis aliquid praescribentibus aut vetantibus.

Tandem Ecclesia, quae se exhibet ut mysticum Corpus Christi, facilius obtinere potest ut omnes, laici et clerici, sicut membra unius eiusdemque corporis, intellegant necesse esse ut alter pro altero adlaborent, ut alter alterius onera portent, ut alter alteri succurrant in omnibus rebus non solum spiritualibus sed etiam materialibus.

Ita sperari potest, adiuvante Deo, maiorem in dies fore ardorem apostolatus catholici, maiorem spiritum missionarium, maiorem inter homines caritatem Christi, quae est unica spes salutis pro hodierno mundo.

88

EXC.MUS P. D. PASCHALIS VENEZIA
Episcopus Arianensis

Cum in hoc capite schematis *de Ecclesia* verbum sit de laicis, veniam peto si salutem dicam non solum carissimis laicis auditoribus, sed etiam laicis, qui servitium praebent Concilio tamquam custodes, radiotechnici vel quocumque alio modo.

1. Quoad textum huius capitis, ut pluries dictum est, necessaria videtur simplicior expositio ut clarior fiat doctrina tam viva et vitalis pro singulis christifidelibus et pro tota Ecclesia. Addam tantum has observationes.

Pag. 5, lin. 6: vincula communitatis populi Dei non sunt tantum vincula caritatis et veritatis sed et spei. Sunt enim fides spes et caritas virtutes propriae christianorum, per quas scil. christiani, viventes vitam Christi, ab aliis distinguantur.

Conc. Trid. *Decr. de Iustif.*, c. VII docet: « Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit ».

Spes est virtus peregrinantium et militantium:

Ps. 83: « Procedent de robore in robur: videbunt Deum deorum in Sion ». S. Paulus, ad *Tit.* 2, 11-14: « Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria: sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi ».

Pag. 6, lin. 13, post « sanctitatem » addatur « et ad eumdem apostolatum » ita ut legatur: « omnes tamen ad eamdem vocantur sanctitatem et ad eumdem apostolatum »; sic melius explicatur quod dicitur in sequenti lin. 16 quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem et repetitur in toto capite.

Pag. 9, lin. 5: auferendum puto adiectivum « honorificum ». Omne onus a Deo hominibus concreditum honorificum est: servire Deo regnare est. Cur dicitur tantum de onere laicis concredito? Hoc potest dicere aliquam sfiduciam erga laicos.

2. Dispositio materiae aptior videtur si post cap. IV « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » addatur novum caput « De vocatione ad apostolatum ». Sunt enim hae duae vocationes exercitium utriusque mandati caritatis, inter se stricte connexae ita ut una sit fundamentum alterius, ad omnes et singulos christifideles pertinentes in quocumque statu sint. Ita haberetur utraque vocatio ut conclusio primorum quatuor capitum in nova distributione et quasi prooemium aliorum schematum: 1. De Ecclesiae mysterio; 2. De populo Dei in genere; 3. De constitutione hierarchica Ecclesiae; 4. De laicis in specie — deinde — 5. De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia; 6. De vocatione ad apostolatum in Ecclesia; quae fundamentum essent schematum de clericis, de cura animarum, de statibus perfectionis acquirendae, de apostolatu laicorum.

3. Circa doctrinam, quae exponitur in pag. 7, linn. 22 ss., ut omnibus patere possit et omnes movere ad vitam christianam veram et ad apostolatum, aliqua vota stricte practica propono:

Iuxta quae dicta sunt de valore didactico S. Liturgiae in art. 33 novi schematis constitutionis *de S. Liturgia*: « Etsi sacra Liturgia praecipue cultus divinae maiestatis, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem », et « dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur », in revisione librorum liturgicorum, haec doctrina locum habeat in ritu administrationis sacramentorum, de quibus verbum fit in textu; et praesertim in ritu administrandi baptismum et confirmationem.

In ritu baptismatis aliqua explicatio fieri posset, e. g., post mandatum caritatis et deinde aliqua promissio apostolica addi posset post promissiones uti nunc sunt. Etiam pro patrinis, ante baptismum adsit aliqua explicita promissio apostolica secundum naturam sui officii.

Opportunum simul puto renovationem promissionum baptismatis etiam fieri non solum in Vigilia Paschatis sed in omnibus missis diei Paschatis.

In ritu Confirmationis, quae appellatur sacramentum apostolorum, addantur explicitae promissiones apostolatus pro confirmandis et patrinis.

4. *Pentecostes* declaretur dies apostolorum.

In hac die fiat renovatio solemnis promissionum confirmationis, praesertim in omnibus missis.

De hac die Dominus noster Iesus Christus dicebat apostolis: « ... accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 7-8).

Nostra pentecostes est confirmatio. In eodem Spiritu nos testes esse debemus usque ad ultimum terrae.

89

EXC.MUS P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. s. d. Parisiensis

Quamvis locutio « Populus Dei » — *in futuro cap. II de populo Dei in genere* (ab em.mo card. Suenens proposito) — sumatur ad designandum populum christifidelium in Ecclesia, populus tamen ille vere initium sumpsit in foedere priori, scil. in populo israelitico.

Propterea necessarium videtur aliquid dicere, sub aspectu mere theologico, de populo iudaico, ut plenius manifestetur historia salutis. Ratio haec est: populus israeliticus re vera pertinet ad historiam salutis, immo ad illud « mysterium » de quo Paulus loquitur in sua Epistola ad Romanos. Primo quidem invenitur *in initio* historiae salutis, quia Israelitae sunt quorum « adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa, quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula » (*Rom.* 9, 4-5). Insuper, post Christi nativitatem necnon fundationem Ecclesiae, etiam *nunc* et *in futuro,* locum habet populus quondam electus et semper Deo carus in eventibus historiae salutis. Scripsit enim apostolus « quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret... ita ... ut et ipsi (Iudaei) misericordiam consequantur » (*Rom.* 11, 25-26, 31).

Patet ergo quod populus Iudaeorum etiam nunc ad « mysterium » pertinet, i. e. ad historiam salutis, cuius centrum exstat ipse Christus cum Corpore eius mystico.

Propter quod, etsi aliquod caput de Israele additurum forsan esset schemati *de Oecumenismo,* censeo fundamentum dogmaticum peculiaris conditionis populi iudaici breviter indicandum esse in constitutione dogmatica *de Ecclesia.*

Concludo petendo ut sequentia verba, vel similia, inserantur: in n. 9 novi capitis de populo Dei (*Emendationes,* pars II, pag. 7, n. 9, lin. 3): « Iam in Vetere Testamento cum populo israelitico, *cui praestitit adoptionem filiorum et gloriam et testamentum et legislationem et obsequium et promissa*

(cf. *Rom.* 9, 4), foedus instituit, *radicem Vineae suae electae in terram deponens, in praeparationem et* figuram illius perfecti, spiritualis et universalis Foederis quod cum genere electo sub Christo capite iniret ».

In novo n. 16, nempe antiquo n. 10 (in pag. 13, lin. 10 primi fasciculi *de Ecclesia*): « quibus data fuerunt testamenta et promissa *et qui in futuro misericordiam consequentur* (cf. *Rom.* 11, 31).

90

Exc.mus P. D. FRANCISCUS VON STRENG
Episcopus Basiliensis et Luganensis

Cf. n. 24, pag. 7 « de coniugibus christianis » et simul de cap. « de laicis in specie ».

Circa ea, quae de laicorum in Ecclesia statu in novis a commissione de laboribus Concilii coordinandis capitibus propositis « de populo Dei in genere » et « de laicis in specie » tractabuntur, permagna apud laicos, tam viros quam mulieres, habetur spes et exspectatio. Dignitas et honor laicorum in Ecclesiae communitate extollenda sunt, non tantum officia et onera urgenda. Inter laicos status matrimonio coniunctorum locum eminentem tenet, cum ipse Christus eum dignitate sacramentali honoraverit. Quam magna sit coniugum dignitas, exinde optime demonstratur si natura et indoles sacramentalis matrimonii clare exponitur.

Quod coniuges christiani huiusmodi dignitate gaudeant, ex charactere sacramentali matrimonii nobis probari videtur:

Verba S. Pauli de matrimonio christiano dicta: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32) seorsim sumpta indolem sacramentalem matrimonii baptizatorum stricte quidem probare non possunt; una tamen cum doctrina Concilii Tridentini de matrimonio ut sacramento viam ad demonstrandam eius sacramentalitatem ostendunt. Compertum est omnia sacramenta vivam relationem et intimam cum Christo efficere. Sacramenta vivorum, quae nempe statum gratiae praesupponunt, gratiam augent iusque conferunt ad gratias actuales. Ergo sacramentum quoque matrimonii et gratiam sanctificantem particularem et gratiam actualem continet.

In quo consistat status gratiae specialis huius sacramenti et hoc auxilium gratiae, demonstratur per verbum S. Pauli ad *Eph.* 5, 32, ubi loquitur de aliqua relatione Christum inter et Ecclesiam, quae in contextu cap. 5 clare et distincte tamquam matrimonium spirituale Christi cum Ecclesia apparet: Christus Sponsus, Ecclesia Sponsa. Exhortatur nempe Paulus: « Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam » et « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino » (*Eph.* 5, 25. 22).

Cum haec relatio coniugum christianorum ad Christi cum Ecclesia foedus secundum doctrinam Concilii Tridentini de sacramento matrimonii sit unio

viva et vivificans, sacramentum matrimonii assimilationem et incorporationem coniugum christianorum in foedus Christi cum Ecclesia causat, eo quod coniuges quasi « una caro » facti (*Gen.* 2, 24) modo aliquo novo et speciali participant dignitatem et sanctitatem Christi ut Spons*i* Ecclesiae et dignitatem et sanctitatem Ecclesiae ut Spons*ae* Christi. In hoc, nostra quidem opinione, consistit augmentum gratiae sanctificantis coniugum et parentum christianorum necnon auxilium gratiae ad quod ius eis datur, ut coniugum et parentum officia impleant. Theologi loquuntur de « quasi-charactere », i. e. de aliquo, quod permanet per modum habitus. Ideo matrimonio perdurante manet etiam sacramentum conferens sanctitatem (gratiam sanctificantem) et auxilium (gratiam adiuvantem).

His omnibus visis humiliter propono, ut ea, quae in n. 24, pag. 7, lin. 32 usque ad pag. 8, lin. 3 post verba « *Coniuges christiani* » dicuntur, hoc modo *compleantur*: « Sacramentum matrimonii christiani efficit coniugum vivam et intimam cum spirituali foedere nuptiali Christi cum Ecclesia unionem, ex quo foedere coniugibus christianis sanctitas tribuitur et adiumentum gratiae, id est eo quod participant dignitatem et sanctitatem Christi tamquam Ecclesiae Sponsi necnon dignitatem et sanctitatem Ecclesiae tamquam Christi Sponsae gratia sanctificans eis augetur simulque ius ipsis datur ad gratias actuales, quibus iuvantur, ut coniugum et parentum officia impleant. Quae gratiae coniugibus christianis per totum eorum matrimonii tempus praesto sunt, ut « corroborari per Spiritum in interiorem hominem » (*Eph.* 3, 16) et « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13), in perfectum Dei et proximi amorem, pervenire valeant. In hac unione cum Christo fundatur dignitas et missio coniugum christianorum. Habent proprium suum in Ecclesia donum (cf. *1 Cor.* 7, 7), scil.:

1. ut una simul ex fide in Christum et Ecclesiam semper profundiori viventes non cum Deo tantum, sed et inter se arctius coniungantur;

2. ut per amorem viri erga uxorem iuxta exemplum Christi (*Eph.* 5, 25) et per spiritum subiectionis et devotionis uxoris erga virum iuxta exemplum Ecclesiae (*Eph.* 5, 24) coniuges magis ac magis assimilentur Christi cum Ecclesia foederi;

3. ut aedificentur regnum Dei et familia christiana, « ubi nascuntur novi societatis humanae cives, qui sub gratia Spiritus Sancti, ad perpetuandum saeculorum decursu Corpus Christi, in filios Dei constituuntur. In hac velut Ecclesia domestica, parentes fiant (loco: saepe sunt!) primi fidei praecones, quasi munus episcopale, ut ait Augustinus, exercent, et sacras etiam vocationes Deo dante fovent »;

4. ut pro indole et condicione ipsius matrimonii et exemplo et opere apostolatum exerceant christianum.

Quae hic sub verbis « Coniuges christiani » per modum complementi humiliter proponimus, potius in capite « de laicis in specie » ut proprium incisum inserenda esse nobis videntur quam in capite « de populo Dei », et quidem his de causis:

1. Quae dicta sunt, in capite « de laicis » magis considerabuntur. Matrimonium christianum inter cetera sacramenta saepe nomine « sacramenti laicorum » vocatur, eo quod non a sacerdotibus consecratis administratur, sed in ipso contractu matrimoniali perficitur vi characteris baptismalis, quo sponsi sacerdotium universale Christi participant; et quae ita dicuntur, etiam de diaconis et sacerdotibus coniugatis Ecclesiae orientalis valent, quia matrimonium eorum sacramentum est non vi ordinis superioris, sed vi characteris baptismatis, sicut in laicis.

2. Inserendo hoc incisum in locum propositum cap. IV in favorem status laicalis plenius et profundius redditur, quod sane esset optandum.

Hoc proponentes desideramus, ut status matrimonialis christianorum breviter quidem, sed magis explicite in hoc schemate appareat, sicut reliqui Ecclesiae status (episcopatus, presbyteratus, diaconatus, status religiosus); ipse Christus Dominus nempe pro statu matrimoniali speciale sacramentum instituit sicut sacramentum ordinis pro statu sacerdotali.

91

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Cap. III *de Ecclesia,* in initio, agit de populo Dei: sed quid significat haec expressio?

In sacra Liturgia, quae est vox Ecclesiae orantis, saepe in usu est, et quidem in duplici sensu. Aliquando agitur de Ecclesia universa, vel saltem de Ecclesia particulari, de fidelibus circa altare congregatis, sicut fit in orationibus Missalis, ubi « populus Dei » aequivalet « Ecclesiae tuae » aut « familiae tuae ». Aliquando tamen « populus Dei » designat fideles seorsum a hierarchia et a personis specialiter Deo consecratis, ut evenit in oratione « pro omnibus ordinibus et gradibus fidelium », in officio feriae VI in morte Domini: « Oremus pro omnibus episcopis, presbyteris ... et pro omni populo sancto Dei »; aut etiam in canone missae: « Unde et memores nos servi tui (ministrantes), sed et plebs tua sancta... ».

Idem apud Patres. Expressio tamen traditionalis effecta est, quia biblica est. Invenitur nempe in multis libris V. T.; praesertim in Prophetis et Psalmis (ante omnia in hymnis et lamentationibus collectivis). Attamen quid sit, expresse dicitur in libris qui reflexionem theologicam profundiorem revelant, specialiter in libro Deuteronomii, qui est iteratio Legis mosaicae iam spiritu Prophetarum afflata. Legatur solum quod Deus ad Israel dicit in cap. 7, 6-8: « Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris (heb. Segullah, res pretiosa) in cunctis populis qui sunt super terram... Quia dilexit vos Dominus, et custodivit iuramentum quod iuravit patribus vestris. Eduxitque vos in manu forti et redemit de domo servitutis ». Israel ergo est « populus Dei » quia Dominus elegit eum ex

omnibus gentibus, acquisivit ex mero amore et redemit a servitute aegyptiaca; cum Patribus eius foedus aeternum conclusit. Et ideo ornavit populum istum privilegiis particularibus, ut refertur in libro Exodi, 19, 6 pertinente verisimiliter ad traditionem sacerdotalem: « Vos eritis mihi in regnum sacerdotalem (litt. in regnum sacerdotum), et gens sancta ». Solus ergo Israel erit dotibus sacerdotalibus socialiter, communiter munitus, dum solus ad verum Deum per fidem, orationem et cultum accedere poterit. (Id. in *Is.* 61, 6: « Vos autem sacerdotes Domini vocabimini; ministri Dei nostri vobis dicetur »).

Non quod non sit in eo distinctio inter sacerdotes proprie dictos et reliquos de plebe: liber Exodi ipse et liber Deuteronomii: leges ferunt e sacerdotio levitico, sicut etiam de prophetis (cf. *Deut.* 18). Cuiusque tamen ordinis sint, Israelitae cuncti ad sanctitatem tenentur non solum ritualem sed etiam moralem: « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos ex ceteris populis ut essetis mei » (*Lev.* 20, 26).

Notio « populi Dei », secundum Prophetas, in temporibus messianicis se extendet ad omnes gentes, in eo quod se adiungere poterunt numero filiorum Dei, si sese converterint ad Dominum (cf. *Ps.* 47, 10 et 87; *Is.* 2, 2...). Inter eas et ex eis (cf. *Act.* 15, 14) seliget sibi Deus novum populum qui privilegia et promissiones veteris populi electi obtinebit; cum eo novum foedus concludet (cf. *Ier.* 31). Hoc fiet non secundum sanguinem et carnem, sed per gratiam et in spiritu.

Iam Dominus Iesus Pharisaeis, tamquam parti potiori Iudaeorum dixerat: « Dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius » (*Mt.* 21, 43). Multi alii loci N. T., in Actibus et in Epistolis de populo Dei novo mentionem faciunt. Sed textus praecipuus de natura huius populi legitur in Epistola I Petri (*1 Petr.* 2, 9-10): resumit apostolus textum libri Exodi et ei iungit verba Oseae Prophetae. Consideratur a multis exegetis ut homilia ad neophytos ex gentibus. « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut annuntietis virtutes eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum; qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei... ». Christiani ergo cuncti a Deo libere ad fidem vocati sunt, ex statu « non populus », ut collegialiter populus Dei fiant. Eos Dominus sibi acquisivit, redemit in sanguine Christi, Filii sui, ut alibi dicitur (*Rom.* 3, 24-25; *Col.* 1, 13-14; *Tit.* 2, 14). Per fidem (*1 Petr.* 2, 7) et baptismum liberantur a peccatis et aggregantur Christo ex mortuis resurgenti (*Rom.* 6, 13-14), et sic fiunt omnes, sine ulla distinctione, membra Corporis mystici, quod idem sonat ac « populi Dei ». Per Coenam eucharisticam, novi foederis memoriale, coadunati, coalescunt in « Israel Dei » (*Gal.* 6, 16), in gentem sanctam, Deo dicatam, regalem et sacerdotalem, cum Christo rege et sacerdote. Sacerdotio sociali praediti existunt quatenus in Christo Iesu, summo, aeterno et unico sacerdote (cf. *Heb.*) adire possunt ad thronum gratiae, spiritales hostias et semetipsos offerre ut hostiam Deo (*1 Petr.* 2, 5; *Rom.* 12, 1). Sic apti et destinati

sunt omnimodo, per sanctam vitam (cf. *1 Petr,* 2, 12) et etiam per testimonium verbi, ad annuntiandum « virtutes Dei » (graece: Aretàs), id est eius laude digna facta. Ad vocationem missionariam sic appellantur.

In hoc populo Dei quidem dona multiplicia sunt, ut apparet in aliis locis N. T., inter quas numeranda sunt mysteria hierarchica (cf. *Eph.* 4, 15). Omnia autem ex Deo veniunt et ad unum tendunt, ut sancta fiant membra populi Dei, melius quam Israelitae, « ut veritatem facientes in caritate crescamus in Illo per omnia qui est caput, Christus » (*Eph.* 4, 15; cf. *1 Petr.* 9, 2).

Videtur sic totam doctrinam capituli « de populo Dei » synthetice contineri in istis textibus sacris, scilicet natura huius populi, eius sacerdotium sociale et munus apostolicum, eius sanctitas. Dignum et iustum esset caput speciale de hac re constituere. Saltem prooemium textus schematis ut nunc est clarius hanc doctrinam exprimere posset.

Novam formam prooemii mitto ad secretariatum.

Emendatio proposita ut prooemium ad caput « de populo Dei ».

Sacra Synodus, postquam mysterium Ecclesiae in tota sua amplitudine ante oculos posuit, nunc ad considerationem conditionum et missionis totius « populi Dei » in terra commorantis animum vertit. In Vetere nempe Testamento expressio « populus Dei » coetum filiorum Israel designabat, in quantum a Deo specialiter per amorem electum et redemptum (*Deut.* 7, 6-8), regnum sacerdotale et gentem sanctam constituebat (*Ex.* 19, 6). Ita sub Nova Lege « populus Dei » « vocantur omnes qui in Christo per fidem et baptismum realiter aut in voto (cf. *Act.* 18, 10) uniti, novum « Israel Dei » (*Gal.* 6, 16) efformant. In Domino Iesu, summo, aeterno et solo Pontifice, « gens sancta, regale sacerdotium, gens sancta et populus acquisitionis » (*1 Petr.* 2, 9-10) vocantur et revera sunt. Ut omnimodo Dei facta laude digna annuntient.

Populus hic... (pag. 7 Emendationum, linn. 3 s.).

92

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Protoarchimandrita-superior generalis Ordinis Basiliani S. Iosaphat

Audita disceptatione de cap. III schematis *de Ecclesia,* sequentia animadvertere et proponere audeo, ut schemati tanti momenti meliori quo possumus modo adlaboremus:

Caput III: (IV). *In genere*:

1. Placet omnino *divisio* proposita capitis eo modo ut in cap. II tractetur « *de Christi fidelibus* ut de populo Dei » in genere, « *de laicis* » vero in specie agatur in cap. IV. *Ratio*: Tractando simul in uno capite « de populo Dei » et « de laicis » notio universalis « populi Dei » iniuste restringi

videtur ad quemdam populismum qui hodie viget in rebus politicis et fere exclusive classim opificum et agricultorum comprehendit (proletariatus). Ideo aptius loquendum « de Christi fidelibus », qua populo Dei nota vere spiritualis et non mere ethnica datur.

2. Si tamen placeret loqui solummodo « de populo Dei », *explicetur bene* terminus « *populus* ». *Ratio*: Notio « populi » in antiquitate et in S. Scripturis adhibita alio modo intelligitur quam hodie. Et etiam hodie non est omnino terminus univocus sed multivocus in variis regionibus terrae. Aliter in occidente et aliter in oriente sonat, aliter in societate sic dicta capitalistica et aliter in socialistica, aliter in democratiis et aliter in monarchiis intelligitur. Ex disceptatione et ex modo tractationis in capite notio moderna, ut dicam socialistica, influere in schema videtur, quod periculosum est si applicatur ad Christi fideles ut de populo Dei. Melius et securius et tutius dicatur simpliciter « De Christi fidelibus » et, si placet, addatur « ut de populo Dei ».

3. In hoc novo capite, secundo ordine, « De Christi fidelibus seu de populo Dei », necessarium omnino est ut procedatur *ex notione* « *corporeitatis* » Ecclesiae, Corporis Christi mystici, qua melius explicatur diversitas in unitate et unitas in diversitate munerum, officiorum, ministeriorum etc., quam hoc fieri potest e notione « populi », quodam moderno populismo infecta.

4. In hoc novo *cap. II* « *de Christi fidelibus* » ponantur ea omnia ex cap. III et IV (praesente), quae non speciatim « de laicis » et « de religiosis » agunt. *Ratio*: hoc modo plures difficultates evanescunt quae motae fuerunt de cap. III et IV, ut e. g. de sacerdotio universali, de universali vocatione ad sanctitatem, etc.

5. His duobus capitibus praemissis, i. e.: *cap. I*: De Ecclesia Christi seu de regno Dei: et *cap. II*: De Christi fidelibus seu de populo Dei, in aliis tribus capitibus subsequentibus agatur: *cap. III*: De clericis; *cap. IV*: De laicis; *cap. V*: De religiosis, ut de singulis statibus seu classibus Ecclesiae Christi seu populi Dei, *iure divino inter se distinctis et constitutis.* Hoc modo schema manebit in ambitu purae ecclesiologiae neque exiget speciali capite De Christo Ecclesiae Capite et De Maria Matre Ecclesiae, quae separatim tractare possunt vel minus.

6. Hoc modo in *cap. III*: *De clericis,* praeter « De hierarchia » iungi possunt ea quae desiderantur de presbyteris, de diaconis etc. prout notabatur a PP. Concilii, et vitetur quidam episcopalismus quo schema nostrum nunc notatur, prout observatum fuit a pluribus.

7. Ceterum, emendatis emendandis, in schemate iam *inveniuntur omnia elementa* positiva et necessaria pro constitutione doctrinali « de Ecclesia », remissis aliis aspectibus: pastorali, disciplinari, oecumenico ad propria schemata decretorum disciplinarium.

8. Ad *modum* et *methodum* quod spectat: schema reproponatur *modo*: a) *simpliciori*: vitando intersectionem rerum primariarum et secundarium,

vitando accumulationem principiorum simul cum consectariis et conclusionibus, etc.; b) *clariori*: proponendo doctrinam certam, vitando controversa, auferendo particularia; c) *breviori*: auferendo elementa hortatoria, perenetica, simpliciter explicatoria, vitando argumentationes et probationes, quae omnia remittuntur ad praxim pastoralem post-conciliarem et magisterium ordinarium Ecclesiae cum cura pastorali.

Ad exemplar praecedentium viginti Conciliorum Oecumenicorum, Concilium Vaticanum II agat non de omnibus ut proponat quamdam summam theologicam, sed de necessariis nunc et hodie. Ex disceptationibus quae hucusque habitae fuerunt in Concilio Vaticano II quaedam tendentia « summistica » notari potest, quae omnino vitanda est si ad finem desideratum pervenire cupimus. Non est possibile nec expedit ut magisterium extraordinarium, conciliare substituatur magisterio ordinario Ecclesiae, quasi de ultimo ageretur iam Concilio Oecumenico. Ob nimiam multitudinem decretorum eorumque prolixitatem auctoritas conciliaris in oculis simplicis populi diminutionem quamdam pati periculum est, ac si Ecclesiae catholicae per duo millennia quaedam defuerunt ex doctrina, et nunc tantummodo a Concilio proponuntur. Ecclesiae nullo elemento vitae christianae ducendae necessario hucusque carebat. Salvo meliori iudicio.

93

Exc.mus P. D. HERMANNUS WESTERMANN
Episcopus Sambalpurensis

De charismate missionario. De eis, quae in cap. 3 schematis *de Ecclesia,* n. 24, de charismatibus dicuntur, pauca notare velim tamquam episcopus missionarius.

Secundum novam divisionem iam approbatam hic textus venit sub cap. II de populo Dei, agit ergo di influxu charismatico divino qui invenitur in tota ecclesia, in clericis et in laicis. Fortius et clarius dicendum est, mihi videtur, ecclesiam etiam nostra aetate summopere indigere charismatibus, inter quae vero locum principalem tenet charisma evangelizandi et populum Dei augendi.

Primo quidem iuvat conceptum charismatis definire. S. Thomas distinguit gratiam duplicis ordinis, gratiam scil. gratum facientem « per quam ipse homo Deo coniungitur », et gratiam gratis datam, « per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur » (*S. Theol.,* I-II, q. 111, a. 1). Per charismata ergo, secundum eundem doctorem Angelicum, Deus talia dona communicat « quibus homo indiget ad hoc ut alterum instruat in rebus divinis, quae sunt supra rationem » (*id.* a. 4). Requiritur ergo in ecclesia talis influxus Spiritus Sancti, qui non solum ad sanctificationem singulorum membrorum spectat, sed « ad bonum commune ecclesiae » (*id.* a. 5, ad 1) et quidem maxime ad communicandum verbum Dei.

Ab initio Ecclesiae Spiritus Dei eiusque influxus charismaticus urgebat Apostolos ad opus evangelizandi. In die Ascensionis iam omnia parata erant ad Evangelium spargendum: apostoli munus et missionem iam acceperant, tamen monentur ut « ab Hierosolymis ne discederent sed expectarent promissionem Patris », scil. Spiritum Sanctum quo baptizandi erant, (*Act.* 1, 4 ss.) ut capaces fierent esse testes Christi « in Ierusalem et in omni Iudaea et usque ad ultimum terrae » (id. v. 8). Idem Spiritus urget apostolos secundum totum librum Actuum Apostolorum ad opus missionarium: per charismata Spiritus Sancti Petrus inducitur ad recipiendum Cornelium in ecclesiam sine circumcisione (*Act.* 10, 45-48). Per influxum Spiritus primi missionarii mittuntur ab ecclesia Antiochena, (*Act.* 13, 1-4). Petrus dicit evangelium nuntiari « Spiritu Sancto misso de caelo » (*1 Petr.* 1, 12) et Paulus dicit mysterium Christi annuntiandum gentibus revelatum esse « apostolis et prophetis in Spiritu », ergo non tantum apostolis ut munere fungentibus, sed et prophetis libere inspiratis a Spirito Sancto (*Eph.* 3, 5).

Sicut in initiis Ecclesiae, ita omni aetate impulsus missionarius ortus est ex inspiratione charismatica. Iuvat meminisse solum nomina duorum patronorum missionum, S. Francisci Xaverii et S. Theresiae a Iesu Infante. Etiam nostra aetate charisma missionarium est summi momenti. Indigemus novo et valido impulsu totius populi christiani ut hodierna gravissima problemata missionaria solvantur et ut nationibus, quae Christum nondum noverunt, auxilia contra imminentem saecularismum et materialismum dentur et salus Christi offeratur.

Concludo. Nostra aetate ecclesia indiget non solum organisationibus et institutionibus missionariis, sed maxime charismate missionario, dono gratuito Spiritus Sancti, qui illuminare et impellere debet fideles in hoc opere missionario magis efficaciter prosequendo. Hinc rogo ut hic textus de charismatibus maiore vi et urgentia proponatur.

Nam illa dona charismatica non solum, ut legitur in textu, « cum gratiarum actione accipienda sunt », sed instanter a Deo petenda, ad populi Dei incrementum, et ad regni Dei adventum magna cum virtute.

Textus ita, aut simili modo, ponatur: « Imploranda est munificentia divina ut larga charismatum dona super ecclesiam effundat, ad incrementum fidei populi Dei, ad fiducialiter annuntiandum Evangelium, et ad novas vias investigandas annuntiandi Christum omnibus gentibus nostra aetate ».

94

Exc.mus P. D. PAULUS YÜPIN
Archiepiscopus Nanchimensis

N. 25: *De vita salutifera et apostolica laicorum.* In hoc cap. III, activitates sociales laicorum egregie describuntur in schemate. At magis placeret, si specialis mentio etiam fiat de operibus laicorum in terris missionum. Si

enim Ecclesia vere et essentialiter est missionaria, Sacra haec Synodus ne per unum quidem temporis momentum talem aspectum negligere debet. Propterea, humiliter propono ut in n. 25, in calce pag. 9, post verba « In quo officio universaliter adimplendo laici principem locum tenent » datur « praesertim in terris novae evangelizationis ». Rationes sunt sequentes:

1. Hisce ultimis temporibus, nationalismus in terris Missionum factus est phaenomenon sat universale. Talis quidem nationalismus ex instinctu naturali et ex iustitia internationali, indistincte reprehendi non licet. Rebus sic stantibus, activitates sociales missionariorum exterorum saepe occasiones praebent suspicioni aut praetextui politicae. Laici autem christifideles, tanquam cives suae reipublicae, libertate gaudent agendi.

2. Christifideles in terris missionum, generatim a suis concivibus considerantur ut bonum commune negligentes vel etiam sequaces exterorum, propriae rei publicae indifferentes, aut etiam quandoque patriae traditores. Si haec nostra universalis Synodus responsabilitatem laicorum de bono communi promovendo inculcat, populi isti paulatim comprehendent christifideles non tantum cives bonos esse, imo et patrioticos ac servitio communitatis ferventes.

3. In missionibus sacerdotes numero insufficientes, saepe etiam in pluribus campis apostolatus socialis incompetentes sunt. Quodsi laici christifideles responsabilitatem evangelizationis pro statu suo conscienter suscipiunt, certo certius campum apostolatus semper et ubique mirifice extendunt. Ita evangelizatio collectiva (Mass conversion) procul dubio possibilis erit.

4. Ex eo consequitur quod missionariorum officium est formare et promovere christifideles ad apostolatum socialem. Imo vehementer optandum est ut christiane formentur futuri dirigentes reipublicae.

5. Centena millia iuvenum ex Asia et Africa studio incumbunt in Europa et America. Plures ex istis auctoritatem publicam suarum nationum iam tenent, non pauci vero sunt Ecclesiae adversarii vel etiam persecutores, ut experientia in mea patria clare docet.

Propterea enixe deprecor omnes venerabiles Confratres in episcopatu, speciatim ex regionibus Europae et Americae, ut in vestris sollicitudinibus quotidianis omnium Ecclesiarum, locum non ultimum hisce iuvenibus formandis attribuatis.

95

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI HELVETIAE

Helvetiorum episcopi, quorum nomine loquor, audent, venerabiles Patres, has emendationes super cap. III *de Ecclesia,* submisse humiliterque proponere.

1. Cum Concilii Oecumenici declarationes maximi momenti sint, necesse est ut quam clarissime ambiguitate careant.

Populi Dei notio, in hoc capite, non satis elaborata videtur. Etenim in sensibus diversis et quidem confusis sumitur. Inde difficultates non paucae.

Ideo iam in prooemio, comprehensio et extensio notionis populi Dei accuratius explicetur et semper prae oculis habeatur, quod populus Dei ad unionem cum Christo vocatur, sicut ad causam efficientem et finalem.

2. Dum in n. 23 de laicorum descriptione agitur, clare et valde notandum est unam eandem Ecclesiam esse in hierarchia, in religiosis et in laicis, quia idem Christus ut caput et idem Spiritus ut anima omnibus et singulis adsunt et eam ad eundem Patrem ducunt. Ideo omnis et tota missio Ecclesiae est, suo quoque modo, et in hierarchia et in religiosis et in laicis. Quapropter status laicalis prius definiendus videtur ex relatione ad totam Ecclesiam, et postea dicendum est quomodo illa missio totius Ecclesiae in statu laicali exerceatur.

3. Magni momenti et ponderis est quod dicitur vel potius dicendum esset in n. 25. Rationes theologicae quae ibi ponuntur ut fundamentum apostolatus laicorum, nobis videntur nec satis solidae nec satis extensae, ut laici magnum hunc apostolatum faciant et ad eundem se devoveant.

Fundamentum laicorum apostolatus posuit Leo XIII in *Sapientiae divinae* et quidem Vaticanum I citando: magnitudine bonitatis vult Christus ut non solum hierarchia sed omnes christifideles laici operam conferant ad obtinendos fructus salutis quam ipse peperit. Caritas urget nos! Caritas ex sacratissimo Corde Iesu in omnes diffusa, a morbo individualismi nos omnes, praepositos, religiosos et laicos liberat, ut omnes simul templum Dei aedificemus. Dictum est enim: Unicuique mandavit Deus de proximo suo.

Insuper accuratius declaratio fiat de oneribus laicis imponendis, ne obligationes participandi ad omnes associationum et apostolatus formas, omnibus aequaliter imponantur.

4. Denique, in cap. III, de oboedientia, bis, ni fallimur, aliquid dicitur et quidem relate ad laicos ac si oboedientia ad solos laicos spectaret. Exemplum et doctrina Christi, qui pro nobis factus est oboediens usque ad mortem, ad oboedientiam totam convocant Ecclesiam: seu praepositos, religiosos et laicos. Sine oboedientia nihil aliud quam peccatum habetur: « Sicut enim per inoboedientiam unius hominis peccatores constituuntur multi, ita per unius oboedientiam iusti constituuntur multi » (*Rom.* 5, 19). Ideo sine oboedientia nec fides, nec iustificatio, nec populus Dei, nec Ecclesia. Cum oboedientia autem caritas. « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me » (*Io.* 14).

Ideo, ut dicit apostolus Paulus: « Ecclesia subdita est Christo (*Eph.* 5, 24). Tempore nostro, rationalismo et nimiae independentiae spiritu graviter infecto, nobis videtur instanter instantius declarare oboedientiam Christo et quibus Christus posuit regere Ecclesiam Dei, fundamentum et vim esse totius curae pastoralis et apostolatus laicorum, qua deficiente, saepe saepius et presbyteri et religiosi et laici fiunt, sicut ait apostolus: « aerem verberantes ». Si omnes e contra oboediunt, fit quod de Ecclesia dixit Isaia propheta: « Voluntas mea (id est Dei) in ea ».

Emendationes.

N. 22, loco linn. 8-11 « Pastores ... cooperantur » dicatur: « Illius populi maxima dignitas omnibus fidelibus communis, qui omnes ab unione cum Christo divinae consortes facti sunt naturae et Sanctissimae Trinitati adunantur, derivatur. Cum autem ex voluntate Christi ille populus organice constituitur, praepositi suas oves regunt, religiosos et laicos, qui diversis viis ad pascua ducuntur, ita ut cuncti suo modo et in suo ordine ad commune opus explendum cooperantur (cf. *Eph.* 4, 11-16).

N. 23, post lin. 15 addatur: « ita ut tota Ecclesia Christo subdita sit (*Eph.* 5, 24) et ad Eius exemplum oboediens, qui « humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Phil.* 2, 8). Non existit enim populus Dei sine iustificatione, nec iustificatio sine fide, nec fides sine oboedientia. « Sicut enim per inoboedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius oboedientiam iusti constituuntur multi » (*Rom.* 5, 19).

N. 23, pag. 6, linn. 31-40, loco « qui baptismati ... sanctificant » dicatur: « qui in mundo viventes et in laboribus mundi partes agentes, mundum velut ab intra sanctificant sub ductu pastorum et in eodem spiritu eorum qui vota evangelica emiserunt ».

96

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Conferentia episcoporum Neerlandica de cap. III schematis *de Ecclesia* sequentia proponere velit.

I. *Generaliora.* Supponimus quod explanatio de populo Dei et de laicis in duas partes dividatur et per consequens dicta de sacerdotio communi omnium christifidelium subsumantur in capite de populo Dei et non in capite de laicis, quia hoc sacerdotium in membris hierarchiae minime evanescit. Quidquid tamen sit de hac laudanda divisione huius capitis, in expositione de populo Dei explanatio Novi Foederis (prout habetur in Emendationibus de Ecclesia, parte II, pag. 7, n. 9) minime deesse potest, cum hoc foedus sit radix et principium novi populi Dei. Insuper verbum « sacerdotium commune » praeter « sacerdotium universale » forsan praefertur.

Quantum ad varia munera laicorum, sub n. 25 a, b, et c enodata, censemus explanationem fieri posse cum maiore vigore et claritate, quae insuper capaces sunt quae appellent ad animum laicorum. Munus laicorum cum in Ecclesia ad augmentum intensivum et extensivum totius Corporis Christi tum in mundo sub variis respectibus considerari iuvat, sed divisio inter valores *religiosos* (a), valores *morales* (b) et valores *profanos* (c) non videtur laudanda, cum hi ultimi, licet habeant propriam suam consistentiam, qua humani sint etiam morales et christiano spiritu vivendi. Proinde paragraphos b et c aliqualiter aliter ordinandos esse censemus. Sub b agendum esse iuvat de operibus saecularibus inquantum consulunt conditionibus mundanis huma-

nisque vitae religiosae et moralis; proinde ut *dispositiones* ad Regnum. Sub c vero, inquantum per opera saecularia: 1) gloria Dei manifestata in creatione protrahitur in ipsa cultura humana; 2) christifideles inserviunt muneri Christi regali, quo servitio spiritualia et temporalia a Christo Domino semel adepta, inter homines fraterne diffundantur, in signum adventus regni; 3) seipsos sanctificent christifideles cotidiano studio fideli. Ita magis manifestatur opera saecularia a christifidelibus peracta esse *et* dispositionem ad regnum gratiae *et* signum huius regni *et* etiam auram in qua christifideles quotidie sanctificantur.

Quapropter paragraphi a, b, c, pag. 9 forsan melius sic sonare possunt:

« *a*) Christifidelium ... cooperari ». Hic tantummodo post lin. 21 addenda sunt quae dicuntur linn. 33-36, cum haec magis respectum habeant ad munus laicorum in ipsa Ecclesia. (« Pro sua cuiusque intellectuali cultura... temporis quaestionibus »).

b) Ad fideles praesertim laicos spectat ut operibus saecularibus sese immisceant, ita consulentes progressui humano, ut hic progressus sit vere omnimode humanus sub gratia Spiritus Christi. Operibus enim saecularibus navando sanare et excolere debent mundanas humanasque condiciones vitae religiosae et moralis. Quod faciendo proprie, liceat indirecte, curant de salute aliorum. Nam, licet fideles in quavis vitae circumstantia vocationi ad sanctitatem respondere queant, inhumanae tamen dispositiones vitae difficiliorem reddere possunt vitam christianam. Sciant proinde christifideles in hac re munere vere christiano fungi debere. Ad quam apostolicam navitatem Ecclesia suos filios instanter appellat, praesertim laicos, qui variis officiis in mundo addicti et experientia singulari praecellentes, opportunitatibus datis maiore cum efficacia uti possunt, praecipue per contactus personales.

c) Denique ad omnes christifideles id etiam spectat, ut per opera etiam saecularia munus cooperatorum Dei in creatione ita persolvant, ut bona creata, secundum Creatoris ordinationem eiusque Verbi illuminationem, humano labore, arte technica, civilique cultura *non tantum* ad utilitatem omnium prorsus hominum et ad universalem progressum in humana et christiana libertate excolantur, sed eo etiam in gloriam et laudem Creatoris. Sic gloria Dei manifestata in ipsa creatione protrahitur in ipsa cultura humana. Hic vero hymnus laudis Creatori eo vel magis protrahendus est per culturam sub signo Christi humanam, cum Christus, redemptione peracta, non tantum sit caput Ecclesiae sed et Dominus caeli et terrae. Operibus proinde culturae cuiusvis generis christifideles meminerint se inservire muneri Christi regali, quo consummata est exspectatio gentium; curent proinde, ut, in cursu mundi, beneficia spiritualia et temporalia a Christo Domino semel adepta, reapse inter homines fraterne diffundant, in *signum* adventus regni. Quod faciendo procurant condicionem plene humanam, quae ad integram salutem etiam in terris iam pertinet. Denique ad omnes christifideles id etiam spectat, ut, gratia cum Christo uniti, in operibus saecularibus navandis ita se habeant ut his quotidianis operibus de die in diem magis sanctifi-

centur. Ita Ecclesia reapse tamquam lumen pro tota societate apparebit ». (Et sequuntur linn. 7-22, pag. 10).

II. *Particularia.* Quantum ad circumscriptionem illius quod in Ecclesia est laicus pag. 6, n. 23, linn. 31-36), sequens notare velimus. Distinctio laici a clerico necnon eius distinctio a religioso non sunt eiusdem ordinis. Insuper in terminologia habetur discrepantia cum iis quae in cap. IV dicantur de statu perfectionis qui « non est intermedium quid inter clericalem et laicalem conditionem sed ex utraque parte christifideles quidam a Deo vocantur » (pag. 21, n. 32, linn. 5-7). Quapropter praetermisso conamine alicuius definitionis illius quod est laicus, simpliciter dicatur: « Sacrosancta Synodus *hic* nomine laicorum intelligit *illos* fideles, qui ».

Pag. 6, n. 23, linn. 17-18: cum ipsa hierarchia pertineat ad ipsum populum, melius dicatur: « Distinctio enim quam ipse Dominus intra populum Dei inter *clericos* et *laicos* posuit, simul est coniunctio ».

Pag. 10, n. 25, lin. 15: deleatur « imprimis laici »; suo modo est enim munus totius populi Dei.

Pag. 10, n. 26, lin. 24: deleatur « laicis non exceptis »; est enim evidens, et licet cum bona intentione dictum, includit quandam discriminationem potius peiorativam.

Pag. 10, n. 26, lin. 39: deleatur « ideoque et laici ».

CONGREGATIO GENERALIS LVII

29 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LVII

29 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Audiant omnes! Moderabitur hanc congregationem generalem 57 em.mus ac rev.mus D. Gregorius Petrus card. Agagianian.

Haec fient in hac congregatione generali. Imprimis suffragationi subicietur caput integrum V schematis *de sacra Liturgia,* quod inscribitur de anno liturgico. Haec suffragatio, ut iam Patribus notum est, fiet per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Modi exhibendi sunt una cum schedula.

Deinde fiet suffragatio circa quaesitum quoad schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae.* Postea habebitur relatio per exc.mum D. Caesarium D'Amato, ep. tit. Sebastenum in Cilicia, Abbatem Ordinarium S. Pauli, de cap. VII schematis *de sacra Liturgia,* quod inscribitur de musica sacra. Et procedetur etiam, quantum tempus sinet, ad suffragandas emendationes singulas circa hoc caput.

In hac pariter congregatione, duo documenta Patribus distribuentur: primum inscribitur *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema constitutionis dogmaticae de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae.*[1] Est, uti nostis, veluti sylloges omnium animadversionum, quae factae sunt scripto a Patribus circa hoc schema.

Deinde fiet etiam distributio alius documenti, magni momenti. Et hoc fit de mandato em.morum moderatorum. Hoc documentum inscribitur *Propositiones Congregationis generalis suffragiis subiciendae quoad cap. II schematis de Ecclesia,* cuius textus nunc, ex officio et de mandato moderatorum, vobis, venerabiles Fratres, lego; et de mandato pariter moderatorum, suffragatio circa singula puncta fiet crastina. Audiatis igitur attente:

PROPOSITIONES

CONGREGATIONIS GENERALIS SUFFRAGIIS SUBICIENDAE QUOAD CAPUT II SCHEMATIS « DE ECCLESIA »

Cum ex interventionibus Patrum in Aula Conciliari non sit possibile eruere quot Patres revera stent pro tali vel tali sententia, eo fine ut afferatur Commissioni competenti elementum aliquod iudicii circa am-

---

[1] Cf. pp. 300-338.

plitudinem adhaesionis quam appositae sententiae revera habent in Congregatione; adhaerendo petitionibus multorum Patrum, immo universae etiam aliquando Conferentiae episcopalis; Moderatores proponunt Patribus, pro Capite II Schematis De Ecclesia, quaestiones quae sequuntur.

Vota Patrum de eisdem, proinde, nullum textum adprobant vel reiiciunt; unice eo tendunt ut Commissio scire possit quae sit propensio Congregationis circa propositas quaestiones; competens deinde Commissio Conciliaris, debite, iuxta Ordinem Concilii, perpendet singulas Patrum interventiones; ac deinde integrum textum subiiciet suffragationi Patrum in Congregatione generali.

Quaeritur:

1. Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur Episcopalem consecrationem summum gradum Sacramenti Ordinis constituere.

2. Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur omnem Episcopum legitime consecratum in communione Episcoporum et Romani Pontificis, qui est eorum Caput et principium unitatis, membrum esse Corporis Episcoporum.

3. Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur Corpus seu Collegium Episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedere Collegio Apostolorum; et ipsum, una cum capite suo Romano Pontifice et numquam sine hoc capite (cuius salvum et integrum remanet ius primatiale in omnes pastores et fideles), plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollere.

4. Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur praedictam potestatem ipsi Collegio Episcoporum Capiti unito competere iure divino.[1]

---

[1] N. B.: *Sensus propositionum tertiae et quartae est*:

a) *actuale exercitium potestatis Corporis Episcoporum regitur ordinationibus a Romano Pontifice adprobatis;*

b) *actus vere collegialis Corporis Episcoporum non datur nisi invitante aut « saltem libere recipiente »* (cf. Schema « De Ecclesia », p. 27, l. 38) *Romano Pontifice;*

c) *modus practicus et concretus, quo duplex forma supremae potestatis in Ecclesia exercetur, ad ulteriorem determinationem theologicam et iuridicam pertinet, Spiritu Sancto harmoniam inter utramque formam indefectibiliter roborante.*

5. Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut opportunitas consideretur instaurandi diaconatum ut gradum distinctum et permanentem sacri ministerii, secundum utilitatem Ecclesiae in diversis regionibus.

Haec sunt quaesita quae crastina subicientur suffragationi cum formula *placet* et *non placet.* Hodie hoc folium omnibus Patribus distribuetur.

Nunc lego nomina eorum Patrum, qui petierunt verba facere circa cap. IV schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis in Lusitania, Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis in Australia, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia, Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus in Hispania, Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; exc.mi DD. Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia, Ioseph Angrisani, ep. Casalensis in Italia, Renatus Fourrey, ep. Bellicensis in Gallia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Ioannes Russell, ep. Richmondiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico, Dominicus Hoàng-van-Doàn, ep. Quinhonensis in Vietnam; rev.mus P. Benedictus Reetz, sup. gen. congregationis Beuronensis O.S.B.; exc. DD. Ioseph Martin, arch. Rothomagensis in Gallia, Isidorus Emanuel, ep. Spirensis in Germania, Ildephonsus Sansierra, ep. aux. S. Ioannis de Cuyo in Argentina; rev.mus P. Cornelius Heiligers, sup. gen. Societatis Mariae Montfortanae; exc.mi DD. Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia, Ioannes González, arch. tit. Oxyrynchitanus in Columbia; rev.mi DD. Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. Missionariorum S. Cordis Iesu, Villelmus Van Hees, mag. gen. Ordinis S. Crucis; exc.mus D. Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia; rev.mi DD. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Alfonsus Dutil, sup. gen. Missionariorum B. M. V. a « La Salette ».

Cum igitur debeat primo peragi suffragatio super integro cap. V schematis *de sacra Liturgia,* textum eiusdem Patribus, saltem ex parte, lego. Conferatis pag. 15 fasciculi, a parte dextra eius qui legit:

De anno liturgico

« Pia Mater Ecclesia suum esse ducit Sponsi sui divini opus salutiferum, statis diebus per anni decursum sacra recordatione celebrare. In unaquaque hebdomada, die quam dominicam vocavit, memoriam habet

Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, solemnitate maxima Paschatis, una cum beata ipsius Passione frequentat... ».

Et reliqua, usque ad pag. 19, cum appendice, qui explicit iis verbis: « Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum et in societatem civilem inducendum excogitantur, iis tantum Ecclesia non obsistit, quae hebdomadam septem dierum cum dominica servant et tutantur, nullis diebus extra hebdomadam interiectis, ita ut hebdomadarum successio intacta, nisi accedant gravissimae rationes de quibus Apostolica Sedes iudicium ferat, relinquatur » [*cf. pp. 267-271*]. Et satis. Ergo: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Dixi.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

[5] EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput VII schematis

AD PROOEMIUM

1 — Pag. 195, lineis 2-5, textus ita mutetur: « EO PRAESERTIM QUOD UT CANTUS SACER QUI VERBIS INHAERET NECESSARIAM VEL INTEGRALEM LITURGIAE SOLLEMNIS PARTEM EFFICIT ».

AD ART. 91

2 — Pag. 195, lineis 22-24, textus ita mutetur: « FORMAM NOBILIOREM ACTIO LITURGICA ACCIPIT, CUM DIVINA OFFICIA SOLLEMNITER IN CANTU CELEBRANTUR, QUIBUS MINISTRI SACRI INTERSINT QUAEQUE POPULUS ACTUOSE PARTICIPET ».

AD ART. 93

3 — Pag. 196, post lineam 10, addatur: « COMMENDANTUR INSUPER INSTITUTA SUPERIORA DE MUSICA SACRA PRO OPPORTUNITATE ERIGENDA ».

AD ART. 97 [5]

4 — Pag. 197, linea 17, loco verborum: « *musicam christianam* », legatur: « TRADITIONALEM EARUM GENTIUM MUSICAM ».

AD ART. 98

5 — Pag. 197, lineis 21-23, textus ita mutetur: « Organum TUBULATUM *in Ecclesia latina magno in honore habeatur, tamquam* instrumentum musicum traditionale, *cuius sonus Ecclesiae caere-* [6] *moniis mirum addere valet splendorem, atque mentes ad Deum ac superna vehementer extollere* ».

NOVUS ARTICULUS

6 — Pag. 197, post art. 98, addatur novus articulus: « SENTIANT MUSICAE ARTIFICES, SPIRITU CHRISTIANO IMBUTI, SE AD MUSICAM SACRAM COLENDAM ET AD THESAURUM EIUS AUGENDUM ESSE VOCATOS.

Modos autem componant, QUI NOTAS VERAE MUSICAE SACRAE PRAE SE FERANT *atque non solum* a maioribus scholis cantorum cani possint, sed minoribus quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius *coetus fidelium* foveant.

Textus cantui sacro destinati catholicae doctrinae sint conformes, immo ex sacris Scripturis et fontibus liturgicis potissimum hauriantur.

[15]

2 – TEXTUS SCHEMATIS

Textus in Schemate propositus

CAPUT VII
DE MUSICA SACRA

Musica traditio sanctae Ecclesiae thesaurum constituit inaestimabile, maxime excellens inter ceteras artis expressiones, cum Musica sacra efformet necessariam Liturgiae sollemnis partem et directe sacram Actionem comitetur. Efficaciam spiritualem sacri concentus in cultu divino laudibus extulerunt sancti Patres atque Romani Pontifices, qui hac nostra praesertim aetate, praeeunte sancto Pio X, Musicam sacram « ad fontes » revocantes, ipsius characterem ministerialem dominici servitii pressius ostenderunt. *Etsi relationes statuantur, limites tamen in generibus musicis haud ponuntur,* cum Ecclesia omnes verae artis expressiones, debitis praeditas dotibus, amplectatur et in cultum admittat.

Normas ac praecepta ecclesiasticae traditionis et disciplinae secutum, prae oculis habens finem ultimum Musicae sacrae, qui « gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium »,[1] Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuit.

Textus a Commissione emendatus *

CAPUT VI
DE MUSICA SACRA

112. Musica traditio Ecclesiae *universae* thesaurum constituit *pretii inaestimabilis,* inter ceteras artis expressiones *excellentem,* EO PRAESERTIM QUOD UT CANTUS SACER QUI VERBIS INHAERET NECESSARIAM VEL INTEGRALEM LITURGIAE SOLLEMNIS PARTEM EFFICIT.

Profecto sacros concentus laudibus extulerunt cum Sacra Scriptura,[1] tum sancti Patres atque Romani Pontifices, qui *recentiore* aetate, praeeunte sancto Pio X,[2] *munus Musicae sacrae ministeriale in dominico servitio pressius illustrarunt.*[3]

Ideo Musica sacra tanto sanctior erit quanto arctius cum actione liturgica connectetur, sive orationem suavius exprimens vel unanimitatem fovens, sive ritus sacros maiore locupletant solemnitate. Ecclesia *autem* omnes verae artis *formas,* debitis praeditas dotibus *probat easque* in cultum *divinum admittit.*

Sacrosanctum igitur Concilium normas ac praecepta ecclesiasticae traditionis et disciplinae *servans* finemque Musicae sacrae *respiciens,* qui gloria Dei est *atque* sanctificatio fidelium, ea quae sequuntur statuit.

[16] 90. [*Natura Musicae sacrae*]. Musica sacra tam nobilem in Liturgia locum ex Patrum traditione habet, ut ei velut ancilla seu administra famuletur,[2] modo orationem suavius exprimens vel unanimitatem fovens, modo ritus

[Cf. art. 112]

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

sacros maiore sollemnitate comitans. Tanto ergo pulchrior et sanctior erit, quanto actioni liturgicae arctius connectetur. [16]

91. [*Liturgia sollemnis principem locum tenet*]. Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia sollemnis, lingua latina celebrata, cum participatione populi.

Ut autem fideles et scholae cantorum ad Liturgiam sollemniter celebrandam progressive ducantur, gradus ipsorum captui et condicioni accommodati statuantur.

Proinde sit Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus proponere ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.

92. [*Participatio fidelium numquam excludenda*]. Quamvis thesaurus artisticus Musicae sacrae summa cura servandus et fovendus sit,[3] et scholae cantorum assidue provehendae, Episcopi ceterique animarum pastores sedulo provideant ut in qualibet sacra actione, vel sollemnissima, universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam in cantu praestare possit.[4]

93. [*Institutio musica*]. Magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in Religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus, necnon in ceteris institutis et scholis catholicis; ad quam institutionem obtinendam, magistri, qui Musicae sacrae docendae praeficiuntur, sedulo praeparentur.[5]

Cantores vero et musicae artifices, praeter musicam, solida formatione liturgica donentur, iuxta Ecclesiae traditionem et pastorālem populi utilitatem, quibus eorum servitium spiritu ac mente perficiatur.[6]

Fideles quoque, iuxta ipsorum condicionem, sicut in sacra Liturgia ita in cantu sacro opportune edoceantur, « ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent ».[7]

113. FORMAM NOBILIOREM ACTIO LITURGICA ACCIPIT, CUM DIVINA OFFICIA SOLLEMNITER IN CANTU CELEBRANTUR, QUIBUS MINISTRI SACRI INTERSINT QUAEQUE POPULUS ACTUOSE PARTICIPET.

Quoad linguam adhibendam, serventur praecepta art. 36; quoad Missam art. 54; quoad Sacramenta, art. 63; quoad Officium divinum, art. 101.

114. Thesaurus Musicae sacrae summa cura *servetur et foveatur.*[4] Scholae cantorum assidue *provehantur, praesertim apud ecclesias cathedrales*; Episcopi *vero* ceterique animarum pastores sedulo *curent* ut in qualibet actione sacra *in cantu peragenda* universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam praestare *valeat,*[5] *ad normam art. 28 et 30.*

115. Magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in Religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus, necnon in ceteris institutis et scholis catholicis; ad quam *quidem* institutionem *assequendam,* magistri, qui Musicae sacrae docendae praeficiuntur, sedulo *conformentur.*[6]

COMMENDANTUR INSUPER INSTITUTA SUPERIORA DE MUSICA SACRA PRO OPPORTUNITATE ERIGENDA.

Musicae *vero* artifices, cantores, *imprimis pueri, etiam germana institutione* liturgica donentur.[7] [17]

[17] 94. [*Cantus gregorianus et polyphonicus fovendus*]. Ecclesia Romana cantum gregorianum agnoscit tamquam suae Liturgiae proprium: ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat.[8]

Alia tamen genera Musicae sacrae, praesertim vero polyphonia, in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo fidelium actuosam participationem ne impediant, neque dignitati, gravitati et sanctitati Liturgiae repugnent.

Eximii autem artis musicae viri incitentur non tantum ad modos conscribendos qui a maioribus scholis cantorum cani possint, sed praesertim ad modos etiam componendos qui parvis quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius communitatis fidelium foveant.

95. [*Editio typica librorum cantus gregoriani compleatur*]. Compleatur editio typica librorum cantus liturgici; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem s. Pii X.

Pariter, altera paretur editio simpliciores modulos continens, in usum minorum ecclesiarum.

96. [*Cantus popularis religiosus*]. Cantus popularis religiosus sollerter inculcetur, ita ut in piis exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint.[9]

Cantus ad catholicae fidei doctrinam plene sint conformes, breves et faciles, lingua utantur plana et modulatione simplici. Verba autem a tumida et inani profluentia sint immunia [10] ac deriventur potissimum ex sacra Scriptura,
[18] specialiter ex psalmis et canticis biblicis, et ex fontibus liturgicis, sive orientalibus sive occidentalibus.

97. [*Musica sacra in Missionibus*]. Cum in regionibus Missionum gentes inveniantur quae

116. Ecclesia cantum gregorianum agnoscit *ut* liturgiae *romanae* proprium: *qui* ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat.[8]

Alia genera Musicae sacrae, praesertim vero polyphonia,[9] in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo *spiritui actionis liturgicae respondeant, ad normam art. 30.*

[Cf. art. 121]

117. Compleatur editio typica librorum cantus gregoriani; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem s. Pii X.

Expedit quoque ut paretur editio simpliciores *modos* continens, in usum minorum ecclesiarum.

118. Cantus popularis religiosus sollerter *foveatur,* ita ut in piis *sacrisque* exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus, iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint.[10]

[Cf. art. 121]

119. Cum in regionibus *quibusdam praesertim* Missionum gentes inveniantur *quibus*

propria polleant traditione musica, magnam partem in earum vita religiosa ac sociali habente, huic musicae respectus debitus necnon locus congruus praebeatur, tam in efformando earum sensu religioso, quam in cultu earum indoli aptando. Quapropter magnae curae sit in apostolatu missionario hanc musicam christianam tam in scholis quam in officiis sacris promovere. *Commendatur, insuper, etiam instrumentorum indigenorum ad usum liturgicum aptatio, in quantum indoli cultus christiani respondent.*[11]

propria est traditio musica, magnum momentum [18
in earum vita religiosa ac sociali *habens,* huic musicae *aestimatio debita* necnon locus congruus praebeatur, tam in *fingendo* earum sensu religioso, quam in cultu *ad* earum *indolem accommodando, ad mentem art. 39 et 40.*

Quapropter *in institutione musica missionariorum, diligenter curetur, ut quantum fieri potest,* TRADITIONALEM EARUM GENTIUM MUSICAM tam in scholis quam in *actionibus* sacris promovere *valeant.*[11]

98. [*Organum et instrumenta musica*]. Organum est instrumentum musicum traditionale Ecclesiae occidentalis, ad sacros ritus maiore sollemnitate donandos.

Cetera vero musica instrumenta, de iudicio et consensu loci Ordinarii in cultum divinum admitti possunt, quatenus usui sacro aptari possunt, templi dignitati congruunt, atque communi fidelium actuosae participationi favent.

Nova technicae artis inventa ad sonos producendos vel transmittendos, in sacris celebrationibus Ecclesia haud respuit, dummodo sonitum omnino decorum gratumque edant et talia instrumenta, non modo mere mechanico seu automatico, sed directa et personali artificis actione tractentur.[12]

120. Organum TUBULATUM *in Ecclesia latina magno in honore habeatur, tamquam* instrumentum musicum traditionale *cuius sonus Ecclesiae caeremoniis mirum addere valet splendorem, atque mentes ad Deum ac superna vehementer extollere.*[12]

Alia vero instrumenta, de iudicio et consensu *auctoritatis territorialis competentis, ad normam art. 22 § 2, 37 et 40,* in cultum divinum *admittere licet,* quatenus usui sacro *apta sint aut* aptari possint, templi dignitati *congruant,* atque *revera aedificationi* fidelium *faveant.*

[Cf. art. 94]

[Cf. art. 96]

121. SENTIANT MUSICAE ARTIFICES, SPIRITU CHRISTIANO IMBUTI, SE AD MUSICAM SACRAM COLENDAM ET AD THESAURUM EIUS AUGENDUM ESSE VOCATOS.[13]

Modos autem componant, QUI NOTAS VERAE MUSICAE SACRAE PRAE SE FERANT *atque non solum* a maioribus scholis cantorum cani possint, sed minoribus quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius *coetus* [19
fidelium foveant.

Textus cantui sacro destinati catholicae doctrinae sint conformes,[14] *immo ex Sacris Scripturis et fontibus liturgicis potissimum hauriantur.*

[20] NOTAE

[1] Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* 22 nov. 1903, n. 1.

[2] Ex tota traditione eruitur Musicam sacram in Ecclesia non adhiberi propter seipsam, quatenus artis operam, sed ad divinum cultum decore exercendum. Quod Urbanus VIII in decreto n. 823 S. C. Rituum diei 21 februarii 1643 enuntiavit his verbis: « Musica sacrae Scripturae, non haec illi inservire debet; Musica Missae, non Missa Musicae famuletur ». Eundem Musicae sacrae characterem ministerialem dominici servitii, nostra aetate pressius ostenderunt Romani Pontifices. Sanctus Pius X eam vocat humilem ancillam Liturgiae (Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 23), Pius XI ancillam nobilissimam (Const. Apost. *Divini cultus,* 20 dec. 1928: AAS 21 [1929] p. 35), Pius XII: Liturgiae quasi administram (Litt. Encycl. *Musicae sacrae,* 25 dec. 1955: AAS 48 [1956] p. 12).

[3] Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) pp. 18-20; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 48-49: AAS 50 (1958) p. 646.

[4] Ex. gr. etiam in Missis Pontificalibus, saltem Symbolum et Sanctus generatim a populo cani deberent. Cf. *Prima Romana Synodus,* 1960, art. 576, § 1, n. 2: « In sollemnioribus Eucharisticis Sacrificiis praestat ut *Credo* ab universo populo gregorianis modulis cantetur ».

[5] Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* n. IX: AAS 21 (1929) p. 40.

[6] Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 25; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus*: AAS 21 (1929) p. 39; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 589; Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) pp. 23-24; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 115-117; cf. etiam Epistolam S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus *De Musicae sacrae studio in seminariis fovendo,* 15 augusti 1949: AAS 41 (1949) pp. 618-619.

[7] Cf. Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 27; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* V-VI: AAS 21 (1929) p. 38; Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) p. 23; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 98.

[8] Cf. Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 3; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 16.

[9] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*:
[21] AAS 39 (1947) p. 590; Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) pp. 20-21; *Ordo Hebdomadae san-*

NOTAE

[1] Cf. Eph. 5, 19; Col. 3, 16.

[2] Cf. S. Pius X, Motu proprio *Inter pastoralis officii sollicitudines,* 22 nov. 1903: S. Rituum C., *Decreta authentica,* n. 4121, vol. VI, Romae 1912, pp. 30-39.

[3] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 12.

[4] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 589; Id., Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) pp. 18-20; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 48-49: AAS 50 (1958) p. 646.

[5] Cf. *Prima Romana Synodus A. D. MDCCCCLX,* Typis Polyglottis Vaticanis [1960] p. 223, art. 576 § 1 n. 2.

[6] Cf. S. Pius X, Motu proprio *Inter pastoralis officii sollicitudines,* 22 nov. 1903, n. 25: S. Rituum C., *Decreta authentica,* n. 4121, vol. VI, Romae 1912, p. 38; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* 20 dec. 1928: AAS 21 (1929) pp. 36-37, 40; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 589; Id., Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 23; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 115-117: AAS 50 (1958) pp. 662-663; cf. Epist. S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus ad Exc. locorum Ordinarios *De Musicae sacrae studio in Seminariis fovendo,* 15 aug. 1949: AAS 41 (1949) pp. 618-619.

[7] Cf. S. Pius X, Motu proprio *Inter pastoralis officii sollicitudines,* 22 nov. 1903, n. 27: S. Rituum C., *Decreta authentica,* n. 4121, vol. VI, Romae 1912, p. 39; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* 20 dec. 1928: AAS 21 (1929) p. 38; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 98, 114: AAS 50 (1958) pp. 658, 662.

[8] Cf. S. Pius X, Motu proprio *Inter pastoralis officii sollicitudines,* 22 nov. 1903, n. 3: S. Rituum C., *Decreta authentica,* n. 4121, vol. VI, Romae 1912, p. 33; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 16: AAS 50 (1958) p. 636.

[9] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 8.

[10] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 590; Id., Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) pp. 20-21; *Ordo Hebdomadae sanctae instauratus,* editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis

ctae instauratus, dom. II Passionis, n. 20; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 15.

[10] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae*: AAS 48 (1956) p. 20.

[11] Quaedam Missae cum melodiis localibus iam conscriptae sunt in Africa, in Sinis, in India, instrumentis quoque indigenis comitantibus.

[12] Cf. S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 60 s.

1956, p. 9 (Dominica II Passionis, n. 20); S. Ri- [21]
tuum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 15, 54: AAS 50 (1958) pp. 636, 647.

[11] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 22. Quaedam Missae cum melodiis localibus iam conscriptae sunt in Africa, in Sinis, in India, instrumentis quoque indigenis comitantibus.

[12] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 19.

[13] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) pp. 11-14.

[14] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) p. 20.

3 – RELATIO

Exc.mi D. Caesarii D'Amato, O.S.B., Abbatis Ordinarii S. Pauli, Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia Sodalis, circa Emendationes propositas.

Venerabiles Patres,

Qui ex vobis de capite VI schematis de sacra Liturgia, nempe de Musica Sacra, in Aula locuti sunt, illud valde sibi placere dixerunt. (Cf. p. 1, n. 3; p. 6, n. 6).[1] Paucae proinde factae fuerunt animadversiones, ita ut textum originalem fere uti iacebat retinere Commissioni de sacra Liturgia etiam placuerit, paucis mutationibus inductis, magis formam quam materiam spectantibus.

Animadversiones Patrum generatim receptae sunt. Aliquae tamen ex eis in textu emendato non inveniuntur, cum nimis particularia attingant; in schemate vero normae tantum generales et altiora principia proponere oportebat. Haec tamen relatio non pauca colligere intendit quae labori post-conciliari tamquam subsidia directiva inservire possit.

Commissio de sacra Liturgia textum emendatum proponit, suffragio fere de omnibus unanimi auctum.

[1] Paginae quae hic et decursu huius Relationis indicantur inter parenthesim, referuntur ad volumen in quo omnes Animadversiones Patrum circa caput *De Musica sacra* sunt reproductae: quod volumen dactilographice conscriptum et mechanice multiplicatum fuit, ad usum Patrum ac Peritorum Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia.

OBSERVATIONES GENERALES

Tres observationes generales factae sunt circa caput de Musica Sacra:

Prima observatio

Caput est nimis longum; ideoque ex capitibus VII et VIII fiat unum caput (p. 1).

Commissio, attentis petitionibus etiam de uniendo capite sexto cum septimo et octavo, vel sexto cum octavo, propter indolem ipsius materiae, unum efformavit caput ex sexto et octavo, caput tamen de Musica Sacra ut sextum retinuit.

Secunda observatio

Substantia ecclesiasticae traditionis locupletetur; et nova inserenda thesaurum Musicae Sacrae augeant (p. 5).

Hoc principium prae oculis habitum fuit; sed ad brevitatem servandam textum non proponimus prolixiorem.

Tertia observatio

Redactio Codicis Musicae Sacrae vel saltem pars peculiaris de Musica Sacra in Codice s. Liturgiae ne deficiat (p. 14).

In sessione die 23 mensis novembris anni 1962 habita, Commissio de sacra Liturgia, occasione emendationis propositae in Aula ad art. 16, iuxta quam plures Patres Codicem sacrae Liturgiae petebant, disceptationem fecit de hac re. Sed cum res adhuc matura non videretur, Commissioni non placuit petitionem recipere; attamen votum negativum non dedit. Consequenter, Commissio ne de Codice quidem Musicae Sacrae agere voluit.

AD PROOEMIUM, NUNC ART. 112

In Prooemio duae proponuntur mutationes, quarum una est additio et altera suppressio. Prima levissima mutatio est substitutio verbi « *universae* » verbo « sanctae », quo Ecclesiam Orientalem hic clare comprehendi significetur, iuxta sensum Patrum Concilii.

Altera mutatio introducitur ut aptiori modo functio Musicae sacrae in Liturgia exprimatur. Hoc optaverant nonnulli Patres (p. 15, p. 5, p. 17). Itaque Commissio accepit suppressionem verbi « ancilla » quod legebatur in articulo 90, ex quo textus hic propositus ex parte desumitur. Accedit etiam Commissio petitioni alterius Patris (p. 4) de unione cantus cum verbis liturgicis. Consequenter, Prooemium nunc sic incipit:

« *Musica traditio Ecclesiae universae thesaurum constituit pretii inaestimabilis, inter ceteras artis expressiones excellentem, eo praesertim quod ut cantus sacer qui verbis inhaeret necessariam vel integralem Liturgiae solemnis partem efficit* ».

In linea 5, adduntur verba « *cum Sacra Scriptura* ». His verbis recolitur Musicae Sacrae fundamentum divino – positivum, iuxta placitum unius Patris (p. 13).

Suppressio attingit verba « Etsi relationes statuantur, limites tamen in generibus musicis haud ponuntur » (linea 9). Huiusmodi sententia non est valde clara; hoc tamen accidit ex eo quod textus originalis mense augusti anni 1961 propositus, postea truncatus fuerat. Praeterea verba « in generibus musicis » sensu technico tantum sunt vera; melius tamen videtur si hic nihil de re mere technica dicatur. Omissis illis verbis, retinetur quod praecipuum est, nempe summum principium, cum dicatur: « *Ecclesia autem omnes verae artis formas ... probat easque in cultum divinum admittit* ».

Commissio textum emendatum Prooemii (nunc art. 112) unanimi voto suffultum, suffragationi Patrum proponit.

AD ART. 90

Cum sensus huius articuli quasi ad verbum in art. 112 emendato inveniatur, articulus ut superfluus nunc omittendus videtur.

Unus Pater (p. 5) postulavit ut natura Musicae Sacrae amplius ac profundius illustraretur. Attamen Commissioni visum fuit iam satis fieri per art. 112.

Omissio huius articuli unanimi voto Commissionis approbata fuit.

AD ART. 91, NUNC 113

Duo praesertim a Patribus indicata fuerunt:

a) Convenientia ut doctrina in Litt. Enc. *Mediator Dei*, de praestantia liturgiae sollemnis hic reassumeretur (p. 6) et *b*) quaestio de lingua. Sunt qui expresse volunt ut clausula « lingua latina celebrata » deleatur (p. 3, 4, 18, 19). Sunt contra qui etiam expressis verbis, quamvis hoc ex rei natura dicere necessarium non sit, petunt ut illa clausula retineatur (p. 9, 20, 27).

Commissioni de s. Liturgia magis opportunum visum est nullam definitionem liturgiae sollemnis proponere neque fusius exponere eius doctrinam, praesertim ratione brevitatis. Mutationes in textum inductae explicant optimo quidem modo characteres magis necessarios nobilioris actio-

nis liturgicae, nempe cantum et assistentiam ministrorum, addita participatione populi ut nota extrinseca valde optanda.

Clausula « lingua latina celebrata » omittitur quia in altera sectione huius articuli emendati, huic rei, iuxta placita Patrum, sufficienter providetur. Nec ita intenditur ignorare vota illorum Patrum qui Missam sollemnem immutatam volunt (App. I, p. 23, cf. etiam animadversiones ad art. 24 cap. I); nulla enim introducitur mutatio in hunc articulum. Tantum normae alio loco a Patribus iam suffragatae, hic admittuntur.

Secundum comma omitti potest quia alibi in schemate de s. Liturgia iam proponitur.

Silentio nequit tegi quaestio hic latens de cantu gregoriano et lingua latina. De hac re peritissime loquuti fuerunt aliqui Patres qui genuinum cantum gregorianum necessario cum lingua latina uniri affirmant (p. 9, 20, 27, App. III, p. 2). Nonnulli tamen volunt quod cantus gregorianus etiam lingua vernacula cani possit (p. 8).

Haec quaestio longe et late disputata fuit apud Subcommissionem de Musica Sacra et Commissionem. Commissio tamen, demum quaestionem de unione linguae latinae cum cantu gregoriano non solum definire noluit, sed ne quomodolibet quidem praeiudicare. Itaque textus emendatus huius articuli nihil dicit praecise de lingua in cantu sed committitur normis alibi datis, quin distinctio fiat de textu liturgico lecto et in cantu.

Forsitan hoc modo nec defensoribus latinitatis in cantu gregoriano nec eis qui libertatem circa linguam pro cantu gregoriano optant plene satisfit. Prudentius tamen visum fuit rem nec implicite definire, ut nec vera artis cantus gregoriani natura deturpetur nec pastoralis cura ullo modo praepediatur.

Uno tantum dissentiente, approbatus fuit articulus a Commissione.

AD ART. 92, NUNC 114

Petitum fuerat in Aula ut munus scholae cantorum definiretur, hierarchia in cantus liturgici executione stabiliretur, et populi participatio determinaretur (p. 6).

Prae oculis tamen habito principio de non nimis particularibus introducendis petitio non accipitur, quamvis res suum habeant valorem.

Neque petitio alterius Patris (p. 3) cum mandato Secretariatus pro unitate novum proponentis textum de usu linguae vernaculae admittitur, qui iam sufficienter ei in articulo 113 provisum est.

Mutationes hic factae ad formam tantum spectant et nullam praebent difficultatem ut apparet ex eo quod unanimi suffragio approbatus fuit textus a Commissione.

AD ART. 93, NUNC 115

Quaedam sed valde particularia proposita fuerunt a Patribus; illae propositiones, veras propriasque emendationes non continent, sed eo tendunt, ut facilior et aptior reddatur adimpletio normarum in articulo iam enunciatarum.

Commissioni, voto unanimi, visum est opportunum primam sectionem retinere uti iacet in textu originali. Additur commendatio Institutorum de Musica Sacra (p. 34). Praeterea pueri cantores expresse nominantur, iuxta petitionem unius Patris (p. 6).

Ultimum comma omittitur quia repetit principia iam enuntiata.

AD ART. 94, NUNC 116

Animadversiones Patrum in hunc articulum potius ad modum applicationis practicae normarum pertinebant. Textus emendatus nunc propositus, omnibus suffragiis Commissionis, uno dempto, approbatus, revera idem est ac textus originalis, mutationibus de forma tantum introductis.

Ultimum comma, quod hic omittitur, aptiorem locum est nactum in novo articulo 121.

AD ART. 95, NUNC 117

Una facta mutatione formali, textus ex voto unanimi Commissionis uti iacebat retinetur. Vult tamen Commissio ut Relatio, ad utilitatem laboris postconciliaris, suam faciat propositionem unius Patris, nempe: « ne in simplicioribus modulis cantus gregoriani parandis, cantus gregorianus truncatus proponatur » (cf. p. 28, n. 2, 2).

AD ART. 96, NUNC 118

Omissis parvis indicationibus a Patribus factis, sed quae recte in labore pastorali prae oculis habendae erunt, Commissio, ex voto unanimi, retinet textum uti iacebat, addito verbo « *sacrisque* » iuxta mentem articuli 13 schematis de s. Liturgia iam approbati.

Alterum comma, hic omissum in aptiori loco ponitur, nempe in articulo novo 121.

AD ART. 97, NUNC 119

Textus schematis nimis vagus (p. 35) vel etiam applicatu difficilis (p. 36) aestimatur. Commissio tamen voto unanimi textum retinendum

proponit, addito verbo « *praesertim* » in primo commate, iuxta votum plurium Episcoporum (p. 34).

In secundo commate loco « musicam christianam » proponitur clausula « *traditionalem earum gentium musicam* » quia hic agitur, non de musica christiana, sed de musica indigena et quidem traditionali, ut attente textum legenti illico patet.

Dicitur « *in institutione musica missionariorum* » loco clausulae « in apostolatu missionario » quo, iuxta placitum unius Patris (p. 35) melius mens Patrum huic rei aperiatur.

In fine omittitur clausula quae incipit verbis: « Commendatur, insuper » (p. 34 et 36) quia sufficienter de hac re provisum est in articulo 120.

Petitio duorum Patrum (p. 36 et App. III, p. 8) optantium ut expresse dicatur « cantus gregorianus semper praeferendus » aut « cantu gregoriano non excluso » non necessaria videtur, cum in art. 116 iam huic rei provisum generatim sit.

AD ART. 98, NUNC 120

Patres optabant aptiorem descriptionem muneris organi (p. 38) necnon ampliorem eius usum (pp. 6 et 38).

Aliquo modo his optatis accessimus addendo duas clausulas. Prior « *magno in honore habeatur* » sese refert ad usum; altera « *atque mentes ad Deum ac superna vehementer extollere* » ad organi munus pertinet.

Abundantior numerus normarum de usu instrumentorum optabatur ab aliquo Patre (p. 1), quod tamen necessarium non apparuit Commissioni.

Tamen, ad uniformitatem et harmoniam cum aliis partibus schematis, loco « iudicio et consensu Ordinarii loci », proponitur ut dicatur « *de iudicio et consensu auctoritatis territorialis competentis* ».

Ultimum comma omittitur quia res non videtur directe ad Commissionem pertinere. Insuper maior precisio quae optabatur (p. 38) et nova consideratio rationum circa prohibitionem instrumentorum mechanicorum (p. 38) minus opportunae pro Aula considerantur.

Initio articuli additur verbum « *tubulatum* » ut vitetur confusio in terminologia.

Huiusmodi articulus unanimi suffragio, uno dempto, approbatus fuit a Commissione.

AD NOVUM ART. 121

Hic articulus vix vere novus dici potest, cum, quoad substantiam, et magna ex parte quoad verba, ex aliis locis schematis desumatur.

Additur primum comma iuxta votum unius Patris qui vult « ne Episcopi parvipendant opus musicorum in Ecclesia » (p. 10) et alterius qui petit ut viri arte poëtica et musica periti, incitentur ad conscribenda nova carmina religiosa (p. 31).

Aliud comma desumitur ex articulo 94, omisso verbo « praesertim », iuxta petitionem alterius (p. 25).

Tertium comma respondet votis alicuius Patris, ex parte, et desumitur ex articulo olim 96, omissis verbis « breves et faciles », iuxta petitionem alterius (p. 33).

Commissio hunc textum ex unanimi suffragio proponit.

CONCLUSIO

Nunc suffragationi proponitur textus capitis VI in quo practice omnia retenta sunt quae in textu originali erant; paucae mutationes inductae sunt ut maiori claritate et plenitudine illa exprimantur quae menti omnium Patrum fideliter respondeant. Denique liceat mihi, Venerabiles Patres, vobis gratias agere de benevolentia erga relatorem; quam benevolentiam etiam suffragio vestro favorabili Commissioni de sacra Liturgia quae accuratissime vota Patrum perpendit, pandere dignemini.

[*Durante relatione*] *moderator*: Exc.me Pater, necesse est aliquam communicationem dare Patribus. Schedula, quae habetur prae manibus, ad suffragationem, pertinet ad caput V schematis, « De anno liturgico ». Est suffragatio de capite V schematis, « De anno liturgico ».

Exc.mus Pater velit continuare suam relationem.

[*Relatione expleta*] *moderator*: Gratias, exc.me Pater, tibi et universae commissioni liturgicae! Nunc exc.mus secretarius generalis leget quaesitum circa schema, inserendum in caput *de Ecclesia* vel separatim stans, *de Beata Virgine.*

Secretarius generalis: Audiatis, ergo, venerabiles Patres, attentissime. Quaeritur: « Placet Patribus ut schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* ita aptetur ut fiat cap. VI schematis *de Ecclesia?* ». Repeto: « Placet Patribus ut schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* ita aptetur ut fiat cap. VI schematis *de Ecclesia?* ».

Suffragatio fiet per *placet* et *non placet*. Qui dicet *placet* vult schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* fieri ultimum caput schematis *de Ecclesia*; qui dicet *non placet* vult schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* tractari ut schema per se stans.

Significatio horum verborum est clarissima. Haec verba sunt impressa typis, omnes potuerunt legere et meditari.

Et repeto: qui dicet *placet* vult schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* fieri ultimum caput schematis *de Ecclesia*; qui dicet *non placet* vult schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* tractari ut schema per se stans. Et pro me satis!

Moderator: Velint Patres conciliares iterum attente considerare verba qua proferuntur nomine moderatorum Concilii.

Dum proponitur quaesitum circa schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* ut de eo fiat suffragatio an inserendum in schema *de Ecclesia,* an ut schema per se stans et separatum, moderatores certiores faciunt Patres conciliares:

1. quod ipsorum responsio quaecumque ea erit, aequo iure honorifica retinenda erga Immaculatam Dei Matrem, nullatenus afficit argumenta quae in schemate tractantur, et debitae disceptationi, tempore suo, subicientur in congregatione generali;

2. aptatio schematis, seu capitis de quo in quaesito, perficienda erit, ut patet, a commissione theologica;

3. maioritas votorum pro ista suffragatione, prout nuntiatum fuit, est maioritas absoluta, seu quinquaginta plus unum.

Et nunc prosequitur disceptatio circa cap. IV schematis *de Ecclesia*: de vocatione ad sanctitatem.

PATRUM ORATIONES

De Ecclesia, cap. IV (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. EMMANUEL CARD. GONÇALVES CEREJEIRA
Patriarcha Lisbonensis

Venerabiles Patres,

1. Inclusio cap. IV de universali vocatione ad sanctitatem in schema *de Ecclesia* valde mihi placet. Vere necessariam ac peropportunam habeo.

Necessariam dixi. Revera, fidelibus omnibus plenitudinis eorum christianae conditionis scientiam et conscientiam tradere urgens est...[1] Vitae christianae perfectionis cum statu religioso identificatae inter fideles adhuc nimis viget visus: perfectionem evangelicam attingere unice religiosi possent.

Quantum verae spiritualis renovationis fidelium universalis vocationis ad sanctitatem proclamatio trahit, clare docet experientia. Asserere quia diversis in sectoribus vitae et catholici apostolatus oculis nostris sanctitatis floratio eminet, exaggeratio non videtur...[2]

Vocationis universalis proclamatio necessaria quidem, sed et valde opportuna. Nunc maxime quando laicatus catholicus vocatur ad assumendum in Ecclesia et in orbe suarum responsabilitatum amplitudinem atque onus.

Laicorum maioritati sic dictae quaedam manifestationes, vere non laude dignae, comites *per vices* [3] adsunt. Haec autem maioritas, fructus profundioris scientiae et conscientiae naturae, missionis ac responsabilitatum laici, ut authentice christiana sit, oportet exigentiarum Evangelii conscientia possideri — in Ecclesiae amore filiali, Christi crucifixi et gloriosi in intimitate, cum humilitate eius qui servitium praestat « in interiori communione » ut ait Ioannes XXIII, sanctae memoriae, cum Deo et in Christo ad suam gloriam. *Opus consciens consecrationis mundi* [4] sanctitatis charismata exigit.

Non in verbis sed in signis patentibus, vivis et operantibus, realitatis transcendentiae vitae gratiae, divinae in nobis operationis, ille atheismus *contemporaneus* [5] vinceretur.

2. N. 30 de multiformi unius sanctitatis exercitio et n. 31 de mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis plura dicuntur nova, pulchra et iusta. Liceat attamen notare perspectivam spiritualem religiosi quae se praebet plus quam decet. Mihi videtur non in lucem hic satis proferri sanctitas in saeculo, i. e. fidelium sanctitas communis, eorum qui in vita inveniuntur oeconomica, sociali, politica, culturali. Sanctitas haec...[6] supradicti cap. IV inter partes est actualissima. Exceptione pro nuptis et parentibus facta, referentia nimis pauper videtur circa status conditionesque vitae saecularis, virtutes speciales exercitandas, per vices heroicis in transitibus, scil. patientiam in aerumnis, resignationem in privationibus...[7], fortitudinem in officio exercendo, firmitatem in certamine pro fide, constantiam in spe...[8], adversus tentationes heroicam tenacitatem, et cetera. Optabilis esset expressa referentia circa plures vitae conditiones in ordine ad sanctitatem: v. g., vitam professionalem, mundum operarium, laborem dirigentes, civiles auctoritates, infirmos, ...[9] et ita prosequenter.

3. De expressa vocationis sacerdotum ad sanctitatem proclamatione conciliari vehementer gauderem. Rationibus quae proveniunt ex participatione in statu perfectionis episcopi addi possent quas Pius XII, gloriosae memoriae, in exhortatione *Menti Nostrae* exponit. Sacerdotium splendidissime hoc modo enitet: in principio ...[10] episcopus « imago Pa-

tris », iuxta verbum S. Ignatii Antiocheni, de cuius plenitudine lux et sanctificationis gratia in omnem descendit *Ecclesiam,*[11] gregis forma ac perfector, *caput Ecclesiae,*[12] petra supra quam ipsa dioecesis continuo aedificatur; postea, episcopus a corona sui circumdatus presbyterii, hoc est, quos S. Ignatius chordis lyrae comparavit, qui ab episcopo « sacerdotum patre » sunt geniti, sui muneris participes, sui Ordinis cooperatores, ab ipso pro *aedificatione* [13] hominum socii facti suae apostolicae atque pastoralis missionis...[14]

De suis ministris dixit Dominus noster: « Vos estis lux mundi et sal terrae ». Concilium Vaticanum II in mente et in corde habet Ecclesiae renovationem et suam manifestationem mundo. Quae quidem, ante omnia, ut de evangelizatione dixit Sua Sanctitas, feliciter regnans, Paulus VI, a clero pendent. Nec alio modo esse posset, cum tanta sit unio inter sacerdotes et Iesum Christum. « Sacerdos alter Christus ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Realizatio exsistentialis Evangelii sola sanctitas. [2] Fere omnes testes sumus fructuum quos mirifice facit, e. g. Actio Catholica. Coram materialismo regnante efficax apparet tantum realitas christianismi totalis, integralis, qui plene vivitur. [3] deest. [4] In Congressu laicorum apostolatus docuit Pius XII, gloriosae memoriae: consecratio mundi opus est essentialiter laicorum, hominum nempe in vitam civitatis temporalis insertorum. Hoc tamen opus, ut atheismum invadentem terat. [5] deest. [6] non oblita sanctitate sacerdotum et inferioris ordinis ministrorum atque latiore sensu etiam a Deo electorum laicorum qui operibus apostolatus se dedant. [7] sine adiutorio naturali. [8] contra maligni victoriam. [9] iuventutis. [10] sedet. [11] dioecesim. [12] deest. [13] sanctificatione. [14] Disputatio, tam crebro inflammata, an sacerdos qua talis in statu sit perfectionis, problema est canonicum plus quam spirituale. Sub aspectu vocationis ad sanctitatem, expresse docet Doctor Angelicus sacerdotem magis quam simplicem religiosum ad sanctitatem tendere debere. Conclusio.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Loquendo nomine 121 episcoporum Brasiliae, videtur nobis dicendum cap. IV *de Ecclesia* placere, licet structura eius, praesertim quod fundamenta vocationis ad sanctitatem respicit, necnon mixtio quaedam elementorum theologicorum et iuridicorum, neque semper possit approbari. Recognoscendum est agi de re sat difficili cum aspectus dogmatici et morales perplures habeantur. Quaedam proponimus quae nobis videntur apta ad cap. IV aliquo modo perficiendum.

1. Pag. 18, lin. 3, adiungantur verba: *eo ipso quod Christo incorporantur* ita ut legi oporteat: « In mysterio Ecclesiae... omnes, sive ad hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, *eo ipso quod Christo incorporantur,* ad sanctitatem vocantur ». Ita clarius indicaretur fundamentum sanctitatis pro omnibus.

2. Deceret mentionem facere de sermone montano, in quo tot fundamentalia inveniuntur pro virtutum exercitio. Locus idoneus haberetur pag. 18, lin. 25. Legendum esset inde a lin. 23: « Cunctis proinde perspicuum est, Dominum omnes vocare discipulos ad plenam vitae christianae et caritatis perfectionem, i. e. ad sanctitatem *cuius mirabilis conspectus in sermone montano habetur* ».

3. Quando in pag. 19, in § 30, sermo fit de diversis vitae generibus et officiis in quibus sanctitas excolitur, possent aliqua adiici circa episcopos hisce, v. g., verbis: « Sacra Synodus imprimis *episcopos humiliter et sincere exhortatur ut, secundum altissimam vocationem perfectionis eorum in Ecclesia ad servitium populi Dei, per propriam sanctitatem vitae totam in Evangelio fundatam, praesertim in spiritu paupertatis et caritatis, vere forma gregis ...*[1] *exsistant.* Deinde utriusque cleri sacerdotes etc. ».

4. Ea quae dicuntur in §§ 34 et 35, pag. nempe 21 et altera, usque ad lin. 33 (pag. 22), melius ponerentur in schemate de statibus perfectionis cum potius elementa sint iuridica quam dogmatica. Verba vero quae in secunda alinea par. 35 habentur et quae incipiunt « Omnes tandem christifideles, etc. » possent adiungi par. 33 in fine.

5. et ultimo. In fine huius capitis, pag. 23, lin. 18, exhortatio habetur de permanendo et excellendo in vocatione *ad gloriam Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar.* Haec assertio videtur aliquo modo minus exacta, nam potestne revera asseri sic et simpliciter Christum esse originem et exemplar omnis sanctitatis? Nonne melius esset dicere ad maiorem gloriam *Unius et Indivisae Trinitatis?* Esset quoque conclusio melius respondens initio schematis qui cum SS.ma Trinitate incipit.

Ceteras animadversiones tradam secretariatui. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*1 Petr.* 5, 4).

Animadversiones additae, a nonnullis episcopis Brasiliae propositae.

Quoad cap. IV.

Pag. 18, lin. 3. Post « pascuntur » addatur: « eo ipso quod Christo incorporantur ». *Ratio*: ut ostendatur vocationem ad sanctitatem non esse aliquid mere ex extrinseco, vel ex praecepto (*adprobaverunt 121*).

Pag. 18, linn. 24-25. Dicatur: « Omnes vocare discipulos ad plenam vitae

christianae et caritatis perfectionem, id est ad sanctitatem *cuius mirabilis conspectus in Sermone Montano habetur* ». *Ratio*: patet (*adprobaverunt 121*).

Pag. 18, lin. 28. Omittatur « gratuita ». *Ratio*: omnis gratia gratuita est (*adprobaverunt 121*).

Pag. 18, lin. 29. Post « gratia » addatur: « *per merita, praesertim per orationem, et per sacramentorum receptionem* ». *Ratio*: patet (*adprobaverunt 121*).

Pag. 19, linn. 34-40, et pag. 20, lin. 1. Omittatur. *Ratio*: est mera repetitio § 29 (*adprobaverunt 118*).

Pag. 20, lin. 40, et pag. 21, lin. 1. Omittatur « quae status perfectionis acquirendae vocatur ». *Ratio*: terminologia scholae (*adprobaverunt 117*).

Pag. 22, lin. 11. Omittatur: « intuitu utilitatis communis ». *Ratio*: linea 8 iam dicitur « necessitatibus totius dominici gregis provideatur » (*adprobaverunt 120*).

Pag. 22, lin. 11. Omittatur: « soli ». *Ratio*: posset etenim Summus Pontifex aliis Institutum vel sodales singulos subiicere (*adprobaverunt 119*).

Pag. 22-23 § 35. Ponatur post § 32. *Ratio*: ordo logicus (*adprobaverunt 121*).

Pag. 23, lin. 18. Loco « Christi » dicatur « Unius et Indivisae Trinitatis ». *Ratio*: videtur magis theologicum esse (*adprobaverunt 119*).

Addendum. Magnopere desiderandum est ut hoc schema *de Ecclesia*, necnon et cetera, Concilii Patribus proposita, attento examini virorum in re biblica vere peritorum subiciatur, ad hoc ut argumenta ex sacris litteris deprompta in unoquoque casu magis ad rem evadant.

Em.mus P. D. Jaime de Barros Câmara; exc.mi PP. DD. Carlos Schmitt, Adalberto Marzi, Manoel Lisboa de Oliveira, Frei Tiago Ryan, Adriano Hypolito, Felipe Tiago Broers, Edilberto Dinkelborg, José Terceiro de Sousa, José Alves Trindade, Arcangelo Cerqua, Antonio Zattera, Luiz Victor Sartori, Alonso Silveira de Mello, José Gonçalves da Costa, Serafim Fernandes de Araujo, Gerardo Ferreira Reis, Giocondo Maria Grotti, Manoel Pedro da Cunha Cintra, José Nepote Fuss, Carlos Eduardo Bandeira de Mello, Martinho Michler, Bernardo José Mieli, José Melhado Campos, Pedro Felipak, Eugenio de Araujo Sales, Benedito Zorzi, Geraldo Maria Moraes Penido, Paulo Hipolito de Souza Libório, Gabriel Paulino Bueno Couto, Vicente Marchetti Zioni, Joaquim de Lange, Ernesto de Paula, Candido Padim, Francisco Austregésilo de Mesquita, José Adelino Dantas, Nivaldo Monte, José Nicomedes Grossi, Oscar de Oliveira, José Newton de Almeida Batista, Afonso Niheus, Wilson Laus Schmidt, José Dalvit, Cornelio Chizzini, Daniel Tavares Baeta Neves, Eliseu Mendes, Geraldo Fernandes, Jaime Schmuck, José Costa Campos, Ladislau Paz, Miguel D'Aversa, David Picão, João Marchesi, Camillo Faresin, José Eugênio Corrêa, Claudio Colling, Luiz Gonzaga da Cunha Marelin, Aniger Francisco Maria Melillo, Candido Julio Bampi, Augusto Petró, Agnelo Rossi, Carlos Gouvêa Coelho, Florencio Sisinio Vieira, Aloisio Lorscheider, Helder Pessoa Camara, Edmundo Luiz Kunz, Alberto Etges, Walfrido Teixeira Vieira, Eliseu Maria Coroli, Otavio Aguiar, José Medeiros Leite, Walmor Battu Wichrowski, José Lamartine Soares, Acácio Rodrigues Alves, Herminio Malzone Hugo, Augusto Carvalho, Frei Felicio Cunha Vasconcelos, José Varani, José Thurler, João Rezende Costa, Jorge Marcos de Oliveira, Quirino Adolfo Schmitz, Anselmo Pietrulla, Gentil Diniz Barreto, Francisco Borja do Amaral, Antonio Batista Fragoso, Epaminondas Araujo, José André Coimbra, Henrique Gelain, Hugo Bressane de Araujo, Ruy Serra, Vicente de Paulo Araujo Matos,

José Brandão Castro, João Muniz, Tomás Guilherme Murphy, Jaime Luiz Coelho, Inácio Krause, Diego Parodi, José Lazaro Neves, Othon Motta, Cristiano de Araujo Pena, Belchior Joaquim da Silva Neto, Manoel Tavares de Araujo, José Gomes, João de Souza Lima, Alberto Gaudêncio Ramos, Severino Mariano de Aguiar, Gregorio Warmeling, Milton Corrêa Pereira, José Maria Pires, José Medeiros Delgado, Adolfo Luis Bossi, José Pedro de Araujo Costa, José Vicente Tavora, Vicente Scherer, João Batista da Motta e Albuquerque, Honorato Piazera, Amadeu Gonzalez Ferreros, Henrique Golland Trindade, Clemente Isnard.

3

EM.MUS P. D. NORMANNUS T. CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

Em.mi, exc.mi et rev.mi Patres,

Cap. IV de vocatione ad sanctitatem in genere placet eo quod multa in eo dicuntur quae revera dicenda sunt.

Sicut plures Patres iam indicaverunt, quaestio de terminologia adhibita moveri forsitan possit, sed de summo momento thematis centralis nulla potest esse controversia. Thema illud his verbis, quae in prooemio leguntur, exprimitur: « Omnes, sive ad hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur ».

Sane, si hoc Concilium omnia membra eius ad altiorem gradum sanctitatis efficaciter manuducat, exitum felicem habuerit. Si autem sub hoc respectu deficiat, ipsum Concilium quoque deficeret. Ad hunc finem magis secure consequendum, velim laudare emendationem a Patribus Conciliaribus linguae germanicae et conferentiae episcopalis Scandinaviae prolatam. Haec quidem emendatio nos ipsos respicit qui plenitudine sacerdotii ditamur. Sic enim sonat: « Exhortatio habeatur pariter de sanctitate consequenda ab episcopis ». Ita vocamur ut veri nominis duces simus, ut quid magni tum populo nostro tum omnibus hominibus conferamus. Nihil quidem sacerdotes nostros magis adhortatur et stimulat quam hoc quod nos episcopi, in vita nostra quotidiana, palam manifestamus praecepta divina revera esse vitae nostrae regulam. Sacerdotes nostri primi et quam maxime necessarii cooperatores sunt ad illud mandatum Christi exsequendum: « Euntes docete omnes gentes. Praedicate evangelium omni creaturae ». Magnus ille et illustris Pontifex, Pius XII, eis verbis quae in pag. 28 huius schematis commemorantur, sic nos monuit: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum, sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munera exercere debet sua, ut episcopo auxiliator adsit et subsit ». Haec Pontificis felicis recordationis

doctrina abhinc paucis diebus clare et energice exposita est ab exc.mo Dionysio Hurley, arch. Durbaniano. Ille Pater, enim, ostendit sacerdotem in paroecia laborantem curam gregis reapse habere, pro qua per totam dioecesim episcopus responsabilis est. His perpensis, prompto animo voto consentio quod hebdomade elapsa protulit exc.mus Stephanus Bäuerlein, ep. Sirmiensis in Iugoslavia. Votum suum ille Pater sic indicavit: « Proponitur ut a Concilio etiam sacerdos saecularis declaretur in statu perfectionis... sicut episcopi ». Sacerdotium enim Ecclesiae catholicae gloria est. Bonum Ecclesiae a sacerdotio magis quam ab alio elemento quocumque dependet. Propterea, in hoc Concilio ostendamus nos sacerdotium revera magni facere. Proinde propono ut in pag. 23, n. 36, lin. 3, haec verba post verbum « laudat » addantur: « Sacerdotes qui una cum eorum episcopis animarum pastores sunt », vel aliquid simile.

Deinde, quod ad terminologiam spectat, velim indicare quasdam incongruitates quae in hoc schemate, sicut in aliis inveniuntur. Ita, in pag. 18, n. 28, lin. 1, leguntur haec verba: « In mysterio Ecclesiae ». Alibi legimus: « Populum Dei », et alibi: « charismata ». Iamvero, huiusmodi expressiones pro maiori parte plebis inintelligibiles sunt. Non tantum, sed de vera significatione earum, in hac ipsa aula a praelatis in rebus theologicis doctis disputatum est. Cum autem unus ex finibus huius Concilii hic sit, ut doctrina Ecclesiae toti mundo terminis claris, intellectu facilibus, et sine ambiguitate proponatur, deleamus omnino omnia verba quae ansam ambiguitati praebere possint, omnia verba quae possint dubia movere de eorum genuina significatione. Dixi.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis nunc legit primam emendationem de musica sacra.

Secretarius generalis: Ad prooemium. Emendatio prima: pag. 195, linn. 2-5 (conferatis pag. 15, n. 112 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 576*].

4

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Argumentum de sanctitate certe acceptissimum est omnibus, quia sanctitas est Iesu Christi imitatio et via salutis aeternae. Idcirco gratiae agendae sunt illis praeclarissimis viris qui operam dederunt ut in schema *de Ecclesia* caput insereretur de sanctitate, etsi, prout nobis id exhibetur, non in omnibus suis partibus placeat.

Mihi autem sit nunc facultas mentem meam candide aperiendi ut ad disceptationem de re tanti momenti aliquid utile — si possim — conferam.

Ante omnia consentio in universum cum em.mo card. Gilroy de iis que ipse declaravit.

1. Cum Ecclesiae constitutio sit dogmatica, non cernitur cur in cap. IV, in quo agitur de sanctitate, ne verbum quidem dicatur de sanctitate Ecclesiae, quod feria VI superioris hebdomadae iure meritoque lamentabatur exc.mus Aloisius Morstabilini, ep. Verulanus-Frusinatensis.

Compertum habemus sanctitatem esse inter praecipuas notas, seu proprietates visibiles, Ecclesiae ex voluntate Christi inhaerentes, quibus veram Ecclesiam omnes facile dignoscere possunt. Etenim sanctitas in Ecclesia non est tantum vocatio ad sanctitatem, cum sanctitas reapse semper in ipsa fulserit et continuo splendeat tamquam evidens signum originis suae divinae.

Sanctitas Ecclesiae est quidem primum ontologica, qua Ecclesia ob permanentem unionem cum Verbo Incarnato elucet: dein sancta est Ecclesia propter finem sibi constitutum atque instrumenta quibus ad finem contendit; sed insuper sancta est ob innumeros sanctos — viros et mulieres — quibus Sponsa Christi, quasi pretiosis monilibus, semper ornatur.

2. Porro claritati et sermonis concinnitati consuleretur, ut mihi videtur, si gradus sanctitatis, ad quam homines diversimode a Deo vocantur, accuratius distinguerentur, breviter...[1] explanando quid sufficiat ad sanctitatem ordinariam seu communem, ac quaenam sit sanctitas extraordinaria et heroica. Postea facile esset addere quemquam, in omni vitae condicione, pervenire posse, gratia Dei adiuvante, ad sanctitatem quoque maximam; quamquam iter eximiae sanctitatis expeditius ...[2] fiat iis qui, ex summa Dei benevolentia vocatione peculiari donati, ad sacerdotium ascendunt vel statum religiosum amplectuntur.

3. Pag. 18 initio prooemii legimus: « In mysterio Ecclesiae, quod a Sancta Synodo solemniter mundo annuntiatur », etc. Haec verba speciem praeseferunt orationis aliquantum turgidae et inflatae; videtur enim Sancta Synodus officium sibi sumere simile missioni Archangeli Gabrielis, qui mysterium Incarnationis nuntiavit Mariae; sed Gabriel nuntium attulit quod Beat.ma Virgo ignorabat; ex contrario qui « sive ad hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur » iam dudum cognoscunt quod apostolica auctoritate nuntiavit Ioannes in prima sua Epistula (cap. 2, v. 4), nempe: « Deum velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ».

Audeo igitur proponere ut forma dicendi seligatur modestior.

Accedit quod non satis clarescit sententia: « *in mysterio Ecclesiae* omnes ad sanctitatem vocantur ». Puto *humiliter* [3] non omnino adhuc perspici qualis vis subsit in nostro schemate dictioni: « mysterium Ecclesiae » vel « mysterium Christi in Ecclesia », quae in praesenti *capite* [4] quinquies nobis occurrit.

Plures forsan quaesiverint: utrum mysterium Ecclesiae sit anima corporis socialis Ecclesiae, quam Spiritum Sanctum esse scimus, an corpus Christi mysticum quod S. Augustinus Christum totum appellat. Profecto vocatio omnium hominum ad sanctitatem nimis obscuratur si dicitur simpliciter mysterium.

Sine dubio Ecclesia est etiam obiectum fidei, et idcirco verum mysterium est, utpote ex Dei consilio orta et Spiritu divino animata; sed nomen « mysterium » non videtur adaequare naturam et munus Ecclesiae in hoc mundo.

Nam nec Ecclesia nec munus eius est mere mysterium, cum Christus Ecclesiam hisce in terris condiderit ut societatem perfectam, iuridicis omnibus socialibusque elementis instructam, ideo essentialiter visibilem; si autem Ecclesia nihil aliud esset quam mysterium, nullo prorsus modo cerni posset.

Si sermo, quem nobis adhibendum proposuimus, est pastoralis, oportet ...[5] perspicuitate niteat, ne discipuli quos erudire volumus incidant in magnum eumdemque perniciosum errorem illorum qui Ecclesiam caritatis — ut aiunt — ab Ecclesia iuridica perperam seiungentes « fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam » (verba sunt Leonis XIII in encyclicis litteris *Satis cognitum*)...[6]

Quemadmodum Christus, caput et exemplar, « unus est ex utraque et in utraque natura », tum visibili cum invisibili, ita corpus eius mysticum non est vera Ecclesia nisi spirituale principium eius, resque ipsae quae ad spiritualia ...[7] et ad sanctitatem perducunt, in vita eiusdem sociali, extrinsecus, et proinde extra mysterium, conspiciantur.

Similiter mysterium est Verbum aeternum, sicut est mysterium Verbi incarnatio; sed natura Christi humana insipienter diceretur mysterium ut nos docet apostolus Ioannes, qui ut fidem sibi conciliaret, in epistola sua prima provocabat ad ea quae in Christo auribus, oculis, manibus expertus erat. « Quod audivimus — inquit — quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae: ... annuntiamus vobis »...[8]

4. Denuo in prooemio, linn. 4-9, haec inveniuntur scripta: « Filius enim, qui secundum aeterni Patris consilium ad homines in terra venit, " ut vitam habeant et abundantius habeant " ...[9] universos (nempe cunc-

tos homines) ad plenam perfectamque adoptionem filiorum elevat eosque benedictionibus caelestibus replet, ut sint sancti et immaculati in conspectu Dei, etc. ».

Quae sententia hausta est, quasi ad verbum, ex Epistola S. Pauli ad Ephesios loco ibi laudato (cap. 1, 3-6); sed apostolus id testimonium, mirabile sane atque solacii plenum, protulit tunc « in praesenti » de sanctis qui erant Ephesi et fidelibus in Christo Iesu (cum illis coniungens seipsum), non autem aequabiliter de universis hominibus, ut asseritur in schemate.

5. In eadem pag. 18, lin. 16, affirmatur Dominum Iesum omnibus et singulis hominibus cuiuscumque condicionis dixisse: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est ». *Optime!* [10] Quae cunctorum hominum — nemine excepto — ad sanctitatem vocatio inepte *subinde* [11] linn. 23-24 in discipulos Domini contrahitur, orationem sic concludendo: « Cunctis proinde perspicuum est Dominum omnes discipulos (*non omnes gentes*) [12] ad sanctitatem vocare ».

6. In pag. 20, linn. 14 s. de consilio evangelico oboedientiae legimus: « Denique totalis subiectio Deo divinaeque ordinationis in oboedientia erga praepositum, nomine Christi *animos dirigentem* ».

Animas dirigere non est proprio praepositi, sed patris spiritualis qui dicitur, vel moderatoris pietatis, cum praepositi officium potius sit dirigere in Domino subiectos secundum ea quae constitutionibus et regulis praecipiuntur.

7. Demum, quae pag. 21 sub n. 33 de statibus perfectionis acquirendae explicantur, magna ex parte aptiorem locum invenirent in peculiari schemate quod posthac de eadem quaestione disceptationi nostrae subiicietur, ut iam scite animadvertit em.mus card. de Barros Câmara.

Item quae in pag. 22 linn. 8-22 declarantur de rationibus quas perfectionis Instituta et sodales singuli necesse est ut habeant cum sacra hierarchia, accuratius — ut *existimo* [13] — statui poterunt in Codice, mox recognoscendo, Iuris Canonici. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] accurateque. [2] et securius. [3] deest. [4] cap. IV. [5] ut. [6] (29 ian. 1896). [7] dona. [8] (*1 Io.* 1, 1 s.). [9] (*Io.* 10, 10). [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] opinor.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis leget secundam emendationem de musica sacra.

Secretarius generalis: Ad art. 91. Emendatio secunda: pag. 195, linn. 22-24 (quae respondent pag. 16, n. 113 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 576*].

5

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Optima dicta sunt hodie de praestantia huius cap. IV, et de momento doctrinae in eo contentae. Libenter ipsis adhaereo quia textus etiam mihi valde placet, ut fundamentum studii et disquisitionis. Liceat tamen, ob eius ipsius praestantiam, aliqua indicare, ut credo, quae perfici eam possunt.[1]

Optanda essent:

I. *Arctior structura totius capitis.* Nova ordinatio postulatur ad hoc ut apertius appareat doctrina vocationis universalis ad sanctitatem necnon ad consilia evangelica pro omnibus christifidelibus, quamvis non omnes vocentur ad eumdem plenum modum ea vivendi. Omnia autem elementa relate ad praxim consiliorum evangelicorum in statu aliquo vitae, simul postea adunantur. Ordinatio igitur haec esset:

1) Principium generale vocationis universalis ad sanctitatem.

2) Media generalia huius sanctitatis consequendae, ut complementum doctrinae de eius natura.

3) Evangelica consilia ut media sanctitatis, ad quae consilia omnes vocantur iuxta propriam vocationem et gratiam.

4) Praxis multiformis sanctitatis, et quanti fieri debeant consilia evangelica.

Tres subsequentes paragraphi brevis erit prospectus status religiosi:

a) Praxis consiliorum evangelicorum in vitae statu.

b) Momentum statuum perfectionis in Ecclesia.

c) Sub auctoritate Ecclesiae.

II. *Capita doctrinalia praestantiora quae uberius et accuratius exponi debent.*

1. *De sanctitatis notione.* Textus ditari debet uberiori doctrina biblica et dogmatica — quae minima est in schemate —, dum proponit notionem sanctitatis...[2]

Si accurate textus consideratur, illico apprehendere fas est agi fere tantum de sanctitate sub eius aspectu conatus humani purificationis, sui ipsius superationis ethicae, seu cuiusdam *moralismi.* Aspectus autem ontologicus, obiectivus, seu sanctitatis Dei sese homini communicantis, cum illo aspectu subiectivo et ascetico arctissime coniunctus, vix ibi invenitur. Immerito tamen. Nam in tota revelatione sacra inde ab initio re-

lationum Dei cum populo suo electo in Testamento Vetere sanctitas revelatur in ipso Fonte sanctitatis, scil. Deus. Sanctus vocatur prae primis homo, res vel locus qui a Deo sanctitatem accipiunt; quos Deus sua praesentia vel opere sanctificat. Actioni salutiferae divinae populus electus cooperari diligenter debebat, ut vox prophetarum constanter illi memorabat.

Mysterium autem sanctitatis plenam revelationem ac realitatem in Novo Testamento attigit in Christo Iesu et per ipsum in populo Dei qui est Ecclesia. Christus namque Dominus — Pontifex Sanctus — plenus gratiae, ipse sacramentum primum et maximum sanctificationis existit tum pro Ecclesia tum pro unoquoque ipsius membro per mysterium Ecclesiae, et actiones sacramentales ipsi Ecclesiae commissas. Christifidelis sanctus est per unionem vitae et gratiae cum Christo...[3], per *inhabitationem Spiritus*[4] Dei cum *suis*[5] donis et virtutibus, per praesentiam *Sanctissimae*[6] Trinitatis, quibus omnibus, excitante et adiuvante gratia, christianus, dum sui compos est, germen illud excolit suo nixu ascetico, exercitio virtutum, sui ipsius mortificatione, et continuo accrescere facit. Conceptus itaque sanctitatis qui in textu exhibetur ditari debet aliquibus his elementis, depromptis ex divina revelatione necnon ex catholico dogmate.

2. *De sanctificationis mediis.* Secunda quaestio arcte praecedenti cohaerens, modos sanctificationis respicit. Tali conceptui ditiori rei biblicae et dogmaticae respondentes, proferenda sunt etiam ut media efficientia sanctificationem, quae Christus in Ecclesia sua constituit, ut sanctitas Dei communicetur, i. e.:

Sacramenta, « ad salutem necessaria »...[7], « praecipua salutis et sanctificationis media »...[8], « utpote quae sunt ipsius Christi actiones »...[9], quae sanctitatem communicant...[10], vitam divinam gradatim cum christifidelis cooperatione augent cunctosque status vitae humanae in terris sanctificant.

Contactus *etiam*[11] cum Verbo Dei revelato, ope fidei et amoris supernaturalis necnon in vita liturgica et oratione privata.

Exercitium virtutum theologalium, caritatis maxime erga Deum et homines, quae vinculum est perfectionis ...[12] aliarumque virtutum ac spiritus beatitudinum (humilitatis, paupertatis, oboedientiae, etc.) quo dempto, impossibilis evadit praxis *etiam*[13] elementaris amoris Dei in adimpletione voluntatis eius.

Quae elementa summatim et sobrie collecta doctrinam textus perficere et definire deberent.

3. *Tituli quibus sanctitas postulatur pro episcopis atque sacerdotibus.*

Cum in textu sermo est de possibili multiformi praxi sanctitatis in Ecclesia, « enixe et peramanter » sacerdotes episcoporum instar hortantur.

Hunc tamen monitum factum in primis episcopis, deinde sacerdotibus, censemus roborari debere enumeratione titulorum qui *ipsorum* [14] sanctitatem exigunt:

a) eorum nempe consecratio sacramento Ordinis, ad sanctificationem populi Dei universi,

b) Christi sacerdotis Novi Testamenti imitatio, et eius gratiae capitalis participatio,

c) episcopi constitutio in statu, et vocationem ad exercitium perfectum caritatis pastoralis,

d) sacerdotum participatio ministerii caritatis pastoralis cum episcopo...[15],

e) eximium denique sanctitatis exemplum a tot sacerdotibus omnium temporum praeditum, servitio humili et abscondito in Ecclesia deditis.

4. *Via consiliorum omnibus patens.* Apertius significari deberet praxim consiliorum non tantum quibusdam reservari, eis nempe qui ad statum sanctitatis publicae consecratum vocantur, sed ...[16] viam consiliorum evangelicorum Christi, ipsius voluntate, omnibus christianis patere, ut secundum propriam vocationem et gratiam, atque prudentiae supernaturalis ordinationem, eam in statu proprio sequantur...[17]

5. *De valore sanctificatore consiliorum evangelicorum.* Textus prae aliis consiliorum et votorum excellentiis extollit valorem sic dicti *signi et testimonii* quem possident, valorem videlicet manifestativum vitae evangelicae, ecclesialis, eschatologicae.

Mirum autem nobis est laudatam expositionem, in capite fundamentali et primario deficere: in declaratione nempe propriae et specificae virtutis consiliorum, quatenus media sunt et instrumenta sanctificationis seu vitae christianae perficiendae.

Equidem consilia perfectionem non constituunt, sed ad perfectionem caritatis maxime conferunt. Cur autem ad praefatam caritatis perfectionem conferant, quae ipsorum est essendi ratio et ex qua ceterae eorum virtutes et significationes proveniunt, in textu praetermittitur...[18]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quaestionem in cap. IV contentam admodum praestantem consideramus, tum in se ipsa, cum ex finibus Concilii Vaticani II, cum ad quaesitum concretum totius schematis dogmatici *de Ecclesia*.

Praestantem sub aspectu *ecclesiologico,* quia occasionem praebet omnibus

ostendendi faciem et vitam intimam Ecclesiae, cuius mysterium in schemate Concilium pervestigat;

Praestantem sub aspectu *pastorali.* Fundamenta enim dogmatica in eo ponuntur pro motu *renovationis,* a Romano Pontifice augurato in oratione die 29 septembris habita. Ad omnes pervenire debet, simul cum vocatione universali ad sanctitatem, doctrina clara circa ipsius naturam, circa possibilitatem et media eam assequendi in universis condicionibus vitae, secundum vocationem cuiuscumque. Schemata disciplinaria posteriora Concilii hic ut in fundamento doctrinali niti debent;

Praestantem sub aspectu *oecumenico,* eo quod thesaurum vitae Ecclesiae intimae reserit, et eam profert ut regnum salvificum a Christo praedicatum, regnum caritatis, opus indeficiens Spiritus in ea; qui quidem aspectus ab iis qui ipsius structuram externam hierarchicam considerant, interdum aperte non percipiuntur.

Quapropter textus praeditus quidem placet, ut *fundamentum studii et disquisitionis.* Necesse tamen est ob eius ipsam praestantiam, ut severi simus in iudicio et indicemus aliqua in quibus, ut credimus, perfici debet.

Tantum loquar: 1. de structuratione generali vel ordinatione doctrinae in hoc capite contentae, et 2. de veritatibus quibusdam capitalioribus, quae perfectius tractari debent: quasdam alias animadversiones praetermittendo, quas tamen scripto secretariae tradam una cum possibili redactione. [2] Quoniam autem in alio voto particulari ex professo de hac quaestione sermo fiet, aliqua generaliora de necessitate illam proponendi illaeque attentionem praestandi, mihi breviter loqui liceat. [3] instrumento Deo coniuncto. [4] inhabitantem Spiritum. [5] deest. [6] summae. [7] (Conc. Trid., Decr. de Sacr.: Denz. 847-1604). [8] (C.I.C. can. 731 § 1). [9] (Pius XII, *Mediator Dei,* D. 3845). [10] tum peccatum destruendo, novam vitam incorporatione ad Christum praebendo, illamque restituendo, quando per peccatum personale amittitur. [11] deest. [12] (*Col.* 3, 11). [13] deest. [14] deest. [15] et cum eis coniunctio ad ipsius sacrificii eucharistici oblationem. [16] quamvis non omnes ad eundem gradum sanctitatis vocentur. [17] (cf. *Act.* 5, 4; *1 Cor.* 7, 5). [18] Hae animadversiones si admittantur, humiliter credimus, hoc maximi momenti caput summe ditari ad propositum intentum.

6

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Quae nunc mihi licet exponere, dico nomine 79 Patrum linguae germanicae et etiam partium Scandinaviae.[1]

...[2] Capitis forma praeiacens, priori certe melior, in genere laudanda est, *immo maxime laudanda, ut iam plures dixerunt Patres.*[3]

Placet *praeprimis,*[4] quod consilia evangelica eorumque professio nunc in contextu theologico totius populi Dei considerantur. Agendo de vocatione *omnium* fidelium ad sanctitatem efficaciter refellitur falsa opinio eorum, qui Ecclesiae opprobrio vertunt, *ac si*[5] secundum eius doctrinam

asceticam haberentur in Ecclesia *ratione status,* in quo quis versatur, classes christianorum respectu maioris vel minoris perfectionis. Placet quoque, quod consilia evangelica non tam exclusive reducuntur ad momentum eorum asceticum, *quod minime est spernendum,*[6] sed etiam, et quidem potius, ad indolem eorum soteriologicam, ecclesiologicam et eschatologicam.

...[7] Verumtamen ulteriores ...[8] emendationes necessariae esse mihi videntur. Nam difficultates, quibus religiones hodie, *quasi omnes,*[9] premuntur, imprimis diminutio vocationum, quae in variis regionibus observatur, graviter nos urgent. Concilium *Oecumenicum*[10] omnibus viribus praeparet oportet viam novae aestimationi necnon renovationi vitae secundum consilia evangelica instituendae! *Propterea Concilium*[11] dicat verbum peculiare, bonum, sincerum atque commendans de exercitio consiliorum evangelicorum eorumque momento pro Ecclesia! Verbum *dicat,*[12] quod monstret nos pastores in Concilio congregatos et populum christianum nobiscum adunatum bene scire et *grato animo*[13] agnoscere munus a Domino religionibus concreditum in favorem totius populi Dei, quo nobis ...[14] scaturire faciant novos fontes vitae christianae! Verbum tamen, quod et ipsas religiones moneat, eas non sibi solis vivere, sed vocatas esse ad efformandam una nobiscum et cum ceteris coetibus fidelium unitatem populi christiani. Quae unitas eo magis urget, quo magis in dies Ecclesia in mundo dechristianizato apparet ut pusillus grex.

Ita patet: pondus et momentum status consiliorum evangelicorum in medio Ecclesiae adhuc magis in lucem proferantur. *Etsi*[15] esse non opportunum censemus seiungere quaestionem vocationis *universalis* ad sanctitatem a quaestione vocationis specialis ad consilia prosequenda. Curetur autem, ut dignitas status consiliorum eiusque munus peculiare in Ecclesia iam in titulo capitis appareant, e. g. dicendo: « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et speciatim de professione consiliorum evangelicorum ». *Quod corresponderet plane contento huius capitis.*[16]

Praeterea in emendatione capitis peragenda respiciantur sequentia principia generalia:

1. In exponenda vocatione ad sanctitatem et in delineanda via sanctificationis distinctius exhibeatur primatus gratiae et indoles christologica. Patefiat sanctitatem christianam minus esse perfectionem moralem, quam participatam sanctitatem Christi, nostri redemptoris et capitis. Inter media sanctificationis afferenda praeprimis nominentur media fundamentalia — *certe non longa expositione, sed clara indicatione*[17] —: Verbum divinum, in Sacra Scriptura contentum, et Christi sacramenta, maxime Eucharistia, quibus Deus per Filium in Spiritu Sancto

immediate cor credentium et regnum Dei sincere desiderantium convertit. In explicatione responsi humani ad divinam vocationem primarium locum teneat fides viva, quae spem excitat et per caritatem operatur ...[18]. Ne omittatur in opere sanctificationis vis Spiritus Sancti!

Sic radix et fundamentum omnis vitae spiritualis christianae melius elucebunt. Sic quoque praecavetur, ne devotiones particulares, quae in variis institutis *religiosis,*[19] praesertim mulierum, inveniuntur, praedominent.

2. Accuratius adhuc distinguatur inter sanctitatem, quae omnibus iustificatis in baptismo confertur, et illam personalem, quae est actuatio sanctitatis baptismalis.

3. Servata quidem fundamentali viae sanctificationis unitate, via consiliorum evangelicorum in sua differentia specifica bene *et adhuc melius*[20] attendatur.

4. In ipsis consiliis evangelicis tractandis eorumdem theologia profundius enucleetur, et quidem secundum aspectus sequentes:

a) christologice: Consilia evangelica explicitius et accuratius reducantur oportet ad Christum eiusque missionem;

b) ecclesiologice et eschatologice: Consiliorum evangelicorum vis significativa et testimonialis, quibus iure in capite momentum primarium attribuitur, theologice praecisius explicetur.

Tali reductione consiliorum evangelicorum ad mysterium Christi eiusque Ecclesiae significandum atque testificandum, momentum eorum asceticum respectu perfectionis adquirendae non solum integre servatur, sed plenius evolvitur *et profundius fundatur.*[21] Ut enim praecise exhibeatur interna indoles sanctificans consiliorum evangelicorum, quae sunt media *personalis* sanctificationis, indoles eorum ecclesiologica et eschatologica efferenda est.

5. In citandis textibus S. Scripturae cautius procedatur; accuratius respiciendus esse videtur et sensus litteralis et contextus singulorum locorum...[22]

Cum ex nostra expositione eluceat emendationes *diversas*[23] textus praeiacentis necessarias esse, quod mirum non est, quia caput ob temporis penuriam paucis tantum diebus elaborari debuit, nova revisio ...[24] capitis, *sed omnino in sua linea praeiacenti,*[25] a quibusdam Patribus et peritis confecta est, quae ulteriori labori inservire poterit — *et ad perficiendum caput*[26] —, et quam in scriptis trado.[27] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad disceptandum cap. IV seu futurum cap. V schematis *de Ecclesia* agens de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, liceat mihi, venerabiles Patres, nomine et ex mandato 79 Patrum linguae germanicae et etiam

quorundam Patrum Scandinaviae annotationes sequentes proponere. [2] I. (Praecipua commoda textus praeiacentis). [3] Plures defectus veteris schematis feliciter evanuerunt. [4] deest. [5] quod. [6] deest. [7] II. (Plures ulteriores emendationes desiderandae). [8] et non paucae. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] iterum atque iterum — sicut identidem in historia Ecclesiae —. [15] Prorsus. [16] deest. [17] deest. [18] (*Gal.* 5, 6). [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] 6. Repetitiones nonnullae et superflua quaedam expungantur, ita ut nexus logicus totius capitis concinnior evadat. [23] sat amplas. [24] et redactio. [25] deest. [26] deest. [27] III. (*Conspectus emendationum desideratarum*).

Ad titulum capitis (pag. 18): dicatur: « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et speciatim de professione consiliorum evangelicorum », quia hic titulus accurate correspondet rei, quae in capite exponitur.

Ad n. 28 (*Prooemium*) (pag. 18): ut iam in expositione thematis appareat essentialem sanctitatem Ecclesiae resp. fidelium esse sanctitatem participatam Christi, prooemium sic mutetur: « Ecclesia, cuius mysterium a Sancta Synodo solemniter mundo annuntiatur, ut sponsa Christi a Deo electa et sacro connubio Domino suo intime unita indefectibiliter est sancta (cf. *Eph.* 5, 27). Sponsus enim eius et humani generis redemptor, « sanctus Dei » (*Lc.* 4, 34), amori suo fidelis, indesinenter communicat cum ipsa sanctitatem suam, quae cum Ecclesia sit sacramentum praesentiae Eius in mundo, etiam apparere debet, ut luceat omnibus. Ideo numquam in illa deesse possunt, qui vitae sanctitate et virtutum perfectione mysterium sanctitatis eius testificentur. Atque quosdam Dominus benigne eligit, ut per statum vitae huius mysterii peculiare in mundo ferant testimonium et exemplum ».

Ad n. 29. (*De universali ad sanctitatem vocatione*) (pag. 18): ut clarius distinguatur inter sanctitatem, quae in baptismo confertur, et illam personalem, quae est evolutio baptismalis, numerus sequens sic mutetur: « Omnes in Ecclesia, sive ad Hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem sunt vocati. Primarie enim ad eos, qui suo ovili, quod est Ecclesia, adnumerantur, pastor bonus dixit: " Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant " (*Io.* 10, 10). Ideo pro omnibus fidelibus Apostolus Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi gratias agit, eo quod ipsos benedixerit " in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo ", ut sint " sancti et immaculati in conspectu eius... in laudem gloriae gratiae suae " (*Eph.* 1, 3 sq.). " Omnes enim ", scribit apostolus, " filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis " (*Gal.* 3, 26 sq.). Non habetur ergo distinctio membrorum corporis Christi cuiuscumque status vel conditionis ratione vocationis ad participandam sanctitatem Capitis, omnis sanctificationis in Ecclesia auctoris, salva Domini libertate gratias suas largiendi prout vult et salvo dono proprio quod " unusquisque habet ex Deo " (*1 Cor.* 7, 7).

Propter hanc sanctitatem gratia collatam Apostoli alloquuntur omnes fideles ut " sanctos " (*Rom.* 16, 15 et passim) et " gentem sanctam " (*1 Petr.* 2, 9), quamvis ut peccatores et inimici Dei (*Rom.* 5, 8. 10) ad Ecclesiam vocati sint, veraciter et non tantum humiliter dicere debeant: " Dimitte nobis debita nostra " (Denz. 106-108) et non iam ad perfectionem christianam pervenerint. Qui vero sacramentis baptismi et confirmationis Christo consecrati sunt et ad cultum (eucharisticum) christianae religionis deputati actuosa participatione huic assistunt, ab

iisdem apostolis monentur, ut vivant " sicut decet sanctos " (*Eph.* 5, 3) et induant " sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam " (*Col.* 3, 12). Similiter ad fideles spectat, quod a Christo ut universale mandatum in regno caelorum quo maius non est confirmatur: " Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua " et " proximum tuum tamquam teipsum " (*Mc.* 12, 30 sq.), vel quod habetur in sermone montano: « Estote perfecti, sicut pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), perfecti enim amore erga proximum universali neminemque excludente (cf. *Lc.* 6, 36).

Cunctis proinde perspicuum est, omnes fideles cuiuscumque ordinis, clericos et laicos, coniugatos et degentes in virginitate, ad vitae christianae plenitudinem et caritatem perfectam, ad suam cuique propriam sanctitatem personalem vocatos esse, ad quam adquirendam vires secundum mensuram donationis Christi acceptas extendant, ut Eius vestigia sequentes sese gloriae Dei Patris et servitio proximi toto animo devoveant ».

Ad n. 30. (*De multiformi unius sanctitatis exercitio*) (pag. 19): titulus n. 30 sic mutetur: « De una et multiformi sanctitatis via », quia sanctitas gratia collata non exercetur. Porro: Praemittatur textui aliqua sententia, ex qua elucet primarium et potissimum hominis responsum vocationi divinae ad sanctitatem consistere in actibus virtutum theologicarum. Sic enim a limine reiicitur obiectio eorum, qui dicunt studium adquirendi sanctitatem in pietate catholica tam operosum non carere quodam Pelagianismo. Sententia sic sonet (expuncta prima sententia in schemate, pag. 19, linn. 1-2): « Christo vocanti, ut sanctitas per ipsum baptismo collata augeatur et manifestetur coram hominibus, christianus obsequitur vita fidei vivae, qua in omnibus eventibus dexterae Patris caelestis se confidens spem christianam excitat et " per caritatem operatur " (*Gal.* 5, 6). Cultui christianae religionis, quem Christus in cruce pendens constituit, assistens, ex hoc fonte omnis sanctitatis virtutem haurit ad sequelam Christi pauperis, humilis et crucifixi. Haec sunt et per totam vitam manent fundamentum et radix omnis vitae spiritualis et omnis studii perfectionis christianae adquirendae. At salva essentiali unitate viae sanctitatis etiam dona singulis a Deo provisa (cf. *1 Cor.* 7, 7), quae varia vitae genera et officia secum ferunt, respiciantur oportet ».

Episcopi ne eximantur ab invitatione Sacrae Synodi se in suo officio sanctificandi. Ideo mutetur textus pag. 19, linn. 2-15, hoc modo: « Sacra Synodus imprimis pastores gregis Christi, Praesules et Presbyteros enixe et peramanter hortatur, ut ad imaginem Summi et Aeterni sacerdotis, pastoris et episcopi animarum nostrarum (cf. *1 Petr.* 2, 25), ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant ad totius populi sanctificationem. Sic enim, ut SS. Patres docent, ad perfecte Deum amandum proximumque propter ipsum, pervenire possunt, aemuli illorum episcoporum ut sacerdotum, qui saeculorum decursu animam suam pro ovibus suis posuerunt vel in humili saepe et abscondito servitio praeclaram sanctitatis propaginem reliquerunt. Omnes ratione ordinis sacramentalis et Ecclesiae mandati in vinea Domini laborantes cum episcopis suis in uno eucharistico sacrificio et vinculo amoris coniungantur et secundum exemplum Christi apostolorum suorum pedes lavantis se mutuo adiutorio ut ministros praebeant ».

Linn. 24-32 in finem capitis transferantur et hic earum loco ponatur: « Sed ceteri quoque christifideles, iuniores et aetate iam provecti ex vitae sortae innuptae et viduae necnon omnes, qui corporis vel animi malis vexantur, cognoscant

se in vitae suae conditionibus, officiis et circumstantiis et per ea in dies magis sanctificari, si cuncta e manu Patris caelestis suscipiunt et voluntati divinae salvificae cooperantur ».

Ad n. 31. (*De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis*) (pag. 19 s.): titulus n. 31 sic mutetur: « De sanctificationis mediis et de via consiliorum evangelicorum », quia consilia evangelica non solum sunt media sanctificationis.

Pag. 19, lin. 34 - pag. 20, lin. 1: quia sunt ex parte repetitio eorum, quae antea iam dicta sunt, commutentur hoc modo: « Ex ineffabili suo amore Deus christianis multa praebuit media, quibus sanctitatem, in fide et baptismate seminatam, corde bono et optimo retinent eiusque fructum afferunt in patientia (cf. *Lc.* 8, 15). Inter quae singulari modo exstant Verbum Divinum in Sacra Scriptura contentum et Christi sacramenta, quibus Deus per Filium in Spiritu Sancto immediate cor credentium et regnum caelorum sincere desiderantium convertit. Accedunt oratio, paenitentia et omnium virtutum exercitatio, quibus homo Deo obviam procedit. His omnibus, quae in quavis vita vere christiana reperiantur oportet, excitante et adiuvante gratia bene adhibitis, " caritas Dei, diffusa... in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis " (*Rom.* 5, 5), totum hominem magis magisque " secundum imaginem eius, qui creavit illum " (*Col.* 3, 10), renovabit ».

Pag. 20, linn. 2-6: clarius dicatur, quid sibi velit terminus « consilia »; terminus « consilia evangelica » vero tribus notis consiliis reservetur.

Ideo hae lineae forte sic mutentur: « Praeter viam sanctificationis ordinariam invenitur in Evangelio alia, quae non simpliciter et aequo modo omnibus patet, sed tantum secundum mensuram Dei vocantis, quapropter via consiliorum appellari consuevit. Inter multa consilia, quae in Evangelio proponuntur, tria... » (e. i. p. usque ad lin. 7 in schemate).

Pag. 20, lin. 7: antequam de singulis consiliis evangelicis agitur, ostendatur eorum relatio ad Christum hoc modo: « ... extolluntur: paupertas, virginitas et oboedientia, quae inde a saeculis consilia evangelica dicuntur. Habent suum fontem in vita et in missione Christi, unde eorum quoque christianus sensus hauritur necnon eorum efficacia in opere sanctificationis originem trahit. Christus enim virgo pauper et oboediens salutem generi humano attulit atque exemplar dedit novi hominis, " qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis " (*Eph.* 4, 24). Qui ergo ex divina electione ad praedicta consilia vocantur et eorum via Christum pauperem, virginem et oboedientem sincero amore sequuntur, bene sciant vocationem suam ».

Pag. 20, linn. 7-10: indicatur relatio paupertatis ad crucem Christi: « In filiorum Dei libertate paupertatem assumant in signum crucis Domini et praestantiae bonorum regni caelestis hoc saeculum transcendentis necnon in actuosum fraternitatis christianae testimonium ».

Pag. 20, linn. 10-13: loco « castitas Deo dicata » rectius — secundum Evangelium — relatio ad Christum indicatur: « Continentiam perfectam (*Mt.* 19, 12) seu virginitatem eligant in signum amoris indivisi erga *Dominum,* propter ipsum solum dilectum (cf. *1 Cor.* 7, 32. 34), et simul... ».

Pag. 20, linn. 14-16: etiam in oboedientia ostendatur character significativus et christologicus huius consilii: « Oboedientiam denique erga praepositum vices Christi gerentem capessant in signum totalis subiectionis Deo illique ordinationi

divinae, secundum quam homines stultitia crucis salventur (cf. *1 Cor.* 1, 21), et in testimonium humilis servitii omnibus hominibus propter Christum praestandi ».

Pag. 20, linn. 16-19: eadem idea exprimatur verbis Novi Testamenti: « Sic ipsi comperiant, quam maxime consilia evangelica illis, quibus datum est » (*Mt.* 19, 11), conferre possint ad deponendum « veterem hominem » et induendum « novum » (cf. *Eph.* 4, 22. 24; *Col.* 3, 9. 10), i. e. « Dominum Iesum Christum » (*Rom.* 13, 14), ad caritatis perfectionem.

Pag. 20, linn. 20-35 potius pertinent ad *praxim* consiliorum evangelicorum, ideo trahantur ad proximum numerum.

Ad n. 32. (*De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito*) (pp. 20-21): titulus huius numeri melius sonat: « De *professione* consiliorum evangelicorum in Ecclesia »; nam de statu ab Ecclesia sancito imprimis n. 34 agitur.

Pag. 20, linn. 20-27 ita mutentur, ut clarius appareat, quo sensu consilia in omni vita christiana locum habeant: « Quamvis non omnes christifideles ad consiliorum evangelicorum praxim reapse vocentur, nisi secundum proprium charisma et prudentes caritatis normas, omnes ad hoc tendere debent, ne usu rerum mundanarum a caritate perfecta prosequenda impediantur, monente Apostolo: " qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur " (*1 Cor.* 7, 31), immo, cum in Christo sint (cf. *Rom.* 8, 1 et passim) et Christus sit in illis (cf. *Eph.* 3, 17), tenentur, ut Dominum suum vera mortificatione et serviendi voluntate commonstrent ».

Pag. 20, linn. 27-30 contrahantur: « Gaudet autem Ecclesia multos in sinu suo inde ab antiquitate inveniri, viros et mulieres, qui, ut sint sancti « corpore et spiritu » (*1 Cor.* 7, 34), haec consilia... ».

Pag. 20, lin. 31, loco « privatim » dicatur « plene ».

Pag. 20, lin. 33, omittatur « consecrantes », quia consecratio fit per Deum eiusque gratiam.

Pag. 20, linn. 34-35: dicatur: « ... sive contemplatione et cultu liturgico, sive apostolatus et caritatis laboribus » et deleatur: « sive spiritualibus exhortationibus sparsis ».

Pag. 20, lin. 35: addatur sequens sententia, quae complectitur quasi n. 32: « Omnes ergo fideles professionem consiliorum evangelicorum, quam apostoli et Patres, Ecclesiae doctores et pastores tam praeclaris verbis celebrarunt et quam Ecclesia quovis tempore tam enixe commendavit et contra omnes errores defendit, magni habeant ».

Pag. 20, lin. 37 - pag. 21, lin. 3: nexus cum antecedentibus concinnior esse debet; ideo proponitur sequens transitus: « Cum via paupertatis, virginitatis et oboedientiae ob hominis imbecillitatem et tentationes saepe instantes non careat difficultatibus, iam in antiqua Ecclesia ad consilia vocati se sociaverunt et vitae regulari se subiecerunt, memores illius verbi Domini: " Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum " (*Mt.* 18, 20). Stabilis eorum vivendi forma ab Ecclesia deinde sancita et munita velut arbor ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini crevit et ramis diffusa est. Status huiusmodi... ».

Ad n. 33. (*De momento statuum perfectionis adquirendae in Ecclesia*) (pag. 21): in titulo vitetur terminus « status perfectionis » et dicatur: « De momento status consiliorum evangelicorum in Ecclesia ».

Pag. 21, linn. 10-17: conficiatur textus concinnior, sequenti modo: « Varia dona et munera, quae in Ecclesia inveniuntur, in bonum totius populi Dei confe-

runtur. Nam Ecclesia, in qua mysterium Christi indesinenter viget et operatur, " corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tantum corpus sunt " (*1 Cor.* 12, 12). Eorum vero, quos Deus in statu ab Ecclesia sancito ad consilia evangelica vocavit, munus est, forma vivendi et unitate fraterna mysterium supernaturale vitae christianae necnon Ecclesiae, quod tantum fide percipitur, omnibus christifidelibus, immo toti mundo manifestare. Sint signum et testimonium credibile transitus huius saeculi (*1 Cor.* 7, 31) et Regni caelorum, " in quo neque nubent neque nubentur " (*Mc.* 12, 25), in Christo et in Ecclesia iam praesentis. Paupertate, virginitate et oboedientia, quibus ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt, clarius perennem Christi in Ecclesia praesentiam manifestent. Plenior enim illa abnegatio, quae in horum consiliorum professione continetur, dum Christi exinanitionem manifestius imitatur, novam quoque vitam redemptione Christi acquisitam significat et resurrectionem ac gloriam Regni caelestis praenuntiat ».

Pag. 21, lin. 17, addatur: « Vita denique communis, quae apud religiosos habetur, fideles ad memoriam mysterii fraternitatis saeculi futuri excitet ».

Pag. 21, linn. 18-22 deleantur, quia tantum repetunt, quae antea iam dicta sunt.

Pag. 21, linn. 23-34: in linea 26 post « oportet » addatur: « In praxim deducant, quod ex conditione status sui esse debent ». Introductis insuper quibusdam aliis mutationibus minoris momenti, lineae 23-34 sic sonabunt: « Ideo cum evangelica consilia suos asseclas Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono totius Ecclesiae devoveatur oportet. In praxim deducant, quod ex conditione status sui esse debent. Et cum a Christi redemptoris dilectione defluat ipse proximi amor, a professione sanctitatem sectandi derivat officium, cum ea intime connexum, pro viribus scil. prece actuosaque opera laborandi ad regnum Dei in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum ».

Pag. 21, post lin. 34 addatur: « Ratione divinae originis consiliorum evangelicorum et necessitudinis inter eorum professionem et Ecclesiae mysterium perspecta, Sacra Synodus docet ista consilia pertinere ad plenam vitam et structuram charismaticam Ecclesiae, quibus carere numquam potest ».

Ad n. 34. (*Sub auctoritate Ecclesiae*) (pag. 21 s.). Pag. 21, linn. 37-38, deleantur sequentia verba: « quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur », quia hoc iam saepius antea dictum est.

Pag. 22, linn. 4-6: deleatur expressio « ulterius ordinatas » et loco « Institutis ad perfectionem prosequendam passim erectis » dicatur: « necnon venerabilium fundatorum Institutis, in aedificationem corporis Christi (*Eph.* 4, 12) passim erectis, ut ... ».

Pag. 22, lin. 10, loco « perfectionis Institutum » dicatur: « consiliorum evangelicorum Institutum ».

Pag. 22, linn. 12 s., loco « Quod attinet ad ipsos sodales, iidem... », dicatur: « Ipsi vero sodales, in officio... ».

Ad n. 35. (*Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum*) (p. 22 s.). Pag. 22, linn. 25 s.: loco « fit Deo consecratio » dicatur: « Christo regi fit traditio suiipsius », quia consecratio est effectus gratiae. Item in lin. 26, loco « consecrationis », dicatur: « traditionis ».

Pag. 22, lin. 33: inter pericopam primam et secundam n. 35 ponatur propter

meliorem nexum prima et secunda pericopa n. 36 (=pag. 23, linn. 4-14, cum emendatione infra indicata).

Ad n. 36. (*Conclusio*) (pag. 23): primo loco ponatur pulchra pericopa, quae habetur pag. 19, linn. 24-32 (n. 30), primis verbis paululum mutatis, forsan sic: « Sacra Synodus, in Spiritu Sancto congregata, pro omnibus fidelibus supernas vires a Deo adprecatur, ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo et mutuo adiutorio progrediantur; qua... » (e. i. p. sicut in pag. 19, linn. 26-32).

Pag. 23, lin. 6 (in pericopa, quae secundum emendationem supra commendatam ponenda est in n. 35) loco « praxi praedictae consecrationis » propter rationem supra allatam dicatur: « traditione suiipsius ».

Pag. 23, linn. 15-19: sententia finalis sic incipiatur: « Unusquisque ergo sedule curet, ut in quacumque vocatione vocatus est, in ea permaneat... ».

Nota: Accluditur appendix cum textu cap. IV schematis, in quo omnes emendationes supra expositae locis competentibus insertae sunt, introductis insuper quibusdam aliis paucis mutationibus magis grammaticalibus vel per se patentibus.

Nomina Patrum Conciliarium linguae Germanicae, qui interfuerunt Conventui die 14 m. octobris 1965 habito.

Exc.mi PP. DD. Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Aufderbeck, ep. aux. Fulden.; Baaken, ep. aux. Monasterien.; Archiep. Bengsch, ep. Berolinen.; van Bekkum, vic. ap. Rutengen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fulden.; P. M. Buchholz, praef. ap. Shihtsienen.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; card. Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Emanuel, ep. Spiren.; card. Frings, arch. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Gargitter, ep. Brixien.; Graber, ep. Ratisbonen.; Gran, ep. coad. Osloen.; Grimm, ep. Zinceuven., adm. ap. Sibolgaen.; Haene, ep. Guelen.; Hengsbach, ep. Essendien.; Hoeck, abbas praes. Congr. Bavaricae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Hofmann, ep. coad. Passavien.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Jäger, arch. Paderbornen.; Janssen, ep. Hildesheien.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; card. König, arch. Vindobonen.; König, praef. ap. Shaoveuen.; Kelleter, ep. Bethlehemn.; Kempf, ep. Limburgen.; Kemerer, ep. Posaden.; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Köstner, ep. Gurcen.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Leiprecht, ep. Rottenburgen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Mangers, ep. Osloen.; Nordhues, ep. aux. Paderbornen.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Przyklenk, ep. Januarien.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. aux. Mogunt.; Riha, abb. praes. Congr. Austriacae O.S.B.; Rohracher, arch. Salisburgen.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rusch, adm. ap. Oenipontanus; Rüth, vic. ap. Norvegiae Centralis; Schaffran, ep. aux. Vratislavien.; Schäufele, arch. Friburgen.; Schick, ep. aux. Fulden.; Schmidt, ep. aux. Treviren.; Schneider, arch. Bambergen.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schröffer, ep. Eystetten.; Sedlmeier, ep. aux. Rottenburgen.; Simons, ep. Indoren.; Splett, ep. Gedanen.; Spülbeck, ep. Missnen.; Schu, ep. Ienceuven.; Stangl, ep. Herbipolen.; Stein, ep. aux. Treviren.; von Streng, ep. Basileen. et Luganen.; Taylor, ep. Holmiae; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Weber, ep. Iceuven.; Wehr, ep. Treviren.; Weigl, ep. Ikelaën.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Wittler, ep. Osnabrugen.; Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtr.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

Animadversiones additae:

Caput IV: *De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et speciatim de professione consiliorum evangelicorum.*

(Quae in sequentibus sublineata sunt, exhibent emendationes in annotationibus commendatas).

28. (Prooemium). *Ecclesia, cuius mysterium a Sancta Synodo sollemniter mundo annuntiatur, ut sponsa Christi a Deo electa et sacro connubio Domino suo intime unita indefectibiliter est sancta* (cf. *Eph.* 5, 27). *Sponsus enim eius et humani generis redemptor,* « *sanctus Dei* » (*Lc.* 4, 34), *amori suo fidelis, indesinenter communicat cum ipsa sanctitatem suam, quae, cum Ecclesia sit sacramentum praesentiae Eius in mundo, etiam apparere debet, ut luceat omnibus. Ideo numquam in illa deesse possunt, qui vitae sanctitate et virtutum perfectione mysterium sanctitatis eius testificentur. Atque quosdam Dominus benigne eligit, ut per statum vitae huius mysterii peculiare in mundo ferant testimonium et exemplum.*

29. (De universali ad sanctitatem vocatione). *Omnes in Ecclesia, sive ad Hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem sunt vocati. Primarie enim ad eos, qui suo ovili, quod est Ecclesia, adnumerantur, pastor bonus dixit*: « *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant* » (*Io.* 10, 10). *Ideo pro omnibus fidelibus Apostolus Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi gratias agit, eo quod ipsos benedixerit* « *in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo* », *ut sint* « *sancti et immaculati in conspectu eius ... in laudem gloriae gratiae suae* » (*Eph.* 1, 3 s.). « *Omnes enim* », *scribit Apostolus,* « *filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* » (*Gal.* 3, 26 s.). *Non habetur distinctio membrorum corporis Christi, cuiuscumque status vel conditionis ratione vocationis ad participandam sanctitatem Capitis, omnis sanctificationis in Ecclesia auctoris, salva Domini libertate gratias suas largiendi prout vult et salvo dono proprio quod* « *unusquisque habet ex Deo* » (*1 Cor.* 7, 7).

Propter hanc sanctitatem gratia collatam Apostoli alloquuntur omnes fideles ut « *sanctos* » (*Rom.* 16, 15 *et passim*) *et* « *gentem sanctam* » (*1 Petr.* 2, 9), *quamvis ut peccatores et inimici Dei* (*Rom.* 5, 8. 10) *ad Ecclesiam vocati sint, veraciter et non tantum humiliter dicere debeant*: « *dimitte nobis debita nostra* » (D. 106-108) *et non iam ad perfectionem christianam pervenerint. Qui vero sacramentis baptismi et confirmationis Christi consecrati sunt et ad cultum* (*eucharisticum*) *christianae religionis deputati actuosa participatione huic assistunt, ab iisdem Apostolis monentur, ut vivant* « *sicut decet sanctos* » (*Eph.* 5, 3) *et induant* « *sicut electi Dei, sancti et dilecti viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* » (*Col.* 3, 12). *Similiter ad fideles spectat, quod a Christo ut universale mandatum in Regno caelorum quo maius non est confirmatur*: « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua* » *et* « *proximum tuum tamquam teipsum* » (*Mc.* 12, 30 s.), *vel quod habetur in sermone montano*: « *Estote perfecti, sicut pater vester perfectus est* » (*Mt.* 5, 48), *perfecti enim amore erga proximum universali neminemque excludente* (cf. *Lc.* 6, 36).

Cunctis proinde perspicuum est, omnes fideles cuiuscumque ordinis, clericos et laicos, coniugatos et degentes in virginitate, ad vitae christianae plenitudinem et caritatem perfectam, ad suam cuique propriam sanctitatem personalem vocatos esse, ad quam adquirendam secundum mensuram donationis Christi acceptas extendant,

ut Eius vestigia sequentes sese gloriae Dei patris et servitio proximi toto animo devoveant.

30. (*De una et multiformi sanctitatis via*). *Christo vocanti, ut sanctitas per ipsum baptismo collata augeatur et manifestetur coram hominibus, christianus obsequitur vita fidei vivae, qua in omnibus eventibus dexterae patris caelestis se confidens spem christianam excitat et « per caritatem operatur »* (*Gal.* 5, 6). *Cultui christianae religionis, quem Christus in cruce pendens constituit, assistens, ex hoc fonte omnis sanctitatis virtutem haurit ad sequelam Christi pauperis, humilis et crucifixi. Haec sunt et per totam vitam manent fundamentum et radix omnis vitae spiritualis et omnis studii perfectionis christianae adquirendae. At salva essentiali unitate viae sanctitatis etiam dona singulis a Deo provisa* (cf. *1 Cor.* 7, 7), *quae varia vitae genera et officia secumferunt respiciantur oportet.*

Sacra Synodus in primis pastores gregis Christi Praesules et Presbyteros enixe et peramanter hortatur, ut ad imaginem *Summi et Aeterni sacerdotis pastoris et episcopi animarum nostrarum* (cf. *1 Petr.* 2, 25), ministerium suum sancte alacriter et fortiter adimpleant ad totius populi sanctificationem. Sic enim, ut Sancti Patres docent, ad perfecte Deum amandum proximumque Ipsum, pervenire possunt, aemuli illorum *Episcoporum et* sacerdotum, qui saeculorum decursu *animam suam pro ovibus suis posuerunt vel* in humili saepe et abscondito servitio praeclaram sanctitatis propaginem reliquerunt. *Omnes ratione ordinis sacramentalis et Ecclesiae mandati in vinea Domini laborantes, cum Episcopis suis in uno eucharistico sacrificio et vinculo amoris coniungantur et secundum exemplum Christi Apostolorum suorum pedes lavantis se mutuo adiutorio ut ministros praebeant.*

Libenter etiam coniuges parentesque alloquitur Sacra Synodus, ut amore fideli se invicem in vita gratiae sustineant et prolem amanter a Deo acceptam christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant. Ita namque exemplum in indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant et fecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores, existunt, in signum illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit (cf. *Eph.* 5, 25). *Sed ceteri quoque christifideles iuniores et aetate iam provecti ex vitae sorte innuptae et viduae necnon omnes, qui corporis vel animi malis vexantur, cognoscant se in vitae conditionibus, officiis et circumstantiis et per ea in dies magis sanctificari, si cuncta e manu Patris caelestis suscipiunt et voluntati divinae salvificae cooperantur.*

31. (*De sanctificationis mediis et de via consiliorum evangelicorum*). *Ex ineffabili suo amore Deus christianis multa praebuit media, quibus sanctitatem, in fide et baptismate seminatam, corde bono et optimo retinent eiusque fructum afferunt in patientia* (cf. *Lc.* 8, 15). *Inter quae singulari modo extant Verbum Divinum in Sacra Scriptura contentum et Christi sacramenta, quibus Deus per Filium in Spiritu Sancto immediate cor credentium et regnum caelorum sincere desiderantium convertit. Accedunt oratio, paenitentia et omnium virtutum exercitatio, quibus homo Deo obviam procedit. His omnibus, quae in quavis vita vere christiana reperiantur oportet, excitante et adiuvante gratia bene adhibitis, « caritas Dei diffusa ... in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis »* (*Rom.* 5, 5), *totum hominem magis magisque « secundum imaginem eius, qui creavit illum »* (*Col.* 3, 10), *renovabit.*

Praeter viam sanctificationis ordinariam invenitur in evangelio alia quae non simpliciter et aequo modo omnibus patet, sed tantum secundum mensuram Dei

vocantis, quapropter via consiliorum appellari consuevit. Inter multa consilia, quae in evangelio proponuntur, tria in Ecclesiae doctrina et usu peculiariter extolluntur: *paupertas, virginitas et oboedientia, quae inde a saeculis consilia evangelica dicuntur. Habent suum fontem in vita et in missione Christi, unde eorum quoque christianus sensus hauritur necnon eorum efficacia in opere sanctificationis originem trahit. Christus enim virgo pauper et oboediens salutem generi humano attulit atque exempla dedit novi hominis, « qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* (*Eph.* 4, 24). *Qui ergo ex divina electione ad praedicta consilia vocantur et eorum via Christum pauperem virginem et oboedientem sincero amore sequuntur, bene sciant vocationem suam. In filiorum Dei libertate paupertatem assumant, in signum crucis Domini* et praestantiae bonorum Regni caelestis *hoc saeculum transcendentis* necnon in actuosum fraternitatis christianae testimonium. *Continentiam perfectam* (*Mt.* 19, 12) *seu virginitatem eligant in signum amoris indivisi erga Dominum,* propter Ipsum solum dilectum (cf. *1 Cor.* 7, 32. 34), et simul tamquam principium spiritualis fecunditatis in mundo. *Oboedientiam denique erga praepositum vices Christi gerentem capessant in signum totalis subiectionis Deo illique ordinationi divinae, secundum quam homines stultitia crucis salventur* (cf. *1 Cor.* 1, 21), *et in testimonium humilis servitii omnibus hominibus propter Christum praestandi. Sic ipsi comperiant, quam maxime consilia evangelica illis « quibus datum est »* (*Mt.* 19, 11), *conferre possint ad deponendum « veterem hominem » et induendum* « novum » (cf. *Eph.* 4, 22. 24; *Col.* 3, 9. 10) *id est « Dominum Iesum Christum »* (*Rom.* 13, 14), *ad caritatis perfectionem.*

32. (*De professione consiliorum evangelicorum in Ecclesia*). *Quamvis non omnes christifideles ad consiliorum evangelicorum praxim reapse vocentur, nisi secundum proprium charisma et prudentes caritatis normas omnes ad hoc tendere debent, ne usu rerum mundanarum a caritate perfecta prosequenda impediantur,* monente Apostolo: « Qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur » (*1 Cor.* 7, 31), *immo cum in Christo sint* (cf. *Rom.* 8, 1 et passim) *et Christus sit in illis* (cf. *Eph.* 3, 17), *tenentur, ut Dominum suum vera mortificatione et serviendi voluntate commonstrent. Gaudet autem Ecclesia multos in sinu suo inde ab antiquitate inveniri viros et mulieres, qui, ut sint sancti « corpore et spiritu »* (*1 Cor.* 7, 34), haec consilia, vel quaedam vel omnia excitante Dei gratia, *plene* observant, etiam aliquando voto obstricti, sese toto corde Deo summe dilecto et servitio diffusionis amoris dedicantes, sive contemplatione *et cultu liturgico, sive apostolatus et caritatis laboribus. Omnes ergo fideles professionem consiliorum evangelicorum, quam Apostoli et Patres Ecclesiae doctores et pastores tam praeclaris verbis celebrarunt et quam Ecclesia quovis tempore tam enixe commendavit et contra omnes errores defendit, magni habeant.*

Cum vita paupertatis, virginitatis et oboedientiae ob hominis imbecillitatem et tentationes saepe instantes non careat difficultatibus iam in antiqua Ecclesia ad consilia vocati se sociaverunt et vitae regulari se subiecerunt, memores illius Verbi Domini: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20). *Stabilis eorum vivendi forma ab Ecclesia deinde sancita et munita velut arbor ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini crevit et ramis diffusa est.* Status huiusmodi ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid inter clericalem et laicalem conditionem, sed ex utraque parte quidam a Deo vocantur, ut in Ecclesiae mysterio peculiari dono fruantur et servitio mancipentur.

33. (De momento status consiliorum evangelicorum in Ecclesia). *Varia dona et munera, quae in Ecclesia inveniuntur in bonum totius populi Dei conferuntur. Nam Ecclesia, in qua mysterium Christi indesinenter viget et operatur, « corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tantum corpus sunt »* (*1 Cor.* 12, 12). *Eorum vero quos Deus in statu ab Ecclesia sancito ad consilia evangelica vocavit, munus est, forma vivendi et unitate fraterna mysterium supernaturale vitae christianae necnon Ecclesiae, quod tantum fide percipitur, omnibus christifidelibus immo toti mundo manifestare. Sint signum et testimonium credibile transitus huius saeculi* (*1 Cor.* 7, 31) *et regni caelorum, « in quo neque nubent neque nubentur »* (*Mc.* 12, 25), *in Christo et in Ecclesia iam praesentis. Paupertate, virginitate et oboedientia, quibus ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt, clarius perennem Christi in Ecclesia praesentiam manifestent.* Plenior *enim* illa abnegatio, quae in horum consiliorum professione continetur, dum Christi exinanitionem *manifestius* imitatur, novam *quoque* vitam redemptionem acquisitam significat et resurrectionem ac gloriam Regni caelestis praenuntiat. *Vita denique communis, quae apud religiosos habetur, fideles ad memoriam mysterii fraternitatis saeculi futuri excitet.*

Ideo cum evangelica consilia suos asseclas Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono totius Ecclesiae devoveatur oportet. *In praxim deducant, quod ex conditione status sui esse debent.* Et cum a Christi Redemptoris dilectione defluat ipse proximi amor a professione sanctitatem sectandi derivat officium, cum ea intime connexum, pro viribus scilicet prece actuosaque opera laborandi ad Regnum Dei in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum.

Ratione divinae originis consiliorum evangelicorum et necessitudine inter eorum professionem et Ecclesiae mysterium perspecta, Sacra Synodus docet ista consilia pertinere ad plenam vitam et structuram charismaticam Ecclesiae, quibus carere numquam potest.

34. (Sub auctoritate Ecclesiae). Cum ecclesiasticae auctoritatis munus sit populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cf. *Ez.* 34, 14), ad ipsam pertinet evangelica consilia fideliter explicare eorumque publicam professionem legibus suis sapienter moderari, sicut inde ab antiquitate pro coenobiis et monasteriis provide fecit. Quare Ecclesia Spiritus Sancti impulsus docilis sequens, Regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas cum laude recepit, et ulterius ordinatas authentice adprobavit; *necnon venerabilium fundatorum Institutis, « in aedificationem corporis Christi »* (*Eph.* 4, 12) *passim erectis,* ut omni modo floreant, auctoritate sua invigilante et protegente, semper et ubique adfuit.

Quo autem melius necessitatibus totius *dominici* gregis provideatur, Romanus Pontifex ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque *consiliorum evangelicorum* Institutum ac sodales singulos intuitu utilitatis communis, sibi soli speciatim subiicere atque ab Ordinarii Loci iurisdictione eximere potest. *Ipsi vero sodales* in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam, iuxta canonicas leges praestare debent Episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam. Peculiari enim vocatione sua constituti sunt validi et propinqui Sacrae Hierarchiae ac ministrorum cooperatores et fidelium adiutores in Regno Christi provehendo et stabiliendo.

35. (Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum). Eo pluris evan-

gelicorum consiliorum professio de se aestimanda est, quo intimior atque firmior *Christo Regi fit traditio sui ipsius.* In singulis autem huius *traditionis* meritum a caritate qua imperatur maxime pendet. Professio vero publica in suis elementis constitutivis coram Deo et Ecclesia considerata, melior est cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo suscepta. Dispari enim illa firmitate diverso gradu quis et vivendi formam Christi et Sanctae Ecclesiae cum Sponso suo indissolubiliter unitae, in oboedientia, paupertate et sacra virginitate imitatur.

Idcirco Sacra Synodus in nomine Domini confortat ac laudat innumeros viros ac mulieres, Fratres ac Sorores, qui fideli et humili *traditione ipsius* Sponsam Christi condecorant omnibusque hominibus generosa atque diversissima servitia praestant.

Meminerint ergo omnes peculiariter vocati, suum esse commune in caritate officium, ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel ad turbas concionantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem vel pueris benedicentem vel denique omnibus benefacientem.

Omnes tandem christifideles perspectum habeant consiliorum evangelicorum praxim, quamvis renuntiationem secum ferat quorumdam bonorum certo laudabilium, vero profectui personae humanae tamen non obstare sed summopere prodesse. Consilia enim in caritate et secundum cuiusque personalem vocationem suscepta, ad affectuum humanorum purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant, variis modis humanae societati promovendae prosunt, et praesertim ad vitae genus, quod pro se eligit Christus Dominus quodque Mater eius virgo subsecuta est, hominem christianum magis conformant.

36. (Conclusio). *Sacra Synodus in Spiritu Sancto congregata,* pro omnibus fidelibus supernas vires a Deo adprecatur, ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo *et mutuo adiutorio* progrediantur; qua fervida fidelitate gratiam, vi cuius filii Patris fratres Christi et templum Spiritus Sancti efficiuntur, fideliter servent eamque copiosioribus fructibus fecundam reddant ad Sanctissimae Trinitatis gloriam. Quo magis insuper crescit eorum omnium sanctitas, eo clarius etiam Christi mysterium in Ecclesia revelabitur, ut signum et medium sanctitatis pro mundo, necnon ut fermentum impensioris spiritualis vitae in mundo.

Unusquisque ergo sedule curet, ut in quacumque vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad maiorem gloriam Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar, et ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legat tertiam emendationem de musica sacra.

Secretarium generalis: Ad art. 93: pag. 196 (videatis pag. 16, n. 115) ... [*cf. pag. 576*].

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

Venerabiles Patres, Auditores et Observatores dilectissimi,

Perlibenter assentio Patribus qui dixerunt hoc cap. IV collocandum esse in capite de mysterio Ecclesiae, sanctitas enim de essentialibus Ecclesiae est, cum in Credo dicitur: « Credo unam sanctam Ecclesiam ». Nunc de indole sanctitatis ad quam omnes nos vocamur.

Et imprimis videtur quod ad parendum iussui et menti huius Sacrosanctae Synodi necnon respectu propensionis hodiernae, quae primas partes dat rationi historicae, oportet nos divinam adire revelationem quae in libris sacris continetur, ad habendum genuinum conceptum de natura sanctitatis, secundum quod nobis a Spiritu Sancto revelata fuit. Ratio haec, quae hodie biblica vocatur, multum placet non tantum nobis sed etiam honorabilibus observatoribus, in hac aula nos audientibus, qui in ultima pontificia audientia, per vocem honorabilis professoris K. S. Skydsgaard, votum emiserunt ut in investigatione de Ecclesiae indole, primas partes habeat ratio biblica. Hoc autem optime concordat indoli pastorali immo et oecumenicae propensioni huius Sacrosanctae Synodi.

Liceat mihi confiteri quod in cap. IV accurate quaesivi aliquam definitionem biblicam, presse et clare expressam, sed tantum elementa eius sparsim inveni.[1]

Tam in Scriptura sacra quam apud Patres sanctitas et iustitia aequipares veniunt. Scriptum est autem quod « iustus ex fide vivit ». Hic vero quaeritur, ex qua fide iustus vivit. Audiatur Paulus ad Romanos scribens: « Non erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem, omni credenti... Iustitia enim Dei (i. e., ab ipso Deo data), in eo (i. e., qui credit) revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: " Iustus autem ex fide vivit " » ...[2]. Unde, teste Scriptura, iustitia seu sanctitas, initium habet in fide et ad fidem ordinatur, tali modo ut tota vita iusti seu sancti fide vivificatur. Sequitur quod iustus totaliter Domino suo est deditus et consecratus tali modo ut possit vocari « Servus fidelis Dei » *seu simpliciter « fidelis »*.[3] Sequitur insuper quod virtute fidei homo constituitur sanctus, i. e. Deo unice reservatus, immo benedictionibus divinis amplificatus ut fides in eo per caritatem operetur, quae est finis praecepti, plenitudo legis et vinculum perfectionis. Inde sequitur quod summum bonum hominis est fides quae a Deo procedit, *et qua Deo inhaeret.*[4]

Nunc vero gressu securo per semitas historiae sacrae incedamus ad reperiendam viam quam divina Providentia secuta fuit ad revelandum nobis indolem sanctitatis quae soror gemella iustitiae est.

Ad imaginem Dei factus, per fidem quae est radix iustitiae, primus homo Creatori suo adhaerebat, ideoque vere iustus erat secundum illud « qui adhaeret Deo unus spiritus est cum Deo », qui est fons iustitiae et sanctitatis. Tentatus vero a serpente Adam fidem amisit contradictori credendo. Deus attamen, misericordia erga lapsum hominem motus, factus est Evangelista, et quidem primus, peccatori et semini eius annuntians salvatorem venturum. In posterum omnes qui per fidem bonum illum nuntium divinum amplecturi sunt, iustitiam quae a Deo est habebunt et sancti erunt coram Domino. Qua ratione Abraham iustus fuit declaratus, nisi quia credidit Deo et quidem spem habuit contra spem. Propterea in eo benedictae sunt omnes gentes et semen eius multiplicatum est sicut stellas caeli et arenam maris. Postea ex semine Abrahae iusti exiit populus ille hebraicus, in sinu cuius una cum fide iustitia conservabatur et fructificabat. Etenim dictum fuerat ei a Deo: « Ambulabo inter vos et ero vobis Deus vester, vosque eritis populus meus. Ponam tabernaculum meum in medio vestri » ...[5]. Proinde populus Israel sanctus erat quia iustus erat, totus Deo consecratus et ipsi soli reservatus.

Ubi autem venit tempus ad promissa Dei implenda « missus est a Deo angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro » ...[6]. Nuntio ab ore angelico audito, Maria dixit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » ...[7]. Per Virginis vero fidem « semen Iacob dilatabitur usque ad cardines orbis terrarum », simulque in ipso omnes gentes benedictionem a Deo accipient, i. e. fidem praestabunt nuntio evangelico, qui in sinu Virginis consummatus fuit. Ipsa autem Elisabeth, clamans, dicebat Mariae: « Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino » ...[8]. Quo modo *ergo*[9] Virgo Nazarethana potuit dicere verbum illud: « Ecce ancilla Domini », nisi quia erat pauper spiritu, parvula effecta, ex corde totaliter Deo dicata et data, atque vacua omni propria voluntate. Scimus autem quod Deus parvulis revelat quae superbis abscondit. Ipsa vero Virgo in hymno *Magnificat* cantabat laeto animo: « Esurientes, i. e. pauperes spiritu, qui solum Deum esuriunt, implevit bonis et divites dimisit inanes ». Ipse autem Filius Virginis, qui « propter nos egenus » et pauperrimus « factus est » incipit opus redemptionis et reconciliationis humanae cum verbis: « Ecce venio, Deus, ut faciam voluntatem tuam ». Postea ad discipulos dicit: « Beati pauperes spiritu. Beati qui esuriunt iustitiam. Nisi efficiamini ut parvuli non intrabitis in regnum caelorum ». Qua ratione Dominus modo isto novo, menti iudaicae displicente, utebatur? Hoc modo intendebat

praeparare animas eorum ad fidem a Deo recipiendam. Ipse vero sanabat omnes infirmos fidem ad eum habentes dicens: « Vade, fides tua te salvum fecit ». Supra quod autem fundamentum aedificavit Ecclesiam suam? Supra firmam petram fidei Petri cui, quia erat spiritu pauper et parvulus, Pater revelavit Filium suum.

Fides igitur Petro pauperi et humili a Deo data fuit, ut supra fidem fundatae gratiae necnon charismata, quibus Primatus Petri circumdatur, sint donum magnificum divinae liberalitatis. Potest igitur dici quod fundamentum, ex parte hominis, pro Ecclesia Dei sit paupertas et nuditas spiritualis, quam quidem paupertatem solus Dominus omnipotens possit bonis suis superabundanter implere ...[10] Sequitur quod supra fidem, quae a Petro incipit et ad pastores Ecclesiae perfunditur, fundatur caritas pastoralis ...[11], cuius primum munus est ministerium verbi. Episcopo enim dictum fuit die suae consecrationis: « Episcopum oportet praedicare ». Paulus autem dicebat: « Vae mihi est si non evangelizavero » ...[12]. Nam, « non misit me Dominus baptizare sed evangelizare » ...[13]. Ipsi autem duodecim dixerunt: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis » ...[14]. Bonus igitur pastor, curis omnibus, ministerium verbi anteponit, ad hoc enim missus est a Domino, secundum illud: « Euntes docete omnes gentes ». Spiritu paupertatis evangelicae imbutus, multis curis minoris momenti renuntians, bonus pastor in pascuis veritatis pascit gregem Domini ...[15]. Obiicienti autem nobis quod homines huius aetatis aures suas obturaverunt ne audiant verbum Dei, respondendum est cum Paulo ad Timotheum: « Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » ...[16]. Iamvero hic agitur de fide quae per caritatem operatur, quae caritas donum et fructus Spiritus Sancti est. Quid autem censendum sit de famoso principio: « Sola fide homo salvari potest »? Verum esset si emendaretur modo sequenti: « Sola fide vera, scil., quae per caritatem homo *operatur* ».[17]

Votum, *ultimum... Agnoscite mihi...! Duae lineae remanent...*[18]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Rom.* 1, 16). [3] deest. [4] deest. [5] (*Lev.* 1, 20). [6] (*Lc.* 1, 20). [7] (*Lc.* 1, 38). [8] (*Lc.* 1, 45). [9] deest. [10] Ipsa Ecclesia ancilla est Dei, quae potest, per os apostoli, dicere filiis suis: « Servi vestri sumus ». [11] seu perfectio pastoralis. [12] (*1 Cor.* 9, 16). [13] (*1 Cor.* 1, 17). [14] (*Act.* 6, 2). [15] ad alendam et augendam fidem ovium sibi commissarum. Fides enim est primum bonum ovium Domini mecum norma fundamentalis vitae illarum, tali modo ut ipsamet caritas a fide dependet. Unde hodierna religiosa indifferentia et gravis remissio fidei, nisi, forsitan, saltem in pluribus casibus, e deficientia ministerii verbi Dei? [16] erit enim tempus cum

sacram doctrinam non sustinebunt » (*2 Tim.* 4, 2). [17] potest salvari. Scriptum est enim: « Fides si non habet opera, mortua est » (*Iac.* 2, 17). [18] Optamus ut in cap. IV magis evidenter appareat conceptus sanctitatis seu perfectionis supra verba Scripturae et dicta Patrum fundata; quae sequenti modo potest essere definita: « Iustus seu sanctus est homo in quo fides per caritatem operatur, salva mensura donationis Christi ».

Animadversiones additae:

Caput IV: *De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.*

Emendatio prima. De mutatione tituli capitis. Proponitur ut substituatur ei sequens titulus: *De statibus perfectionis in Ecclesia.* Ratio est: obligatio ad sanctitatem obligat omnes baptizatos. Proinde haec stabilis et permanens obligatio constituit aliquid stabile et immobile in Ecclesia. A fortiori verbum status convenit collegio episcopali et communitatibus religiosis.

Insuper, sanctitas ponitur hic pro caritate, quae secundum apostolum « est vinculum perfectionis » et « plenitudo legis est dilectio ». Ratione consuetudinis perfectio prioritatem habet super sanctitatem. Verbum « vocatio » non implicat directe stabilitatem neque communitatem sed aliquid individuale.

Emendatio secunda. De prooemio (n. 28). Mihi videtur quod textus non sit satis pressus et logicus et laboret quadam prolixitate. Reverenter proponitur sequens textus: « *Solemniter* haec Sacrosancta Synodus proclamat quod omnes hi qui, ratione lavacri regenerationis et adoptionis filiorum Dei in Christo et in Spiritu Sancto, Corpus Christi conficiunt electi fuerunt " ut sint sancti et immaculati in Christo, in conspectu Dei, in caritate ", quae " est vinculum perfectionis" et " finis praecepti ". Cum vero virtus theologica caritatis, quae " diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ", plures gradus complectitur secundum mensuram participationis ipsius caritatis, sequitur quod isti gradus diversi possunt constituere principium permanens et efficiens alicuius status. Proinde habentur in Ecclesia, praeter statum communem iam commemoratum, status praelatorum, status presbyterorum et status religiosorum. In omnibus istis statibus perfectionis omnes vocantur ad eamdem caritatem secundum mensuram quae eis a Spiritu Sancto data est ».

Insuper notandum est quod in n. 29 quod multiloquium contrarium est sobrietati styli oecumenici. Abbreviando primam periodum potest sic habere: « Omnis supernaturalis perfectionis Magister et Exemplar, Dominus Iesus, ad omnes suos discipulos dixit: " Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est " ».

Huius capitis perlegendo textum animadversus sum quod in pluribus vicinior est piae exhortationi quam stylo doctrinali. Ordo enim postulat quod ante omnia fiat clara definitio perfectionis seu sanctitatis quae est finis vitae christianae. Sparsim inveniuntur verba sanctitas, perfectio, caritas sed in vanum quaereret quis claram definitionem verborum illorum. Mihi videtur quod recursus ad S. Thomam Aquinatem (II^{a} II^{ae} quaest. XXIII-XXVIII) foret utilis ad conficiendam definitionem de perfectione. Nam in materia tam gravi opportunum est ut omnes habeant ante oculos doctrinam pressam et claram. Quaeritur qua ratione astringuntur numerosi episcopi ad disceptationes saepe fastidiosas quas potuissent facile evitare si schemata fuissent melioris qualitatis? Neque auditores neque observatores neque alii aedificantur animadvertentes quod textus schematum multis defectibus

laboret. Parcite Patribus qui fastidio capiuntur propter loquacitatem quae viget in disceptationibus quae loquacitas partim tantum gravat Patres conciliares.

Pag. 19, par. 30 non fit sufficiens distinctio inter perfectionem qua astringitur episcopus et illam qua astringitur presbyter. Piae exhortationes non sufficiunt ad definiendam aliquam doctrinam. Declaretur clare qualis est perfectio quae episcopis et qualis perfectio quae pertinet ad presbyteros.

Item in par. 31 tractatus fit de mediis ad sanctitatem simulque de consiliis evangelicis, quae materia iterum tractatur par. 32. Post lectionem verborum istorum mens immergitur in confusione. Mihi videtur quod materia huius capitis potuisset sic disponi: 1. De indole perfectionis. 2. De obligatione omnibus communi ad perfectionem. 3. De statu perfectionis praelatorum. 4. De perfectione clericorum seu presbyterorum. 5. De mediis ad perfectionem acquirendam et augendam: de sacramentis, de oratione, de vita contemplativa et activa, de virtute paenitentiae seu de mortificatione externa et interna. 6. De opportunitate hodierna perfectionis christianae in omnibus statibus perfectionis in Ecclesia sive ad promovendum oecumenismum sive ad provehendam actionem missionariam.

(Omnia haec non dicta sunt in aula conciliari, quia pertinent stricte ad laborem commissionis de fide).

« Fides quaerens intellectum » a duplici tentatione caveat. Et quidem primum a tentatione segregationis ne contemplatio diuturna alicuius veritatis fidei separate a summa aliarum veritatum minuat eius dimensionem et valorem usque ad quamdam deformationem. Secundo, tentatio archaismi (gallice ressourcement). Ecclesia Dei, ait S. Irenaeus, est « integrum corpus Filii Dei », semper eadem substantialiter, « columna et firmamentum veritatis ». Attamen, non obstante hoc principio, « conscientia Ecclesiae, sicut aiebat Summus Pontifex gloriose regnans, in principio huius sessionis, sibimetipsi clarescit, dum firmissimo obsequio verbis et sententiis Christi adhaeret, dum reverenti memoria sacrae Traditioni probata praecepta complectitur, dum interiori lumini Spiritus Sancti obsecundat; qui videtur hoc ab Ecclesia requirere, ut omnibus viribus nitatur, ut qualis ipsa sit ab hominibus agnoscatur » (Ex allocutione S. S. Pauli VI initio secundae sessionis Concilii). Etenim Ecclesia, sicut omne vivens, legi progressus subiicitur, ipso Domino declarante quod regnum caelorum simile sit grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit maius est omnibus oleribus et fit arbor. Unde renovatio Ecclesiae non implicat tendentiam archaisticam quae conatur Sponsam Ecclesiam spoliare pulcherrima veste, quam ipsamet texuit decursu temporis. Pertinet ad Concilium ut excutiat vestem Ecclesiae ad exonerandam ipsam pulvere, quo cooperta fuit per semitas huius mundi itinerans.

Forsitan aliquis Patrum cupit cognoscere qua ratione ductus fui ad duplicem supramemoratam tentationem in medio foro ferendam. A quibusdam Patribus facta est iam interrogatio cur in schemate de Ecclesia tractatus de sanctitate separate a mysterio Ecclesiae conficitur. Nam, omnes scimus sanctitatem esse de natura Ecclesiae, tali modo ut si Ecclesia Dei non esset sancta non esset Ecclesia Dei. Iste modus faciendi non placet. Etenim in Credo omnes confiteantur « unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam ».

Unde Ecclesia habet ut sit sancta, catholica et apostolica, nisi ex hoc quod sit una et apparet in sua universalitate, ut ait Cyprianus, sicuti « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata »? Nam Ecclesia est una quia in unitate Spiritus Sancti iuncta est Filio, ut in Mediatore in quo coniungitur Patri. Ita

unitas Sanctissimae Trinitatis et consequenter eius sanctitas exstat in Ecclesia. Propterea scripsit Ioannes in Apocalypsi: « Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de caelo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo » (*Apoc.* 21, 2). Et angelus dixit Ioanni: « Veni et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni ». Ipsa est Sponsa quae exivit e latere aperto Sponsi sub typo sanguinis et aquae de qua dixit Sponsus: « Haec est nunc caro de carne mea et os ex ossibus meis ». Haec est unica mea, dilecta mea, electa mea, quam acquisivi sanguine meo ut sit sancta et immaculata in conspectu Dei, in caritate. Haec unio Sponsae cum Sponso fit in Spiritu Sancto, sic ut in die quo Beata Virgo concepit de Spiritu Sancto et Verbum caro factum est. Haec Sponsa habet nomen gloriosum, nam Corpus Sponsi vocatur. « Propter hoc, ait apostolus, relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 31). Erunt duo in carne una, Christus et corpus eius, scilicet Ecclesia, erunt duo in carne una, in uno corpore. Hoc sacramentum magnum est, admirabile et incomprehensibile.

In hac mystica unione, quae est ad imaginem unitatis in Trinitate, sanctificatur Ecclesia et efficitur Corpus Christi. O ineffabile commercium! In isto vere mysterio omnia spirant amorem, quia omnia in Deo, qui est Caritas, fiunt. O unitas mirabilis, o sanctitas ineffabilis, o caritas fons totius in Ecclesia unitatis et sanctitatis! In uno verbo conveniunt omnia mysteria quae in Ecclesia continentur, in verbo *caritas, agape.* Ista agape est Mater nostra, quae parturit filios Deo, in virtute Spiritus Sancti, in lavacro baptismatis, roborat eos chrismate salutis, alit eos carne et sanguine sui Sponsi ut sint sancti et immaculati in conspectu Patris, in caritate. Haec quotidie audit Patrem dicentem filiis suis: « Sancti estote quia ego sanctus sum ». Sancti estote sicut Pater vester caelestis qui est Caritas infinita. Hac caritate nutriti et roborati efficimur sancti et perfecti. Caritas haec continetur sicut in fonte suo in Sacramento eucharistico, quod est signum unitatis et vinculum caritatis.

Unde nos, Patres venerabiles, qui manibus tenemus fontem sanctitatis, Corpus et Sanguinem Christi, tenemur vivere in vita nostra pastorali caritatem Christi Pastoris, quia debemus esse parati non tantum spoliari omnibus bonis nostris sed immo sacrificare animam nostram pro ovibus, ad quas oportet dicere cum Paulo: « Nos servi vestri sumus et dispensatores propter vos mysteriorum Dei. Sicut Christus Pastor et oves suae unicum gregem faciunt ita et nos unum cor et animam unam debemus esse cum ovibus Domini, unum amore paterno, immo pietate materna. Haec est perfectio propria status episcopalis, quam homines ab Episcopis expectant. Heri in hac aula figura f. r. Ioannis XXIII sermone vero et vivo depincta fuit coram nobis. Erat enim iste Pastor bonus quia cor eius erat cor Christi. Cor Ioannis erat cor matris Ecclesiae. Cor Ioannis erat Cor B. Deiparae. Cor Ioannis erat cor totius generis humani, « le rendez-vous » ubi pietate paterna et sollicitudine materna fulgens et ardens erat, in quo omnes pauperes, debiles, derelicti, peccatores sentierunt et gustaverunt dulcedinem Cordis Christi, quod est centrum omnium cordium. Dulcedine pastorali qua repletum erat cor suum attrahit cum magna alacritate homines, sine discrimine confessionis et nationis et coloris. Exaltatus super thronum caritatis et pacis traxit omnes ad se. Unde origo huius concilii? Quae virtus adunavit homines ex omni tribu et lingua et natione nisi virtus caritatis Patris universi generis humani? Quem finem proponimur no-

stris laboribus in hac aula nisi ut regnet tam in nobis quam in omnibus hominibus Christus, Salvator omnium.

Schema.

N. B. In praesenti textu habetur doctrina catholica de vocatione ad sanctitatem quae complectitur aspectum eius tam occidentalem quam orientalem.

Etenim in eo habentur argumenta biblica quae sunt communia omnibus christianis necnon argumenta propria Ecclesiae latinae et Ecclesiae orientali, quae hauriuntur de S. Thoma Aquinate et de Nicolao Cabasila, theologo byzantino saec. XIV quem multi auctores catholici putant esse peritissimum virum in hac materia, quam exponit in opere suo *De vita in Christo Iesu.*

Prooemium. Haec Sacrosancta Synodus solemniter docet omnes signo redemptionis sigillatos esse a Christo vocatos ad sanctitatem adipiscendam secundum illud: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). Haec autem perfectio ab apostolo sequenti modo describitur: « Benedictus Pater Domini nostri Iesu Christi qui ... elegit nos in ipso ... ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate... Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suae, in laudem gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo » (*Eph.* 1, 3-6). Proinde ex ipsa revelatione certum est quod omnes a Christo redempti vocantur ad adipiscendam sanctitatem quam apostolus his verbis contraxit: « Mihi vivere Christus est... » (*Phil.* 1, 21).

1. (*De natura sanctitatis*). Verum est Magistrum, Exemplar et Auctorem sanctitatis esse ipsum Iesum « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (*Col.* 2, 9), de cuius « plenitudine omnes nos accepimus » (*Io.* 1, 16) ut unusquisque nostrum possit dicere cum apostolo: « Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20). Unde sanctus dicitur omnis qui in Christo baptizatus Christum induit ut possit in Ipso vivere.

Iamvero omnes qui ad sanctitatem vocantur « in tenebris et in umbra mortis sedent », i. e. sub iugo peccati vivunt, redemptione egent ut introducantur « in regnum iustitiae et sanctitatis, amoris et pacis » ut possint in Christo vivere. Ideoque « vita nostra abscondita est cum Christo in Deo » (*Col.* 3, 3), nam cum « essemus mortui vivificavit nos in eo » (*Eph.* 2, 5).

« Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 18). Christus vero « factus est obediens usque ad mortem mortem autem crucis ». Ipsa autem natura humana a Christo assumpta effecta est instrumentum quo Christus suam sanctitatem dat in se credentibus, ita ut Christus-Homo factus est Caput generis humani ad conficiendum Corpus suum mysticum. Unde omnes peccatores qui per fidem et baptismum Christo iunguntur communicant ipso in iustitia et sanctitate, ut possint esse sancti sanctitate Christi et sicut dicit apostolus « ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo » (*Col.* 1, 28).

In ipsa natura humana a Christo assumpta et ab ipso sanctificata, invenitur principium vocationis generis humani ad sanctitatem. Christus, caput generis humani ab ipso redempti, ordinat homines ad sanctitatem quam in natura sua humana inclusit ut sit fons et instrumentum sanctitatis. Vocatio ad sanctitatem fundatur radicitus in mysterio humanizationis. Typus vero istius sanctitatis est B. V. Maria. In ipsa enim Christus fuit « plene et perfecte fons sanctitatis ut possit Mater dicere: « Mihi vivere Christus est ». Ex ipsa enim natus est Homo Deus,

fons totius sanctitatis. Accipiendo per fidem Filium Dei ut filium suum, effecta est Mater in spiritu omnium a Filio suo redemptorum et typus sanctitatis. Hoc modo aspicientes Mariam contemplamur exemplar sanctitatis nobis accommodatum et proximum nostrae fragilitati.

2. (*Ratio sanctificationis in Christo*). Per passionem et mortem suam id est per obeditionem suam Christus meruit omnibus peccatoribus gratias quibus iustificantur et sanctificantur. Sicut scriptum est: « Unus militum lancea latus eius aperuit et continuo exivit sanguis et aqua » (*Io.* 19, 34). Unde cantatur in Ecclesia: « Ex Corde scisso Ecclesia Christo iugata nascitur. Ex hoc perennis gratia ceu septiformis fluvius, stolas ut illi sordidas lavemus Agni in sanguine ». Testis autem istius facti scribit: « Viderunt in quem transfixerunt » (*Io.* 19, 36), nam omnes per sacramentorum viam propinqui fiunt isto latere aperto de ipso iustitiam et sanctitatem accipiunt secundum illud « Haurietis aquas de fontibus Salvatoris ».

Sicut vero humana natura Christi de Spiritu Sancto in sinu Virginis concepta fuit, ita oportet hominem « denuo nasci ex aqua et Spiritu Sancto » ut fiat spiritus, videlicet sanctus, quia « quod de Spiritu est spiritus est ». Certum est igitur quod per viam sacramentorum fit transitus ad Christum ut in ipso et per ipsum possimus vivere et sanctitatem adipiscere.

Oportet igitur parare viam Domini et rectas facere semitas eius. Haec vero rectitudinis operatio fit principaliter per virtutes humilitatis et poenitentiae. Dicit enim Dominus: « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum caelorum » (*Mt.* 18, 3). Quibus verbis significatur quod omnes qui cupiunt intrare in regnum oportet esse « pauperes spiritu » videlicet humiles corde. Altera conditio quae aperit ingressum ad regnum est poenitentia, secundum illud Ioannis Baptistae ad populum: « Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum caelorum » (*Mt.* 3, 2). Per humilitatem igitur et poenitentiam acquiritur cordis rectitudo sine qua impossibilis evadit ingressus in regnum Dei.

3. (*De vita in Christo*). Quamquam sanctitas seu vita in Christo tantum in patria consummationem habeat, attamen in via initium habet secundum illud apostoli ad Timotheum: « Certa certamen fidei, apprehende vitam aeternam in qua vocatus es » (*Tim.* 6, 12). Quid enim prodest lux homini caeco, ita quid prodest hominibus lux aeterna si non sunt idonei ad eam percipiendam.

Oportet igitur christianum iam in via signatum esse Spiritu promissionis sancto qui est « pignus haereditatis nostrae » (*Eph.* 1, 13). Pignus vero haereditatis aeternae est ipse Christus vivens per Spiritum Sanctum in nobis qui effusus est in cordibus nostris secundum illud Domini verbum: « Si quis diligit me sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (*Io.* 14, 23). Haec Sanctissimae Trinitatis praesentia in nobis non est mere passiva, sed eminenter activa et operosa atque eius finis est formatio imaginis Christi in nobis secundum illud apostoli: « Filioli mei, quos parturio donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19).

Christus in nobis formatur cooperante homine cum Deo videlicet homine disponendo se ad recipiendum motus internos Spiritus Sancti qui coniungit eum Christo per gratiam quae agit per fidem, spem et caritatem, quae vocantur virtutes theologicae cum hominem directe cum Deo coniungunt.

Ex parte hominis requiritur ut iam dictum est ut ipse paratus sit ad gratiam recipiendam per humilitatem et poenitentiam quae disponunt voluntatem suam eam confirmandam in rectitudine et docilitate.

Ex parte Dei operatio eius exercetur in nobis per sacramenta, speciali vero modo per sacramenta baptismi, confirmationis et Eucharistiae.

Per lavacrum regenerationis et operationem Spiritus Sancti nascitur in nobis Christus crucifixus, mortuus et resurrectus. Induentes vero Christum novum hominem, creatum in iustitia et sanctitate efficimur similes ipsi ideoque filii Dei simulque initium habet in nobis vita in Christo. Veniens in nos Spiritus Sanctus testimonium perhibet de Christo necnon ipsum nobis revelat et efficimur filii lucis. Iam exstat in nobis vera natura supernaturalis, cum efficimur nova creatura secundum gratiam quae operatur in nobis per tres virtutes theologicas. Viventes in Christo habemus nobiscum thesaurum omnis gratiae, veritatis et sanctitatis, ita ut possimus dicere: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Per unctionem Spiritus Sancti in sacramento Confirmationis filii Dei recipiunt virtutem ut possint esse Christi testes coram hominibus. Quia vero mundus in quo vivunt christiani immersus est in peccato et in scandalis necessarium est ut filii Dei fortes et constantes sint viventes digne Deo. Propterea unguntur Spiritu fortitudinis, sapientiae, consilii, pietatis et sic roborati et Spiritu saginati possunt incedere per semitas periculis refertas usque ad patriam caelestem multos alios post se trahentes.

In sacramento Eucharistiae homo vitam ipsam manducat et bibit ut possit a Christo apprehendi et ad Christum transformari unum cum Ipso efficiendo secundum illud: « Unus panis unum corpus sumus ».

Tunc Christus potest dicere his qui unum cum ipso effecti sunt: « Manete in me et ego in vobis ut fructum afferatis et fructus vester maneat ».

Qua autem ratione efficitur ista unio cum Christo nisi per conformitatem voluntatis humanae cum voluntate ipsius Christi, etenim verbum communio significat unionem voluntatis hominis cum voluntate Christi.

Sed ad hoc requiritur ex parte hominis ut in eo minuatur virtus peccati, cum per sumptionem Corporis Christi homo particeps fit mortis redemptoris qui peccatum moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Panis enim eucharisticus est quasi ignis qui operatur destructionem veteris hominis, nam qui vult Christum sequi debet abnegare semetipsum. Necesse enim est ut caput et membra eiusdem perfectionis participent cuius conditio primaria est absentia peccati. Peccatum autem aliquam difformitatem operatur in anima, quae non congruit cum capite corporis. Tollendo igitur difformitatem peccati imago Christi apparet in sua pulchritudine et Christus manens in suo membro format in eo perfectionem augendo virtutes theologicas. Unde potest concludere vitam christianam consistere ex una parte in certamine contra virtutem peccati et ex altera parte in incremento gratiae nec non virtutum fidei, spei et caritatis.

4. (*Condicio essentialis*). Ad formandam vero imaginem Christi in nobis necesse est ut cognoscamus naturam eius, nam impossibile est conformari voluntatem nostram cum voluntate Christi si voluntas Christi est nobis ignota. Unde oportet habere scientiam Christi, quae acquiritur per meditationem vitae ipsius Christi. Cum meditatione mysteriorum Christi crescit in nobis scientia Christi qui est exemplar omnis sanctitatis.

Meditando mysteria Christi homo cognoscit propriam dignitatem secundum illum S. Leonis: « Agnosce, christiane, dignitatem tuam ». Cognitio nostrae dignitatis custodit nos a peccato et impellit nos ad bonum faciendum. Etiam quando

homo peccat scientia mysteriorum Christi inclinat eum ad poenitentiam simulque instillat in corde eius fidem erga misericordiam Dei. Certum est quod per meditationem mysteriorum Christi exardescit in nobis ignis amoris nostri erga eum ut possimus ipsum sequi mandata eius custodientes. Denique in ista meditatione a Christo allicimur ut possimus vivere Beatitudines quae sunt culmen perfectionis. In uno verbo sanctitas ad quam vocantur membra Ecclesiae complectitur scientiam Capitis quod est opus fidei et caritatem erga eum qua homo inclinatur ad mandata Dei custodienda. Unde per viam sacramentorum et per scientiam Christi homo igne caritatis incensus custodit mandata Dei quae gemina lege caritatis exprimitur, id est caritate erga Deum et proximum, quod est vinculum perfectionis.

In uno verbo potest complecti sanctitas ad quam vocati sunt omnes christiani: « Fides quae per caritatem operatur ». Unde oritur obligatio fidem augendi meditando mysteria fidei quae omnia in Christo recapitulantur. Sine vita contemplativa impossibile est fidem augere quae nutritur intellectu mysteriorum auxiliantibus donis Spiritus Sancti, speciali vero modo per dona sapientiae et intellectus. Fides autem vivens operatur per caritatem, et sic pervenitur ad sanctitatem. Hac via pervenit christianus ad sanctitatem istam ad quam praedestinatus fuit die qua per lavacrum regenerationis filius Dei factus est per verba illa: « Si vis vitam aeternam ingredi observa mandata Dei: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua et proximum sicut teipsum ».

De statibus perfectionis. Satis sit nobis ut in hoc schemate adumbrentur diversi status perfectionis, nam isti in aliis schematibus tractandi sunt.

Si omnes christiani vocantur ad sanctitatem quae consistit in vita in Christo per fidem et caritatem, nihilominus in Ecclesia Dei aliqui vocantur ad sanctitatem quae superat gradum communem quia constituti sunt in statibus ubi requiritur maior sanctitas. Hic tractatur breviter de statu episcopali, de statu sacerdotali et de statu religioso.

De statu episcopali. In hoc statu perfectionis requiritur perpetua obligatio ad ea quae sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Hic agitur de caritate pastorali. Episcopus enim se obligat ad ea quae sunt perfectionis, pastorale assumens officium, ad quod pertinet ut animam suam pastor ponat pro ovibus suis. Sed hac professione adhibetur quaedam solemnitas consecrationis secundum illud apostoli ad Timotheum: « Rogo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » (2 *Tim.* 1, 6). Perfectio etenim consistit in praeparatione animi, ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere. Et ad hoc maxime tenentur episcopi, quod omnia sua pro honore Dei et salute sui gregis contemnant vel rapinam bonorum suorum, cum opus fuerit vel pauperibus sui gregis largiendo vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo. Insuper episcopi tenentur vitam suam dare pro ovibus suis quod est perfectionis summum, iuxta illud apostoli « Ego autem libentissime impendam et superimpendam ipse pro animabus vestris » (2 *Cor.* 12, 15). Haec perfectio vocatur perfectio pastoralis.

De statu presbyterorum et diaconorum. Ratione sacri ordinis quem presbyteri et diaconi suscipiunt non ponuntur simpliciter in statu perfectionis, cum in Ecclesia occidentali solum votum continentiae emittant.

Ex parte autem curae animarum presbyteri et diaconi non obligantur vinculo perpetui voti. Quamquam presbyteri et diaconi sint cooperatores episcopi, attamen non obligant totam vitam suam ad curam animarum sicut episcopus. Ceteris

paribus presbyteri sunt minoris perfectionis quam religiosi. Si vero religiosus careat ordine, tunc manifestum est praeeminentiam ordini excellere quantum ad dignitatem, ad quam maior sanctitas interior requiritur quam requirat etiam religionis status.

De statu religioso. Ad statum perfectionis religiosae requiritur, in genere, obligatio perpetua ad ea quae sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Religiosi enim se voto astringunt ad hoc quod a rebus saecularibus se abstineant, quibus licite uti potuerint, ad hoc quod liberius Deo vacent. Perfectio non consistit essentialiter in abrenuntiatione propriarum facultatum in actu sed in praeparatione animi ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere. Ad hoc tenentur religiosi ut saecularibus renuntiantes Deo se voveant ut ipsi serviant. Religionis status principaliter institutus est ad perfectionem adipiscendam per quaedam exercitia quibus tolluntur impedimenta perfectae caritatis. Religiosus enim dicitur qui se totaliter mancipat divino servitio, quasi holocaustum Deo offerens. Unde Gregorius dicit: « Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant ».

Moderator: Exc.mus secretarius generalis publicabit nunc exitum suffragationum quae habitae sunt in hodierna congregatione generali.

Secretarius generalis: Suffragatio super integro cap. V schematis *de sacra Liturgia*:

Praesentes votantes	2.193
Dixerunt *placet*	2.154
non placet	21
placet iuxta modum	16
Suffragia nulla	2

Ergo cap. V est probatum a Patribus.

Circa quaesitum propositum de schemate *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* hic est exitus suffragationis:

Praesentes votantes	2.193
Dixerunt *placet*	1.114
non placet	1.074
placet iuxta modum, sed hoc suffragium non erat requisitum, igitur nullum	2
Suffragia nulla	3

Exitus suffragationis super emendationes cap. VII *de sacra Liturgia*:

Emendatio I:

Praesentes votantes	2.093
Dixerunt *placet*	2.087
non placet	5
Suffragium nullum	1

Emendatio II:

Praesentes votantes	2.120
Dixerunt *placet*	2.106
non placet	13
Votum nullum	1

Ergo duae emendationes placuerunt Patribus. Tertiae emendationis suffragationis exitus dabitur crastina.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LVIII

30 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LVIII

30 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Audiant Patres! Hoc mane, dum in hanc aulam conciliarem pergebat, in ipsa hac Civitate Vaticana, improviso morbo correptus, obiit exc.mus D. Franciscus Beckmann, arch. Panamensis. Oremus pro anima eius!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT, alternatim cum Patribus, *De profundis* recitavit, cum versiculis et oratione.

Secretarius generalis: Moderabitur hanc 58 congregationem generalem em.mus ac rev.mus P. D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Ordo rerum agendarum in hac congregatione generali hic est:

Distribuetur durante congregatione fasciculus continens emendationes circa capp. VI et VIII schematis *de sacra Liturgia,* nempe de arte sacra deque sacra supellectile.

Postquam lecta fuerint nomina eorum qui verbo uti petierunt circa cap. IV schematis *de Ecclesia,* imprimis procedetur ad suffragationem illorum quinque punctorum seu quaesitorum quae heri nota facta sunt et distributa sunt typis impressa. Suffragatio fiet successive circa singula quaesita, ut fit pro emendationibus, nempe iubente moderatore legetur quaesitum et dabitur schedula; deinde alterum quaesitum et altera scheda dabitur, ita ut suffragatio fieri possit cum omni commoditate et tranquillitate.

Deinde, si tempus suppetet, prosequetur suffragatio circa tres reliquas emendationes de cap. VII *de sacra Liturgia.* Suffragationes circa capp. VI et VIII incipient, post debitam relationem, crastina.

Lego igitur nomina Patrum qui verba facere petierunt circa cap. IV schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada, Ioannes Urbani, patr. Venetiarum in Italia, Ferdinandus Cento, Augustinus Bea; exc.mi DD. Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia, Renatus Fourrey, ep. Bellicensis in Gallia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Ioannes Russell, ep. Richmondiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis,

Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico, Dominicus Hoàng-van-Doàn, ep. Quinhonensis in Vietnam; rev.mus P. Benedictus Reetz, sup. gen. Congregationis Beuronensis O.S.B.; exc.mi DD. Ioseph Martin, arch. Rothomagensis in Gallia, Isidorus Emanuel, ep. Spirensis in Germania, Ildefonsus Sansierra, ep. aux. S. Ioannis de Cuyo in Argentina, Ioannes González, arch. tit. Oxyrynchitanus in Columbia, Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. Missionariorum S. Cordis Iesu, Villelmus Van Hees, mag. gen. Ordinis S. Crucis, Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia, Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B., Alfonsus Dutil, sup. gen. Missionariorum B. Mariae Virginis a « La Salette », Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania, Placidus Cambiaghi, ep. Novariensis in Italia, Carolus Wojtyla, ep. vic. cap. Cracoviensis in Polonia.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis velit legere primum quaesitum de quo fiet suffragatio.

Secretarius generalis: Antequam legam primum quaesitum, iterum lego praemissa quaesitorum ... [*cf. pag. 573*]. Quaeritur igitur: 1. « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur episcopalem consecrationem summum gradum sacramenti Ordinis constituere ». Responsio est per *placet* vel *non placet*.

1

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Circa caput de vocatione ad sanctitatem quasdam considerationes proponendas habeo, 1. circa laicorum sanctitatem; 2. circa theologiam vitae consecratae.

1. *De laicorum sanctitate*. Ut melius pateat quam necessarium sit apte de sanctitate laicorum tractare in constitutione *de Ecclesia,* forsan oporteret breviter evocare phaenomenon ab omnibus notum. Monastica sanctitas diuturne in Ecclesia praevaluit ut quasi unicus archetypus cui omnis sanctitas christiana accommodanda fuerit. Beneficia quae ex illa inspiratione spirituali certe exsurrexerunt abscondere non debent detrimenta vera quae ex tali universali diffusione unici typi sanctitatis orta

sunt pro clero saeculari et maxime pro laicis. Laici enim vitam ita diversam ab illa monachorum et religiosorum ducunt, ut sanctitas eis visa est aliquid quasi inaccessibile. Vita eorum quotidiana eis apparuit ut incompatibilis cum mirandis exemplis quae eis proponebantur. Itaque fideles multi frustra quaesierunt modum vivendi secundum Evangelium et magna fuit deperditio spiritualium virium in Ecclesia.

Cum gaudio ergo a laicis accipientur illa quae in cap. IV dicuntur de eorum sanctitate. Optima dicuntur quae forsan ut perficiantur sequentia proponere vellem.

a) In toto capite, unicus aspectus specificus vitae laicorum tangitur, nempe vita matrimonialis. Mihi autem opportunum videretur extendere exercitium sanctitatis ad alia officia communia vitae laicorum. Praeter vitam matrimonialem et familialem, quae sane particulariter eminet, habentur omnes activitates in societate terrestri (vita laboris, vita politica, vita culturalis et otii...) per quas et in quibus sanctitas modo congruo excoli debet. Item laicorum sanctitatis exercitium extendi debet ad omnes aetates vitae, a iunioribus usque ad seniores, et ad illos omnes qui in caelibatu non consecrato vivunt.

b) Art. 31 media ad sanctitatem proponit modo ambiguo et partiali. Ambiguitas habetur quia dubium innuitur de vera et reali vocatione christifidelium omnium ad consilia evangelica. Partialis autem est mediorum expositio, nam expressa mentio non fit nisi de generali observatione caritatis et de praxi trium traditionalium consiliorum. Opportunum autem esset etiam fidei et spei cultum et incrementum expresse proponere. Item, si sic dicta consilia evangelica omnibus fidelibus convenit proponere, illa tamen non tantummodo secundum partialem ambitum votorum religiosorum sed secundum totum ambitum Sermonis Montani, ad quem referri debet ut ad « La grande charte », « la Constitution » Regni Dei. Etenim ea, quae consilia vocamus, in Evangelio extenditur etiam ad iustitiam, ad humilitatem, dulcedinem, misericordiam; quae omnia necessaria sunt christianis temporis nostri si faciem Ecclesiae renovare desiderant in sanctitate. Immo S. Paulus ad has virtutes saepe saepius et potius quam ad consilia sic dicta hodie evangelica se refert. Praeterea, sic vitabitur periculum nimis ligandi spiritualitatem laicorum consiliis uti in Institutis Religiosis traditionaliter recipiuntur.

c) Opinione mea, spiritualitas laicis vere aptata numquam orietur in Ecclesia nisi in dies augeatur numerus laicorum qui ad vitam intellectualem Ecclesiae accedant. Hortandi sunt igitur laici ut uno cum clericis et religiosis scientias sacras et praesertim theologiam de rebus terrestris investigent. Immo, ad licentiam et doctoratum obtinendum in his disciplinis vehementer incitentur. Ad elaborationem spiritualitatis lai-

corum multum etiam iuvabit si laici in Facultatibus Sacrarum Scientiarum et in Seminariis ad docendum invitantur.

2. *De theologia vitae consecratae.* Vita religiosa et aliae species vitae consecratae ad Ecclesiam valde intersunt et optatur ut de eis theologica fundamenta clare exponantur in praesenti capite. Ea quae sequuntur ad hoc cooperare vellent.

a) Reditus ad fontes est clavis renovationis theologiae. Ad theologiam ergo vitae consecratae ut ita dicam renovandam attendere deberemus modo magis accurato ad ea quae in Sacra Scriptura et in traditione dicuntur de vita consecrata. In particulari pluribus apparet tria traditionalia consilia non eodem modo in Scriptura fundari. Dum enim oboedientia, ut consilium, problemata exegetica difficilia ponit, virginitas in Scriptura et in traditione particulariter eminet (ita ut martyrium et virginitas in documentis usque adhuc in Liturgia adhibitis aequiparentur) et a quibusdam videtur ut ex se sola virginitas vitam consecratam constituens. Mea opinione, haec doctrina sanis fundamentis innititur.

Propterea, priusquam de vita religiosa secundum disciplinam trium votorum nunc vigentem in Ecclesia tractetur, utile esset communia dicere de vita consecrata in genere seu de vita omnium illorum qui sacram virginitatem profitentur. Sic in sua vera luce apparebit caelibatus cleri saecularis.

b) Nullam expressionem proponendam habeo ad designandam illos qui publice et coram Ecclesia tria vota profitentur. Attamen, expressiones sicut: « Ei qui in statu perfectionis vivunt », « Ei qui vocantur ad consilia evangelica », « Ei qui Christi imitationem profitentur », hae expressiones et aliae similes mihi videntur inadaequatae in schemate theologico. Illae enim locutiones quodammodo extenuant et obscurant doctrinam tanti momenti de omnium vocatione ad perfectionem, ad sanctitatem, ad imitationem Christi vi ipsius consecrationis et professionis baptismalis. Dixi.

Animadversiones additae:

Art. 34. Ille articulus omitti posset in praesenti schemate. Relationes inter instituta religiosa et auctoritatem in Ecclesia non directe pertinent ad subiectum de quo agitur, nempe ad sanctitatem. Tales considerationes locum proprium potius habent in schematibus *de religiosis* et *de cura animarum.* Praeterea iam prius, in cap. II praesentis constitutionis, clare affirmatur iurisdictio universalis Summi Pontificis quae religiosorum exemptionem fundat.

Art. 35. Prima paragraphus non pertinet ad praesens caput. Opinione mea, non convenit insinuare criteria (de cetero theologice incerta) ad classificanda, secundum maiorem et minorem perfectionem, diversa instituta religiosa. Praeterea quaestio proponi potest: « utrum talis classificatio multum adiuvabit ad renovationem vitae religiosae in Ecclesia »?

Paragraphus secunda eiusdem articuli opportuna dicit ubi affirmat consilia evangelica prodesse personae humanae. Talis autem consideratio reservari non debet vitae religiosae sed, in generali conclusione capitis, dici deberet de omni fidelitate ad Evangelium, in quocumque modo vivendi. Aestimatio Concilii amplecti deberet omnes et saepe arduas conditiones vitae humanae ubi maximo et fortissimo animo christiani integram fidelitatem servant Evangelio Christi.

Art. 36. Conclusio, sicuti nunc proponitur, est principaliter de sanctitate religiosorum et secundarie de omnium vocatione ad sanctitatem. Quod autem consentaneum non est cum ipso titulo capitis. Proponerem ut conclusio generalis sit, i. e. de omnium vocatione ad sanctitatem et hortetur omnes, quicumque sint, ad sese humiliter interrogandum de sua constantia fidei Christo promissae. Item omnes, ne fratribus tristitiae et scandalo fiant, humiliter discant omnem fiduciam non in operibus sed in gratia Christi esse reponendam.

2

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. URBANI

Patriarcha Venetiarum

Venerabiles Patres,

Caput de universali omnium vocatione ad sanctitatem omnibus non solum opportunum, sed necessarium videtur. Tamen, adhaereo propositionibus circa sanctitatem Ecclesiae quas heri dixit em.mus card. Ruffini et opto ut in schemate inserantur.[1]

Si *autem,*[2] conamina nostra eo tendere debent ut Ecclesiae naturam, pulchritudinem, sanctitatem hominibus nostrorum temporum exhibeamus, profecto non minus necessarium videtur ut fusius etiam de Ecclesia caelesti ac de communione sanctorum loquamur.

Nisi enim, data opera, de illis agamus, qui Christo glorioso indefectibiliter incorporati sunt, qui in statu sanctitatis consummatae cum Christo in caelesti Hierusalem regnant et qui non solum longe maiorem sed etiam sanctiorem partem Ecclesiae constituunt, ...[3] Ecclesiae descriptio mutila et manca remanebit et ne nostra quidem cum Christo unio adaequato modo exhibebitur: dum Christo enim unimur, Christo toti unimur et ergo Ecclesiae quoque caelesti quae Christo tam intimo modo unita est.

Et, re vera, vocationem nostram ad sanctitatem in Ecclesia nec plene vivere nec complete exhibere poterimus, si illas multiplices relationes praeteribimus quibus nos cum sanctis caelitibus unimur.

Etenim ipsi exemplar et typus sanctificationis nostrae sunt et simul praeclari patroni et benefactores nostri. Merita sua, quae in totum Corpus mysticum redundant, pro nobis offerunt et continua intercessione pro nostra sanctificatione interpellant; ex nostra cum illis unione tandem,

cultus noster sanctam plenitudinem ac singulare robur accipit, cum Ecclesia caelestis suppleat Ecclesiae peregrinantis defectibus.

Convenit ergo quam maxime ut sanctitatem et sanctificationem nostram in Ecclesia etiam ex hac nostra unione cum Ecclesia sanctorum caelitum explicemus.

Tale propositum non ob solas rationes theologicas iustificatur sed etiam valde suadetur ob rationes oecumenicas et pastorales.

Optimam enim opportunitatem sic habebimus explicandi *quonam* [4] sensu et quo modo cultus sanctorum ita exercendus sit ut neque per excessum neque per defectum honori illius offendamus, qui in sanctis suis vivit ac operatur, qui nobis in illis ministrat et a nobis in illis ipse honorari vult.

Cultus *enim* [5] sanctorum, secundum mentem Ecclesiae intellectus, haud obstat cultui nostro theocentrico et christocentrico sed ipsum mirabiliter ditat, cum non ad personas a Christo separatas dirigatur sed ad personas quae Christo quam intime unitae in eius virtute nos adiuvant et plus ceteris concurrunt ut, sicut ait Augustinus, Christus totus constituatur.

Propono ergo, ut expositioni de Ecclesia peregrinante adiungatur caput *vel aliquid* [6] de Ecclesia caelesti et de illius momento pro Ecclesiae terrestris sanctitate et sanctificatione. *Et textum inserendum schemati secretariatui generali, tradam.*[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Caput de sanctitate Ecclesiae et de universali omnium vocatione ad sanctitatem placet. Non solum opportunum, sed necessarium mihi videtur. [2] tamen, secundum intentionem iam a Summo Pontifice Ioanne XXIII expressam, deinde vero a Summo Pontifice Paulo VI pluries iteratam. [3] nostra. [4] quo. [5] deest. [6] deest. [7] Schema capitis in exemplum secretariae generali trado.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legat secundum quaesitum.
Secretarius generalis: « Utrum placeat ... » [*cf. pag. 574*].

3

Em.mus P. D. FERDINANDUS card. CENTO

Venerabiles Fratres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Argumentum gratissimum de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, quod animum nostrum gaudio replet, hoc in schemate apte pertractatur; liceat tamen mihi quaedam suggerere.

Opportunum omnino erat, uti iam duo cardinales insinuarunt, in prooemio huius capitis recolere sanctitatem unam esse ex notis distinctivis verae Ecclesiae, immo notam radiantis fulgoris utpote quae, cum ad heroicum gradum sanctitas pervenit, signis etiam caelestibus exornatur et firmatur.

Porro, quamvis « solus sanctus » Christus Dominus dici possit ac debeat, « sancta » nihilominus fuit ac est Ecclesia eius sponsa, non solum quia sanctae et inviolabilis doctrinae evangelicae depositum custodit, quia insuper sacramentorum et gratiae dispensatrix est, sed etiam quia semper inter eius membra quaedam ita excelluerunt ut summa fastigia perfectionis christianae attigerint ac fidelius divini Redemptoris imaginem expresserint.

Eo magis *insuper* [1] Ecclesia in decursu temporum floruit, quo maior fuit numerus sanctorum eius, et vicissim, ut recte notat Daniel Rops, in monumentali suo opere de historia Ecclesiae.

Iam alii Patres de universali vocatione christianorum ad sanctitatem cuiusvis aetatis, sexus, gentis, conditionis socialis edixerunt. Recentiores Summi Pontifices, praesertim inde a S. Pio X, hanc doctrinam, actibus magisterii supremi, pluries in mentem revocarunt.

Numquam tamen assertum hoc sufficienter praedicabitur, ad refellendam opinionem, late quidem diffusam, sanctitatem esse privilegium exclusivum clericorum et religiosorum.

Divinae Providentiae dispositione fit ut, proximo adveniente die dominico, sollemnis beatificatio celebretur humilis laici, Nuntii Sulpritii, qui mundi plausum attrahit suarum virtutum fragrantia.

Fas nunc sit praesidi commissionis de apostolatu laicorum, Sacrae Rituum Congregationi humiliter commendare ut frequenter assumantur et ad felicem portum perducantur, Domino opitulante, processus laicorum, qui vitam suam in ordinariis ...[2] condicionibus duxerunt, et hoc ad populi christiani salutare incitamentum. Utinam huic *meo* [3] voto unanimiter adhaereat Sacrosanctum Concilium Vaticanum II!

Opportuna mihi offertur occasio laudes iis piis associationibus tribuere, quae hunc praecise finem intendunt, nempe, conscientiam universalis vocationis ad sanctitatem urgere ac excitare. Exstant, quantum scio, huiusmodi sodalitates, Romae, in urbe Brugis in Belgio et in quibusdam nationibus mundi hispanici. Desiderandum est ut earum activitas foecundior evadat et alibi quoque diffundatur.

De hac insuper re, saepe loquantur oratores sacri, saepe scribant doctores ac catholici publicistae.

At minime obliviscantur, ut recte notavit in alia congregatione generali card. Richaud, elementum essentiale perfectionis christianae spi-

ritum esse mortificationis. Iesus enim dixit: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me » ...[4]. *Plures* [5] etiam hodie adsunt, sicut et tempore Pauli apostoli, « inimici Crucis Christi » ...[6], qui de poenitentia nec verbum audire volunt, et Christum praesentare *intendunt* [7] sine cruce, ut bene quondam sese expressit exc.mus Fulton Sheen.

Hoc ducti spiritu, nonnulli eo perveniunt, ut dictitare non ambigeant iam iam anachronistica esse hodie claustra contemplativarum, quarum vita tota insumitur in oratione et poenitentia.

Ad angelicas illas virgines, quae, hortationi obsecundantes insertae in encyclica sanctae memoriae Ioannis XXIII *Poenitentiam agere,* dum Concilium celebratur, frequentiori prece et acriori asperitate divina lumina implorant pro eius felici exitu, *ad illas* [8] vox nostra perveniat, profundae admirationis ac grati animi testimonium.

Nostris hisce temporibus, peculiaris necessitas adest expiandi tot ac tam gravia facinora quibus divina Bonitas indesinenter offenditur. Prout lamentabatur Pius XII, sensus ipse peccati fere evanuit, omnesque leges *morales* [9] divinae et humanae impie violantur. Quam maxime ergo opus est iustitiam Dei placare et suam misericordiam supplicare. Praedicatio proinde nostra ne spiritui mundano blandiatur, sed afflatu Christi crucifixi potius informetur.

Sinatur, tandem, mihi concludere cum hac oratione, qua nulla potest concipi Deo acceptior et populo christiano utilior: « Domine, concede semper sanctos Ecclesiae tuae ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] vitae. [3] deest. [4] (*Mt.* 16, 24). [5] Perplures. [6] (*Phil.* 3, 18). [7] praetendunt. [8] deest. [9] deest.

Moderator: Exc.mus D. secretarius legat tertium quaesitum cum notis.

Secretarius generalis: « Utrum placeat ... » [*cf. pag. 574*]. Cum nota se referat etiam ad hoc tertium quaesitum, lego notam ... [*cf. pag. 574*].

4

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres conciliares,

Schema de sanctitate *nobis propositum* [1] multa continet quae pulcherrima sunt et quae certe uberem fructum inter fideles ferent. Sed, mea quidem humili sententia, adhuc perfici potest et debet.

1. Tenor schematis, *prout iacet,*[2] non est satis *realisticus.* Quicumque Ecclesiam apertis oculis conspicit, sive in historia praeteritorum saeculorum sive hodie, facile intelliget eam, praeter sanctos, *etiam*[3] multos peccatores inter membra sua habere. Si Ecclesia fuisset sancta *simpliciter,* saeculo XVI, « reformatio » quae dicitur, non habuisset rationes. Ecclesia *eschatologice* considerata, plene et perfecte sancta est; sed donec est « in via », *praeterquam quod sancta sunt eius doctrina, eius media et dona, eius auctoritas, sanctitas eius eo quoque ostenditur quod*[4] natura sua, tendit ...[5] in sanctitatem membrorum, *sed*[6] hunc terminum nunquam « perfecte » consequitur. Sanctitas Ecclesiae peregrinantis est igitur, *sub hoc respectu,*[7] dynamica, non statica. Ecclesia enim, regnum caelorum inchoatum, secundum verba ipsius Domini, similis est sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti tam bonorum quam malorum ...[8], vel etiam *secundum eadem eiusdem Domini verba,*[9] agro in quo praeter granum etiam inveniuntur zizania ...[10]. Sic, secundum arcana consilia providentiae divinae in Ecclesia usque ad consummationem saeculi inveniuntur et sancti et peccatores, id quod iam ipse apostolus Paulus confirmat *pluribus textibus.*[11] Oportet igitur caute adhibere voces « perfectio », « perfecti », *si*[12] loquimur de Ecclesia peregrinante, eo vel magis quia hae voces homini moderno, qui *mundum realistice conspicit,*[13] non adeo placent.

2. Doleo me iterum debere loqui de modo citandi Scripturam, *qui non talis est qualis esse deberet et qualis dignitati huius congregationis convenit, ut iam heri duo venerabiles Patres, et hodie em.mus card. Léger, notarunt.*[14]

a) Ac primum quidem, textus *Ioannes 13*: « *dilexit suos qui erant in mundo* » *non recte citatur. In textu illo verba haec,*[15] « suos qui erant in mundo », secundum exegetas tam antiquos quam modernos, paucis exceptis, se referunt ad apostolos quibus Dominus, recedens ex hoc mundo, maximum signum caritatis dare voluit, scil. extremam *suam*[16] humilitatem et caritatem, lavans eorum pedes. Dominus dicit *apostolis*: « Scitis quid fecerim vobis? » ...[17] eosque admonet ut ipsi, *etsi ceteris fidelibus praepositi,*[18] secundum suum exemplum agant.

Textus igitur non directe tractat de omnibus fidelibus, sed tantum sensu aliquo accommodato.[19]

Textus autem, *Io.* 13, 34, non agit directe de sanctitate, sed de caritate *quatenus est*[20] via ad fidelem sequelam Domini, et proinde *criterium — et in hoc est sensus versus — et proinde criterium*[21] ex quo cognoscatur apostolos esse reapse discipulos divini magistri.

Et haec est, praeter *Mt.* 5, 48 ...[22], tota argumentatio biblica *in nostro textu,*[23] cum in Novo Testamento viginti fere textus inveniantur ubi de

« sanctitate », de « sanctificatione » sermo est (plerumque adhibitis verbis « hagiasmos », « hagiazein » etc.). *A S. Paulo solemniter, dicerem quasi programmatice, statuitur*: « *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra* ». *Et hoc dicit non ad aliquos particulares sed de omnibus fidelibus, ergo omnium statuit vocationem ad sanctitatem. Est, igitur, textus quasi principalis huius nostri capitis.*

Praeterea apud eumdem S. Paulum duodecim fere alii textus inveniuntur in quibus hanc vocationem, eius originem, media ad sanctitatem, perfectionem eius, et difficultates eius ostendit.

Alii tres textus inveniuntur in 1 Petri et unus in epistola S. Iacobi.

Accedunt deinde multi alii textus Novi Testamenti ubi vita christiana sancta variis modis describitur et praescribitur, etsi non adhibetur formaliter vox ipsa sanctitas, « hagiasmos ».[24]

Ex solo igitur Novo Testamento completa fere doctrina de sanctitate fidelium hauriri potest, *et haec deest in nostro schemate.*[25] Eadem doctrina deinde, exprimitur in *traditione* christiana inde a primo saeculo tam verbis quam exemplis. *Abstineo a citandis textibus.*[26]

Haec omnia exponi deberent, ut ostendatur doctrinam catholicam de sanctitate solido fundamento biblico et *perpetua traditione antiquae Ecclesiae*[27] inniti, et sic *etiam*[28] possibilitas fecundi dialogi cum *nostris*[29] fratribus christianis non catholicis creetur.

3. Hoc eo maioris momenti est quod haec doctrina hodie etiam debet respondere illis qui (utique iam pauciores sunt) tenent naturam humanam peccato originali adeo corruptam esse, ut homo ex se iam non sit capax ad qualecumque bonum *opus*[30] faciendum et iustificetur solummodo per imputationem externam iustitiae Christi. Sanctitas de qua in Novo Testamento sermo est, ab ipsis non *adeo*[31] sensu *morali* intellegitur, sed sensu *ontico, i. e., de statu qui*[32] illa imputatione *producitur.*[33] De natura *ontica* sanctitatis utique *etiam*[34] aliqui ex textis supra citatis loquuntur, longe autem maior pars textuum agit, *et clare agit,*[35] de sensu *morali.*

Ceterum, quoad omnia consentio cum iis quae modo em.mus cardinalis Urbani exposuit.

Concludo. Solummodo supposito fundamento S. Scripturae et *traditione perpetua antiquae Ecclesiae,*[36] doctrina Ecclesiae de sanctitate et eiusdem praxis in Ecclesia plene intelligi potest *et exponi potest et debet, et dialogus*[37] cum fratribus christianis non catholicis *sic tantum*[38] solidum fundamentum *habet.*[39]

Quare, videtur optandum, ut schema hac solida argumentatione biblica et patristica compleatur, et sic efficacius reddatur, ut hodiernis exigentiis inserviat.

Particularia autem, simul cum hac interventione, scripto tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] ex. [5] quidem. [6] suorum, at. [7] deest. [8] (*Mt.* 13, 47 ss.). [9] deest. [10] (*Mt.* 13, 24-30). [11] (*Act.* 20, 30; *2 Tim.* 2, 25; 3, 8; *1 Tim.* 1, 19 etc.). [12] quando. [13] realistice cogitat. [14] deest. [15] *Io.* 13, 1 (pag. 18, lin. 29) non bene citatur. In textu 13, 1 verba. [16] deest. [17] (v. 12). [18] deest. [19] deest. [20] ut. [21] ut criterio. [22] (pag. 19, lin. 18). [23] deest. [24] Apud solum S. Paulum circiter 12 tales textus leguntur (*Rom.* 6, 19. 22; *2 Cor.* 1, 7; *Eph.* 1, 4; *Phil.* 4, 8; *Col.* 1, 22; *1 Thess.* 4, 3. 4: 7; 5, 23; *Hebr.* 10, 10. 14; 12, 10). Accedunt 3 textus ex *1 Petr.* (1, 15 s.; 2, 5. 9) et unus ex *Iac.* (1-4). His textibus ostenditur sanctitatis necessitas, natura, origo, exercitium, difficultates, media. Accedunt alii textus ubi vita christiana sancta variis modis describitur, quin adhibeatur vox ipsa sanctitatis. [25] deest. [26] deest. [27] traditionis. [28] deest. [29] deest. [30] deest. [31] deest. [32] *ontico* de. [33] deest. [34] deest. [35] deest. [36] traditionis perpetuae antiquae. [37] et dialogo. [38] deest. [39] paratur.

Animadversiones additae:

Pag. 18, lin. 3: « sive ab ea pascuntur »: si expressio ita seiunctim a parabola pastoris adhibetur, male sonat auribus hominis hodierni; proponitur: « sive pastores sive ii qui eorum curae concrediti sunt ».

« ... in mysterio Ecclesiae... ad sanctitatem vocantur »: sensus huius expressionis non est valde clarus; fortasse sic: « qui in mysterio Ecclesiae participant... ad sanctitatem vocantur ».

Pag. 18, lin. 6: « universos ad plenam... »: conveniens esset specificare hanc elevationem per sacramenta evenire, fere hoc modo: « universos qui baptizantur, per ipsum baptismum aliaque sacramenta ad plenam... ».

Pag. 18, lin. 10: « per statum vitae... »: propter claritatem melius efferre rem fere hoc modo: « per specialem vitae statum ab ipsis libere electum et ab Ecclesia sancitum... »; vel alio modo: « per specialem statum in quo vita instituitur secundum sic dicta consilia evangelica ».

Pag. 18, lin. 22: « et proximum diligant sicut ipse... »: haec combinatio textus, qui agit de mandato maximo cum alio ubi Christus dedit discipulis suis « mandatum novum » non videtur probanda tum ob reverentiam S. Scripturae in puncto tam magni momenti debitam tum ex ipsa natura rei; mandatum enim de proximo diligendo « tamquam se ipsum » ex Vetere Testamento assumitur et gradum, uti videtur, aliquatenus inferiorem denotat; mandatum autem novum, praecise quia novum est, aliquid novi affert et immediate ad apostolos dirigitur id quod innuit agi de aliquo gradu magis perfecto caritatis. Fortasse res ita solvi potest; citando scil. primo mandatum maximum, uti sonat, addendo dein essentialia ex novo mandato, fere hoc modo: « proximum diligant sicut seipsos, vel, immo potius, sicut ipse Christus suos usque in finem dilexit.

Pag. 18, lin. 18: « Sanctitatis autem viam... unum universaleque mandatum dedit... »: textus non valde clarus est; numquid Christus sanctitatis viam praecipue eo aperuit, quod *mandatum* caritatis dedit? Nonne potius eo quod *media* ad sanctitatem, scilicet gratiam, Spiritum Sanctum etc. dedit? Quod eo vel magis dicen-

dum est, quod mandatum illud maximum quod hic affertur, non nunc primo datur, sed ex Vetere Testamento sumitur.

Pag. 18, lin. 23: « cunctis proinde perspicuum est »: omittere vocem « cunctis » ut servetur modus loquendi obiectivus proprius constitutionis dogmaticae. Praeterea conclusio fortasse non omnino patet. E praecedentibus enim fere solum sequitur caritatem omnibus praecipi, non autem sequitur eam a singulis etiam gradu *perfecto* (i. e. sanctitatem) obtineri posse. Demum explicandum esset quid significet vox « vocare » in hoc contextu.

Pag. 18, lin. 28: « Gratuita... gratia »: forte omittenda est vox « gratuita » ne tautologia habeatur. Praeterea fortasse etiam fontes gratiae indicandi essent, et maxime sacramenta SS. Eucharistiae et Poenitentiae.

Pag. 18, linn. 31 s.: « vires... extendant »: estne haec vere expressio latina? Dicatur: vel « vires protendant », vel « pro viribus » vel « totis viribus nitantur ».

Pag. 19, lin. 2: « una sanctitas »: melius: una eademque sanctitas.

Pag. 19, lin. 3: « hortatur »: non est stylus constitutionis maxime statim initio tractationis exhortationes proferre.

Pag. 19, lin. 3: ante exhortationem ad sanctitatem indicari deberet fons huius sanctitatis secundum illud apostoli: « Noli neglegere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii » (*Tim.* 4, 14), id est scilicet illa specialis conformatio ad Christum magnum Sacerdotem quae datur per characterem sacramentalem ordinis et quae est fons ulteriorum gratiarum propriarum status sacerdotalis.

Pag. 19, lin. 4: « ad imaginem ordinis episcoporum etc. »: expressiones omnino obscurae sunt. Episcopi ad statum perfectionis « consecrantur » (n. 4, pag. 24); sed in vita ipsa omnes *sunt*ne in hoc statu?

Pag. 19, lin. 8: « ut Sancti Patres docent »: in nota 5 (pag. 24) ne unus quidem ex eis citatur; nonnisi recentissima documenta Supremi Magisterii Ecclesiae citantur. Nonne hae veritates etiam documentis traditionis antiquae probari possunt et debent?

Pag. 19, lin. 12: « propaginem reliquerunt »: videtur agi de exemplis, quae hi sacerdotes posteris reliquerunt: sed « propago » minime hoc significat, sed vel posteros vel stirpem (rampollo, schiatta, discendenza, prole etc.). Quis est ergo sensus?

Pag. 19, linn. 16 ss.: nonne loco merae exhortationis potius coniugibus indicandum esset, quomodo ex ipsa vi sacramenti matrimònii gratias haurire possint ad sese invicem et prolem sanctificanda? Sacramentum enim matrimonii « magnum est, ... in Christo et in Ecclesia » (*Eph.* 5, 32), id est quatenus significat unionem mysticam Christi sponsi cum Ecclesia sponsa. Ex hac autem qualitate matrimonii christiani, quatenus sacramentum est, fluunt praecise gratiae necessariae ad vitam christianam sanctam coniugum et familiae totius.

Pag. 19, lin. 20: quid significat « fraternitatem caritatis aedificant »?

Pag. 19, linn. 26-28: « fervida *fidelitate... fidelius* servent »: quae est fidelitas maior quam « fidelitas fervida »?

Pag. 19, linn. 29-32: quis est hic « mundus » qui extra Ecclesiam habere debet « impensiorem vitam spiritualem »?

Pag. 19, lin. 34: « sanctificationis forma... »: sunt expressiones scholasticae: fortasse melius « sanctificationis natura (indoles) » vel aliquid simile.

Pag. 19, lin. 37: « cotidiano opere... exseritur »: fortasse melius « cotidiano *exercitio... consistit* » vel « perfectio attingitur vel excrescit ».

Pag. 19, lin. 39: « sacris et sacramentalibus actionibus »: de quanam re agitur de « sacramentis » vel de aliquo alio?

Pag. 20, lin. 2: quo sensu omnia sanctificationis media procedunt a caritate? Num baptismus et gratia « a caritate procedunt? ».

Pag. 20, lin. 7: citentur textus ex evangeliis in quibus consilia dantur: pro paupertate *Mt.* 19, 21. Item textus pro virginitate non ponantur tantum in nota sed in textu ipso.

Pag. 20, lin. 7: definitio vel descriptio paupertatis non placet. Primo, loco « regni *caelestis* » dicendum esset « regni *Dei* », nam in hac ultima expressione comprehenditur secundum Evangelia tum stadium terrestre regni Dei, id est Ecclesia, tum caeleste. Hic duplex status non clare indicatur expressione « regni caelestis » (evangelia non loquuntur de regno caelesti sed de « regno caelorum »). Dein in definitione paupertatis aliquid dicendum esset de *sequela Christi* secundum supra citata verba « Si vis perfectus esse... veni sequere me ». Id est, paupertas eligitur tamquam via ad Christum pressius sequendum.

Pag. 20, lin. 10: numquid virginitas et castitas sunt eadem res? In textibus S. Scripturae supra laudatis (*Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 7 s.) agitur de virginitate, non tantum de castitate.

Pag. 20, lin. 10: « Deo dicata castitas » habetur etiam in casto coniugio; de hac re hic non agitur.

Pag. 20, lin. 14: « fecunditas in mundo »: haec idea, sane pulcherrima, aliquomodo probari debere saltem allato illo pulcherrimo textu ex nota 11 e S. Cypriano: « ... in illis largiter floret Ecclesiae Matris gloriosa foecunditas ». Forte posset addi haec *ratio theologica*: illa completa devotio Deo, quae ultima ratio virginitatis exsistit, nihil aliud est quam perfecta erga Deum caritas. Cum autem foecunditas in ordine supernaturali pendeat a gradu gratiae vel caritatis, patet virginitatem esse principium maximae foecunditatis spiritualis.

Pag. 20, lin. 15: clare dicatur non dari explicitum consilium *Domini* de oboedientia, sed Ecclesiam exemplum Domini considerando (cf. *Rom.* 5, 18 s.; *Phil.* 2, 8) hanc conclusionem a vita Domini duxisse.

Pag. 20, lin. 18: « per eorum *praxim* »: vox « praxis », quae hic et in sequentibus identidem de exercitio vel professione consiliorum evangelicorum adhibetur, non videtur apta (« la pratica », « la pratique »); proponitur proinde ut huic voci substituantur: exercitium vel professio consiliorum evangelicorum (uti fit pag. 21, lin. 14!); alibi item verbum adhiberi posset « consilia evangelica colere ». Vox « praxis » occurrit: pag. 20, lin. 22; pag. 20, lin. 39; pag. 22, lin. 34; pag. 23, lin. 6.

Pag. 20, lin. 20: « quamobrem »: nexus cum praecedentibus non est clarus. E praecedentibus potius contrarium sequi videretur. Nam in praecedentibus exercitium consiliorum evangelicorum omnibus Christi fidelibus simpliciter commendatur. Hic autem agitur de aliqua limitatione. Ergo res potius *opponitur* praecedentibus et aliqua voce veluti « sed », vel « autem » introduci deberet.

Pag. 20, lin. 22: « nisi secundum charisma »: cum vox « charisma in lingua theologica inde a saeculis potius de donis extraordinariis adhibeatur, non autem de vocatione ad vitam religiosam et ad exercitium consiliorum, melius dicitur: « secundum donum et mensuram gratiae a Deo acceptorum ».

Pag. 20, lin. 23: quid significat: « rectos affectus in rem deducere »?

Pag. 20, lin. 24: « ut in usu *mundanarum* rerum »: melius « usu rerum *huius mundi* », « mundanus » enim iam male sonat de re spiritu mundi infecta, id quod non quadrat ad hunc textum. Quae hic commendantur, ostendunt lacunam aliquam in textu adesse in quantum scilicet in eo ne verbum quidem dicitur de sui abnegatione et mortificatione et propria cruce ferenda (*Mt.* 16, 24 etc.). Et tamen haec elementa omnino essentialia sunt pro spiritualitate Evangeliorum et S. Pauli. Nisi haec dicantur, vere periculum est, ne caritas de qua in praecedentibus sermo est, tantum sensu aliquo affectivo et sentimentali intelligatur (cf. supra: « rectos *affectus* »). Re quidem vera iure affirmari potest sanctitatem quidem formaliter in perfectione caritatis consistere, hanc tamen sine efficaci et forti abnegatione sui et mortificatione sui ipsius minime consistere posse.

Pag. 20, lin. 27: « plures »: nonne potius deberet dici « plurimos »? Habentur enim hodie centena milia et decies centena milia horum virorum et mulierum.

Pag. 20, lin. 24: iterum « plures »; quinam est scopus linearum sequentium de iis, qui « privatim observant » consilia? Forte est sermo de iis qui illa observant non in aliquo speciali vitae statu, idest non in statu religiosorum? An de « Institutis saecularibus » cogitatur? Sed tunc hoc clare dici deberet.

Pag. 20, lin. 32: « Deo summe dilecto »: expressio minus felix; forte melius: « Deo summa dilectione... ».

Pag. 20, lin. 33: « servitio diffusionis amoris... »: quinam est sensus huius expressionis? Item quid significant verba « spiritualibus exhortationibus sparsis »? De quanam re concrete agitur?

Pag. 20, lin. 39: « vocati accedunt »: forte melius loco praesentis historici « paulatim accedere coeperunt ».

Pag. 21, lin. 1: « quae statum proprium in Ecclesia constituit... ».

Pag. 21, lin. 3: « crescit... »: loco praesentis historici qui non valde clarus est, forte melius dicatur: « mirabiliter... excrevit et in dies magis diffunditur » (non intelligitur quid significat « *ramis diffunditur* »).

Pag. 21, lin. 4: cur dicitur « ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis »? Quid hoc incisum ad rem in hoc textu?

Pag. 21, lin. 5: « non est intermedium... »: num necessarium est hanc quaestionem in Concilio tractare? Nullo modo clarum est, de qua re agatur. Res aut omittatur aut clarius exponatur, ratio lin. 6 allata ad probandum non agi de statu intermedio, rem non probat; non est enim hic quaestio *unde* illi vocentur, qui statum religiosum amplectuntur, sed quamnam positionem in Ecclesia habent illi qui statum religiosum *iam amplexi sunt*.

Pag. 21, lin. 11: « in qua mysterium eius... operatur »: forte melius « in qua ipse mystice vivit et operatur » (« mysticum » dicitur id quod est in ordine gratiae, uti v. g. Corpus Christi *mysticum*).

Pag. 21, lin. 13: « plenior illa abnegatio »: de hac abnegatione hucusque nihil dictum est, neque in genere neque de eius connexione cum exercitio consiliorum evangelicorum.

Pag. 21, linn. 14-17: nonne aliquomodo explicandum esset, quo *modo* professio consiliorum haec omnia significet?

Pag. 21, lin. 19: « via praeclara sit amoris »... forte clarius: « via praeclara sit *ad* amorem... » (cf. infra linn. 23 s.).

Pag. 21, lin. 19: « eiusque sanctitatis »: hoc « eiusque » certe refertur ad

vocem « Ecclesia », sed cum post hanc vocem sequantur voces « Spiritus Sancti », ne confusio fiat, vox « Ecclesiae » repetenda esset ita ut dicatur: « Ecclesiaeque sanctitatis... ».

Pag. 21, lin. 21: « Christifideles »: num *omnes?*

Pag. 21, lin. 24: « Ecclesiae eiusque mysterio... coniungant »: expressio non est valde clara; proponitur: « Eiusque vitae mysticae ».

Pag. 21, lin. 25: vox « assecla » nimis longe distat et proinde melius hic repetitur; ulterius dicitur « spiritualem vitam religiosorum Ecclesiae devoveri debere »: nonne tota *vita* devoveri debet, scilicet etiam eorum vita activa et practica! (cf. lin. 27!)? « Spiritualis » vitae plerumque de vita interna dicitur non de actione.

Pag. 21, lin. 26: « Propterea »: forte clarius: Si ita fit etc.

Pag. 21, lin. 27: « praecelse »: forte melius « egregie ».

Pag. 21, lin. 28: « Salvatoris, perenniter in Ecclesia praesentis »: addatur: « et operantis »; vita enim actuosa religiosi Christi actionem et operationem in Ecclesia exprimunt.

Pag. 22, lin. 3: « docili sequens »: forte « dociliter » vel « cum docilitate sequens ».

Pag. 22, lin. 4: « Ulterius ordinatas »: quid haec verba significant.

Pag. 22, lin. 11: forte melius est mutare ordinem et logice procedere dicendo: « Ordinarii loci iurisdictione eximere et sibi soli subicere potest ».

Pag. 22, lin. 14: loco « formam » dicatur « rationem »; forma nimis scholastice sonat.

Pag. 22, linn. 14-17: nonne haec affirmatio de oboedientia episcopis a religiosis praestanda paulo melius declarari deberet? Insuper saltem aliqua ratione accuratius determinari et validis argumentis probari deberet. Illa enim probatio quae habetur linn. 17 ss., non est aliud nisi nova affirmatio sine ulla probatione. Valde utile esset ut haec probatio non solum ex recentissimis documentis daretur, sed potius ex antiquis v. g. e S. Ignatio Martyre etc. Hac in re enim non paucis religiosis dubium oriri potest et proinde bonis rationibus praeveniendum est.

Pag. 22, lin. 20: repetatur subiectum, fere hoc modo: *iidem* exemplis... (secus sequens vox « membra » ut subiectum grammaticale sententiae videri posset).

Pag. 22, lin. 25: « Quo intimior... »: forte clarius: « quo intimiorem atque firmiorem secumfert Deo consecrationem ».

Pag. 22, lin. 28: « melior est... »: forte clarius: « ea melior est quae cum ligamine... suscipitur »; quae sequuntur (« dispari enim... ») parum clare dicuntur.

Pag. 22, lin. 35: « *vero profectui* personae »: cum bona quibus per professionem consiliorum evangelicorum christifideles renuntiant, *etiam* ad « *verum* » profectum personae humanae pertineant, forte melius dicitur loco « vero » « totali » ut textus sit: « universae evolutioni et profectui personae ».

Pag. 22, lin. 36: rationes allatae essentiam rei non sufficienter in lucem ponunt. Ratio enim cur professio consiliorum evangelicorum minime evolutioni totali personae humanae obest, sed summopere prodest, ea potissimum est, quod scil. hac professione caritas tum erga Deum tum erga proximum maxime evolvitur. Iamvero evolutionis totalis hominis culmen est praecise in dono sui, id est in caritate. Aliae rationes in textu allatae nonnisi consequentiae vel expressio exterior huius intimae rationis sunt.

Pag. 23, lin. 5: « fratres »: cuius sunt fratres? numquid omnes religiosi « fra-

tres » vocantur? ergo potius repetatur aliqua expressio in praecedentibus adhibita v. g.: « viros ac mulieres qui consilia evangelica profitentur... ».

Pag. 23, lin. 8: « servitia praestant »: videtur translatio litteralis ex aliqua lingua moderna (« rendre service »; « rendere servigi »): dicatur « multimode inserviunt ».

Pag. 23, lin. 11: « commonstret » significat potius « indicare »; forte melius « vita exprimat » vel « vita repraesentet ».

Pag. 23, linn. 15 ss.: conclusio valde debilis est et non sufficienter resumit magnas divitias quae in hoc capite continentur.

Conclusio. Nonne *tota* constitutio aliquam communem conclusionem habere deberet in qua scilicet totum corpus omnium quattuor capitum resumatur et concludatur?

Moderator: Exc.mus D. secretarius velit legere quartum quaesitum.

Secretarius generalis: « Utrum placeat ... » [*cf. pag. 574*]. Videatis, Patres venerabiles, etiam circa hoc quaesitum, notam quam mox legi.

5

Exc.mus P. D. GERARDUS HUYGHE

Episcopus Atrebatensis

Venerabiles Fratres,

Pleno assensu admitto ea quae dicta sunt de structura huius cap. IV ab em.mis cardd. Silva Henriquez, Döpfner, et ab exc.mo D. Charue.[1]

Animadversiones proponam circa nn. 31 et 32 huius cap. IV.

Tres certitudines, quam omnes nos tenemus, hic praesupponuntur, scil.: quod omnes discipulos suos Dominus vocat ad perfectionem; quod perfectio ista est perfectio fidei, spei et caritatis; quod tandem in nobis perfectio ista radicatur in sola gratia Dei.

Circa modos autem quibus perfectio christiana acquirenda sit, aliqua puncta in textu huius cap. IV dici possunt: 1. circa praecepta; 2. circa consilia evangelica...[2]

I. *Circa praecepta.* In quibusdam modis loquendi plus minusve apparet aliqua falsa doctrina scil. quod christianis imponerentur tantum praecepta, exigentiis maioribus aliquibus electis reservatis. Hoc certe falsum est, et multiformes haereses Gnosticorum et Quietismi sapit.

Omnibus christifidelibus propositae sunt, e. g., doctrina sermonis Domini in monte, necessitas propriae abnegationis in sequela Christi crucifixi etc.

In istis sermonibus, non possumus separare praecepta et consilia,

quia omnibus christianis aliquando imponuntur vi praeceptorum, et semper eis proponuntur. Perfecta et completa doctrina evangelica complectitur ergo et praecepta et consilia quae pertinent ad vocationem omnium christifidelium ad sanctitatem in Ecclesia.

II. *Circa consilia evangelica.* Tres confusiones circa ista consilia a nobis in constitutione nostra dogmatica vitandae sunt.

1. Prima confusio esset de consiliis evangelicis eodem modo ac de praeceptis loqui. Sane utraque ex amore fluunt, cum praecepta nobis imponuntur voluntate divina cui omnes oboedire tenemur, consilia autem simpliciter proponuntur nobis a Christo, tanquam ab amico, quia adiuvant in caritate perficienda. Dominus enim voluit discipulos ducere non tam multiplicando praecepta ...[3] quam proponendo quaedam consilia (eorum prudentiae supernaturali) sicut congruebat libertati filiorum Dei.

Tam in Novo Testamento quam in ecclesiastica traditione, consiliorum praxis apparet revera ut schola valde efficax progressus spiritualis et libertatis filiorum Dei, et schola ista consiliorum pro spiritualibus temporis nostri necessitatibus valde utilis est ad aedificandum regnum Dei.

2. Secunda confusio circa consilia evangelica esset putare quod non proponuntur ad omnes christifideles, sed tantum ad aliquos paucos, scil. religiosos. Haec confusio maximum damnum affert toti populo christiano, et religiosis ipsis. Ad omnes discipulos suos, in quacumque conditione sint vitae, Dominus Iesus proponit consilia sua evangelica, ut in eis magis ac magis liberi ad perfectionem caritatis tendant, et, Dei gratia, perveniant.

3. Tertia confusio circa consilia evangelica versatur circa materiam et numerum eorum. In usu Ecclesiae latinae, persaepe confunduntur vel non satis distinguuntur ex una parte, ista *consilia* evangelica et ex altera parte, *vota* religiosa in coenobitica vita emissa. Cum autem in ista vita coenobitica tria sint praecipua vota, scil. oboedientiae, paupertatis et continentiae, persaepe dicitur quod sint etiam tria consilia evangelica, scil. paupertatis, continentiae et oboedientiae.

a) Etenim, in Novo Testamento, Dominus et apostoli loquuntur de voluntaria paupertate et de voluntaria continentia, et nunquam de consilio oboedientiae. Sunt etiam alia consilia, e. g. quae de modo servandi caritatem perfectam in sermone montano dicuntur. Haec consilia omnibus discipulis, in quacumque sint vitae conditione, proponuntur.

b) In primis saeculis Ecclesiae, fuerunt solummodo ex una parte anachoretae vel eremitae vitam degentes in praxi praesertim consilii voluntariae paupertatis, ex altera parte virgines vel viduae viventes in vo-

luntaria continentia a iuventute consecrata. Circa autem saec. IV orta est vita coenobitica in qua monachi professionem emiserunt stabilitatis et deinde oboedientiae ...[4].

Et scimus denique per nostram pastoralem experientiam quod etiam hodie sunt in mundo tam christiani qui bonis temporalibus quae legitime possident renunciant, propter temporales necessitudines Ecclesiae vel propter levamen miseriae pauperum. Sunt etiam hodie multi coniuges christiani qui, mutuo consensu, ad tempus continenter vivunt. Sunt tandem multae virgines et mulieres christianae quae, degentes in mundo vitam suam, virginitatem suam vel continentiam viduitatis suae in corde et corpore suo Domino offerunt. Alii et aliae sic evangelicam vitam ducunt secundum duo tantum consilia, paupertatis scil. et continentiae.

Valde ergo optandum est ut, in nostra dogmatica constitutione *de Ecclesia,* et in isto capite de vocatione ad sanctitatem, loquamur de consiliis paupertatis voluntariae et continentiae voluntariae, ut a Domino omnibus christifidelibus propositis, antequam de istorum consiliorum praxi in speciali vita religiosa coenobitica a voto oboedientiae in Ecclesia constituta.

Conclusio. Hoc autem non impedit quominus vota religiosa exprimant maximum gradum perfectionis religiosae a Christo Domino omnibus suis discipulis propositae. Nos omnes, episcopi et pastores Ecclesiarum, per experientiam scimus pretium inaestimabile vitae religiosae, et quantae supernaturalis foecunditatis sint conventus in quibus fervet vita vere religiosa, tam apostolica quam contemplativa, tam virorum quam virginum. Hodie certe plus quam in aliis aevis, tota Ecclesia postulat de omnibus religiosis, ut dent christifidelibus exemplum libertatis filiorum Dei in praxi evangelicorum consiliorum.[5] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 3. circa vota religiosa. 4. circa tandem diversas formas vitae religiosae. [3] quae, ut observat S. Augustinus et S. Thomas Aquinas « paucissima sunt in Nova Lege. [4] *c*) Non omnes christiani intrant in vitam communem religiosam, et sic ad aliquam particularem obedientiam non adstringuntur, sed tantum ad communem praeceptorum obedientiam. Omnes e contra possunt consilia paupertatis voluntariae et continentiae voluntariae ad praxim ducere secundum determinationes suae prudentiae christianae. *d*) [5] III. *Circa vota religiosa.* Vota religiosa plus minusve solemniter consecrant in Ecclesia professionem vivendi secundum consilia evangelica. Per istam consecrationem constituuntur ubique in Ecclesia ut signum publicum sanctitatis ipsius sanctae Ecclesiae. Propter hanc rationem, ecclesiastica traditio statum religiosum magni momenti esse semper aestimavit. Nos omnes, episcopi et pastores Ecclesiarum, per experientiam scimus pretium inaestimabile vitae religiosae, et quantae supernaturalis fecunditatis sint conventus in quibus fervet vita vere religiosa, tam apostolica quam contemplativa, tam virorum quam virginum. Hodie certe plus

quam in aliis aevis, tota Ecclesia postulat de omnibus religiosis, ut dent omnibus christifidelibus exemplum libertatis filiorum Dei in praxi evangelicorum consiliorum.

IV. *Circa diversas formas vitae religiosae.* Multae congregationes religiosae virorum ac mulierum novissimis saeculis exortae sunt, ad apostolatum activum vel missionarium. Sed vi coactiva iuris canonici et traditionum, imposita sunt eis tria vota religionis e vita coenobitica orta, et constitutiones quasi « praefabricatae », ubi praevalent consuetudines monasticae ut, exempli gratia, clausura. Et praesertim spiritualitas data est alumnis, similis spiritualitati contemplativae, ubi non apparet character missionarium, et in qua anima in duplici directione divisa est.

Non despicimus formas traditionales vitae religiosae, sed nolumus portam claudere novis formis quos Spiritus Sanctus in Ecclesiam vult introducere. Volumus praesertim congregationes activas adiuvare ad inveniendam spiritualitatem propriam et unificatam, et a vita eorum apostolica inspiratam.

Conclusio. Apud secretariatum Concilii correctiones quasdam animadversionibus istis concordes reposui.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legat quintum quaesitum.

Secretarius generalis: « Utrum placeat ... » [*cf. pag. 575*].

6

Exc.mus P. D. RENATUS FOURREY
Episcopus Bellicensis

Venerabiles Patres conciliares,

De sanctitatis forma laicis saecularibus qui ad Evangelium consortibus suis praedicandum se devovent magis propria sermonem habebo.

Inter hos qui magnam spem in Concilio posuerunt, desiderantes ab eo auxilium ad vitam christianam magis genuinam ducendam, notandi sunt enim qui in apostolatu laicorum vitam suam Deo et fratribus devovent. Decipiendi non sunt; hodie testimonium laicorum maximi momenti est ad Evangelium toto mundo ferendum.

In hoc cap. IV, post par. 29 de universali ad sanctitatem vocatione, devenitur, in n. 30, ad sanctitatem aliquibus statibus propriam. Hic numerantur sacerdotes et coniuges; in fine capitis quaestio est de praxi consiliorum in vita religiosa.

A lin. 12 usque ad lin. 15 pag. 19, leguntur haec verba: « Missionis autem et gratiae episcopalis participes sunt inferioris quoque ordinis ministri, immo latiore sensu etiam a Deo electi laici, qui, ut plene se dedant apostolatus operibus, ab episcopo vocantur ». Ut in nota 6 animadvertitur, « agitur hic praesertim de *diaconis* et de *laicis* qui ad apostolatum cum totali dedicatione adsumuntur ».

Meo sensu, desunt aliquae lineae de forma sanctitatis nostris temporibus magis specifica laicis vere laicis, saecularibus, qui sine « totali dedicatione » et ab episcopo personali vocatione clericis quodam modo assimilante, in apostolatu se devovent.

Sic multi Patres plurium regionum, qui dolent quod de vocatione christianorum in mundo viventium ad ipsam caritatis perfectionem nonnisi obiter sit locutio in schemate, satisfactionem obtinerent.

De vita generosa et etiam aliquoties heroica istorum laicorum testes sumus.

Positi sunt in mundo ubi nimis frequenter qui Christi signum in baptismate acceperunt et nomine christianorum fruuntur non secundum Evangelium vivunt.

Aliunde homines nostri temporis facta quaerunt, non verba. Quos dicimus gallice « militants », hi intendunt manifestare in tota vita sua lucem Evangelii; saeculares sunt et vitam saecularem in quotidianis laboribus fabricarum, camporum vel domorum agunt. Sub luce virtutum theologarum fidei, spei et caritatis, eminenter virtutes conversationis communis colunt, manifestantes concordantiam inter consecrationem Christo per baptisma et vitam ab Evangelio illuminatam.

Filialiter erga Summum Pontificem et hierarchiam se habent.

Inter virtutes evangelicas eminet apud eos sensus paupertatis. Servitio fratrum suorum laborant, non quaerentes quae sua sunt, sed persaepe ad detrimentum sui et suorum. Vere haud raro propter iustitiam vexantur.

Per praesentiam eorum in communibus omnium laboribus, « consecratio mundi » a Papa Pio XII requisita realiter efficitur; in diversis socialibus consociationibus agentes, ordinem socialem promovent in sensu doctrinae socialis Ecclesiae, praesertim litterarum encyclicarum *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*.

Scientes quod, ut manifestat vita Christi et affirmat tota Traditio, « id quod non assumitur non sanatur », ad imaginem Christi conditiones infimas nostrae humanitatis sumunt ad eas transfigurandas per passionem et resurrectionem Domini, eas offerentes in Sacrificio Eucharistico. Tota eorum vita sustentatur Eucharistia, per quam in unum collecti sunt cum fratribus suis.

Haec omnia fingunt typum sanctitatis temporibus nostris et conditioni laicali valde accommodatum. Facile est, paucis verbis, eum determinare et commendare in schemate.

Humillime propono quod post verba « ab episcopo vocantur » (lin. 15), ante verba « Libenter etiam coniuges » (lin. 16), textus hic vel similis inseratur: « Qui vitam saecularem agunt, sciant perfectionem

suam invenire in operibus saecularibus cum spiritu Evangelii factis, et perfectionem caritatis in conatu cum omnibus consociis suis ad verum bonum commune promovendum. Caveant ut bonum testimonium habeant ab his qui foris sunt ...[1] atque Christum verbo et opere annuntient. In mysterio eucharistico etiam offerant mundum in Christo consecrandum, et fontes inveniant verae communionis cum fratribus suis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *1 Tim.* 3, 7).

7

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Em.me Praeses et venerabiles Fratres,

Optimum est quod *in hoc capite*[1] declaretur unam esse sanctitatem pro omnibus, sive in religione sive in saeculo viventibus.

Spes magna per haec verba suscitatur fore ut sanctitas pro laicis in saeculo viventibus modo realistico describatur...[2]

Attamen, meo iudicio, spes illa non impletur...[3]

Explico.

...[4] Recte dicitur medium principale ad sanctitatem assequendam, *praeter Missam et sacramenta,*[5] consistere ...[6] in exercitio omnium virtutum.

Sed *quomodo*[7] moventur homines ad ...[8] virtutis exercitium, non obstante lege « in membris » ...[9] quae pugnat contra virtutem? Quomodo alliciuntur *homines ad perfectam, i. e. heroicam, mandatorum observationem*[10]?

Nonne per illam familiarem et cotidianam conversationem cum Deo quae est oratio?

Nonne per illam amicitiam cum Deo quae *oritur*[11] ex oratione ...[12]? Sine *hoc intimo colloquio cum Deo*[13] in oratione, nonne deest essentialis motivatio pro *sanctitate heroica?*[14]

Attamen in paragrapho de mediis ad sanctitatem *nulla*[15] fit mentio de oratione, *tamquam medium ad sanctitatem.*[16]

Paragraphus[17] longius tractat de tribus consiliis evangelicis — paupertate, virginitate et oboedientia — quamvis, *et hoc explicite agnosci-*

tur, perpauci laici in saeculo viventes, vocantur ad eorum praxim effectivam.[18] Nihil dicit de illo medio sanctificationis ad cuius praxim effectivam *omnes* vocantur, et ...[19] pro quo nihil aliud substitui potest.

Consulamus experientiae nostrae pastorali. Omnes novimus sanctos in plebe absconditos; *sanctos qui numquam canonizabuntur.*[20] Nonne apud omnes illos sanctos laicos in medio saeculi viventes, notavimus assiduitatem in oratione — sive in assistentia Missae quotidiana, sive in gratiarum actione post Communionem vel in visitatione SS.mi Sacramenti *per longum tempus protracta*[21]?

...[22] Nonne ...[23] amicitia cum Deo *quae oritur ex oratione*[24] est fons et origo omnis eorum virtutis exercitii, immo et activitatis apostolicae?

Urgeo ergo ut schema nostrum ...[25], contineat explicitam et adaequatam tractationem de oratione eiusque necessitate et modis, praesertim quod attinet ad laicos *in saeculo viventes.*[26]

Et, venerabiles Patres, hoc quidem urgeo etiam ob alias rationes quae momentum speciale habent pro nostris temporibus. Nostris diebus nonnunquam dolere debemus quod pro nonnullis, praesertim iuvenibus « militantibus », uti vocantur, vita et perfectio christiana fere consistere videntur in activitate et discussione indefessa, valde exiguo loco relicto orationi personali. Activitas in operibus apostolicis certe potest et ipsa esse medium progressus in sanctitate et gaudemus omnes hoc Concilium in lucem clariorem posuisse *hanc*[27] veritatem quod vita christiana non consistit tantummodo in devotionibus privatis et personalibus. Nihilominus semper prae oculis habere debemus aliam veritatem non minoris momenti, nempe, quod omnis haec activitas et discussio in persuasibilia humanae sapientiae verba degenerare potest, nisi mens ad Deum indesinenter et cotidie elevetur in oratione.

Uno verbo, meo submisso iudicio, deest in hoc capite, analysis realistica sanctitatis eiusque mediorum, praesertim orationis sicut de facto apud laicos in saeculo viventes, inveniuntur. Et haec deficientia omnino remediari debet.[28] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] hoc schema contineat caput de vocatione ad sanctitatem. Optimum etiam quod in pag. 1. [2] tam in sua essentia quam in mediis quibus attingitur. [3] saltem quod attinet ad media proxima quae laicos in praxi ducunt ad sanctitatem. [4] Recte dicitur sanctitatem consistere in perfecto amore Dei et proximi. [5] deest. [6] in sacris et sacramentalibus actionibus et. [7] quonam impulsu. [8] sacras actiones et ad. [9] suis. [10] ad perfectum, i. e. heroicum virtutis exercitium. [11] crescit. [12] cotidiana — amicitiam, dico, inter duas personas, divinam scil. et humanam — ita ut virtutis exercitium fit servitium personale praestitum divino amico. [13] illa intima cum Deo familiaritate. [14] mandatis eius servandis virtutibusque exercendis? [15] vix.

[16] deest. [17] In hac paragrapho schema. [18] explicite agnoscit quod non omnes in saeculo (et verius esset dicere « perpauci ») vocantur ad praxim effectivam horum consiliorum. Fere. [19] quod est medium omnino necessarium omnis veri progressus in vita spirituali et. [20] deest. [21] et sic deinceps. [22] Nonne oratio est medium quod eos cum Deo amicitia iungit et. [23] haec. [24] deest. [25] ceteroquin quam optime redactum. [26] deest. [27] deest. [28] deest.

Moderator: Nunc resumitur suffragatio circa emendationes ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia.* Exc.mus D. secretarius generalis legat emendationem quartam.

Secretarius generalis: Emendatio quarta. Ad art. 97: pag. 197, lin. 17 (conferatis pag. 18, n. 119 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 577*].

8

Exc.mus P. D. IOANNES RUSSELL

Episcopus Richmondiensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi, nomine plurium episcoporum Americae Septemtrionalis, breviter loqui ...[1] de prooemio in art. 28, *de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia,* et de art. 29, *de universali ad sanctitatem vocatione.*

1. Mihi videtur quod melius esset si Concilium, antequam vocationem christifidelium in Ecclesia ad sanctitatem considerasset, de ipsius Ecclesiae sanctitate aliquid declaravisset.

Ratio est quia in mundo hodierno quaeritur quomodo et in quo sensu Ecclesia est sancta, cum etiam in ea sunt peccatores, quod est factum multis, praesertim iis qui Ecclesiam non agnoscant, bene notum.

Credunt multi Ecclesiam habere normam ambiguam et duplicem, in suo sinu amplectentem, e. g., praedicatores de austeritate qui minime austeri sunt, christianos qui virtutes etiam paganorum non exerceant, membra quae fidem a caritate disiunctam, saltem in praxi profiteri videntur, scandala inter illos qui perfectioni se devoveant, discriminationem socialem, et plura alia his similia.

Et haec omnia inveniuntur in illa Ecclesia quae dicit seipsam divinam esse et quae in Concilio Vaticano I de se asseruit, « ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem... magnum quoddam et perpetuum est

motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile ».

Loquar de Ecclesiae sanctitate non tantummodo ut motivum credibilitatis sed praecise de sanctitate essentiali in ipsa Ecclesia, quae est institutio, immo vero ipse Christus.

Ecclesia sancta est quia est Corpus Christi, eius auctor est Deus, consecrata est ad Deum qui eae et in ea peculiariter praesens est. Opus Ecclesiae proprium est salvatio, unio hominis cum Deo in Christo, gratiae per sacramenta, per praedicationem verbi, et per praesentiam Christi in ea communicatio.

Denique, sicuti Christus ipse in sacrosancta sua humanitate divinitati instrumentum coniunctum est ad homines sanctificandos, ita Ecclesia ut continuatio vera Christi in mundo est salutiferum instrumentum christifidelium sanctificationis et eorum cum Deo unionis.

Ergo mihi videtur quod in art. 28 prooemii sanctitas Ecclesiae breviter sed clare explicari debet antequam disseritur de vocatione ad sanctitatem ex parte eius membrorum.

2. In art. 29 clarius definiendus est sensus verus et accuratius vocationis ad perfectionem sanctitatis christifidelium in hac vita peregrinantium.

Conceptus enim ipse perfectionis quamdam difficultatem involvit, quae etiam, ni fallor, invenitur in descriptione perfectionis habita in nota 1, pag. 23 ubi legitur: « perfectus est ille cui nihil in ordine morali deest; cuius plenitudinis Deus ipse est exemplar ».

Secundum *Originem* « perfectio est similitudo cum Christo, quando quis se per omnia Verbo ac Sapientia Dei ita cooptavit, ut in nullo prorsus ab eius similitudine decolor haberetur ».

Secundum *Macarium,* perfectio significat plenam et absolutam puritatem a malis affectibus.

Secundum *Divum Thomam* in Summa Theologica, perfectio per se et essentialiter consistit in caritate, quae secundum totam suam plenitudinem est de praecepto.

Secundum illos testes videtur quod perfectio est qualitas simplex et absoluta.

Bene tamen scimus ab iis qui de re ascetica scripserunt doctrinam communem esse, unica B. Maria Virgine excepta propter speciale privilegium, nullam creaturam humanam in terris degentem perfectionem absolutam attingere, i. e. ab omni imperfectione immunem se custodire posse ante unionem perfectam cum Deo in Visione Beatifica.

Omnis creatura perfici debet et revera perfecta est in quantum suum finem attingit. Exinde, perfectio absoluta significat acquisitionem actua-

lem eiusdem finis quae pro christiano solummodo habetur in caelo ubi per amorem purum Deus possidetur.

Perfectio, ergo, sanctitatis in hac vita est perfectio relativa, i. e. aliquid non staticum et iam completum sed dynamicum et perfectibile. Cum sit relativa, incrementum habere potest. Omnes christifideles in sanctitate progredi possunt et immo debent.

Attamen, in lin. 24, sanctitas eadem prorsus res ac vita plena christiana et caritas perfecta repraesentatur.

Pag. 20, lin. 20 loquitur de *vocatione* ad sanctitatem perfectam, sed nunc in hoc loco introducitur *obligatio* ad altissimam sanctitatem — caritatem perfectam.

In praxi tamen et in traditione sat antiqua sanctitas triplici modo intelligi videtur, scil. eorum ex quibus forsitan plurimi christifideles annumerentur, qui vivunt in statu gratiae, et inde cum Deo uniti, illud praeceptum Christi implentes « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me ».

Est altera pars christifidelium qui non solummodo non offendere velint sed et inservire Deo eoque placere, et suo modo affirmare cum Christo possunt: « Ego quae placita sunt ei facio semper ».

Denique semper sunt illi relative pauci, e. g., SS. Ioannes Leonardus, Ioannes Vianney et novus B. Ioannes Nepomucenus Neumann, episcopus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis qui optant sese dedicare totum et totaliter amori Dei, per caritatem heroicam, per sanctitatem heroicam.

Si infertur quod obligatio ad summam et perfectam sanctitatem ab omnibus postulatur, videbitur illos qui non ad sanctitatem perfectam et heroicam contendant obligationem gravem violare et ergo peccare.

Possibilitas talis confusionis eliminanda est a schemate. Clarius et plenius explicanda est in lin. 31 pag. 18 sententia: « Omnes christifideles ad caritatem perfectam vires secundum mensuram donationis Christi acceptas extendant ».

Propono ut lin. 23, pag. 18 sic emendetur: *Cunctis proinde perspicuum est Dominum omnes discipulos ad prosequendam sanctitatem vitae christianae in caritate vocare.*

Hoc modo, ut opinor, melius concordant verba in fine posita, nempe: « Omnes ergo christifideles ad caritatem perfectam vires secundum mensuram donationis Christi acceptas extendant, ut eius vestigia sequentes sese gloriae Dei et servitio proximi toto animo devoveant ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de cap. IV.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legat emendationem quintam ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Ad art. 98, pag. 197, linn. 21-23 (videatis pag. 18, n. 120 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 577*].

9

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Patres,

De vocatione ad sanctitatem et de mediis ad eam assequendam, liceat mihi pauca quaedam proponere.

Dubium non est quin in mundo hodierno prae omnibus in nota sanctitatis insistendum sit. Quaecumque alia a Concilio proferentur vel statuentur, aut sterilia remanebunt aut saltem parum efficacia, nisi vita Iesu manifestetur in modo vivendi omnium membrorum eius. Ideoque schema de vocatione ad sanctitatem fuse et ut de re magni momenti tractat.

Qui autem nostrum cap. IV accurate perpendit, aliquam fundamentalem dualitatem advertit, ex qua gravis disproportio oritur. In prima capitis sectione agitur de omnium fidelium vocatione ad sanctitatem, seu de quaestione generali et generica, in altera vero, multo longiore sectione, praemissis quibusdam de sacerdotibus et laicis coniugatis agitur de statibus perfectionis acquirendae seu de quaestione particulari et specifica.

Hic tractandi modus varia incommoda habet.

Per transennam notare velim quod materia in prima sectione tractata non videtur satis profunde elaborari. V. g., non dicitur quae sit essentia ipsa sanctitatis christianae in Ecclesia, augmentum scil. et incrementum perfectum illius primae gratiae adoptionis per baptismum collatae. Hac enim interna Spiritus Sancti transformatione sancti fimur, conformes nempe voluntati Patris et imagini Filii eius Iesu Christi. « Pater noster... fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra ».

Praecipua autem obiectio esse potest quod de religiosis modo disproportionate prolixo sermo fit, i. e., fere 70% capitis eis tribuitur, et nihilominus tractatio de vita religiosa et de munere religiosorum in Ecclesia remanet incompleta.

Non negandum est vitam in statu quodam perfectionis acquirendae non esse nisi quamdam formam vitae christianae, ad quam longe plerique

christifideles, sive membra hierarchiae sunt sive laici a Deo non vocantur.

Cur ergo tam pauca dicuntur de vocatione ad sanctitatem quae membris hierarchiae competit et de mediis sanctificationis quae eis sunt propria? Nonne munus sacerdotale et pastorale a Christo directe proveniunt? Nonne in sacra liturgia, in celebratione Missae, in praedicatione verbi Dei, in administratione sacramentorum, in directione spirituali, in exercitio quotidiano muneris pastoralis in obsequium plebis, et in aliis huiusmodi, media efficacia ad sanctitatem habentur? Nonne necesse est ut clare appareat sacerdotes non solum prae se habere media ad sanctitatem omnibus christifidelibus communia, sed ipsam dedicationem sacerdotalem, ministrationem sacramentorum et constans caritatis servitium fontem specialem sanctificationis constituere? Nonne etiam inculcandum erat ut per ascesim, orationem, et spiritum paupertatis sacerdotes ad percipiendos fructus horum sanctitatis mediorum seipsos disponant?

In genere, non satis insistitur in charactere specifico vocationis sacerdotalis tum relate ad essentiam sanctitatis. tum relate ad media sanctificationis, tunc etiam, id quod saepius repeti potest, relate ad sublimitatem muneris continuandae in mundo redemptionis. Hoc maxime ad incrementum vocationum conferre posset.

Dixerit quispiam haec omnia bene exponi in prooemio schematis *de clericis*. Utique! Sed etiam exstant schemata de statibus perfectionis acquirendae et de apostolatu laicorum; sed in nostro cap. IV de solis religiosis fuse tractatur. Tantummodo proponitur ut in schemate *de Ecclesia* dentur omnia fundamenta dogmatica et quidem secundum debitam proportionem, dum alia ad proprium schema transferantur.

De laicis etiam tractatio est incompleta. In schemate quidem breviter de iis qui in matrimonio vivunt, sermo est. Optandum tamen est, ut exponatur specifica forma sanctitatis laicorum. Pro nostris temporibus hoc magni interest, praesertim ne deformationes inducantur. Non enim laici monaci fieri debent, neque e contrario se huius saeculi spiritui conformare, sed mysterium sanctitatis Christi in mundo incarnare debent.

Brevi, secundum rectam proportionem de religiosis nimis sermo fit. Et tamen quaedam prorsus essentialia de eis vix dicuntur. Quid sit eorum munus in aedificatione Corporis Christi? Quid valeat eorum status ut testimonium, ut expressio mysterii Ecclesiae, sponsae non habentis maculam aut rugam; quid valeat vita contemplativa et alia huiusmodi?

Itaque proponimus in capite de mysterio Ecclesiae aut de populo Dei fieri tractationem completam essentiae sanctitatis generice et ad

quam omnes vocantur. Deinde in capitibus de hierarchia, quod iam adstructum est, de laicis, quod proponitur, a capite de populo Dei secernendum, et de statibus perfectionis acquirendae, dari completam expositionem sanctitatis specificae et mediorum sanctificationis quae unicuique statui propria sunt.

Sin autem praesens ordinatio capitis servanda videatur, secundum aequam proportionem de sacerdotibus et de religiosis et de laicis sermo fiat. Dixi.

Moderator: Legatur emendatio de capite Liturgiae.

Secretarius generalis: Novus articulus. Emendatio sexta: pag. 197, post art. 98, addatur novus articulus (videatis pag. 18, n. 121 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 577*].

10

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Liceat mihi duas tantum observationes circa sanctitatem episcoporum et circa sanctitatem sacerdotum ...[1] dioecesanorum facere.

...[2] In capite nostro, in pag. 19 ...[3], utriusque cleri sacerdotes exhortantur, ut « ad imaginem ordinis episcoporum, qui in conditione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituuntur... ministerium suum sancte... adimpleant ad totius populi sanctificationem ».

Ad quae verba mihi tria notanda esse videntur.

1. Ordo episcoporum hic exhibetur uti ...[4] exemplar sanctificationis totius populi Dei, religiosis inclusis. Et revera pro mea parte verum esse puto episcopos esse in statu perfectionis acquisitae ita ut perfectores esse dicuntur relate ad perfectos, scil. religiosos. Haec doctrina vere traditionalis invenitur apud S. Thomam, Pseudo-Dionysium, S. Ioannem Chrysostomum. Proinde assentio illis Patribus, qui desiderant ut in hoc capite in clariorem lucem ponatur figura episcopi ut sanctificatoris totius populi Dei, inclusis sacerdotibus utriusque cleri, praesertim secundum doctrinam Aquinatis.

2. Attamen, si realitatem rerum oculis apertis et sinceritate mentis et cordis inspicimus, tunc agnoscere debemus, nostrum ordinem episcoporum ab antiquo suo splendore sanctitatis, proh dolor, aliquantulum decidisse. Dum etenim in prioribus saeculis Ecclesiae magna pars sanctorum ex nostro ordine erat, iam quasi medio aevo incipiente usque

ad nostra tempora, sancti inter episcopos rari inveniuntur: *rari nantes in gurgite vasto.*[5]

E contra, sanctitas in ordinibus et congregationibus religiosis floret, ita ut maxima pars sanctorum sunt religiosi vel religiosae. Ego numquam religiosus fui, sed hoc est factum historicum, ex quo facto nobis concludere fas est, viam consiliorum evangelicorum esse meliorem atque securiorem viam ad perfectionem acquirendam, sicut docet S. Thomas.

« Conditio vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium » enim nos obligare ad consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae reapse exercenda non videtur. Inveniuntur enim in prioribus saeculis inter sacerdotes, immo inter episcopos, qui propriam familiam cum uxore et liberis haberent, et tamen quandoque martyrio caritatem suam perfectam erga Christum et Ecclesiam confirmarent.

Proinde inter statum perfectionis episcoporum et statum perfectionis religiosorum, qui votis sese obstringunt per viam consiliorum evangelicorum tendendi ad caritatem perfectam differentia *realis*[6] existit; sunt etenim duo diversi status perfectionis. Ideo propono ut de religiosis specialis titulus conficiatur. Nam miscendo omnia, *non indulgemus claritate.*[7]

Etsi via perfectae caritatis pastoralis, qua episcopi ad sanctitatem tendunt et alios, etiam religiosos, tendere faciunt, per se est perfectior, tamen, docente historia, ut supra innui, ista via minores fructus sanctitatis produxit quam via consiliorum evangelicorum quae per vota exercetur.

Quomodo ergo nos episcopi exemplar sanctitatis etiam pro religiosis esse possumus, quomodo sanctificatores totius populi Dei, si tam exiguos fructus sanctitatis *heroicae*[8] de facto producimus?

Conclusio huius meae considerationis, forsan nimis sincerae, esset ut extollam, fratres carissimi, exemplum fratrum nostrorum episcoporum orthodoxorum, qui iam a concilio Trullano, ni fallor, ante consecrationem episcopalem, votis quoque obstringuntur sequendi consilia evangelica paupertatis, castitatis, et oboedientiae.

Ratio pastoralis et oecumenica revera nos movere debet, ut eorum exemplum sequamur et ut de hac re ratio in hoc cap. IV habeatur.

3. Bene tamen scio, venerabiles fratres, episcopos, immo et omnes clericos in maioribus positos in Ecclesia latina, in castitate perfecta et oboedientia canonica vivere, quae castitas et aliquo modo et oboedientia aequivalere possunt castitati et oboedientiae religiosorum.

Sed quod nobis praecipue deest et quod causa praecipua nostri lapsus in sanctitate fuit, est paupertas evangelica. Quomodo Ecclesia vocari potest pauperum, si episcopi divites sunt?

Concilium Tridentinum ordinem episcoporum quoad castitatem valide renovavit ...[9]. Concilium Vaticanum I, definiendo supremam potestatem iurisdictionis Romani Pontificis, oboedientiae episcopali magnopere contulit. Hoc autem Concilium videtur debere renovare Ecclesiam Dei, et imprimis episcopos, in vera evangelica paupertate, sicut omnes patres agnoscunt nec opus est ut illae sublimes ideae de Ecclesia pauperum repetantur.

Propter istam considerationem propono *humiliter*[10] ut in hoc capite addatur exhortatio quaedam de paupertate evangelica servanda, utpote fundamento omnis sanctitatis. Nam in hoc capite locus est paululum fusius disserendi de Ecclesia pauperum, non vero in cap. I aut II, in quibus capitibus ista appellatio induere posset colorem luctae classium socialium, ac si ageretur de proletariatu in sensu moderno. Alioquin paupertas nec ad naturam nec ad constitutionem hierarchicam Ecclesiae pertinet.

In specie vero proponere audeo propter necessitates temporum nostrorum, in quibus divitiae scandalo sunt pro innumeris pauperibus, praesertim operariis, ut in illa exhortatione, de qua supra, addatur, ut sacerdotes dioecesani, religiosi omnes et imprimis et nominatim episcopi, renuntient omnibus bonis immobilibus, puta terris, quas propriis manibus haud colunt, aedificiis in quibus ipsi non habitant vel quae aedificia ad fines apostolicos non serviunt et in genere ut renuntient omnibus aliis bonis materialibus quae fructificant secundum systema capitalisticum, ita ut Ecclesiae clerus atque religiosi deinceps vivere incipiant ex proprio labore apostolico sicut S. Petrus, vel ex labore physico sicut S. Paulus, vel denique ex donis a fidelibus sponte oblatis.

...[11] Propono, *in fine,*[12] humiliter, ut praeter promissiones de castitate, quae fit in subdiaconatu, et de oboedientia, quae fit in presbyteratu, addatur in sacro ritu diaconatus promissio pro paupertate evangelica servanda, ita ut tunc clerus dioecesanus securius in statum perfectionis acquirendae adnumerari posset. Quod certe valde promoveret tendentiam praedicti cleri erga sanctitatem.

Subordinate quoque propono ut in pag. 20, post lin. 35, addatur de sacerdotibus dioecesanis: « qui vero sacerdotes saeculares seu dioecesani vota privata coram episcopo proprio de exercendis consiliis evangelicis paupertatis, castitatis et oboedientiae secundum ius canonicum emittunt, eorum vota Ecclesia ignorare non potest et ideo isti sacerdotes in statu acquirendae perfectionis constituti considerandi sunt ».

Tali modo efficaciter communitas cleri dioecesani cum episcopo promoveretur, et unio inter utrumque clerum promoveretur. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] saecularium seu. [2] I. De sanctitate episcoporum. [3] art. 30, linn. 2-8. [4] verum. [5] deest. [6] magna. [7] ordinem non facimus. [8] deest. [9] removendo illos qui uxorem dimittere nolebant. [10] humillime. [11] II. Sanctitas cleri dioecesani. [12] deest.

11

EXC.MUS P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Patres carissimi et Auditores et Observatores amplissimi,

Cap. IV huius schematis mihi valde placet, sed observationes aliquas liceat mihi de illo facere.

1. In pag. 18, par. 28, optime dicitur et solemniter quod omnes homines, sive ad hierarchiam pertinentes sive ab ea dependentes, ad sanctitatem vocantur.

2. In eadem pagina, sed in par. 29, valde opportune affirmatur quod « pro omnibus et singulis, cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religionibus degentibus, una est christiana sanctitas ».

3. In pag. autem 20 s., par. 32, loquitur de consiliis evangelicis in statu vivendi forma ab Ecclesia sancita. Evidentissimum est quod hic de statu religioso et de institutis saecularibus agatur. Attamen, in eodem loco, statum religiosum et similia instituta ab Ecclesia recognita declarat et appellat statum perfectionis acquirendae esse. Affirmatio haec confirmata est per schema aliud, iam omnibus Patribus distributum, cuius titulus sic sonat: *de statibus perfectionis acquirendae.*

4. Expressio haec « status perfectionis acquirendae » affirmata exclusive de institutis religiosis et saecularibus, sicut in schemate fit, valde confusa est et ad errorem ducere potest in linea doctrinali et etiam praeiudicialis est in linea pastorali.

a) Expressio valde confusa est et ad errorem ducere potest. Omnino certissimum est, et in schemate hoc dicitur, omnes christifideles ad sanctitatem vocari. Nam Dominus Iesus omnibus hominibus dixit: « Perfecti estote sicut Pater caelestis perfectus est ». Ergo omnes christiani, sive viri sive mulieres, nupti vel non nupti, iuvenes ex utroque sexu, si ut veri christiani vivunt, revera sunt in statu perfectionis acquirendae, qui ab Ecclesia est adprobatus quia ex Evangelio constat.

Nam in hac re confusio evidentissima est. Schema nostrum, cum multis theologis et scriptoribus etiam ascetis, supponit distinctionem inter vitam communem quae christianis in saeculo degentibus tribuitur et

vitam perfectam quae tantum de religiosis, solito modo, refertur. Distinctio haec, mihi videtur, verum fundamentum non habet, quia illa vita communis non opponitur vitae illae perfectae. Ergo quaeso: quare vita communis christianorum non posset nec debeat esse perfecta? Nonne illis dixit Iesus: « Estote perfecti »?

Praeterquam, ante aliquos annos in pluribus ephemeridibus fuit polemica de maiori vel minori sanctitate in sacerdotibus religiosis vel non religiosis. Nonne in hac quaestione non verificatur illa eadem confusio? Etenim sanctitas illa quae e charactere sacramenti Ordinis exoritur et metaphysica vel obiectiva vocatur omnino eadem est, sive in sacerdote religioso sive in ...[1] non religioso, quia idem est character sacramentalis Ordinis. Illa alia sanctitas quae moralis vel subiectiva dicitur et ex maiori vel minori correspondentia gratiae provenit, revera in unoquoque sacerdote differt secundum mensuram magnanimitatis uniuscuiusque. Potest esse maius vel minus sanctus unus vel alius sacerdos. Manet, autem, quaestio de consiliis evangelicis quibus sacerdos religiosus adstringitur vi voti et sacerdos non religiosus vi illius gravis impositionis in sacris ordinationibus habitae relate ad oboedientiam et caelibatum. Quoad paupertatem revera votum non est in sacerdote non religioso sed spiritus paupertatis et quantoties durum *realismum*[2] paupertatis tenetur. Immo hodie sunt sacerdotes dioecesani qui in manibus eorum episcopo vota consiliorum Christi emiserunt. Attamen omnia haec non sunt de sanctitate sed ad sanctitatem. Ergo iterum quaeso: tenentur necne sacerdotes omnes perfectos esse? ...[3]

b) Illa terminologia praeiudicialis est in linea pastorali. Temporibus nostris sunt laici, viri et mulieres, nupti vel non nupti, qui vitam christianam perfectam vivunt, tamen in saeculo manent et in saeculo remanere volunt. Praeterea, eodem modo iuvenes sunt ex utroque sexu qui neque in religionem neque in institutum saeculare ingredere volunt, attamen magno animo et disponibilitate sese devovent apostolatui Actionis Catholicae, profitentes simul unionem cum Deo *et*[4] in gradu magnae caritatis. Si adultis et iuvenibus istis, qui magno cum sacrificio et unice per caritatem erga Christum et proximum se tradant omnibus operibus apostolatus catholici, dicere non possumus illos in statu esse perfectionis acquirendae, quid de hac re illis affirmare debemus et ob quam causam christianos ad apostolatum vocare possimus? ...[5]

5. Omnibus ita perpensis, ego propono vobis, Patres conciliares, quod in hoc cap. IV quaestio haec bene enuncietur, declaretur et evolvatur.

a) Perfectio christiana, in hoc mundo, considerari non debet ut acquisita vel statica, vere pro omnibus acquirenda usque ad mortem.

b) Status perfectionis acquirendae in Ecclesia unus status tantum consideretur pro omnibus, scil. status perfectionis evangelicae vel status perfectionis Corporis mystici Christi, licet conditionibus differentibus pro laicis, pro religiosis, pro sacerdotibus, et pro episcopis.

c) Ita laici, vere christiani, in statu perfectionis sunt ad quem omnes christifideles accedere possunt ac debent, per viam mandatorum Dei et consiliorum Christi in spiritu.

d) Affirmetur etiam religiosos et eos qui in stabili forma ab Ecclesia sancita constituuntur in statu perfectionis esse per viam mandatorum Dei et consiliorum Christi in spiritu et littera.

e) Asseratur quod sacerdotes in statu perfectionis sunt per actuationem consecrationis a sacramento Ordinis habitae ad salutem animarum, per observantiam mandatorum Dei et consiliorum Christi in littera pro aliquibus consiliis et in spiritu pro aliis.

f) et ultimum. Denique declaretur episcopos esse in statu perfectionis per totalem consecrationem in receptione plenitudinis sacerdotalis habitam, in ordine ad salutem animarum, per totam vitam et etiam usque ad effusionem sanguinis, et simul per observantiam mandatorum Dei et consiliorum Christi in caritate perfecta. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sacerdote. [2] realismi. [3] Ante paucos annos, hic Romae, fuerunt congressus statuum perfectionis qui de religiosis et de omnibus vitam stabilem ab Ecclesia sancitam habentibus egerunt cum magno et optato fructu spirituali et sociali. Sed iterum atque iterum quaeso: Si alicubi congressus de spiritualitate laicorum fuissent, nonne vocari possent congressus perfectionis? [4] deest. [5] Praeterea nonne periculum erit quod illi christiani, praesertim magis instructi intellectualiter et moraliter, sicut in re oeconomica ita in spiritualitate, cogitent classes esse, scil. classem religiosorum, classem laicorum etc. ac proinde putent ad infimam classem spiritualitatis destinatos esse et consequenter ad inferiorem seu subevolutam sanctitatem tantum esse vocatos? Ex alia parte fratres et sorores sunt, praesertim minus instructi, qui tranquilliter se perfectos esse putant tantummodo ex eo quod vota in ordine ad perfectionem emiserunt et in tali tranquillitate per totam vitam remanent sine illa perenni inquietudine verae et realis perfectionis acquirendae. Hoc esse potest in vita religiosa periculum formalismi, qui relate ad perfectionem, exstinguere potest spiritum illius dynamismi et progressus, qui supponitur in textu Domini nostri: « Perfecti estote sicut Pater caelestis perfectus est ».

Moderator: Cum exitus omnium suffragationum de emendationibus in cap. VII, i. e., in cap. de musica sacra, schematis *de sacra Liturgia,* sint positivi, nunc fit suffragatio ad integrum caput per *placet, non placet,* et *placet iuxta modum.*

Secretarius generalis: Lego initium capitis et finem. Videatis, Patres venerabiles, pag. 15, cap. VI, de musica sacra.

« Musica traditio Ecclesiae universae thesaurum constituit pretii inaestimabilis, inter ceteras artis expressiones excellentem, eo praesertim quod ut cantus sacer qui verbis inhaeret necessariam vel integralem liturgiae sollemnis partem efficit ».

Et reliqua usque ad pag. 19, his verbis, quibus explicit textus: « Textus cantui sacro destinati catholicae doctrinae sint conformes, immo ex Sacris Scripturis et fontibus liturgicis potissimum hauriantur » [*cf. pp. 578-581*].

12

EXC.MUS P. D. DOMINICUS HOÁNG-VAN-DOÁN
Episcopus Quinhonensis

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Patres conciliares, doctissimi Periti, clarissimi Observatores ac dilectissimi Auditores laici,

Liceat mihi *aliqua*[1] dicere super schemate *de Ecclesia,* cap. IV, par. 29. Lectio huius paragraphi praestat occasionem erronee cogitandi quod omnes et singuli ad unam eamdemque sanctitatem *tenentur,*[2] quod est falsum tam ex parte Dei quam ex parte hominum.

1. Ex parte Dei: quia Deus non offert omnibus et singulis unam eamdemque mensuram gratiae ut eodem modo ac eodem gradu sanctificentur, quod patet ex parabola de talentis, quae secundum diversam quantitatem distribuuntur. Quod etiam confirmatur a S. Paulo, quando distinctionem facit inter varietatem vasorum *ac illorum valorem in domo Dei.*[2]

2. Ex parte hominum. Non enim una eademque via omnes procedunt, sed alius sic et alius sic, atque diversis modis respondent Deo invitanti. Quod patet ex parabolis de seminatore et operariis vineae, quae monstrant *hominem esse liberum et quidem*[4] hominum libertatem qui diversis modis Dei gratia utuntur. Unde, ut ait apostolus, stella a stella luce differt, nempe homo ab homine sanctitate differt. Et sic in Ecclesia non omnes ad unam eamdemque sanctitatem tenentur.

Quod *autem*[5] ad mandatum Domini « Estote ergo perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est », non stricte sed late intelligendum est.

Denique iuxta Divum Thomam non est una sanctitas pro omnibus et singulis, quia neque gratia ex opere operato, neque gratia ex opere operantis, neque gratia sanctificans eamdem mensuram eamdemque proportionem continent in omnibus. *Quia*[6]:

1. Non omnia sacramenta omnibus communia sunt, neque omnes et singuli eadem sacramenta recipiunt.

2. Sacramentalia aliaque opera non administrantur neque fiunt ab omnibus eadem alacritate ac eadem devotione.

3. Absoluta libertate gaudet Deus qui omnia fortiter ac suaviter disponit ea ordinans secundum mensuram et numerum. *Ideo non tribuit omnibus eamdem gratiam in eadem mensura.*

Sacramenta quidem sunt gratiarum fontes et instituta eo fine ut per ea homines sanctificentur. Sacramenta adiuvant homines ut reddant Deo cultum; ideo supponunt fidem et simul eamdem alunt et roborant, unde vocantur sacramenta fidei. In se continent gratiam ac eam conferunt recipientibus. Quanto magis ea frequentant, tanto maiorem gratiam accipiunt si bene et melius disponuntur, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Quare bene dispositus sanctificatur in omni vitae eventu, ita ut nullus paene rerum materialium usus rectus ac honestus ad hominem sanctificandum contribuere non possit. Attamen ad hoc obtinendum requiritur non solum sanctitas communis, sed etiam sanctitas perfecta et heroica, ad quam non omnes et singuli homines attingere possunt. Unde omnibus et singulis non est una et eadem sanctitas.[7]

His dictis, liceat mihi emendationes sequentes proponere:

a) Par. 29, lin. 24, omittatur adiectivum « plenam ». Sic purgatus, textus ita legitur: « Cunctis proinde perspicuum est, Dominum omnes discipulos ad vitae christianae et caritatis perfectionem, i. e., ad *sanctificationem* [8] vocare ».

b) In eadem paragrapho, lin. 28, loco « una » ponatur « par ». Sic emendatus, textus ita legitur: « Proinde pro omnibus et singulis cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, *par* est christiana sanctitas ».

Ultimo. In capite praecedenti ...[9] diffuse sermo fuit de *laicorum statu,*[10] sed in hoc capite nihil specialiter agitur de *laicorum vocatione ac* [11] obligatione ad sanctitatem, quasi iam sanctificati non amplius indigeant sanctificari, quod est *valde* [12] falsum et illogicum. Unde humiliter puto *aliquid addendum esse super eorum* [13] vocatione ac obligatione ad sanctitatem. *Sed quia modo eloquentissime ac optime locutus est de ea em.mus card. Cento, unde nolo vos amplius fatigare.*[14] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pauca: [2] obligantur. [3] in domo Domini iuxta illorum valorem. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] sanctitatem. [9] i. e. cap. III. [10] laicis. [11] eorum. [12] deest. [13] aliquas lineas de laicorum. [14] deest.

13

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ
Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Venerabiles Patres,

Septem observationes de cap. IV vobis proponere mihi liceat.[1]

Observatio prima. De titulo huius capitis multum disceptatum est in diversis commissionibus. Secundum meam humilem opinionem, bonum esset illum mutare sequenti modo, *sicut iam dictum est*[2]: « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et speciatim de Religiosis », vel ut orientales graeco-melchitae proponunt: « De monachis et aliis religiosis ».

Ratio est haec: cap. II constitutionis *de Ecclesia* inscribitur: de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu, et sequentur duo schemata de episcopis et ...[3] de clericis.

Cap. III inscribitur: de populo Dei et speciatim de laicis, et sequetur ...[4] schema de apostolatu laicorum.

Logice omnino sequitur titulus cap. IV: de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et speciatim de religiosis, et sequetur schema *proprium*[5] de religiosis, propter momentum vitae religiosae pro tota Ecclesia.

Observatio secunda. De enuntiatione « status perfectionis ». In art. 33 huius capitis, in pag. 21, lin. 9, legitur: « De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia », *et passim.*[6]

Hic dicendi modus « status perfectionis sive acquirendae sive acquisitae » ...[7] ex Summa Theologica S. Thomae desumitur et per multa iam saecula est in usu in documentis Ecclesiae. Liceat mihi proponere ut in hoc Concilio et in futurum non amplius loquamur de statibus perfectionis propter sequentem rationem:

Ex textibus S. Evangelii manifestum est Christum Dominum fundasse unam sanctam Ecclesiam non insuper monasteria; omnibus praedicasse regnum Dei ab hominibus oboedientia suscipiendum; ab omnibus exegisse poenitentiam et conversionem a saeculo ad Deum; omnibus dedisse et mandata et consilia; omnibus unam viam salutis ostendisse; omnes ad perfectionem Patris caelestis et ad sanctitatem vocasse, utique gradu diversam.

Ex historia apparet, distinctionem inter perfectos (pneumaticos et gnosticos) et simplices fideles (pisticos) ab haereticis, gnosticis et manichaeis propositam, a Patribus Ecclesiae unanimi consensu reiectam esse. Qua de causa non amplius loquendum esse de statu perfectionis

etiam in hoc Concilio censeo, salva reverentia erga Aquinatem, qui infallibilis non fuit et ...[8] homo sui temporis.

Notissimus aliquis poeta et philosophus ...[9] saeculo elapso scribere potuit « nihil tam superbum esse quam monachum », forsitan quia monachi dicunt se in statu perfectionis esse. Locutio haec aliquo modo pharisaeismum sapit, etiam si dicatur status perfectionis acquirendae. Dicamus simpliciter « status religiosus », sicut habetur in cap. III schematis *de Ecclesia*, pag. 6, lin. 35.

Observatio tertia: circa terminum « religiosus ». Sed nunc oritur nova difficultas ex eo, quod membra institutorum saecularium renuunt vocari « religiosi ». Sed nullo modo video, cur recedendum sit a termino « religiosus », diuturno et vigenti usu probato, quia membra institutorum saecularium recusant « religiosi » nominari. Etsi non sint religiosi in sensu stricto, sunt tamen religiosi in sensu latiore. Pars maior semper trahit minorem et certo certius instituta saecularia sunt pars minor. Habent enim 8.000 membra, dum e contra religiosi in Ecclesia sunt turba magna quam dinumerare neque Sacra Congregatio de Religiosis potest. Appropinquant enim ad vicies centena milia (due milioni). Retineamus ergo titulum religiosus, qui iam a saec. VI est terminus technicus, ut ita dicam, usualis et proprius pro iis qui vitam christianam profitentur in vita regulari. Secundum Doctorem Angelicum « religio est quaedam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium, et cultum aliquid exhibet; et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes »...[10]

Congregatio Romana quae curam habet de iis qui secundum aliquam regulam vivunt seu vitam religiosam secundum consilia evangelica profitentur insignitur nomine Sacrae Congregationis de Religiosis et dici non potest Sacra Congregatio de statibus perfectionis acquirendae vel de iis qui consilia evangelica profitentur vel quid simile.

Quartam observationem omitto, quia iam dictum est de sanctitate ontologica et morali in hoc capitulo.[11]

Observatio quinta. Audeo *hunc punctum nevralgicum tangere, nempe exemptionem religiosorum.*[12] In art. 34 huius capitis, pag. 22, lin. 8-23, sermo est de exemptione religiosorum, quae medium necessarium est ad unitatem internam familiarum religiosarum servandam et augendam. Sine privilegio exemptionis numquam monachi et religiosi omnium ordinum et congregationum tot ac tanta beneficia in bonum totius Ecclesiae praestare potuissent, ut evidenter apparet ex historia Ecclesiae praeterita et praesenti.

Plus quam tertia pars Patrum huius Concilii sunt religiosi et ex iis plus quam 800 episcopi missionarii. Inter theologos et peritos numerum

sat magnum videmus religiosorum scientia et doctrina praeclarorum. Quando in hac aula disceptatum est de cap. II schematis *de Ecclesia,* scil., de episcopatu, instanter et instantius plures Patres conciliares locuti sunt de Ecclesia missionaria et de sollicitudine episcoporum pro evangelizatione totius mundi. *Nihil* [13] audivimus de facto historico temporis praeteriti et hodierni, quod *praesertim et quasi exclusive* religiosi, utique cum adiutorio efficacissimo episcoporum, sacerdotum et fidelium, evangelium praedicaverunt et praedicant usque ad fines terrae. Mandatum Domini « Euntes docete omnes gentes » ad effectum deduci potuit propter exemptionem religiosorum quae certo certius maximum est bonum pro tota Ecclesia.

Haec aula conciliaris S. Petri symbolum et imago est Ierusalem caelestis, de quo legimus in Apocalypsi S. Ioannis: « Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni »...[14]

Columnae huius templi S. Petri sunt episcopi, sed in his columnis delitescunt et quasi se abscondunt fundatores ordinum religiosorum: S. Benedictus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Ignatius, et omnes alii. Ex una parte proteguntur et sustentantur ab episcopis, successoribus apostolorum, et ex altera parte fundatores ordinum cum turbis asseclarum suorum sustinent et adiuvant episcopos orationibus et sacrificiis, vita contemplativa et apostolica.

Exemptio religiosorum nullo modo impedit quominus et episcopi et fideles se invicem ad sanctitatem perducant atque mutuum adiutorium sibi praestent. *Potius e contra.*[15] Relationes inter episcopos et religiosos ordinatae sunt legibus multis, sed spiritus caritatis, prudentiae, et sapientiae est qui vivificat et ita omnes erunt in pace. Ne multiplicentur canones et leges hac in re, quia ubi leges et canones nimis urgentur, periculum adest, ne summum ius summa fiat iniuria. E contra ubi caritas et amor, Deus ibi est, ubi vero nimietas legum et canonum, Deus non semper ibi est.

Omitto sextam observationem de professione religiosa, de qua alius loquetur.[16]

Observatio septima et ultima. ...[17] Addatur ad ultimum art. 35 huius capitis: « Haec sancta Synodus sollemniter declarat consilia evangelica eorumque exercitium originis esse divinae, eorumque professionem enixe commendat, hancque inter elementa notae sanctitatis Ecclesiae constitutiva adnumerat ».

De cetero, venerabiles Patres, nobis religiosis valde placuit et causa laetitiae fuit aestimatio vitae religiosae *et* [18] benevolentia erga religiosos

quae ex verbis em.morum cardinalium ac exc.morum episcoporum manifeste apparuit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] alterum. [4] proprium. [5] speciale. [6] In pag. 21, lin. 1 est etiam sermo de « statu perfectionis acquirendae », immo, schema quod de religiosis tractat, inscribitur « de statibus perfectionis acquirendae ». [7] qui passim occurrit in toto schemate. [8] etiam ipse fuit. [9] Nietsche. [10] (II. II, 186, a. 1 *c*; cf. 81, a. 1 ad 3; *Contra Gentes* c. 130; *Op. De perfectione vitae spiritualis,* c. 11). [11] *Quarta observatio*: *De universali ad sanctitatem vocatione.* In art. 29 cap. IV legimus in pag. 18, linn. 13-15: « Omnis perfectionis divinus magister et exemplar, Dominus Iesus, sanctitatem vitae, cuius ipse est auctor et consummator exstat etc. ». Propono ut hic textus sic mutetur: « Omnis perfectionis divinus auctor et consummator, Dominus Iesus, sanctitatem vitae, cuius magister et exemplar exstat etc. ». Causa huius inversionis in eo est ut clarius appareat sanctitatem *ontologicam* fontem esse sanctitatis *moralis,* quod etiam elucet ex multis emendationibus huius schematis, quae iam propositae sunt vel adhuc proponentur. Omnis sanctitas a Christo Domino, qui est sanctitatis fons, profluit. [12] *De exemptione religiosorum.* Audeo punctum neuralgicum exemptionis religiosorum tangere. [13] Ne verbulum quidem. [14] (*Apoc.* 21, 14). [15] deest. [16] *Sexta observatio*: *De professione religiosa.* Ad art. 35, pag. 22, *de professione* in linn. 27-29 legimus: « Professio vero publica, in suis elementis constitutivus coram Deo et Ecclesia considerata, melior est cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo suscepta ». Consentio cum exc.mo D. Philippe, secretario S. Congregationis de religiosis, qui sequentem mutationem proponit: post verbum « considerata » scribatur « melior est professio publica cum voto quam cum promissione, cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo, cum voto sollemni quam cum voto simplici ». [17] *De origine divina vitae religiosae.* [18] atque.

Moderator: Velint Patres audire! Patres, qui in suffragatione de integro cap. VII de musica sacra votum dederunt per *placet iuxta modum,* modos tradere poterunt secretariatui generali crastina die.

Ad normam art. 57, par. 6, *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II,* moderatores quaerunt utrum Patribus placeat disceptationi de cap. IV schematis *de Ecclesia* finem imponere, servata tamen, iuxta praedictam paragraphum, facultate loquendi S. Rom. Ecclesiae cardinalibus necnon Patribus, qui saltem 5 aliorum Patrum nomine loquuntur.

Patribus quibus propositio placet velint surgere... [*Patres stant*].

Schema quod subiicietur disceptationi Patrum quando disceptatio de cap. IV schematis *de Ecclesia* debite fuerit absoluta, nempe quando, iuxta paragraphum dictam, qui adhuc loqui volunt, locuti fuerint, schema quod subiicietur disceptationi Patrum erit schema *de episcopis et de dioecesium regimine.*

Interim rogantur Patres qui de hoc schemate globatim sumptum

aut de primo eius capite locuturi sunt, ut nomen suum iam tradant secretariatui generali. Iidem Patres humanissime rogantur ut simul cum nomine velint etiam tradere integrum textum suae interventionis.

Nunc audiatur exc.mus secretarius generalis, qui rogatur legere exitum suffragationum mane peractarum.

Secretarius generalis: Lego imprimis exitus suffragationum circa quinque quaesita de cap. II *de Ecclesia.*

Ad I quaesitum:

Praesentes votantes		2.157
Dixerunt	*placet*	2.123
	non placet	34

Ad II quaesitum:

Praesentes votantes		2.154
Dixerunt	*placet*	2.049
	non placet	104
Votum nullum		1

Ad III quaesitum:

Praesentes votantes		2.148
Dixerunt	*placet*	1.808
	non placet	336
	placet iuxta modum, ergo nullum votum	4

Ad IV quaesitum:

Praesentes votantes		2.138
Dixerunt	*placet*	1.717
	non placet	408
	placet iuxta modum, votum nullum igitur	1
Suffragia nulla		12

Ad V quaesitum:

Praesentes votantes		2.120
Dixerunt	*placet*	1.588
	non placet	525
	placet iuxta modum, nulla ergo	4
Suffragia nulla		3

Nunc lego exitus suffragationum circa emendationes ad cap. VII *de sacra Liturgia*:

Emendatio III, super qua suffragatum est heri:

Praesentes votantes	2.157
Dixerunt *placet*	2.147
non placet	9
Suffragium nullum	1

Emendatio IV:

Praesentes votantes	1.922
Dixerunt *placet*	1.882
non placet	39
Votum nullum	1

Emendatio V:

Praesentes votantes	1.941
Dixerunt *placet*	1.897
non placet	41
placet iuxta modum, ergo nullum . .	1
Suffragia nulla	2

Emendatio VI:

Praesentes votantes	1.999
Dixerunt *placet*	1.990
non placet	7
placet iuxta modum, ergo nullum . .	1
Suffragium nullum	1

Ergo omnes emendationes, ut iam em.mus moderator dixit, placuerunt Patribus.

Nunc lego suffragationem super integrum cap. VII:

Praesentes votantes	2.096
Dixerunt *placet*	2.080
non placet	6
placet iuxta modum	9
Votum nullum	1

Moderator: Proxima congregatio generalis fiet crastina, feria V.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

Secretarius generalis: Communico Patribus venerabilibus, corpus exc.mi arch., mane demortui, esse expositum in ecclesia S. Annae in Civitate Vaticana. Eius autem exsequiae fient crastina in eadem ecclesia S. Annae, hora octava.

* * *

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

CIRCA QUINQUE QUAESITA QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE ECCLESIA

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Si tratta di questo: nel detto art. 3, che tratta della collegialità dei vescovi, si dice che deve rimanere il « *ius primatiale* del Papa su tutti i Pastori e fedeli ».

Io ho fatto osservare che l'aggettivo latino « *primatiale* » deriva da « primate » ed è *per lo meno ambiguo,* e sembrerebbe significare che il Papa sia *Primate di tutta* la Chiesa. Suggerivo pertanto di sostituire alla espressione « ius primatiale » la parola *Primatus,* che già si trova nella definizione del Concilio Vaticano I. Di maniera che l'espressione veniva cambiata in « *salvo Primatu* Summi Pontificis in... etc. ».

2

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Prima pars huius n. 3 est vera. Altera pars quae incipit verbis *et ipsum* non est sufficienti modo expressa. Necesse esset ut diceretur « ... et ipsum una cum capite suo Romano Pontifice, et nunquam sine hoc capite (libere invitante ad deliberandum et libere approbante deliberata) plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollere ».

Verba quae in textu impresso ponuntur in uncinis, scil. « cuius salvum et integrum remanet ius primatiale in omnes pastores et fideles » — ut mihi videtur — non sufficiunt.

Quaeri enim potest: an ius primatiale in omnes pastores et fideles includat; necne, ius inalienabile Romani Pontificis ad invitandum, vel non invitandum, episcopos ad deliberandum, secundum eius altissimam prudentiam, Spiritu Sancto ipsum adsistente?

Quaestio analoga poni posset quoad eius ius approbandi deliberata.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Tres priores propositiones approbo et commendo ut congregationi generali subiiciantur his quidem rationibus:

Ad primam propositionem. In sacra theologia ut certum habetur consecrationem episcopalem esse summum gradum sacramenti Ordinis.

Ad secundam propositionem. Omnis episcopus legitime consecratus plenitudinem sacramenti Ordinis habet et capax est potestatis iurisdictionis episcopalis. Est tantum per accidens et de iure ecclesiastico quod aliquis episcopus iurisdictionem episcopalem non possidet. De facto in hoc Concilio Oecumenico adsunt multi *episcopi* mere auxiliares, qui facultatem habent de omnibus actis ipsius Concilii suffragium ferendi. Item in rebus, quae ad totum episcopatum per mundum dispersum pertinent, partes suas habere possunt.

Ad tertiam propositionem. Eam sic melius formulandam esse puto: Utrum placeat Patribus declarare *corpus* seu *collegium* episcoporum, quod collegio apostolorum in munere evangelizandi, sanctificandi et *pascendi* succedit, una cum capite suo Romano Pontifice et nunquam sine hoc capite, *unum* subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam *iure divino* constitui?

Loco *indivisum* subiectum ponitur *unum* subiectum, quo sensus intentus recte exprimitur et excluditur difficultas a pluribus Patribus proposita, scilicet « indivisum » subiectum esse ambiguum et ita intelligi posse ut Romanus Pontifex iam non valeret per se solum in universam Ecclesiam agere.

Ad quartam propositionem. Hanc propositionem, in tribus partibus consistentem, ex toto supprimendam esse puto, atque hoc sensu votum meum plenariae sessioni Concilii iam proposui. Haec propositio quidem spectat tantum Ecclesiam latinam, quum non paucae Ecclesiae orientales diaconatum permanentem adhuc retineant, et ipsa Sancta Synodus ob rationes ad orientales specialiter attinentes exoptat ut, ubi diaconatus permanens in desuetudinem venit, iterum vigeat (schema *de Ecclesiis orientalibus*, n. 30). In Ecclesia latina autem conditiones hac de re prorsus diversae sunt. In saeculis prioribus, ob Ecclesiae largam diffusionem in occidente, sacerdotes fideles satis curare non potuerunt, ita ut fere omnes, qui in sacrum ministerium assumi voluerunt, sacerdotes ordinati sunt et diaconi permanentes gradatim evanuerunt. Hodie autem, etiam sine diaconatu permanenti, revera multae sunt dioeceses quae sacerdotes numero sufficienti non habent.

Ex altera parte, hodie multi habentur religiosi laici et sodales institutorum saecularium, qui munus diaconi maxima ex parte adimplent. Praeterea magis ac magis crescit numerus laicorum, qui servitio Ecclesiae sese devovent, quod quidem hoc sacrum Concilium ut foveatur et augeatur exoptat. Eo vel minus ergo datur necessitas ut diaconatus permanens restituatur.

Denique prae oculis habendum est propositum, ut diaconatus permanens instauretur, maxima ex parte procedere videtur a fautoribus Liturgiae, qui usus Ecclesiae antiquae instaurare vellent quin conditiones actu vigentes perpendant. Hac de re iuvat revocare declarationem Pii XI: « vetus usus, non idcirco dumtaxat quod antiquitatem sapit ac redolet, aptior ac melior existimandus est vel in semetipso, vel ad consequentia tempora novasque rerum conditiones quod attinet... non sa-

piens tamen, non laudabile est omnia ad antiquitatem quovis modo reducere » (Litt. enc. *Mediator Dei, A.A.S.* 39, vol. XIV, pag. 545). Haec quidem optime pertinent ad propositum diaconatum permanentem restituendi.

Commendo ergo ut propositio de diaconatu permanenti cadat et congregationi generali non proponatur.

4

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO

Episcopus Palmensis

1. Placet, etsi clarius exprimere deberetur: episcopatum continere omnem sacramentalitatem sacramenti Ordinis, omnia munera sacerdotalia et non-sacerdotalia, quae ab hoc Ordine fluunt.

2. Placet, quia est verum. Verumtamen timetur terminus « corpus », vel etiam, si usurpatus esset « collegium », quia non dicitur in quo sensu accipiendus.

3. Non placet. In formulatione data quaestioni, invenitur contradictio cum doctrinis Conciliorum oecumenicorum, inde a Constantiensi. Et adiungi debet: nunquam sine hoc capite *et semper supra hoc collegium*. Quare nunquam dicitur hoc a Germanis? Dicant semel saltem « supra » collegium, et eis credemus. Vitant hoc verbum, fortasse ne offendant protestantes. Sed in expositione verae doctrinae catholicae hoc verbum omnimode ponendum est.

4. Non placet, quia captiosum est expressum. Volunt approbationem de re, quae adhuc disputatur. Volunt approbationem de « de iure divino ». Captiose quaestio posita est: qui dicit *placet,* approbat collegium in sensu quo quidam volunt et approbatio haec ab his usurpabitur ad faciendum schema. Praeterea approbat potestatem episcoporum *iuxta* Romanum Pontificem, quia non dicitur expresse, quando collegium cum Romano Pontifice constituent (quod autem iam antea in Conciliis Oecumenicis praeteritis declaratum est). Demum tacite affirmat Pontificem Romanum esse tantum caput et non etiam rectorem independentem a corpore episcoporum.

5. Placet, dummodo non praeceptive reinstituatur.

APPENDIX

APPENDIX

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE B. MARIA VIRGINE

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Conspectus observationum: 1) Crisis schematis; 2) Proponitur quo modo procedendum videatur in genere; 3) Adduntur plura *particularia* ad singula puncta schematis prout iacet.

I. *Crisis schematis.*

1. Schema, uti videtur, *non respondet fini Concilii,* prout a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. rec. definitus fuit, scil. ut substantialia vitae christianae exponantur (cf. Sermo 14 nov. 1960). Schema enim *de facto* videtur maxime quaerere synthesim punctorum doctrinae marialis Summorum Pontificum inde a Leone XIII. Oporteret econtra exponere quae sint substantialia doctrinae marialis Ecclesiae prout exponitur *a Sacra Scriptura et antiquissima traditione.* Hoc eo magis urget, quod Concilia, quae hucusque de Beata Virgine locuta sunt, scil. Ephesinum et Tridentinum, magis indirecte et in obliquo de B. Virgine locuta sunt. Si ergo nunc prima vice Concilium aliquod Oecumenicum ex professo rem tractat, certe non debet incipere a doctrina ultimi saeculi, sed a Sacra Scriptura et antiqua traditione.

2. Schema non sufficientem rationem habet *fratrum christianorum non catholicorum,* sive orientalium sive, idque maxime, protestantium. Non sufficit enim omisisse expressiones quae male intellegi possunt (cf. pag. 14, 3, *a*); oportet potius *rationem habere eorum mentis,* inquantum possibile est. Iamvero si exponitur maxime doctrina Summorum Pontificum ultimorum centum annorum et arguitur maxime ex eorum magisterio (uti fit in schemate), praebetur falsa species quasi doctrina Ecclesiae catholicae de B. Virgine sit « novitas » quaedam, quae non habeat radices in Sacra Scriptura nec in antiquissima traditione Ecclesiae. Inde fiet ut talis doctrina a fratribus christianis non catholicis respuatur et Ecclesia catholica accusetur esse deposito fidei infidelem. E contra notum est orientem christianum inde a primis saeculis in devotione erga B. Virginem maxime excellere. Immo etiam protestantes hodie admittunt devotionem erga B. Virginem apud « Reformatores », scil. saec. XVI, adhuc viguisse et solum temporibus posterioribus obscuratam fuisse. Unde eandem instaurare quaerunt per studium Sacrae Scripturae et antiquissimae traditionis. Nonne in his adiunctis Ecclesia catholica romana, et proinde ipsum Concilium, gravissimo caritatis officio tenentur haec tentamina non impedire nec extinguere, sed potius iuvare expositione veritatum substantialium doctrinae marialis, prout exsistunt in Sacra Scriptura et in antiquissima traditione et solum ultimo loco eas illustrare doctrina ultimorum Sum-

morum Pontificum? Ita horum doctrina vere apparebit non ut novitas quaedam, sed ut legitima explicatio eorum, quae in deposito revelationis habentur. Nonne hic est etiam modus consuetus procedendi constitutionum dogmaticarum, uti praeclare monstrant exempla Bullarum *Ineffabilis* et *Munificentissimus*. Nonne Christus Dominus et ipsa B. Virgo eodem modo caritatis pleno erga hos eorum filios procederent?

3. Cum praecedentibus cohaeret quod in schemate tractantur et decidendae proponuntur *quaestiones hucusque inter theologos catholicos discussae* et minus clarae, uti v. g. de scientia B. Virginis, de eiusdem morte (quam Pius XII in Bulla *Munificentissimus* consulto vitavit), titulus « Mater Ecclesiae », hucusque parum usitatus (cf. pag. 15, nota 5).

4. Item cum praecedentibus cohaeret *modus loquendi et exponendi schematis*. Hic modus enim saepe saepius minus clarus est. Cuius ratio videtur maxime in eo esse, quod auctores quaesierunt expositionem propriam texere verbis et expressionibus e documentis ultimorum Summorum Pontificum desumptis (uti ipsi fatentur, cf. pag. 14, IV, 1). Iamvero tales expressiones vel sententiae a proprio contextu avulsae et in alio contextu collocatae saepe minus clarae sunt. E contra pulcherrimi et fundamentales textus SS. Patrum in notis tantum ponuntur et sic extra schema relinquuntur.

II. *Proponitur novus modus procedendi.*

1. *Introductio.* Cultus B. Virginis inde ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viguit; splendida de eo exsistunt testimonia maxime ex venerandis Ecclesiis orientalibus. Etiam principales antesignani fratrum protestantium eandem saltem quoad substantialia adhuc retinebant. Etsi postea haec haereditas obscurata sit, hodie tentamina spei plena exsistunt eandem instaurandi, prout existit in Sacra Scriptura et antiquissima traditione Ecclesiae tum orientalis tum occidentalis.

2. *De loco et munere B. M. V. in opere Redemptionis.* Ostendatur quomodo B. Virgo simul maxime unita sit cum Christo et etiam cum Ecclesia. Ipsa enim prout unitur cum Christo eiusque opere Redemptionis, constituit primitias maxime nobiles Ecclesiae. Postquam enim Dominus respexit eius humilitatem eique magna fecit (cf. *Lc.* 1, 48 s.) et ipsa plene « credidit » (cf. *Lc.* 1, 45) humili submissione ut « Ancilla Domini » (cf. *Lc.* 1, 38) consensum praebuit nomine generis humani ad Incarnationem et proinde etiam ad Redemptionem, quarum lineamenta ab Angelo ei sufficienter exponebantur (cf. *Lc.* 1, 31, 35). Eodem modo B. Virgo astitit Redemptori in sacrificio Crucis consummando (cf. *Io.* 19, 25).

Expositis ita factis principalibus e Sacra Scriptura exponantur *principia quorum ope haec facta explicari debent,* quaeque ex antiquissima traditione, maxime ex S. Irenaeo hauriuntur, scil. de parallelismo Maria-Eva ac de Maria Socia novi Adae et « Matre viventium » in Christo. Hac luce collustrentur facta e Sacra Scriptura hausta et confirmentur aliis testimoniis, speciatim S. Augustini, maxime iis quae de Maria Matre hominum habentur.

Ut brevis quaedam *conclusio* (non modo separato!) exponantur principales tituli B. M. V., maxime ii qui antiquiores et magis usitati sunt.

Hucusque dictis dein explicetur ille maxime splendidus ornatus gratiae et sanctitatis qui fructus maxime excellens Redemptionis Christi est et ope cuius Christus Deus B. Virginem ut nobilissimas primitias Ecclesiae et electam adiutricem suae propriae operae exornavit. (Immaculata Conceptio etc.). Tandem exponatur gloria quae eandem Virginem glorificavit (per Assumptionem).

Demum explicetur secundum antiquissimam traditionem intima unio B. Virginis glorificatae cum Christo in suo opere per Ecclesiam continuando, speciatim per maternam intercessionem etc.

E dictis statim apparebit habitudo Ecclesiae eiusque singulorum membrorum ad eandem B. Virginem. Hic poni possent quaedam e schemate actuali: pag. 10, 5-14; 11, 6 ss.; sed primo omnino loco ponatur cultus liturgicus Ecclesiae B. Virgini ab antiquis temporibus exhibitus, cetera omnia postea.

N. B.: E dictis patet titulum actualem schematis melius ita immutari debere: de *B. Maria Virgine Matre Dei* et Matre hominum. (Ne dicatur « Dei hominumque Matris »! Melius conservatur consecratus titulus Concilii Ephesini « Mater Dei » et repetitur vox « Mater » ut differentia appareat quae inter utramque maternitatem exsistit).

III. *Particularia quaedam ad singula schematis puncta.*

Pag. 7, lin. 23. Cum titulus constitutionis *de Ecclesia* non sit, de « Corpore Christi mystico », melius etiam hic simpliciter de Ecclesia sermo fiat, non de Corpore Christi mystico.

Pag. 7, lin. 24. Quid sunt « superiora documenta... »? item quid intelligitur « magisterium vivum Ecclesiae »? Auctores videntur potissimum cogitare de « supremo magisterio Ecclesiae » et quidem potissimum Summorum Pontificum inde a Leone XIII (cf. pag. 14, IV, 1). Iamvero dicendum videtur magisterium omnium horum Pontificum *hodie* iam non esse « vivum ». Agitur ergo de documentis recentioribus *traditionis.* Si ita est, non intelligitur cur maxime his documentis insisti debeat et non *toti* traditioni atque maxime antiquae. Utique haec documenta, quia sunt supremi magisterii, maiorem auctoritatem habent; sed ipsa quoque in traditione antiqua fundantur et ad hanc traditionem appellant. Unde fortasse dicendum esset: documentis traditionis, speciatim supremi magisterii Ecclesiae, interpretum depositi revelati...

Pag. 7, lin. 33. « ... per feminam mors... vita nobis per feminam... ». Etsi hic textus fortasse alludit ad quendam textum Sacrae Scripturae, tamen a non catholicis, maxime eiusdem secunda pars, male intelligi posset, quasi opponatur dicto apostoli « per hominem mors, et per hominem resurrectio... » (*1 Cor.* 15, 21). Pro intento auctorum omnino sufficiunt quae sequuntur « liberatio ope utriusque sexus haberetur »; tamen etiam hic melius diceretur « utroque sexu *cooperante* », ne « femina » in eadem linea ponatur ac Christus.

Pag. 8, lin. 11. « A tempore virginalis... usque ad eius mortem perseveravit »... Loci qui in nota 10 (pag. 18) afferuntur rem non probant; ostendunt enim solum cooperationem B. Virginis in initio et in fine, nihil dicentes de tempore intermedio.

Pag. 8, lin. 16. « Mater hominibus data est... » res tanti momenti deberet saltem aliquo argumento fulciri; textus in nota 12 (pag. 19 s.) allati omnes recentioris aetatis sunt.

Pag. 8, lin. 25. Etiam haec de gratia per B. Virginem acquisita saltem aliquo argumento probari deberent; item ex eo quod B. M. V. in terra fuit Christi « passibilis » socia, non sequitur immediate, quod etiam nunc est « gratiarum administra et dispensatrix ».

Pag. 9, linn. 1 ss. Argumentum a S. Paulo petitum nihil probat, quia intercessio hic in terris et « mediatio » in caelis omnino diversi generis sunt. « Mediatio » et « intercessio » *non* sunt idem.

Pag. 9, lin. 10. Loco vocis, « copulatur » dicatur « unitur » vel aliquid simile; vox enim male sonat.

Pag. 9, lin. 19. Phrasis melius invertitur: « minime efficit ut homo Christus Iesus desinat esse unus Mediator Dei et hominum » secus male intelligitur.

Pag. 9, lin. 23. « Subordinatos mediatores »: non oportet vocem sacratam « mediator » quae de Christo Domino adhibetur, adhibere etiam de aliis; secus videmur detrahere ipsi officio Christi.

Pag. 9, lin. 31. « Omnium gratiarum mediatrix », nota 21 ostendit quam parum clara et parum praecisa haec expressio sit. Notum est quantum theologi de ea disputent. B. M. Virginem nobis posse mediatricem esse aliquarum gratiarum, nemo facile negabit; sed quomodo ex S. Scriptura et antiqua traditione Ecclesiae probatur eam esse mediatricem *omnium* gratiarum? Unde non videtur convenire expressionem tam parum claram in constitutione dogmatica sine ulteriore explicatione et probatione poni et eius ope locum et munus B. Virginis determinari. Etiam illa quae sequuntur minime clara sunt; refutatio obiectionis fratrum non catholicorum minime clara est.

Pag. 10, lin. 13. « Etenim nullo modo... aequiparanda est Christo »: veritas tam magni momenti multo nervosius exprimenda esset, ne a fratribus non catholicis accusemur.

Pag. 10, lin. 16. Ostendatur nexus inter haec privilegia et locum et munus B. Virginis in Redemptione. Item ostendatur (non solum modo indirecto uti fit pag. 10, lin. 26), quo modo haec privilegia profluant ex opere redemptivo Christi.

Pag. 10, lin. 22. Omnino omittatur affirmatio de morte temporali Virginis. (Testimonia « antiquae et venerabilis traditionis » in nota 26 adducta certe rem non probant). Concilium a talibus assertionibus definiendis omnino abstineat.

Pag. 10, lin. 25. Nonne haec longior expositio rationum convenientiae falsam speciem ingerit acsi Ecclesia catholica privilegia haec ob rationes humanas admittat?

Pag. 10, lin. 40. Si privilegium virginitatis in partu affirmatur, certo non tantum in obliquo affirmari deberet, cum notum sit quantas difficultates ipsa creat fratribus non catholicis protestantibus.

Pag. 11, lin. 15. Si haec obiectio, quasi cultus marialis cultui divino latriae officiat, tangitur, aliqua meliore ratione confutanda esset non solum aliqua affirmatione. « Cunctis a *gentibus* »: v. g. Sinensibus, Indis, Iaponensibus?

Pag. 11, lin. 35. De quanam « vana credulitate » agitur? Probabiliter de apparitionibus, sed hoc explicandum esset, si omnino notandum videtur.

Pag. 12, lin. 8. « Fervido quodam impulsu... » nonne orientales merito offenderentur hac expressione, quasi eorum devotio erga B. Virginem solum ex aliquo « impulsu » proveniat et non in fide illuminata fundetur?

Pag. 12, lin. 11. « Immerito exprobari... » iterum affirmationes sine ulla ratione addita: vel res explicetur et probetur vel melius omnino praetereatur.

Pag. 12, lin. 18. « Qui donati baptismate... qui... redemptos se esse ignorant ». Haec mixtio christianorum cum non christianis facile fratres christianos non catholicos offendere potest. Saepe enim lamentantur catholicam Ecclesiam eos in eodem gradu cum non christianis ponere.

Pag. 12, lin. 27. « Omnes prorsus Christi fideles hortantur »: tota haec exhortatio directa etiam ad fratres christianos non catholicos parum felix est. Cum enim praecise cultus B. Mariae Virginis et primatus Summi Pontificis nos a fra-

tribus christianis non catholicis separet, non est opportunum eis praecise haec puncta ut medium et viam ad unitatem proponere.

Pag. 12, lin. 30. Iterum miscentur « familiae gentium » i. e. non christianorum cum christianis (cf. pag. 12, lin. 17).

Conclusio. E supra dictis patet meo quidem humili iudicio schema prout iacet admitti non posse et *nova atque profunda elaboratione indigere.*

2

EM.MUS P. D. PETRUS CARD. TATSUO DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Imprimis clare determinanda est *qualificatio theologica* huius constitutionis. Ut constitutio dogmatica Concilii Oecumenici videtur esse declaratio magisterii extraordinarii et sollemnis, ideoque summae auctoritatis.

Continet autem aliquas assertiones, quae hucusque non erant veritates definitae, ut illas de mediatione B. M. V. sub duplici aspectu acquisitionis et dispensationis gratiarum. Nonobstante affirmatione contraria in praenotanda III, pag. 14, lin. 5 (quae praenotanda non pertinent ad schema ipsum) videtur ergo haberi in hac constitutione *proclamatio novi dogmatis.*

Si revera iste est sensus huius constitutionis dogmaticae, quaerendum sane est de *demonstratione* huius novi dogmatis *ex S. Scriptura et traditione divino-apostolica,* atque deinde etiam de *opportunitate talis definitionis.*

Quod *ad primum* attinet, dicendum est tractationem in ipsa constitutione esse nimis brevem et summariam, quam ut sufficere valeat ad demonstrandum novum dogma (notandum est Pium XII ante vix 10 annos adhuc censuisse hanc doctrinam nondum esse maturam pro declaratione magisterii).

Quod *ad secundum* attinet, res certo deliberanda est sub variis respectibus, cum praevidenda sit magna excitatio de tali definitione apud catholicos et christianos acatholicos.

In particulari nonnulla in schemate ambigua videntur, quae ulteriorem explicationem vel emendationem requirant. Ita v. g. si dicitur quod B. M. V. « eum (Unigenitum) ut pretium redemptionis nostrae, cum ipso et per ipsum magno animo obtulit » (pag. 8, linn. 14-15), quod sonat ac si B. M. V. sub cruce actionem sacerdotalem peregisset; si dicitur « caelestium gratiarum administra et dispensatrix » (pag. 8, linn. 25-26), quin tamen ostendatur distinctio a ministerio sacerdotum Ecclesiae; si dicitur servandam esse analogiam in applicandis certis titulis simul Christo et B. M. V., quin tamen indicetur in quonam conveniant et in quo differant (v. g. relate ad functionem in acquirenda gratia).

Ista puncta ambigua ulteriorem clarificationem requirere videntur; secus timendum est ne fideles minus culti, specialiter in terris missionum, in varias confusiones incidant circa munera Christi Salvatoris et Matris Dei.

Desideratur praeterea ut *deleatur* mentio de B. M. V. integritate *corporali in ipso partu* incorrupta et illibata servata (pag. 10, lin. 39; pag. 11, lin. 1); sufficere videtur declaratio quod B. M. V. « insimul mater semperque, mente et corpore, virgo exstiterit » (pag. 10, lin. 20).

Nam habetur difficultas explicandi positive in quo proprie constiterit integritas corporalis in ipso partu, et insuper prudentia pastoralis suadet ne exponatur res tam sacra et delicata curiositati et investigationibus hominum non credentium.

3

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA

Placet iuxta modum. Ad n. 2. Verba quibus Virgo Maria extollitur tamquam « Christi generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda » clara non sunt et prolabi videntur in errorem « maximalistarum », quem commentarium reicit.

Praeterea, cum dicitur Virginem esse non in peripheria « ut quidam aiunt » sed in centro Ecclesiae, haec ipsi solum intelligere possunt qui libros noverint auctorum germanicorum, non magni nominis, in notula 15 citatos.

Ad n. 3. Doctrina de « analogia » de Christo et Virgine revocata, modum sapit speculative loquendi, pluribus impervium et a Concilii usitato sermone alienum.

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. A. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

1. Sane melior est novus *titulus* huius schematis. Sed ex eo apparet quod istud schema opportunius veniret in integrum schematis *de Ecclesia* probabiliter in fine. Sic Maria manifestaretur ut « typus Ecclesiae », quod non satis ostenditur in textu.

2. Me adhuc dolet (n. 2) *relatio inter B. Mariae cooperationem* ad Redemptionem Christi, *tanquam fundatam supra collaborationem utriusque sexus* quae esset quodammodo necessaria ad salutem. Istud argumentum videtur satis puerile, si modo oratorio invenitur passim apud quosdam Patres, et in aleam dat nimis ample valorem, actionis corredemptricis legitime recognitae in B. Maria. Nonne tale argumentum reponatur inter opiniones « maximalistas » quae repelluntur in « Praenotanda »? (IV, *c*).

3. Forsan et in genere expectabatur aliqua *doctrina Marialis magis profunda, synthetica,* in nomine Concilii Oecumenici.

Oportebat eminenter tradere *ministerium spirituale B. Virginis in gratiae distributione,* e suo fundamentali privilegio et e sua praedestinatione tanquam Mater Messiae, Filii Dei, et e suo libero ac pleno assensu ad istam pulcherrimam vocationem, unicam et salvatricem.

Multa argumenta in hoc schemate, humillimo meo sensu, videntur parum et potius ex animo sensibili.

5

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMAR CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

It might be well to rephrase the statements of this schemata with greater brevity, directness and clarity.

I would be gratified to see some reference to Mary as a type of the member of the Church. [*Cf. pag. 398*].

6

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI

Archiepiscopus Varsaviensis et Gnesnensis

I. *Quaedam observationes ad « Praenotanda » in calce schematis.*

1. Numerus votorum missus ad commissionem antepraeparatoriam, quibus postulantur ut in hoc Concilio Oecumenico sermo fiat de B. Virgine, videtur esse vere exiguus viso excelso loco quem Ipsa tenet: *a*) in hodierno cultu fidelium; *b*) in repetitis enuntiationibus Summorum Pontificum et episcoporum; *c*) in multis deliberationibus theologorum.

Nonnulli tantum specialem quemdam tractatum de Beata a Concilio conficiendo exoptant. Estne ille tractatus separatim (distinctus ab aliis) necessario ponendus? De augustissima Matre Dei multa ac vera dicenda sunt potius in tractatu de Christo Redemptore deque eius Ecclesia, et haec quidem non obiter sed fundamentaliter et essentialiter.

Itaque non in distincto tractatu, sed in elucidationibus definitionibusque singularum veritatum fidei quaedam de Virgine conicienda sunt.

2. Est sententia auctorum schematis Concilium de Ecclesia valde imperfecte acturum esse nisi de B. Virgine quoque agatur.

Attamen hic modus agendi de Beatissima non esset nisi *aliquod* additamentum ad constitutionem dogmaticam *de Ecclesia,* quod verum periculum secum feret non exacte de Matre Dei et hominum tractandi.

3. Nec tota nec integra doctrina catholica de B. Virgine est proposita, ut sibi vult hoc schema (praenotamen IV, 3). Insuper quaedam expressiones vocabulaque a Summis Pontificibus adhibita scienter omittuntur ne laedantur fratres separati. Hoc tamen non videtur esse conveniens et tutum. Potius ipsum schema ita componendum est, ut res de sic dicta « corredemptione » vel de « mediatrice » alio modo pleniorique tandem sensu proponatur. Tunc enim tam mediatio B. Virginis mediationem Christi quam cultus Mariae cultum Christi nullatenus officiet.

4. Itaque hoc schemate, sicuti nunc iacet, nonnulli fratres facile indignari possint, eo vel magis quod quaedam de B. Virgine ita nota accenta sunt, ut alia magis ab illis acceptabilia omittantur.

II. *Observationes ad textum schematis.*

Ad 1. Nimis sermo protrahitur de congruitate deliberandi de B. Virgine in Oecumenico Concilio.

Omissis excusationibus potius exponatur *qua de causa* ius, immo et officium est, doctrinam de Maria persequendi.

Itemque potius explananda sunt quaedam primaria de ipsa augustissima persona Virginis (« quae est ista ») quam loqui de « privilegiis » quam Filius Matrem suam exornavit vel de « loco » quem ipsa in Ecclesia occupat.

Ad 2. Imprimis enodandum est igitur fundamentale prorsus ac admirabile mysterium de vera Dei ac nostrum Matre, cui postea illa doctrina de Socia Christi Redemptoris optime succedere potest. Etenim Mariam non ideo « super omnes post Filium suum obtinere quemdam primatum » quia in corpore Christi mystico condendo partem habuerit, *sed* quia, qua *Mater* Dei et hominum, etiam ad nostram salutem tota cum Christo patiente erat.

Ad 3. Sub hoc numero multa repetuntur, quae iam supra (n. 2) de Virgine relata sunt.

B. Virgo est mediatrix non tantum « ex beneplacito Dei », sed *immo* ex eo quod magnam realemque partem habuit in Incarnatione et Passione Christi.

Ad 4. Iterum nimis signantur « privilegia » B. Virginis. An idem loquendi modus in tractatu de Salvatore adhiberi possit relate ad personam Christi? Traditio sententiam de Maria aliis verbis affert: Maria *est* immaculata, *est* Virgo, *est* Mater, *est* in caelum assumpta... Hisce omnibus ipsa singularis natura B. Matris Dei ac nostrum constituitur. Insuper omnino inopportunum esse videtur in hoc Oecumenico Concilio *de morte* Virginis deliberare.

Ad 5. Omisso fundamentali mysterio divinae Maternitatis Mariae, quod revera in capite schematis et quidem uberius et fusius esset exponendum, non explicatur qua de causa specialis ac distinctus cultus a cultu aliorum sanctorum, ipsi debeatur, et hoc ex reali relatione ad Christum et intima coniunctione Matris cum Filio.

7

REV.MUS P. D. IACOBUS ALBERIONE
Superior generalis S.S.P.

Schema huius Constitutionis videtur optime exaratum, sed titulus: *de B. Maria Virgine matre Ecclesiae,* non bene congruit cum conclusionibus. Si enim velimus B. V. Mariam vere esse matrem Ecclesiae, mediatrix omnium gratiarum solemniter proclamari deberet.

Speciosa et fere sola obiectio contra hanc solemnem definitionem provenire videtur ex oppositionibus vel potius ex timore incomprehensionis ex parte fratrum separatorum. Sed haec obiectio, si vere existit, non est nova; nam oppositio huius generis semper adfuit, non solum cum magisterium solemne Ecclesiae aliqua privilegia B. Virginis Mariae definivit, sed etiam cum catholici publice edunt vel in suis pastoralibus ministeriis, loquuntur de his privilegiis. Hanc ob rem schema *de B. Virgine Maria matre Ecclesiae,* Sacrosancto Oecumenico Concilio proponi deberet magis logice, sine ullo timore descendendi usque ad ultimam et logicam conclusionem, scil., solemnem definitionem veritatis fidei mediationis universalis B. V. Mariae quoad gratias.

Ceterum haec solemnis definitio magis acceptabilis apparet a fratribus separatis quam dogma Immaculatae Conceptionis vel Assumptionis corporeae B. Mariae Virginis.

Schema, igitur, est optimum in suis praemissis, sed conclusio consistens in invitamento ad omnes fideles ut effundant preces ad B. Mariam Virginem « ut, ipsa intercedente, divinus eius Filius cunctas familias gentium, et praeprimis illos qui christiano nomine gloriantur, in unum Dei populum congreget », videtur conclusio parum satisfaciens, quia fideles hoc iam faciunt.

8

Exc.mus P. D. CAROLUS BALDINI
Episcopus Clusinus et Pientinus

1. *Quoad titulum.* Schematis titulus legitur: « De Beata Maria V. Matre Ecclesiae », dum in priore schemate legebatur: « De Beata Maria V. Matre Dei et hominum ». Haec mutatio mihi videtur in peius.

Ratio haec est. In prioris schematis titulo referebatur fundamentum omnium privilegiorum, quibus decoratur Maria Virgo, i. e.: Divina eius Maternitas, a qua oriuntur cetera privilegia, inter quae et ipsa Maternitas Ecclesiae, et quibus aliis hominibus antecellit.

Praeterea in Liturgia orientali, quoties de ea fit mentio, semper vocatur « Theotocos ».

In novissimo schemate Maria Virgo dicitur « Mater Ecclesiae » et bene quidem quoad substantiam, sed minus apte de ipso titulo dicitur. Verba « Matre Ecclesiae » peculiarem relationem Mariam inter et Ecclesiam referunt, quam haeretici negant et de cuius natura et extensione inter catholicos disputatur.

2. Sub n. 1, verba in 2 periodo contenta, a linn. 19-22, auferenda aut saltem transferenda videntur.

Rationes sunt altera logica, altera grammaticalis. Periodus antecedens, quae concluditur verbis: « Mysterium quoque Dei Matris clariorem in lucem proferat » melius directe connectitur cum periodo sequenti: « quapropter S. Synodus... » ablata periodo secunda.

Ratio logica. In tertia periodo affirmatur: « S. Synodus... opportunum censet summatim breviterque illustrare... locum quem Dei hominumque Mater in Ecclesia occupat, ... » dum in 2 periodo locus quem tenet iam exprimitur et exemplis declaratur.

3. Item in tertia periodo, pericopes sub linn. 23-24 « postquam de Corpore Christi mystico locuta est... » auferenda videtur.

Ratio. Quae sequuntur vera sunt sive de his loquitur « postquam », sive « antequam » locuti sumus de Corpore Christi mystico.

4. In fine primae paginae et initio secundae item auferenda videtur pericopes: « et sic liberatio ope utriusque sexus haberetur ».

Ratio haec est. Etsi verba illa auctoritate fulciantur plurium SS. Patrum, necessitas praesentiae utriusque sexus in Redemptione, sicuti fuit in parentum peccato, est argumentum congruentiae, potiusquam necessitatis; nec pluris aestimatur hodie dum sexus diversitas in dies minuitur ac fere supprimitur.

Absque illa pericope locutio melius procedit sive grammatice sive logice adspicitur.

5. In fine n. 2 (pag. 8), linn. 29-32, verba « ... super omnes post Filium suum obtinere quemdam primatum, ac proinde non, uti quidam aiunt, " in peripheria ", sed in ipsomet " centro " Ecclesiae sub Christo collocari », audeo proponere ut substituantur verbis in secunda periodo n. 1 contentis, ita ut legatur: « erga omnes maternum gerit animum, quaeque denique cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, non modo " supereminens " prorsusque singulare membrum Ecclesiae esse, verum etiam eiusdem exemplar, immo et Matrem dici ».

Rationes hae sunt. Sensus logicus de materno in homine animo, melius exprimitur dum cooperatio caritatis Mariae in ipso Ecclesiae ortu revocatur.

Primatum Virginis in Ecclesia « super omnes post Filium suum » aeque clare affirmatur per verba: « supereminens membrum Ecclesiae ».

Locutiones « peripheria » et « centrum » ab hodiernis civitatibus desumptae, non satis clare sensum exprimunt cui referuntur, nec felicem iudicaverim earum usum, cum bona pace auctorum qui his locutionibus utuntur.

6. In n. 3 integra prima periodus mutanda videtur.

Rationes sunt: *a*) valde involuta primo legentibus sonat; *b*) verba « nefas est », quibus damnatur haereticorum doctrina, non bene consonant his quae sequuntur, in quibus evidens est « iugiter prae oculis habitos esse fratres separatos eorumque cogitandi modos » prout in Praenotandis sub n. IV adfirmatur. Melius mihi videntur eaedem veritates exprimi posse forma positiva, ut v. g. sequenti modo: « Multiplices variique tituli, quibus magisterium Ecclesiae, veneranda traditio, fideliumque pius sensus B. Virginem salutare consueverunt, minime vacuos inanesque esse dicendi sunt vel sacris litteris adversari, quoties solido fundamento, radice et principio nituntur in cooperatione Matris Dei cum Christo (veluti novae Hevae cum novo Adamo) in humanae redemptionis peragendo opere »...

9

EXC.MUS P. D. CANDIDUS IULIUS BAMPI

Episcopus tit. Tloensis, aux. Caxiensis

Universa huius schematis doctrina valde placet valdeque opportuna nostris evadit temporibus. Etenim non raro voces audiuntur, quibus Dei Mater a Filio Divino, sub ementito liturgicae pietatis titulo, fere separatur; proinde ac si veri nominis liturgica pietas cultum et intercessionem B. Virginis et Sanctorum eliminare aut saltem minuere deberet.

Schema tamen magis placeret, si ad simpliciorem et clariorem formam reduceretur. Inutilia forsitan videbuntur quae hic subiungam. Multi Patres conciliares eadem certissime iterum iterumque repetent. Dicam tamen breviter.

1. Videatur, v. g., par. 1, pag. 93, a linn. 1-18: « ... Immensae bonitatis Creator, etc. ... ». Nonne breviori, clariori et faciliori stylo dici posset? Ita, v. g.: « Sapientissimus et clementissimus Deus, liberrimo consilio determinans qua via ac qua ratione genus liberaret humanum, uno eodemque decreto ab aeterno praestituit hominum salutem fieri per Verbi Incarnationem, et Verbum carnem sumere et nasci de B. Virgine Maria... ». Certissime in divulgatione evangelicae veritatis, evangelica semper placebit simplicitas, eo quod clarior eluceat veritas.

2. In eadem pag. 93, lin. 30: peropportuna mihi videntur illa verba: « ... et praeiudicatae opiniones hac in re arceantur... ». Nec minus opportuna illa alia, quae leguntur in sequenti pag. 94, n. 2, lin. 30: « ... ac proinde non ut quidam aiunt " in peripheria ", sed in ipsomet " centro " Ecclesiae sub Christo collocari ». Sunt enim ministri Ecclesiae, titulis etiam ecclesiasticis condecorati, qui affirmant et sustinent de B. Virgine et de Sanctis minus esse loquendum, eorumque cultum non ita ferventer esse extollendum; totius enim religionis fundamentum et centrum Christus est. Quodque certum est. Exinde tamen quibusdam in locis illam quasi innatam christiani populi pietatem erga S. Virginem, hac de causa, damnant aut saltem dedignantur, Matrem separantes a Filio... Rosarii Mariani recitationem per-

durante Missae Sacrificio minime permittunt, licet fideles illi rudes et inculti alio modo devote suam mentem occupare nesciant. Hos et alios excessus, animarum bonum impedientes pii lamentantur sacerdotes Missionarii. Et quae dicimus auribus nostris audivimus.

Abusus, si qui sunt, ex ignorantia et ingenua fidelium simplicitate provenientes, apostolica caritate corrigantur. Populus instruatur, sed non avertatur ab universi Corporis Christi mystici Matre.

3. In art. seu nn. 2, 3 et 4, pag. 93-96. Multa et optima dicuntur de praerogativis et privilegiis B. Virginis Mariae. Apparent ibi, exempli gratia:

a) Aeterna Virginis praedestinatio in Dei et hominum Matrem;

b) Eius singularis prorsus redemptio ex praevisis meritis Christi;

c) Hominis liberatio non prius praestituta quam Virgo liberrimam Divinae Maternitatis manifestaret acceptationem;

d) Eiusdem Virginis Matris, inde a dato consensu, ad omne opus Redemptionis cum suo Filio cooperatio, tunc praesertim quum ipsamet sub ara crucis Victimam Immaculatam pro nobis Deo Patri obtulit;

e) Ipsiusque quasi consecratio in Matrem omnium credentium ab ipso Filio in cruce morienti facta;

f) Neque deerat B. Virgo in operis Redemptionis consummatione, quum suis etiam precibus, in Coenaculo, ad plenam Spiritus Sancti effusionem cooperata est.

4. Et tandem, in nn. 3, 4, pag. 94 ss., inter alia multa, etiam eiusdem Virginis universalis gratiarum mediatio enuntiatur, iuxta catholicam traditionem, magisterium Ecclesiae et pium ac universalem fidelium consensum, quod et ipsa ratio theologica confirmat. Sicut enim illa vetus Heva omnium nobis causa facta est malorum, ita Maria, eadem sed inversa recirculatione, ut ait S. Irenaeus, omnium facta est causa et mediatrix bonorum, licet eius causalitas et efficacia distinctae sint a causalitate et efficacia Filii sui Redemptoris.

Nunc ergo, cur praerogativae et privilegia haec omnia *clare* et *distincte* mundo universo non proponuntur, ad fidelium fidem confirmandam et pietatem erga Virginem Matrem fovendam? Cur hoc novae Hevae mirabile mysterium sapientibus et insipientibus, doctis et incultis maxima *claritate* ab ipso Concilio non patefit?

Propter hoc cum gaudio legimus quae scripta sunt in « Praenotanda », pag. 101, n. V, circa ultimam textus conciliaris redactionem. Apud populum nostrum fidelem verba Concilii sunt tanquam sacramentum. Oportet ergo ut, in sua plenitudine, sint brevia et maxima resplendeant claritate.

Sancta haec Oecumenica Synodus manifeste vult ut melius in dies in vera luce ponantur, ope theologorum et praedicatorum, munera et officia B. Mariae Virginis, ea certe de causa ut clementissima omnium gratiarum mediatrix ab omnibus melius cognoscatur, ab omnibus genuina et solidiori pietate colatur; omnesque firmiori fide et invincibili filiali confidentia ad eius recurrant patrocinium. Ipsamet Sancta Synodus, ut legitur in n. 6, pag. 96: « certam spem ac fiduciam nutrit fore ut Mater Dei hominumque, ... patrocinio suo a Deo impetret ut tandem aliquando omnes in eundem gregem sub uno Pastore conveniant ».

Devota petitio. Ut hoc revera fiat et ille *mundi melioris* adventus, in unitate fidei et caritatis, per unionem omnium christianorum, properetur, et ut fausta Sacri Concilii recordatio permaneat, multi sacerdotes et pii religiosi viri et sacrae virgines et non pauci fideles optant et suppliciter petunt ut quantocius ab ipso

Summo Pontifice haec *nova* in Marianis Litaniis introducatur *invocatio,* nempe « *Regina mundi, ora pro nobis* ». In solemni enim festo de « Maria Regina Mundi », hic titulus suam iam habet manifestam consecrationem.

10

EXC.MUS P. D. STEPHANUS BARELA

Episcopus tit. Hyllarimensis, aux. Czestochoviensis

B. Virgo Maria in nascenti Ecclesia Christi speciali positione a Deo honorata est. In mysterio Annuntiationis et Passionis Maria aderat. In Coenaculo inter apostolos Spiritum Sanctum accepit. Insuper Maria speciali relatione erga apostolos gaudebat. Ioannes mandato Christi Domini crucifixi accepit eam uti Matrem suam.

Concilium Ephesinum in memoriam christianis reducebat Mariam dicentem: « Beatam me dicent omnes generationes » (*Lc.* 1, 48).

Immo omnia facta in viventi et sanctificanti Ecclesia prae oculis habita Mariam ut Matrem mystici Corporis Christi demonstrant et de Mariae Deiparae praesentia in eo dicunt. Praeexcellens est enim praesentia Mariae in Ecclesia sanctificanti.

Decursu temporis christifideles stabiliter Mariam aestimabant Redemptoris Matrem, gratiarum mediatricem ac certam viam ad Iesum ducentem esse. Haec est profunda, sincera et firma persuasio christifidelium prout ex pastorum animarum experientia eorumque cura pastorali constat etiam contemporanea.

Concilio Oecumenico Vaticano II inspirante possumus et debemus vivum testimonium Ecclesiae sanctificantis in lucem ponere. Factum nempe effectivae mediationis Mariae in Cana Galileae menti christifidelium intime inhaeret. Vita christiana et actiones pastorales persuasionem fidelium sufficienter praestant Mariam esse viam ad pleniorem et uberiorem vitam supernaturalem. Profecto cultus marialis incrementa affert vitae sacramentali et abnegationi christianae. Permultae enim confessiones sacramentales populi fidelis eiusque praeparatio in spiritu abnegationis ad SS. Eucharistiam signa fulgentia sunt ecclesiastici sensus cultus B. Mariae Virginis. Participatio fidelium in SS. Missae Sacrificio post longinquas ac incommodas peregrinationes in spiritu poenitentiae et patienter peractas admiratione digna est.

Liceat mihi etiam effectus cultus Dei Genitricis experientia pastorali probatos saltem attingere:

1. Verus cultus B. Mariae Virginis sensum responsabilitatis in anima pro propria proximique salute causat et profundiorem facit.

2. Per cultum B. Mariae Virginis virtutes theologicae adaugentur, praesertim virtus supernaturalis fidei profundior et vivax efficitur. Fides ut initium, fundamentum et radix nostrae iustificationis per cultum marialem perficitur. Quapropter omnes actiones pastorales ad fidem augendam in anima christianorum B. Dei Genitricem colentium directe tendunt. Signum vero manifestum vitae christianae spiritu fidei supernaturalis imbutae est promptitudo populi christiani ad adimplendam Dei voluntatem et stabilis processus perfectionis in sensu Evangelii.

3. Ratio curae pastoralis diversas formas cultus Mariae in lucem ponit ac eius socialem universalemque characterem demonstrat.

4. Apostolatus et munus pastorale influxu cultus B. Mariae Dei Genetricis exercitum necessitatem formationis conscientiae et moderaminis spiritualis clare

postulat. Vivus, in fide fundatus cultus Deiparae maximam abundantiam gratiae causat necnon necessitatem fidelitatis erga Spiritum Sanctum ab anima exigit.

Quapropter multoties ultimis his annis sacerdotes dioecesani ac religiosi de problematibus directionis spiritualis in Sanctuario Claromontano disceptabant et ea elaborabant. Omnes status christianorum moderatione spirituali indigent: parentes, iuvenes, medici, praeceptores, sacerdotes et religiosae. Omnes in eodem spiritu, videlicet fidelitatis erga gratiam Dei, Maria invitante et auxiliante, instituantur oportet.

5. Non est omittendum hac in materia evidens factum utilitatis et necessitatis cultus B. Mariae Virginis in via evolutionis et realis progressus vitae spiritualis. Unde fere omnes scholae perfectionis christianae Mariam Mediatricem et exemplum habent. Immo B. Virgo Maria ut exemplum personale in omnibus gradibus catholicae vitae monstratur.

6. Verus cultus Mariae Matris Christi principia theologica respicit iisque innititur. Quam ob rem sectio mariologica commissionis episcopalis Poloniae in re pastorali curat ac iuvat pastorale munus sacerdotum secundum rationes theologicas. Altera commissio practicam actionem pastoralem prae oculis habet.

7. Verus cultus B. Mariae Dei Matris in theologica virtute fidei fundatus vinculum inter fideles et Ecclesiam Christi stabile et magis compressum facit. Episcopi, sacerdotes, religiosi omnisque populus christianus per Mariam magis distincte et facilius mysterium universalis Ecclesiae catholicae cognoscunt et hanc magis practice diligunt et pro viribus adiuvant.

8. Historia populi polonici testatur fideles B. Mariae Virginis fervido cultu animatos in fide orthodoxa perseverare. Idem cultus sinit atque iuvat eosdem fideles Christo eiusque Ecclesiae adhaerere. Maria, Mater Ecclesiae, Vexilla fidei, et Summus Pontifex, Pater christianitatis, via tutissima merito habentur ad errores repellendos et ad veritatem revelatam firmiter perseveranterque tuendam.

9. Phaenomen peculiari attentione dignum, videlicet, tam in clero romano-catholico quam in christifidelibus per cultum marialem sensus ecclesiasticus acuitur et fit magis essentialis. Res Ecclesiae prosperae eos laetificant, e contra res adversae eis dolori sunt.

10. Animarum curatores iusta ac rationabili occasione data ad venerandum nomen Mariae hortari possunt postulando etiam dura sacrificia ab ovibus suis, et quidem bono cum effectu, e. g. unitas, concordia in familiis et caritas socialis. Firma vincula fraternitatis constituunt sanctuaria B. Mariae dedicata tempore sacrae peregrinationis; ibi enim omnes Mariae Deiparae cultores unum sese sentiunt coram omnium Matre. Temporibus vero calamitatum, puta belli, hostium invasionis, inimicae oppressionis memorata sanctuaria fiunt potens ac efficax solacium necnon portus securitatis spiritualis.

11. Cultores Mariae agmen efformant apostolicum, quod est verum fermentum apostolatus laicorum. In Polonia e. g. quaedam formae huius apostolatus initia sumunt e devotione, quae « Sabbata Reginae Poloniae » vocantur. Ope fidelium in his devotionibus participantium suadetur idea sacri servitii Mariae, quo paulatim omnes vitae familiaris et socialis manifestationes B. Virgini subduntur. Quo fit, ut regnum Christi Regis magis ac magis approximetur spesque affulgeat eius victoriae atque imperii.

12. Sacerdotes qui munere pastorali funguntur testantur pessima vitia et nefaria peccata moribus christianis adversantia per cultum Mariae Deiparae facilius

curari. E. g. apud nos in Polonia late nota actio sobrietati et abstinentiae destinata iungitur cum nomine B. Mariae Reginae Sacratissimi Rosarii. Familiae ad hoc adhortatae simul cum promissione abstinentiae a potu alcoholico ad recitandum quotidie rosarium voluntarie se obligant.

13. Sanus ac rectus Mariae Deiparae cultus vocationes ecclesiasticas fovet. Bonis moribus imbuta iuventus in cultu Mariae educata agmina candidatorum religiosorum et alumnorum in seminariis auget. Unde si in Polonia adhuc non desunt vocationes hoc B. Virgini Immaculatae eiusque cultui tribuendum est. Insuper isti candidati ad corroborandam suam vocationem in Clarum Montem magna cum pietate peregrinantur ibique Reginae suae sese consecrant promittendo ei fidele servitium. Similiter neopresbyteri primam suam Missam ad aram B. Virginis Mariae Claromontanae litant.

Concludo. Praxis pastoralis episcoporum et sacerdotum B. Mariam Virginem praesentem in Ecclesia demonstrat. Omnes ergo formae cultus B. Virginis nostrae Matris gloriosae gloriam Dei necnon Ecclesiae Christi augent.

11

Exc.mus P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

Episcopus Manziniensis

Cum vota permulta ad commissionem antepraeparatoriam Concilio Vaticano apparando pervenerint, quibus postulatum est ut in hoc Concilio oecumenico sermo fieret de B. Virgine, cumque hoc potissimum argumentum magni sit momenti ad quasdam difficultates solvendas pro totius Ecclesiae unitate, nihil praetermittendum nobis est, quod sive in parvis sive in maximis quaestionibus claritati faveat.

Quaedam ergo animadvertenda videntur: 1) sive de iis, quae fortasse adiungenda essent; 2) sive de quibus in schemate constitutionis proferuntur.

1. *De quibusdam adiungendis schemati constitutionis*. Tria praesertim, venerabiles Fratres, videntur accuratius illustranda in constitutione de B. Virgine, quae scil. ad cultum erga Deiparam pertinent; quae de Maria Sanctissima fautrice unitatis christianae dicuntur ac demum quaedam adiungenda de momento pietatis erga Dei Matrem in opere evangelizationis.

De cultu erga B. Virginem. Non videntur sufficere verba « singularis excellentia » (ad n. 5, lin. 2) ad recolenda fundamenta cultus erga Deiparam; imprimis quia vox « excellentia », ex se sola, iuridica potius quam theologica videtur; deinde quia *excellentia singularis* B. Mariae Virginis est potius effectus quam radix ultima dignitatis Deiparae, ac fortasse recolenda sunt sive arcta necessitudo inter Christum et Mariam sive aeterna in ea Dei praedestinatio. Insuper, prae oculis habita antiquitate cultus mariani atque illius potissima extensione in orbe catholico, quaedam fortasse dicenda essent de fundamentis, ut ita dicam, historicis istius cultus necnon de munere devotionis erga beatam Virginem pro christianae vitae augmento.

De B. Virgine fautrice unitatis christianae. Qui praesertim ob munus apostolicum, continuo cum illis « qui se fuisse a Christo redemptos ignorant » ac cum illis « qui christiano nomine gloriantur » quamdam consuetudinem habent, quam maxime compotes sunt de necessitate caritatis simul ac *veritatis*. Quamobrem, cum sollicitudo profertur in augendis instrumentis, quae ad unitatem inter chri-

stianos conferre possint, ne praetermittatur omnis cura in docendo quod aperte atque sincere profitenda est integra doctrina catholica de B. Virgine. Saepe saepius enim, ob oecumenicas uti dicitur rationes, scripta praesertim vulgantur, quae pudorem quemdam proferunt in defensione veritatis atque non raro pietatem erga Deiparam quodammodo spernunt. Huiusmodi scriptorum indolem ipsi fratres nostri separati minoris faciunt, cum « B. Virgo — ut scribit S. Bernardus — nostro non egeat mendacio ». Fortasse igitur etiam verba schematis constitutionis, quae asserunt « veram devotionem in quodam unius momenti affectu *minime* consistere » (ad n. 5, linn. 35-36) possunt simul linum fumigantem extinguere ac minimistas, quos appellant, incitare, cum e contra aliquando affectus erga Virginem, quem christifideles adhuc parvuli didicerunt, extremus extinguitur et quam saepissime renovationem vitae adauget.

De momento pietatis erga Dei Matrem in opere evangelizationis. Cur nihil habetur in schemate constitutionis de momento atque munere sive scientiae marianae sive pietatis erga Dei Matrem in evangelizandis praesertim parvulis, rudibus, lugentibus, infirmis, omnibusque quorum imprimis interest aliquam maternam manum invenire, quos ad limina fidei, spei et caritatis ducat? Quam saepe enim memoria vel recordatio Virginis Matris, absentes disponit, negantes commovet, dubitantes adauget! Nonne in cenaculo, in die Pentecostes, Mater Domini erat cum discipulis, ut eorum fidem sustineret? Cur, praecipue decursu praesentis saeculi, B. Virgo variis multisque modis misericordiam ac praesentiam suam tam sedulo manifestavit, nisi ad momentum suae intercessionis significandum? Experientia quoque comprobatur quod cultus erga Dei Matrem faciliorem aliquando reddit transitum a religionibus praesertim naturalibus ac rudibus ad veram Christi doctrinam, cum imago atque privilegia Virginis Mariae citius ac facilius intelligantur, sicque via paretur ad integram evangelizationem.

2. *Animadversiones super quaedam quae in schemate constitutionis leguntur. Imprimis* de titulo ipsius constitutionis, qui cum sonet *De B. Maria Virgine Matre Ecclesiae,* fere revera illum constitutio obliviscitur decursu totius expositionis, in qua una tantum invenimus titulum *Mater Ecclesiae* (ad n. 1, lin. 22), cum e contra saepius perlegantur verba: *Mater Dei, Dei hominumque Mater*: quae verba aptius videntur illustrare indolem constitutionis (cf. n. 1, linn. 17, 18, 27; n. 2, linn. 16, 23, 29; n. 3, linn. 35, 39; in subsequenti pagina, n. 4, lin. 36; n. 5, linn. 20, 23; n. 6, lin. 21).

Minime *deinde* placent verba, quae legimus ad n. 1, ad lin. 14: « quae in sacris fontibus *obscure* et veluti *implicite* latent ». Vox *implicite* sat obscura est ac fere inusitata in magisterii ecclesiastici documentis, et vox *obscure* multa implicite innuere videtur, imaginationi potius quam claritati faventia!

Supprimatur phrasis: « ad ea plene percipienda clareque intelligenda quae in sacris fontibus obscure et veluti implicite latent », cum sufficiant verba subsequentia (ad n. 1, ad linn. 24-25): « superioribus documentis inhaerens magisterii vivi Ecclesiae, unici authentici interpretis depositi revelati ».

3. Non apta videntur verba quae legimus, ad n. 2, ad linn. 10-11: « a tempore virginalis conceptionis Iesu Christi usque ad eius mortem perseveravit ». Nonne, uti patet ex subsequentibus linn. 16-18, B. Virgo usque ad consummationem sacramenti humanae redemptionis cooperata est?

4. Obscurum atque inopportunum videtur verbum « quemdam », quod voci « primatum » coniungitur (ad n. 2, lin. 30). Cum antea B. Virgo appelletur « non

modo supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae » (ad n. 1, linn. 20-21) necnon « exemplar » ac « Mater Ecclesiae », dicat aperte constitutio B. Virginem *primatum* sic et simpliciter obtinere, quamvis sub Christo et cum eo.

5. Videtur constitutio neque dicere neque tacere quod titulum *corredemptionis* pertinet; quodsi titulus *mediatricis,* praehabitis condicionibus quas constitutio profert, minime officit uni Christi mediationi, non intelligitur cur aut pro aut contra doctrinam de corredemptione nihil aperte dicatur, immo accurate vitetur ipsa vox *corredemptrix,* quamvis quaedam praesupposita huiusmodi tituli in ipsa constitutione doceantur.

6. Non satis meditata videntur verba: « secundum antiquam et venerabilem traditionem mortem subiit temporalem » (ad n. 4, linn. 21-22): num comparatio instruitur inter traditionem de assumptione corporea B. Mariae Virginis et traditionem de illius morte? Cur ergo ad mentionem faciendam de privilegio assumptionis non adhibentur tantummodo verba definitionis constitutionis apostolicae *Munificentissimus Deus?*

Neminem nostrum pudeat laudes B. Virginis celebrare, neminem pigeat fontes iterum atque iterum compulsare, ut thesauri depositi revelati in dies in lucem proferantur; in communi enim et antiquissima necnon integra Ecclesiae traditione, cuius Liturgia uberrima praebet testimonia, cuncti qui christiano nomine gloriantur poterunt, Dei auxilio ac B. Virginis Matris nostrae intercessione, unitatem invenire, pro qua Christus in Cruce moriturus oravit.

12

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN

Episcopus Oriolensis-Lucentinus

A) Phenomenon mariologicum in populo Dei. Factum historicum: 1. quid sentiat populus de Ea hisce temporibus; 2. reactio veluti scientifica contra huius generis factum; 3. Ecclesia non potest non iudicare de facto; 4. sensus fidei, sensus theologicus.

B) Magisterium ordinarium mariologicum hisce temporibus: 1. Romani Pontifices sine interruptione loquuntur...; 2. speciatim a Gregorio XVI ad Paulum VI; 3. eorum doctrina et momentum quoad Concilium Oec. Vaticanum II.

C) Motus oecumenicus: *a*) indiget expositione totius doctrinae in genere; *b*) dogmata ad invicem referuntur et implicantur; *c*) Maria est vinculum unionis.

13

Beat.mus P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pag. 14, IV, 3), *a*), in praenotandis legitur: « Omissa sunt expressiones et vocabula quaedam a Summis Pontificibus adhibita, quae licet *in se verissima,* possent difficilius intelligi a fratribus separatis » (in casu, a protestantibus).

Cur omittere haec omnia, si sunt *in se verissima* et a Summis Pontificibus adhibita?

Quodnam dogma de B. Maria Virgine animo benevolo acceptant Protestantes? Nec unum?

14

Exc.mus P. D. WALMOR BATTÙ WICHROWSKI

Episcopus tit. Phelbesianus, aux. S. Mariae

Summopere nobis placet, Concilium nunc tractationem aggressurum esse de B. Maria Virgine. Theologia enim ac christifidelium pietas adeo nostris temporibus almam Deiparentem excoluerunt, ut vix quisquam negaret, motionem marialem charisma quoddam exsistere Spiritus Dei Ecclesiae impertitum. Opportunitas tractandi de mysterio mariali ex eo etiam commonstratur, quod agitur de re summi momenti pro oecumenismo. Fratres enim separati, etiam illi qui theologiam catholicam norunt et nullo fanatico spiritu sunt imbuti, haud raro conqueruntur de eo, quod theologia mariana nostra, saltem prouti a quibusdam auctoribus exhibetur, centralem locum Christi eiusque omnimodam transcendentiam obscurant. Praeterea, inter ipsos theologos catholicos dissensiones habentur, immo sat frequenter una theologorum pars alteram accusat de infidelitate erga doctrinam Ecclesiae. Unde exoptatur, ut Concilium, soli Dei verbo scrutando et annuntiando intentum, clare doceat, quaenam sit officialis Ecclesiae doctrina, praesertim quod attinet munus Deigenitricis in oeconomia salutis. Insuper conamen est instituendum, duo recentiora dogmata mariana modo tali enuntiandi et explanandi, ut, inquantum fieri potest, difficultatibus non paucis separatorum fratrum respondeatur.

In disceptationibus nostris duo extrema sunt evitanda. Caveamus imprimis oportet « ab omni falsa et immodica veritatis superlatione », ut admonet nobis Pius XII; sed ab illis nos segregemus oportet, « qui vano quodam agitantur timore, ne B. Virgini plus aequo concedant » (*A.A.S.*, 1954, 679). Ex una igitur parte tenendum est quod docuit IV Synodus Lateranensis: « Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda » (Denz. 432). Ut namque docet Albertus Magnus, Maria « licet sit altior omnibus angelis, tamen adhuc distat a dignitate divina sine proportionis mensura » (*Super I Sent.*, dist. 44, art. 5). Ex altera porro parte efferendum est Beatam Virginem, etsi Ecclesiae membrum, non esse « unam de omnibus sed unam super omnes ». Via, ut dicunt, christotypica et ecclesiotypica, perpulchre in sequentibus verbis S. Augustini coniunctae inveniuntur: « Maria portio est Ecclesiae, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius Corporis membrum » (PL 46, 938). Ex Concilio igitur exspectatur, ut synthesim et mediam adinveniat viam inter traditionem patristicam, potius viae ecclesiotypicae faventem, et mediaevalem, potius viam christotypicam terentem.

Propius nunc ad rem accedentes: schema nobis propositum, luce praefatorum principiorum examinatum, nobis non placet. Imprimis, si Maria est membrum Ecclesiae, quod omnes admittunt, decet ut de ipsa agatur in schemate *de Ecclesia.*

Insuper, patet textum dogmaticum de Beata Maria Virgine fundandum esse in Scriptura et traditione, accedente utique munere interpretativo magisterii Ecclesiae. Displicet ergo quod in schemate huiusmodi momenti oecumenici, cum sermo fit de fundamentis quibus schema innititur, nonnisi de magisterio Ecclesiae mentio fit, quin ullum fiat verbum de Scriptura et traditione (pag. 7, linn. 23-30). Et re quidem vera, Scriptura valde parum adhibetur in textu, et plerumque potius tamquam ornamentum accidentale quam ut fundamentum et substantia. Varii textus, praesertim illi qui loquuntur de Maria tamquam perfecta Domini ancilla

et Christi discipula, ex. gr. *Mc.* 3, 31-35 et *Lc.* 11, 27 ss. aut absentes sunt, aut inter uncos tantum, aut in notis extra textum allegantur.

Ad traditionem vero quod attinet, suspicio oritur in lectore huius schematis, traditionem marialem incipere cum Pio IX. Maxima cum profusione afferuntur textus recentiorum SS. Pontificum in favorem viae christotypicae, paucissimi adducuntur ex Patribus, qui viam potius ecclesiotypicam terunt. Patristica orientalis, quae in mariologia praedives exstat, fere absens est. Quod attinet vero testimonia recentiorum SS. Pontificum, quaestio movetur, quemnam dogmaticum induant valorem.

Alius defectus schematis actualis in eo cernitur, quod nimia facilitate quaestiones adhuc controversas dirimit. Ita fit relate ad mortem Deiparentis; idem evenit quoad quaestionem gravem de mediatione. Mediatio Mariae dicitur universalis et acquisitiva, quod certe non est sententia communis theologiae catholicae, in sensu a schemate proposito.

Placet quod in schemate quaestio tangitur de cultu mariali. At, desideranda esset amplior expositio fundamentorum, quibus nititur cultus hyperduliae, ut sinceris fratrum separatorum difficultatibus apte respondeatur. Ut vero hoc fiat, necesse est imprimis, ut persona et missio Mariae tota in oeconomiam generalem revelationis et salutis inseratur, praesertim relate ad Christologiam et Ecclesiologiam. Deinde, oportet ut melius in lucem ponatur Maria tamquam typus et exemplar Ecclesiae in hoc mundo peregrinantis. Quin silentium fiat de maternitate divina ceterisque privilegiis, ob oculos fidelium ponendum est non tantum Virgo in statu comprehensoris et in caelo triumphans, sed etiam Virgo in statu viatoris et Deo humiliter serviens. Maria non est tantum exemplar admirandum, sed etiam exemplar imitandum. Si Novum Testamentum inspicitur, hoc apparet: Maria numquam — excepto forsan *Apoc.* 12, 1 ss., de quo adhuc disputatur — exhibetur tamquam typus Ecclesiae triumphantis et in statu possessoris, sed semper tamquam exemplar Ecclesiae peregrinantis, in exercitio quotidiano humilitatis, servitutis, oboedientiae, fidei, spei et caritatis. Exclamanti mulieri illi: « Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti », Iesus respondet: « Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». Maria igitur elogiis cumulatur a Filio suo non proprie ob maternitatem carnalem, sed potius ob aliam maternitatem, de qua loquitur *Mc.* 3, 31-35: « Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea et mater est ». Haec omnia, ubicumque praesentia, cum sermo fit de Matre Dei in Evangelio, nonnisi per transennam in schemate actuali tanguntur (pag. 11, lin. 40 ad pag. 12, lin. 5).

Uno verbo, desideramus novum textum, qui melius in lucem ponat insertionem B. Virginis in mysterium christologicum et ecclesiologicum, qui melius in lucem ponat dependentiam et statum servitudinis Mariae relate ad Deum, iuxta ipsius Virginis verbum: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ». Allocutio recenter habita a Paulo VI ad Congregationes Mariales tamquam exemplum pro nostris laboribus inservire potest.

15

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Optarem proprium schema ut fusius dici possit de Maria vera matre Ecclesiae. Ipsa enim auctorem Ecclesiae genuit Christum Dominum et in hoc praebuit materiam Sacrificii permanentis novae legis; ipsa adfuit cum Ioanne sub cruce Domini in actu oblationis; post Ascensionem apostolos disposuit ad receptionem Spiritus Sancti; cum ipsa primi credentes erant perseverantes in oratione, in fractione panis et in doctrina apostolorum; ab ipsa ipsi auctores inspirati multa cognoverunt de infantia Christi. In ipsa expositione schematis de Ecclesia, in memoriam reducantur quae ad B. Virginem pertinent, ita ut appareat locum principem ad ipsam pertinentem in ordine ad salutem animarum.

16

EXC.MUS P. D. HUGO BRESSANE DE ARAÚJO
Episcopus Mariliensis

a) Ubi, sub n. 2, dicitur: « ... Christi passibilis fuerit generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda... » completiore sermone dicatur: « ... Christi passibilis fuerit generosa socia *tum in satisfactione pro hominibus exhibenda,* tum in gratia pro eisdem acquirenda ».

b) Ubi, sub eodem n. 2, continuo adicitur: « ... caelestium quoque gratiarum administra et dispensatrix iure meritoque salutatur », *apte supprimeretur verbum « administra »*, utpote, in praesenti contextu, omnino idem sonans atque verbum « dispensatrix ».

c) Ubi, sub n. 5, dicitur: « ... eodemque tempore (Sacra Synodus) admonet episcopos, ut sedulo invigilent theologis divinique verbi praeconibus ut... abstineant », *omnino dicendum videtur*: « eodemque tempore *theologos divinique* verbi praecones enixe monet, ut... sedulo abstineant ».

Nam, Sacra Oecumenica Synodus est ipsamet Ecclesia docens, ex omnibus nimirum, saltem moraliter sumptis, episcopis coalescens, capite Romano Pontifice.

17

EXC.MUS P. D. PAULUS BUTORAC
Episcopus Ragusinus

Corda in Dei hominumque Matrem flagrantia ferentes, Patres et fratres dilecti, quin summa feramur laetitia perfectissimum atque eximium hoc de B. Virgine schema, levamen et solamen omnibus, qui B. Virginem colunt et diligunt, allaturum perlegentes, haudquaquam est dubium. Ecquid mirum in hoc quoque Oecumenico Concilio de Virgine Matre saltem quid agi, quum gloriam eius hominibus inaccessibilem suo modo Concilia saeculorum cursu hactenus habita glorificaverint pariter? Ecquid insolitum, ut gloriae nostrae in laudem saltem pauca (sed non parva) dicamus? Si concilium hoc, ad augusti Pontificis mentem, nullum dogma marianum definire intendit, ne omittat tamen, quaeso, Matri Virgini suo

modo laudes concinere. Aliena enim ab Ecclesiae mente videretur haec omissio, quum multa sane concilia hoc mire peregerint. Si vitae nostrae vitaeque fratrum separatorum haec aurora fulsit semper, liceat et mihi, Patres venerabiles, fratrum novissimo, granulum meum ad Virgineae frontis coronam adponere. Et quidem

1. Fas sit ad n. 3 de *Corredemptricis munere* mentionem fieri. Quomodo Virgo sese una cum Unigenae sacrificio cruento Sanctissimae obtulerit Triadi ad hominem peccato solvendum Deoque servandum, variae, ut mihi videtur, prostant sententiae. Quod humilitatem meam attinet, meae est mentis B. Dei Matrem semet hostiam incruentam una cum cruenta Filii immolatione Deo satisfaciendo hominique servando obtulisse, et quidem ita, ut una haec Filii Matrisque hostia fuerit, licet in se et in fructu non aequalis praestantiae vel virtutis. Homo enim genusque humanum Christi Cruore abluitur opusque Redemptionis adaequate, immo et plusquam adaequate, Verbi Incarnati oblatione perficitur. Sed quum Virgo Mater ipsius socia fuerit atque in tota ipsius vita assimilatio cum Unigena divino ostendatur mira ad manum, sit verbo venia, nonne huic tam clare patefactae assimilationis notae optime respondere liquet Virginis oblationem Unigenaeque sacrificium unam constituisse hostiam placabilem Deoque placentem, licet non eodem modo neque eadem virtute? Licet, Patres, meae huic sententiae humili forsan adsensum non praebueritis, propono tamen comiter atque exoro flagranter, ut corredemptivo Virginis Matris muneri qua facto absque pressiore illustratione locus in numero detur, si opportunum videbitur, ne forsan quibusdam saltem acatholicis lapis offensionis fiat.

2. Et cur fieret? Num pietas in Virginem dedecus quod oecumenico motui vel saltem angustias praeiudiciis refertas adferre queat? Oh, si recta mente, quae nostrorum fratrum sunt, qui extra nostrum gremium Christo gloriantur, conspicere copia non deesset! Adverti tunc liceret in christiano oriente iam antiquis temporibus pietatis marianae documenta exstitisse sic mira, ut nostrae quoque aetatis catholicis incitamenta valida exinde trahere fas esset. Adverti liceret reformationis in occidente principibus, Luthero imprimis, pietatem in Virginem non alienam fuisse. Neque oblivioni detur ipsam Virginem Dei Genitricem nexum exstitisse et esse inter Christum Redemptorem et Christi redemptos. Vel, dum mirabile edixerat « Fiat » et Christo cruci confixo compassa exstiterat socia, quo et quali caritatis vinculo totam hominum progeniem Cordi materno obstrinxisse compertum fuit. Ergo, ne dicatur omnibus, qui Christi gloriantur nomine, fas non esse vel decorum, perutile, necessarium Matre Virgine, quae Verbo humanitatem praebens humanum Deo coniunxit genus, in unitivi motus sedulitate exercenda inniti valide. Qui inter fratres separatos sincere Matrem Virginem excolere diligere satagunt, motum unionisticum abhorrere non valent. Vel, vice versa, qui unioni studere videntur, qui huic nobilissimo conatui incumbere valent, ni fiduciam in Alma spiritus christiani fautrice ponant? Omnibus vero incumbit, ut preces ad Matris Cor fervidas adponere satagunt, ut unio tandem aliquando in societatis christianae vitam transeat.

3. *a*) Noveram vetulam piissimam dissidentem, quae mihi olim dixerat: « Habeo nepotem catholicum, qui ad sacerdotium adspirat. Omnem adhibeo curam, ut eum ad hunc finem adducam. Admoveo eum quotidie ad Matris Dei iconam (imaginem), ut duas res addiscat: diligere Matrem Dei et orare pro Papa ». Et revera puer hic sacerdos factus est, et quidem summa huius vetulae cura. Quid illam ad sensum vere christianum nisi constans in Virginem Dei Matrem pietas admovit?

b) Natus sum in civitate, ubi pulcherrimum B. Virginis sanctuarium exstat, fidei artis asylum. Ab infantia ibi conspiciebam admirabar fratrum separatorum in Matrem Dei pietatem et sacrificii spiritum, quo haec pietas gratitudoque involvebatur.

c) Nostri nautae, catholici quoque, ex portubus russicis domos advehere solebant iconas vel imagines Matris Dei, copias quidem clarissimarum russicae terrae imaginum marialium, clarissimarum antiquitate, sed magis adhuc notissima russici populi pietate. Maximus Russiae, sed et totius slavici orbis, philosophus Vladimirus Soloviev, magni ponderis catholicus, dixerat olim: Nos aeterni, nobiscum Deus. Poteratne facillime in populo, Matri Dei sic addicto, edicere etiam: Nos aeterni, Dei Mater nobiscum? Pulcherrimis verbis huius pietatis fit mentio in n. 6 et quadamtenus in n. 5 quoque nostri schematis. Sed mihi, Patres, videtur, quum agatur de re maximi momenti ad unionem fovendam, ut *pressius, eloquentius, flagrantius* haec nostrorum fratrum separatorum in Matrem Dei pietas laudetur, commendetur, inculcetur. Flagranti zelo, flagranti vocabulo, nostra in motu unionistico in Virginem Matrem ponenda fiducia insinuetur, necnon maxima in Virginem Matrem, qua separatorum fratrum pietas fovetur, spes, et spes non fallit. Ut tandem aliquando Matris Corde tramite filii Dei congregentur in unum.

Patres venerabiles! Videturne nimium quid, quod comiter proposui, quod humiliter exposco, quod flagranter exoro? Sed exurgat mens nostra, exurgat et verbum, ut Matris Virginis insimul concinamus laudes! Gloriae nostrae ne inferamus crimen! Gloria est nostra Virgo Mater. Sol irradians totum Ecclesiae Sanctae curriculum cruentum. Ecclesiae suspirantis sidus. Suspirantis, dixi. Suspirat enim saeculorum cursu Christi sponsa, suspirat ad Deum glorificandum, suspirat ad hominem servandum. Et haec suspiria ad Dei Cor confert Dei hominumque Alma Mater, ut Dei filii congregentur in unum.

18

Exc.mus P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taiuenensis

Schema constitutionis dogmaticae de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae, amplissime laudo et approbo quoad omnia. Titulus tamen mihi magis placeret sic: De B. Maria Virgine Matre Dei et Ecclesiae.

19

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

In genere. Schema substantialiter mihi placet. Stylus tamen aliquando est supereffluens; inveniuntur repetitiones non necessariae. Propono emendamenta quae sequuntur.

1. Titulus actualis non comprehendit totam materiam schematis. Proinde praefero titulum praecedentis schematis; aut simplicius *de Beata Virgine Maria.*

2. Materia quae continetur sub n. 1 — dempto titulo inter uncos — meo quidem iudicio deberet proponi tamquam *prooemium.* In eo enim indicantur sive

scopus tractationis, sive materia tractanda. Corpus schematis constare deberet actualibus nn. 2, 3, 4, 5, 6.

3. Actualis n. 6 in pag. 12, cum suo titulo inter uncos « Maria Sanctissima fautrix unitatis christianae », deberet incipere a lin. 6, per verba « Quo debito honore ».

Ad n. 1.

Lin. 4: loco « qua generis humani liberatio a se perageretur » dicerem « qua genus humanum *a peccato* liberaret ».

Lin. 6: loco « beatissimam Virginem », dicatur: « beatissimam Virginem *Mariam* ». Cum sermo sit prima vice de Ea dicatur Eius nomen.

Lin. 7: loco « Cum autem Sacrae Litterae » dicatur: « Cum autem Sacrae Litterae *et sacra traditio* »: multa enim de B. M. Virgine ex traditione novimus.

Lin. 14: loco « in sacris fontibus » dicatur « *in divina revelatione* ».

Lin. 17: loco « Dei Matris » dicatur « *Eius* (scil. Redemptoris paulo ante nominati) *Matris* ».

Lin. 22: loco « exemplar » — vox aequivoca — dicatur « *typus* », vox classica.

Linn. 24-30: propono novam formulam quae synthetice comprehendat omnia quae in corpore schematis postea dicentur: « *tum arctam, iuxta Dei beneplacitum, inter Christum et Mariam necessitudinem,* tum locum quem Dei hominumque Mater in Ecclesia occupat, tum privilegia quibus Filius Matrem suam exornavit, tum denique nostra erga tam sublimem creaturam officia, ut scientia ac pietas marialis plane recteque florescant et, *praeiudicatis hac in re opinionibus repulsis, facilior via ad optatam christianorum unionem sternatur* ».

Ad n. 2.

Lin. 32: vocabulum « igitur » auferatur.

Lin. 34: loco « liberatio » dicatur « liberatio *a peccato* ».

Pag. 8, lin. 9: loco « unde et eius consortium » melius dicerem: « *vi cuius arcana* eius *cum Christo coniunctio* » (cum Pio XI).

Pag. 8, lin. 17: loco « perfectum erit » dicatur « perfectum *est* ».

Pag. 8, linn. 19-21: dicerem « Pentecostes, *advenit,* Maria una cum Apostolis in oratione in Coenaculo *perseveravit* (cf. *Act.* 1, 14) suis quoque precibus effusionem Spiritus *implorans* ».

Pag. 8, linn. 22-23: propono ut omittantur, quia non necessaria, verba « ab aeterno praedestinata ut esset Dei hominumque mater ».

Pag. 8, lin. 24: loco « Christi passibilis fuerit generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda » simplicius dicerem: « Christi *patientis et merentis* fuerit generosa socia, caelestium etc. ».

Pag. 8, lin. 31: verba « ut quidam aiunt » mihi videntur omittenda, quippe quae inutiliter polemica.

Ad n. 3.

Linn. 34 et ss. videntur nimis involuta. Propono aliam formulam: « Quoniam multiplices variique tituli, quibus magisterium Ecclesiae, veneranda traditio fideliumque pius sensus B. Virginem salutare consueverunt, in *illius* cooperatione cum Christo, novae veluti Hevae cum novo Adamo, tamquam *in* solido fundamento ac radice *in*nituntur, *sequitur* eosdem titulos, in sensu Ecclesiae intellectos, *neque* vacuos inanes*ve* immo *neque* Sacris *adversantes* Litteris *esse posse*. Ita

non immerito Ecclesia beatissimam Virginem gratiarum Mediatricem nuncup*at, eamque utillime obsecrandam ducit ut adiuvet nos in orationibus suis pro nobis ad Deum* (cf. *Rom.* 15, 30). Ipsa enim strictius etc. ... ». Cetera omittenda censeo quia sapiunt argumentationem scholasticam, hic non necessariam.

Pag. 9, lin. 10: loco « vehementius item » dicatur « *Ipsa* vehementius quam quae ... ».

Pag. 9, lin. 11: sic legatur: « ... diligitur; *ipsa* ut*i* mater Salvatoris (cf. *Lc.* 1, 31), *doloris* gladio transfixa anima etc. ».

Lin. 17, pag. 9: loco « intercedit, et quia » legatur « *intercedere valet; attamen* quia eius intercessio ».

Pag. 9, linn. 20-22: auferenda mihi videntur, quia est quaedam argumentatio scholastica hic non necessaria.

Pag. 9, lin. 29: loco « dependere » dicerem fortius « *totaliter* dependere ».

Pag. 9, linn. 30-40: clariore modo ita dicerem: « Itaque etsi haec humilis ... nuncupatur eo quod sociata *fuerit* Christo in illis acquirendis; *etsi* advocata ... invocatur *eo quod* etiam nunc, Christi... per Christum interced*at, et* in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna *eius* caritas, nullo *tamen* modo mediatio *illa qua* est " unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus " (*1 Tim.* 2, 5), obscuratur vel minuitur, quin immo *valde* extollitur et honoratur ».

Ad n. 4.

Linn. 21-24: dicerem simpliciter: « quia, *expleto terrestris vitae cursu, fuit corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta* ». Sufficiunt, meo quidem iudicio, ipsissima verba Bullae *Munificentissimus.* Etenim, etsi personaliter amplectar thesim mortalisticam, tamen censeo in Concilio abstinendum esse a definienda morte B. M. V., cum quaestio sit adhuc liberae disputationis.

Lin. 29: loco « Siquidem ... ita ... » dicerem: « *Sicut enim* ... ita ... ».

Linn. 30-40, pag. 11, linn. 1-5: haec omnia omittenda esse censeo, quia hic non necessaria: continent enim explicationem theologicam rerum iam supra affirmatarum.

Ad n. 5.

Lin. 7: post « beatissimae Virgini » addatur « *Mariae* ».

Linn. 10-15: sic legantur: « ... nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de *se* prophetavit (cf. *Lc.* 1, 48), a cunctis gentibus et ab universis ... crescentibus, omni cum laude " beata " praedic*e*tur, col*a*tur, am*e*tur, invoc*e*tur ... propon*a*tur ».

Linn. 30-34: ita propono corrigenda: « ... eodemque tempore theologos divinique verbi praecones admonet ut, in singulari Dei Genitricis dignitate consideranda, *via media procedant quae et ab omni falsa et immodica superlatione caveat et ab illis se segreget qui vano quodam agitantur timore ne Beatissimae Virgini plus aequo concedatur* ». Haec verba Pii XII mihi plus ad rem videntur.

Iste n. 5 — ut in initio dixi — deberet concludi per verba « quam carne gestasset », lin. 5 pag. 12.

Ad n. 6.

Ita numerus iste, meo quidem iudicio, confici deberet, ceteris omissis utpote non necessariis: « 6. (*Maria Sanctissima fautrix christianorum unitatis*). Sanctae huic Synodo magnum affert gaudium ac solatium quod ipsi quoque haud pauci fratres separati, potissimum vero orientales — qui fervido quodam impulsu in Deiparam peculiari modo colendam feruntur —, debito honore ac reverentia Ma-

trem Domini ac Salvatoris nostri prosequantur. Quin immo pie est credendum ipsam, quae homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovere ac diligere, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorent, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruantur feliciter.

« Quapropter Sancta Synodus certa spe ac fiducia etc. ».

20

EXC.MUS P. D. PATRICIUS CLEARY

Episcopus Nancemensis

Quid desideratur. Anxietate quadam invincibili impulsus cum diffidentia proponere volo:

A. Ut schema de novo examinetur et saltem ex parte (praesertim pag. 93, 31 ad 96, 14) rescribatur.

B. Ut pro titulo *Mediatrix omnium gratiarum* substituantur verba illa perpulchra quibus usus est S. Pius Pp. X: *Potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix,* vel etiam breviter Potentissima apud Deum mediatrix et conciliatrix.

C. Ut, in quovis casu, titulus in duplici divina maternitate exclusive stabiliatur.

Rationes:

A. Schema est nimis prolixa et charactere gaudet orationis pro occasione speciali potiusquam constitutionis dogmaticae, quapropter quaedam expressiones praecisione seu exactitudine sufficienti (v. g. « quemadmodum per feminam mors... », pag. 93, lin. 33), carent.

B. Doctrina titulo subintellecta nondum a theologis sufficienter explorata est, et forsan vixdum expedit liberam discussionem etiam de ipso titulo excludere per solemne decretum. Quae discussio usu S. Pii verborum nullo modo clauditur.

C. Expositio schemate proposita Protestantibus inserviet tamquam scopus pro novis impugnationibus in Matrem nostram beatissimam. Praeterea iam inter eos sunt plurimi qui devotionem quamdam erga Mariam Matrem profitentur, et non expedit nova obstacula ponere huic incipienti devotioni.

Lineamenta pro novo schemate. Subiunguntur quaedam suggestiones in quibus incorporantur ideae supra expositae. In quantum possibile compactae sunt verbis ipsius schematis novo ordine dispositis. Si aliquantulo usui sunt commissioni, gaudebo — si non, ut ait S. Columbanus, « Da veniam dictis: fuimus fortasse loquaces ».

« Cum igitur aeterni Patris Verbum hominis naturam ex muliere sumere voluerit, non id ante perfecit quam designatae matris, ex praevisis meritis Christi sublimiore modo redemptae, libera acceptatio accessisset.

Quo consensu, Maria, filia Adae, facta est non tantummodo Mater Iesu sed etiam Mater omnium quos ipse Iesus non confunditur fratres vocare dicens: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis - fratribus quibus debuit per omnia similari ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum*. Maria autem, ut pie creditur, anima materna caritate transfixa, cum Filio et sub Filio, in quantum potuit, operam suam consociavit in humani generis redemptione peragenda.

Cum itaque, divina providentia sic disponente, beatissima Virgo, Dei homi-

numque Mater, strictius intimiusque omni alia qualibet pura creatura, modo unice sibi proprio, Deo et Christo coniungatur, merito dicitur post Filium suum primatum obtinere, et Christi Filii sui gloriosi in caelis socia manens pro nobis potentissima apud Deum mediatrix et conciliatrix constitui.

Haec itaque humilis *ancilla Domini* cui *fecit magna qui potens est,* maternam adhuc animam gerens, pro nobis potentissima mediatrix intercedit, ita tamen ut eius mediatio minime efficit ut unus mediator Dei et hominum desinit esse homo Christus Iesus quia, ut ait Apostolus (*1 Tim.* 2, 5), *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Maria enim in Christo est mediatrix, eiusque mediatio non ex aliqua necessitate sed ex beneplacito divino et superabundantia meritorum Iesu provenit, mediatione Christi innititur, et ex ea totam vim obtinet.

21

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Totum hoc schema placet.

22

EXC.MUS P. D. THOMAS B. COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Valde laudanda est decisio Patrum in congregatione generali durante sessione II Concilii Vaticani II facta, nempe ut schema de B. Maria Virgine incorporaretur in schemate *de Ecclesia.* Sed in quantum scio, mens Patrum non erat ut hoc schema (de B. Maria Virgine) haberetur mere ut quaedam appendix schematis *de Ecclesia,* sed ut integralis pars ipsius. Secus melius fuisset schema illud ut quid distinctum relinquere et modo ampliori de B. Maria Virgine tractare. B. enim Maria Virgo in Corpore Christi mystico collocari debet (sicut in textu schematis recte dicitur), non in « peripheria », sed in ipso « centro ».

Unde locus tractandi de B. Maria Virgine in schemate *de Ecclesia* debet esse ubi agitur de mysterio Ecclesiae — nempe in cap. I, et quidem sub n. 5 vel immediate postea. B. enim Maria Virgo est Mater Ecclesiae. Haec doctrina fundatur in traditione viva Ecclesiae prout a Patribus et magisterio subsequenti transmittitur.

Nam, B. Maria Virgo intime consociatur cum Christo in oeconomia nostrae salutis. Apud Patres, inter alia, positio B. Mariae Virginis relate ad Ecclesiam aequiparatur illi quam Heva tenet relate ad genus humanum. Sicut Heva intime consociata est cum Adamo in communicando vitam naturalem generi humano, ita B. Maria Virgo intime consociata est cum Christo in communicando vitam supernaturalem animabus redemptis. Heva fuit de Adamo formata: B. Maria Virgo fuit a Christo redempta. Heva cum Adamo capite generis humani, physice consociata est in communicando vitam naturalem toti generi humano et ita evasit eiusdem generis mater communis: B. Maria Virgo cum Christo, capite Corporis mystici, mystice consociata est in procreandis filiis divinae adoptionis, et ita evasit *Mater Ecclesiae.* Illa quae est Mater Ecclesiae, non est mere quoddam Ecclesiae ornamentum, sed eiusdem est pars integralis.

Unde, votum meum est ut ea quae dicuntur in schemate *de B. Maria Virgine* sub nn. 2-3 ponantur, concise exarata, sub n. 5 in cap. I schematis *de Ecclesia,* ubi de mystico Corpore Christi agitur.

De privilegiis vero B. Mariae Virginis et de nostris erga ipsam officiis alibi agi potest.

23

Exc.mus P. D. ALBERTUS FRANCISCUS COUSINEAU
Episcopus Capitis Haitani

Schema constitutionis dogmaticae *de B. Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum* mihi placet et illis Concilii Patribus, viris de re theologica valde peritis, curam relinquo, si velint, de textu meliore faciendo animadversionibus suis.

Hic mihi est scopus, proponere ut sive in appendicem huius schematis, sive quocumque alio modo, Concilium Vaticanum II exspectationi christifidelium et serio multorum theologorum labori respondeat, introducendo in studiorum elenchum aliquot de B. Ioseph, Virginis Mariae sponso, theologicas considerationes. *Itaque propono*:

1. Ut ostendat Concilium B. Ioseph ut Mariae sponsum et Iesu patrem, non vero secundum naturalem modum humanum, cum nullus requisitus generationis legibus actus positus sit, sed secundum divinam praedestinationem. Quae Ioseph erga Iesum paternitas maior est quam adoptiva vel nutrix, immo vero supereminens, quia Ioseph divino assensus est proposito de virginali matrimonio et quia spiritualiter accepit, aluit, educavit, custodivit protexitque Puerum ad Redemptionis mysterium.[1]

Beatus Ioseph praedestinatus est ut Mariae sponsus et Iesu pater esset. In mente divina illa dignitate semper auctus fuit (cf. S. Thom., *IV Sent.,* disp. 30, q. 2, ad 4).

2. Ut etiam proclametur B. Ioseph ut a Deo electus, simul cum sua sanctissima sponsa, ad partem habendam, limitibus positis, mysteriis Incarnationis Redemptionisque.

Non enim tantummodo relative ad opus Iesu Christo commissum B. Ioseph ministerium adimplevit, sed etiam commendatus est ut de *persona ipsa Redemptoris,* necnon de Mariae persona curaret. Insuper, in divinis Incarnationis atque Redemptionis mysteriis partem gessit. Quod munus verbis claris et certis a caelo recipit per angelum sibi mysteria nuntiantem dum ei revelatur opus redemptrix benedicti Mariae fructus, testificante hoc Evangelii textu: « Ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium: et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matt.* 1, 20-22) ».[2]

3. Ut Concilium, postquam posuerit quomodo Beatus Ioseph in divino de Incarnatione Redemptioneque consilio locum obtineat, secundum revelationem in sacris Evangeliis consignatam, ei agnoscat promulgatos postea ab Ecclesia titulos, sicut refert textus apostolicarum S. S. Ioannis XXIII ad episcopos et Christi fideles totius orbis terrarum Litterarum, die 19 martii 1961 editarum. Quibus in Litteris, Pontifex noster dilectus compendium facit totius doctrinae quam de B. Ioseph Summi Pontifices ab ultimis centum annis tenuerunt.

Haec inveniuntur praecipua:

Patronus universalis Ecclesiae (Pius IX, *Quemadmodum Deus,* die 9 dec. 1870);

Exemplar patrumfamilias et opificum (Leo XIII, *Acta Leonis XIII P. M.,* Romae 1889, pp. 175-180);

Patronus morientium (in uno eodemque decreto feliciter introducitur S. Ioseph praefatium cum praefatio mortuorum; Benedictus XV, *A.A.S.* XI, 1919, pp. 190-191; etiam Motu Proprio *Bonum Sane,* lux doctrinae theologicae, die 25 iulii 1920; *A.A.S.,* 1920, p. 313);

Intercessor omnipotens (Pius XI ad novos nuptos, mense martio 1938 [3]; Studentes christianas nationes pervertere, *A.A.S.,* 29, 1937, 106);[4]

Patronus et protector sponsorum et mundi operarii (*Discorsi e Radiomessaggi di Pio XII,* vol. II, pp. 65-69; et cum instituta sunt officium et missa S. Ioseph opificis; *ibidem,* vol. XVII, pp. 71-76);

Columen sacerdotum et christifidelium (cum proponuntur ferventes multis indulgentiis locupletae preces; *ibidem,* vol. XX, p. 535).

Tales sunt tituli B. Ioseph a Summis Pontificibus ab his ultimis centum annis tributi, quos S. S. Ioannes XXIII, gloriose regnans, Suis Litteris diei 19 martii 1961 exponit, cum declaraverit se gaudere de manifestatione omnino caracteristica et significativa colligenda.

Propter omnes illos titulos, S. S. Ioannes XXIII, honoris Patroni Ecclesiae universalis causa, plaudentibus Conciliariis Patribus, nomen eius canoni Missae inscripsit (mense decembri, die 8, 1962).

Nihil iustius... Nihil enim iustius, ut mihi videtur, quam si Concilium elencho studiorum addat quasdam theologicas de S. Ioseph considerationes, sic statuendo, vi auctoritatis propriae et in unione cum dilecto Pontifice nostro, locum quem B. Ioseph in opera Incarnationis et Redemptionis a solo Iesu peracta nuncupavit, maximum videlicet locum post suam sanctissimam sponsam (quod bello prohibitum est declarare Concilium Vaticanum I).

Cultus B. Ioseph debitus cultum aliis sanctis redditum, praeter B. Virginem, superat, cum B. Ioseph fuerit membrum ex tripartita communitate Nazarethana, cuius fit legale caput (S. S. Ioannes XXIII, L. A. diei 19 martii 1961). Deus ipse nobis viam patefacit, cum noluerit, sine B. Ioseph consensu, mysterium Incarnationis Filii sui effici.

Cultus B. Ioseph, et propter hoc supra meram devotionem elevatur, radicem habet in ministerio quoad Iesu personam directe peracto, secundum divina, ut supra diximus, consilia; exsurgit enim e supernaturalibus inter eum et eius castissimam sponsam communicatis donis, ut docet Leo XIII, exponens fundamentum theologicum supernaturalis eius mandati, unici eminentisque, Beato Ioseph super Ecclesiam a Deo concessi.

« Cur B. Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur, causae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine Beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse ut nemo magis. Est enim coniugium societas necessitudoque omnium

maxima, quae natura sua adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Iosepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est.

« Iamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribus familias natura praescripsit, ita quidem ut domus divinae, cui Iosephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cuiusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit » (*A.A.S.,* 22, 1889-90, 66-67).

« Atqui domus divina quam Iosephus veluti potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo Sanctissima, quemadmodum Iesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit; itemque Iesus Christus tamquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres. Quibus rebus causa nascitur, cur Beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis haec perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariae et pater est Iesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum, et B. Iosepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat » (*ibidem,* 67-68).

Obiici potest *oecumenicus motus* adiuvandus. Respondemus cum auctore cuiusdam articuli in diario *L'Osservatore Romano* editi sub cognomine F. A.: « Nous ne saurions oublier que le Concile est un fait intérieur de l'Eglise: nous aimons les frères séparés, que nous voudrions voir, avec nous, partager la maison du Père; nous sommes ennemis de la plus petite offense à leurs sentiments personnels, attendu que la Croix est une. Mais pouvons-nous taire les nôtres au risque de paraître, sinon différents de ce que nous sommes, au moins inspirés de considérations d'opportunité? » (secundum editionem gallicam, die 14 decembris 1962: Pauvre vieille, p. 8).

Addimus: num credere possumus dilectos fratres separatos doctrinam de Beato Ioseph ignorare? Num possunt ignorare quem locum ipsi Summi Pontifices ei in mysterio Iesu et Ecclesiae assignaverint, equidem in hoc ipso Concilio Vaticano II cuius Protector sollemniter declaratus est, Summo Pontifice dicente Concilium nulli alio patrono caelesti posse potius concredi quam sancto Ioseph, augusto capiti Familiae Nazarethanae? (cf. Litt. Apost., die 19 martii 1961). Quae omnia observatores qui conventibus nostris generalibus adsunt, bene sciunt et tamen perseverantia fidesque eorum non minuuntur.

Hoc unum cupiunt, doctrinam de omnibus rebus, de Maria etiam necnon de sancto Ioseph, scire et comprehendere ut totam accipere possint, sic hoc desiderio se iungentes omnibus christifidelibus.

Revera, ut dixit Pius XI (videatur nota 2) cum ostenderet titulum Patroni Ecclesiae universalis iam in civitate Nazarethana, velut in germine, Ioseph habuisse. Idem Pontifex prosequitur: « Tutta la Chiesa infatti già era là presso di lui...

Così piccola alla vista degli occhi, ma così grande allo sguardo dello spirito, la Chiesa già era là presso San Giuseppe, quando egli già ne era, nella Santa Famiglia, il custode, il padre tutelare ». Ut Familiae Nazarethanae Patronus, Ioseph honorifice fruebatur obsequio suae sponsae et obedientia Iesu. Singularis honor! Nonne vere dignum est ut Ecclesia, quae suorum Pontificum doctrina omnia iura et titulos eius agnoscit, ea proclamet, simul ac nostra erga eum officia, in illo conventu sollemnissimo Concilii Vaticani II et ei remittat omnium consensu « actuosam Ecclesiae navitatem » (Pius XI, *Div. Red.,* videatur nota 4).

Nonne nos omnes sic poterimus magis confidere benefico praesidio B. Ioseph?

Propositio. *Fidenter igitur rogo venerabiles Patres conciliares ut summatim breviterque illustrent, tum locum quem B. Ioseph, sponsus B. Mariae Virginis, Patronus Ecclesiae universalis, occupat tamquam eminens membrum in Corpore Christi mystico, tum privilegia quibus exornatur, tum nostra erga eum officia ut pietas nostra erga B. Ioseph plane recteque floreat et praeiudicatae opiniones hac in re arceantur.*

NOTAE

[1] Pius IX, Decretum *Quemadmodum Deus,* 8 dec. 1870 (*A.S.S.* 6 [1870-71], pp. 193-194): « Quemadmodum Deus Iosephum illum a Iacob Patriarcha progenitum praepositum constituerat universae terrae Aegypti, ut populo frumenta servaret, ita temporum plenitudine adventante, cum Filium suum unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Iosephum cuius ille primus typum gesserat quemque fecit dominum et principem domus ac possessionis suae principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit. Siquidem desponsatam sibi habuit immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus est filius Ioseph illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre exoptaverant, iste Ioseph non tantum vidit, sed cum eo conversatus eumque paterno affectu complexus deosculatusque est; necnon solertissime nutrivit, quem populus fidelis uti panem de caelo descensum sumeret ad vitam aeternam consequendam. Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo contulit, semper beatissimum Iosephum, post Deiparam Virginem eius sponsam, Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit ».

[2] Pius XI, *L'Osservatore Romano,* 22-23 aprile 1926, pag. 1, *Discorsi di Pio XI* (edizione italiana a cura di Domenico Bertetto, s.d.b.) vol. primo 1922-1928, Società Editrice Internazionale, Roma 1959, pag. 574: « ... Ecco un Santo che entra nella vita e la vita trascorre nell'adempimento del più alto mandato divino, nel mandato incomparabile di vegliare sulla purezza di Maria, di custodire la divinità di Gesù Cristo, di tutelare, consapevole cooperatore, il mistero, il segreto a tutti ignoto, fuorchè alla Santissima Trinità, della Redenzione del genere umano. È nella grandezza di questo mandato che sta la singolare e assolutamente incomparabile santità di San Giuseppe, perchè veramente a nessun'altra anima, a nessun altro Santo tale mandato fu affidato, e tra San Giuseppe e Dio non vediamo nè possiamo vedere che Maria Santissima con la Sua divina Maternità. È evidente che questo Santo nell'altezza di tale mandato già possedeva il titolo a quella gloria che è Sua, la gloria di Patrono della Chiesa Universale. Tutta la Chiesa infatti già era là presso di lui, riassunta come in germe già fecondo nell'umanità e nel Sangue di Gesù Cristo, tutta la Chiesa era là nella verginale maternità di Maria Santissima Madre di Gesù e Madre di tutti i fedeli che ai piedi della Croce avrebbe ereditato nel Sangue del primo Suo Figlio Gesù. Così piccola alla vista degli occhi, ma così grande allo sguardo dello spirito, la Chiesa già era là presso San Giuseppe, quando egli già ne era, nella Santa Famiglia, il custode, il padre tutelare... ».

Pius XI, *Bollettino del clero romano,* 16 (1935) 57, Allocutio, post decretum heroicitatis virtutum Aemiliae de Vialar: « ... È il mistero, il segreto della Divina Incarnazione, della Redenzione che la Divina Trinità rivela all'uomo! Veramente più in alto non si può andare. Siamo nell'ordine della Redenzione, dell'Incarnazione, nell'ordine della Ipostatica Unione, della personale Unione di Dio con l'uomo! È in quest'attimo che il cenno di Dio ci invita a considerare l'umile e grande Santo, è in quest'attimo che Egli detta la parola che spiega tutto, nei rapporti tra San Giuseppe e tutti i grandi profeti e tutti gli altri grandi Santi, anche quelli che hanno avuto elevati uffici pubblici come gli Apostoli: nessun'altra celebrità può superare quella di avere avuto la rivelazione dell'Unione Ipostatica del Verbo Divino... Sorgente di ogni grazia è il Redentore Divino: accanto a Lui è Maria Santissima, dispensatrice dei divini favori; ma se c'è qualche cosa che deve suscitare ancor più grande fiducia da parte nostra, è, in un certo qual modo, il riflettere che è San Giuseppe colui che tutto può presso il Redentore Divino e presso la Madre Divina, in una forma e in un potere, non soltanto di famulatoria custodia. (...) Per Gesù invece e per Maria, sono gli Angeli che hanno rispetto e venerazione: e a loro volta Gesù e Maria stessi ubbidiscono e porgono ossequio a Giuseppe: sono Essi a riverire quello che la mano di Dio aveva in lui costituito: l'autorità di sposo, l'autorità di padre. Grandissima dunque deve essere la fiducia che noi dobbiamo verso il Santo e che è in così prolungati, anzi unici rapporti con le sorgenti stesse della grazia e della vita, la SS. Trinità.

[3] Pius XI, *L'Osservatore Romano,* 21-22 marzo 1938, pag. 1, Allocutio novis sponsibus: « L'Augusto Pontefice non poteva fare a quei figli augurio più vero, ricco, promettente di ogni grazia e prosperità di quello che formulava pregando che quelle famiglie somigliassero alla famiglia nella quale sedeva, proprio con autorità di padre, San Giuseppe benedetto; e che questo protettore della famiglia alla quale appartennero Maria e Gesù, sia anche il grande protettore delle loro; che, con la sua paterna Provvidenza e con la sua onnipotente intercessione, egli sia sempre di aiuto alle loro famiglie ed a loro stessi. Si vuol dire ed osservare questa parola " onnipotente " dell'intercessione di Maria Santissima, ma il Santo Padre osava dire che, prima ancora, bisogna applicarla a San Giuseppe. È vero: l'intercessione di Maria è intercessione della madre, e quindi non si può vedere che cosa il Divin Figliuolo possa negare ad una tale madre; ma la intercessione di San Giuseppe è l'intercessione dello sposo, del padre putativo, del capo di casa della famiglia di Nazaret, che era composta da Lui, da Maria e da Gesù. E capo di casa era proprio San Giuseppe: perciò questa intercessione non può a meno di essere onnipotente, perchè che cosa possono negare a lui, a San Giuseppe, Gesù e Maria ai quali egli ha consacrato letteralmente tutta la sua vita, e che realmente gli devono i mezzi della loro esistenza terrena? ».

[4] Pius XI, Encycl. *Divini Redemptoris, A.A.S.,* 29 (1937), 106. 17: « Ac denique ut exoptatam omnibus pacem Christi maturemus in regno Christi (cf. Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922, *A.A.S.,* 14, 691), actuosam Ecclesiae navitatem, quae atheorum communistarum conatibus obsistit, auspiciis atque tutelae sancti Iosephi concredimus, potentissimi nempe Ecclesiae Catholicae Patroni.

Is enim cum ex operariae plebis ordinibus esset, egestatis incommoda ipsemet una cum commissa sibi Nazarethana familia perpessus est, cui sedulo studioseque praeerat; atque eius curae Divinus Infans tum demandatus fuit, cum sicarios suos Herodes, internecionis causa, immisit. Itemque, quotidiano officio suo fideliter cumulateque functus, iis omnibus exemplo fuit, quibus est cibus fabrili arte quaerendus; ac vir iustus merito appellatus, praeclarum illius christianae iustitiae specimen exstat, quae socialem hominum vitam conformare debet ».

24

EXC.MUS P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis-Lamy

1. *Quoad titulum schematis.* Opto ut fiat mutatio in titulo, ita ut sic enuntietur: « De B. Maria Virgine, *figura* et *Matre Ecclesiae* ».

Ratio: vocabulum « *figura* » sic adiunctum, quod est traditionale, melius describeret electionem B. Mariae Virginis, i. e. electionem *gratiae* praefigurantem electionem christianorum omnium in Ecclesia. Vi huius electionis gratiae melius intelligetur cur et quomodo Maria facta est Mater Dei et hominum.

2. *Quoad schema generatim sumptum.* Gaudeo Sacram Synodum tractasse de B. Maria Virgine, cuius sacra persona et munus ingentem habent partem in historia salutis et in vita Ecclesiae.

Doleo tamen quod doctrina de B. Maria, matre Dei et Ecclesiae, sit elaborata seorsim, in schemate distincto et quasi seiuncta a doctrina de Ecclesia ubi locum haberet quasi naturalem.

Propositum primum commissionis quae intendebat tractare de B. Maria occasione schematis de Ecclesia mihi videbatur multo magis adaequatum scopo Concilii et necessitatibus pastoralibus et oecumenicis nostri temporis.

Quidquid legimus in praesenti schemate est sane verum, congruum et acceptabile pro conscientia catholica, sed modus haec dicendi offendere potest conscientiam oecumenicam. Si eadem alio modo possumus dicere, salva et integra nostra de B. Maria doctrina necnon et ferventi devotione, non video cur hoc alio modo uti renuamus. In Concilio quod in primis intendit dialogum instituere cum omnibus christianis, etiam non catholicis, sancta Ecclesia, meo sensu, nihil omittere posset quod suum amorem pacis et unitatis manifestaret.

Optime monstraverat in prima sessione em.mus card. Suenens thema Ecclesiae apparere ut thema centrale et re vera directivum Concilii laborum. Munus supereminens et electionem B. Mariae Virginis definire sub aspectu eius intimae relationis ad personam et opus Christi efformantis Ecclesiam, nihil habet novi nec iniuriae pro conscientia catholica. Ideoque, cum multis episcopis, propono ut elementa praesentis schematis, novo modo elaborata, reintegrentur in schemate *de Ecclesia.*

3. *Quoad explanationem datam* sub n. 3, pag. 8 (94) *de titulo B. M. V. Mediatricis.* Haec explanatio de titulo « *Mediatrice* » mihi non placet. Omnino assentio mediationem B. Mariae Virginis et ipsum titulum « *Mediatricis gratiarum* » verum habere et profundiorem sensum theologicum. Sed *modus exponendi* sensum huius mediationis non mihi videtur sat clarus et elaboratus.

Res significata maioris est momenti quam titulus quo significatur; et titulus, si non est optime explicatus, fit causa ambiguitatis et mirationis. In schemate, non sufficienter monstratur mediationem gratiae per Mariam non esse *operativam,* sed *transitivam* et *instrumentalem.*

Propter periculum intelligendi hanc mediationem modo univoco (et fratres separati sic eam intelligunt), propono ut: vel expressio « Mediatrix gratiarum » non adhibeatur, vel alio modo explicetur, ita ut res significata in titulo « Mediatricis » sit descripta positive occasione demonstrationis de titulo et munere « Matris Ecclesiae », antequam de ipso titulo disceptetur.

25

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO

Episcopus Cajamarcensis

Considere: 1. que debe ser reintegrado en el esquema *de Ecclesia* situando a la Santísima Virgen en la Iglesia, como su Madre y su figura;

2. apruebe las observaciones hechas al esquema por el R. P. Karl Rahner S. J. y por el R. P. R. Laurentin, pues me parecen plenamente justificados;

3. el testo presentado por S. Em. rev.ma el Señor card. Raúl Silva Henriquez, arz. de Santiago del Chile en sus « annotationes genericae in schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia » (pp. 84 ss.) constituye una base sólida de redacción definitiva del capítulo de B. M. V. en el esquema general de Ecclesia.

26

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus Camerinensis

Oportet profundius investigare circa divinum consilium de creatione, elevatione, redemptione.

Deus — bonus, caritas, Unus et Trinus — creat hominem libertate praeditum: unde debet — praevento gratia naturali vel supernaturali — libere operari parendo Deo. ... socialem: ut homines velut compleantur et omnia bona, ipsam vitam, pandant. In perlonginqua et tamen fulgida imaginem Dei Uni et Trini, progenitor, per mulierem — Evam — de seipso sumpta, sibique amore coniuncta, generat suos descendentes. Deus constituit homines filios suos, divinae consortes naturae, quasi quamdam incarnationem Filii sui, cuius vita vivificantur. Peccatores, tamen peccato reparabili (non sicut angeli).

Unigenitus Dei Filius, quasi solidalis generi humano sua quasi incarnationi, fit Homo; vere Caput Corporis mystici, in quod infundit vitam: et singula membra quo magis vivificantur et vivunt tali vita, eo magis concurrunt ad eius fluxum in alia membra. Fit sacerdos, prout decet homini libertate praedito. Praevenit homines sua Gratia; homines praeventi, debent velut agnoscere et accipere sacerdotem sibi a Patre constitutum, quasi ratum facere suum sacrificium, ut revera nomine ipsorum offeratur. Quo magis hoc faciunt, eo magis fructum recipiunt: pro se etiam de condigno, pro aliis membris de congruo (Deus enim videt homines, singulos et qua membra; magis sibi complacens de uno membro, magis amat et igitur vivificat totum corpus, scil. cetera membra).

In his omnibus consideranda est Maria. Omnino praeventa: Immaculata intuitu meritorum Christi. Totaliter accedens ad Deum — Virgo — totaliter particeps sacrificii Christi sui Filii; gradu et mensura omnino singulari, suprema. Unde mensura omnino singulari, suprema, recipit fructum sacrificii Christi — de congruo — pro nobis. Nova Eva, iuxta constans traditionem. De viro Christo sumpta, Christo caritate omnino unita, in imaginem eo propinquiori et fulgidiori SS. Trinitatis, gratia a Christo recepta procreat liberos omnes homines. Vera « Mater viventium », non simplex mater adoptiva cui Christus committat filios iam progenitos. Si — absurda coniectura — Eva se recusasset Adae, homines non fuissent geniti: si — perabsurda coniectura — Maria non protulisset suum « fiat », quod con-

summavit iuxta crucem, gratia non descendisset in humanum genus: unde revera: « Mulier — ex protoevangelio — ecce filius tuus ». Vera Mater Ecclesiae, eiusque, post Caput Christum, organum primarium. Magis quam mediatrix stricto sensu. Elementum indispensabile in redemptionem per Christum Sacerdotem — ita Deo statuente —. Non agitur de redemptione obiectiva fortasse promerita a Maria; sed ipsa redemptio obiectiva, tota a Christo nobis comparata, non fit subiectiva nisi per Mariam. Maria coniuncta Christo — unico sacerdote sensu pleno — omnino strictius ac nos sacerdotes ministeriales. Omnino fructus — et quidem supremus — redemptionis a Christo comparata. Per eam splendidius videtur ineffabilis sapientia potentia misericordia operis redemptionis.

27

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Hoc schema firma doctrina ac pietate et lucida expositione necnon locutionis moderatione placet ac nil quod fratribus seiunctis praesertim protestantibus displicere possit praestabit.

Pag. 94, n. 2, lin. 24: merito Maria, *socia passionis* et non corredemptrix nuncupatur.

Pag. 95, lin. 3: prudenter titulus gratiarum mediatricis explanatur; et melius in lin. 35 definitur cum adiunctis verbis: « *pro omnibus per Christum intercedit* »; et in lin. 41 optime declaratur: « *Maria in Christo est mediatrix* ».

Pag. 96, n. 4, lin. 20: locutio nunc multum controversa « virginitatem in partu » feliciter cum hac nova substituitur: « *insimul Mater semperque mente et corpore Virgo exstiterit* ».

Tandem, laudabiliter vitantur novae declarationes dogmaticae circa titulum mediatricis aut corredemptricis, qui, etsi a multis episcopis instanter petitum sit ut sollemniter declarentur, attamen temporibus nostris ad fovendam unitatem et oecumenicitatem, non videntur fore opportune definiendi donec, unitate completa, ab omnibus christianis rite et sollemniter agnoscantur. Et tunc Laus Mariae etiam erit perfecta et voce unanimi proclamata.

Toto corde approbo normas et consilia contenta pag. 100, nn. IV et V.

Votum. Per secretariatum unitatis fovendae, opportunum mihi videtur fore ut fratres nostri protestantes cum magna caritate et serenitate hortentur ad examen instituendum de doctrinis circa iustificationem, gratiam et meritum, quae obstant cultui et devotioni erga B. M. Virginem, et ad considerationem consectariorum quae possunt deduci ex locis qui leguntur in *Lc.* 1, 26-56 et *Io.* 19, 25-27.

28

Exc.mus P. D. EMMANUEL DOS SANTOS ROCHA

Archiepiscopus tit. Mitylensis, aux. Lisbonensis

Placet quoad ad doctrinam, omnino; quoad ad expositionem, *iuxta modum.*

Posthabita expressa forma didascalica, hic servari mihi videtur ordo: 1. de divina Maternitate; 2. de Immaculata Conceptione; 3. de gloriosa Assumptione; 4. de mystica hominum Maternitate; 5. de gratiarum Mediatrice; 6. de Deiparae morte; 7. de omnium hominum in Christo Redemptore unitatis Fautrice.

29

EXC.MUS P. D. MICHAEL DOUMITH
Episcopus Sarbensis Maronitarum

Summa animadversionum:

1. Non est ratio sufficiens conficiendi schema « de Beata ». Fideles quiete Mariam colunt, eiusque intercessionem quotidie invocant.

2. Definitiones catholicae, circa Immaculatam Conceptionem et gloriosam Assumptionem B. M. V. quae indigerent aliqua explicatione ut facilius admitterentur a fratribus seiunctis, non explicantur.

3. Schema, ut iacet, distincta miscet: traditionalia nempe et scholastica, inutilia defendit: non laudes Deiparae celebrat, sed apologiam theologiae mediationis proclamat, quae theologia non est traditionalis, nec immunis ab omni aequivocatione.

4. Pro orientalibus, sufficit Mariae ut sit Deipara, in quo titulo omnia Mariae privilegia fundantur et continentur. Etenim quia Mater Dei, Maria fuit immunis a peccato in sua conceptione, in partu, in vita et immunis in exitu a consequentia peccati; est tandem Mater omnium christianorum, et pro omnibus intercedit, quia Mater Redemptoris.

Conclusio: Fides fidelium, praesertim separatorum, non est perturbanda novitatibus, sed potius dogmata iam definita in Ecclesia Catholica aliqua explicatione explananda, inde a formulis scripturisticis et traditionalibus ab omnibus admissis.

30

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS
Archiepiscopus Bisuntinus

1. B. Maria Virgo, ex communi sensu fidelium et doctrina Ecclesiae, est *a*) *mater spiritualis uniuscuiusque fidelis christiani, b*) ipso facto, *mater omnium fidelium christianorum* qui Ecclesiam constituunt; *ergo,* remota disputandi subtilitate, est *Mater Ecclesiae.*

N. B. Ecclesia, secundum hanc notionem, *omnes baptizatos* (consequenter: orthodoxos, anglicanos, protestantes legitime baptizatos) complectitur. Itaque, haec doctrina, quaecumque de hac dicta sunt, oecumenismum non offendit! [1]

2. B. Maria Virgo, ex doctrina communi, est etiam *Mater spiritualis totius generis humani*: ex ea, omnes homines, in « principio », spiritualiter nati sunt. Quod facillime probatur:

a) *Doctrina Patrum.* V. g. S. Irenaei (*Adversus haereses,* III, cap. 32, versio gallica): « Marie devint cause de salut... pour *toute la race humaine* » (cf. V, c. 19, 1); (IV, cap. 33): « Le sein de Marie régénérait *les hommes* en Dieu ».

b) *Doctrina Pontificum romanorum.* V. g.: Leo XIII: Encycl. *Octobri mense,* 22 sept. 1891: [Iesus] « *universitatem humani generis,* in Ioanne discipulo, curandam ei [Mariae] fovendamque commisit ». - Encycl. *Adiutricem populi*

---

[1] Cf. v. g. Leo XIII, encycl. *Quamquam pluries,* 15 aug. 1889 (versio gallica): « La Vierge très Sainte, Mère de Jésus Christ, est aussi la Mère des *chrétiens* ».

christiani, 5 sept. 1895: « In Ioanne, *quod perpetuo sensit Ecclesia,* designavit Christus personam *humani generis,* eorum in primis qui... ». Et in iisdem litteris encycl., B. Maria dicitur « mater Ecclesiae », Ecclesiae saltem nascentis.

Pio XI: Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 févr. 1926: « Le cœur maternel [de Marie] reçut au Calvaire le soin de *l'humanité tout entière* ».

Pie XII: Encycl. *Mystici Corporis* (*Acta,* 1943, 247 s. - Allocutio, 17 iul. 1954). Etc.[2]

c) *Argumenta ex S. Liturgia* sumpta, quae est fons certitudinis. Oratio (1 ian. etc.): « Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti ». Salus humani generis et Maria disiungi non possunt.

Hoc consideratione patristica et theologica muneris « Novae Evae », quod muneris Novi Adae amplitudinem habet, confirmatur.

3. Sane, maternitas spiritualis B. Mariae Virginis non, in utroque casu, eadem est: in primo casu, multo profundior et « in re » posita. Affirmatio tamen maternitatis, in hoc schemate, forsitan sufficit, remotis quaestionibus quibus theologi forte discordant. Sed, *haec affirmatio* — simpliciter enuntiata —, quae est doctrina certa, *in loco longe praestantissimo, post Christum altissima, Sanctissimam Mariam ponit* (cf. Alloc. S. P. Pauli VI, 4 dec. 1964).

4. *Num maternitas spiritualis B. Mariae Virginis erga totum genus humanum inclusionem schematis de B. M. V. in schemate de Ecclesia impedit?* Videtur quod non.

Ecclesia enim — Ecclesia viatrix — componitur, non tantum ex fidelibus qui in propria Dei Civitate habitant, sed etiam, in sensu lato sed reali, ex omnibus hominibus qui, sanguine Filii Mariae redempti, in eiusdem Civitatis suburbiis habitant. Quod mirabiliter dixit « cultus liturgici doctor SS. Cordium Iesu et Mariae », Ioannes Eudes: « J'entends le Fils de Marie qui dit: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*: toute puissance m'est donnée au ciel et sur la terre (*Mt.* 28, 18); et j'entends la Mère de Jésus qui dit: *In Ierusalem potestas mea* (*Eccli.* 24, 15): La puissance que Dieu m'a donnée s'étend sur toute la grande cité de Jérusalem et sur tous ses faubourgs, villages, et dépendances, c'est-à-dire sur toute l'Eglise triomphante, militante et souffrante, et sur toutes les autres parties du monde, qui sont comme les faubourgs, les villages et les appartenances de cette merveilleuse ville; *In omni populo et in omni gente primatum habui* (*Eccli.* 24, 9-10): Tous les peuples et toutes les nations plient sous les lois de mon empire ».[3]

Omne genus humanum, igitur, est etiam Ecclesia, saltem in potentia, secundum voluntatem Dei et Christi, eiusdem generis Salvatoris.

Hae tamen considerationes exponendae sunt *in primis lineis* schematis vel capitis de B. M. Virgine.

Quia, in stricta synthesi, *recreare unanimitatem episcoporum possunt.*

Quia « omni laude dignissimam »[4] Mariam alte pronuntiant.

---

[2] Citavimus multos alios textus in nostro volumine: *Petite Somme mariale,* Edit. Bonne Presse, t. 1, 1957, pp. 183-197 et t. 2, 1961, pp. 230-231; 236-237. Cf. versio italica: *Piccola Somma mariana,* Ancona 1961, pp. 204-224.

[3] *Le Cœur admirable,* lib. 5, c. 5.

[4] Offertorium missae B. M. V. (in sabbato ante Purificationem).

31

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Schema istud maxime nobis placet, eo quod in laudibus concinendis B. Mariae Virginis sereno et aequo procedit modo. Medium quasi iter aggrediens inter sic dictos maximalistas et minimalistas ea solummodo dicit quae absque dubio de Maria Virgine dici possunt et debent ab omnibus, et tamen ea quae dicit, nullam ansam confusionum vel falsarum interpretationum praebet.

Quaedam tamen adhuc in schemate desiderari videntur; hac de causa, licitum nobis sit, aliquas observationes facere.

1. Forsitan in initio schematis desideranda esset quaedam introductio qua clarior appareat ratio cur in schemate speciali de Maria Virgine loquatur. Aliqui enim tractatum de Maria Virgine ut unum simplex capitulum alterius schematis considerare velint, hac de causa, forsitan sistendum esset in rationibus cur schema speciale conficiatur, quae rationes revera multae sunt.

2. Plenam concordantiam inter titulum schematis et eiusdem textum non invenimus. Quando in schemate dicitur *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae,* quasi materia ipsius enuntiatur; et quaedam completa et amplior expositio supponitur; in textu tamen, cum de maternitate agitur, solummodo quasi per transennam fit, vel saltem fere modo quo de aliis titulis et privilegiis B. Mariae Virginis.

Doctrina de maternitate V. M. erga Ecclesiam, secundum nostram humilem sententiam centrum totius schematis est, hac de causa in illa enucleanda et determinanda magis sistendum esset. Si solummodo doctrina de maternitate erga Ecclesiam, clare et praecise exponatur, iam plene iustificatur necessitas schema speciale conficiendi.

3. Circa eamdem maternitatem, forsitan ex nimia cautela et prudentia ne aliqui offendantur, aliqua, secundum nostram humilem sententiam, minus proprie exprimuntur. Etenim, in pag. 7, lin. 22, verbis « immo et mater dicitur » et in pag. 8, lin. 29, verbis « maternum gerit animum » quasi innui videtur quod Mater revera non sit, sed simpliciter dicitur et consideratur.

Quod Maria Ecclesiae vera et realis mater sit probatione non indiget; ex nostra parte, ne plus quam aequo verbum protrahamus, in argumentis abundare non volumus, quae de cetero melius ad secretariam trademus, et solummodo, si casus ferat, de iisdem loqui audemus.

4. Similiter humiliter credimus quod non tam exacta sit expressio Mater hominum quae saepe saepius in textu adhibetur; forsitan magis theologica et tutior expressio esset Mater Ecclesiae ut in titulo dicitur, vel Mater credentium seu christianorum; nam B. M. V. Mater vera et realis est hominum, in quantum isti per fidem et gratiam cum Christo Filio suo identificantur.

5. Tandem in lin. 5 pag. 8, conclusio inde enunciata non omnino logica videtur. Forsitan melius esset si textus ita mutaretur: « Quo consensu Maria, filia Adae, facta est non tantummodo Mater Iesu, ... verum etiam humanitatis credentis ».

De cetero, uti iam diximus, schema maxime nobis placet.

32

REV.MUS P. D. DOMINICUS FIORINA

Superior generalis I.M.C.

Posita quaestione circa schema de B. Maria Virgine, cum agatur non tantum de loco in quo poni debeat, sed potius de doctrina tractanda, mihi opportune videtur mediam seligere viam, id est:

a) Schemati *de Ecclesia* ea tantum inserere quae de B. Maria Virgine intimius ad illud pertinent.

b) Schemate peculiari de B. Mariae Virginis doctrina, de qua opportune iudicaverit pertractare Concilium, copiose dicere.

33

EXC.MUS P. D. ALOISIUS FRANCO CASCÓN

Episcopus Nivariensis

In deliberatione schematis *de Ecclesia* quadam cum vi propositum est ut insereretur, ut caput, illud quod est de Virgine Ecclesiae Matre.

Cum haec opinio non recta mihi videatur, utpote quae quodam timore studium apertum proponat personae Virginis, Matris Dei et nostrae, secretariato generali votum meum submitto, ut quaestio de Virgine in schemate singulari proponatur. Quo quidem, schema Patribus conciliaribus propositum non praeiudico, hoc tamen teneo, quaestionem de Virgine in schemate speciali agi debere.

Variis nitor argumentis, ex quibus en praecipua:

1. Virgo Maria est membrum non ut cetera; est enim tale membrum; Mater est Ecclesiae; sita media in Ecclesia. Ex coniunctione cum Christo singulari modo in Ecclesiae constitutione collaboravit.

Non igitur oportet in schema inserere quod de ceteris agitur, licet speciali capitulo.

2. Virgo Maria ad Dei voluntatem, distincta redemptione quam reliqua membra est usa. Haec redemptione liberativa gaudent; illa, praeservativa, et una cum Christo in redemptione cooperavit.

Non expedit, ut videtur, uno schemate coniungere studium ceterorum membrorum atque Virginis, cum tales sint dissimilitudines.

3. Virgo ornata apparet magnis dogmaticis divitiis, quibus cetera Ecclesiae membra carent.

Definitiones dogmaticae haec sunt: Immaculata Conceptio, Intemerata Virginitas, Divina Maternitas, in anima et corpore in caelum Assumptio.

Magnis praeterea gaudet privilegiis, ut puta, corredemptrix, gratiarum mediatrix, regina, hominum Mater est...

Quae omnia meum propositum suadent. Singularem personam singillatim oportet tractare, in schemate videlicet proprio.

4. Arctum habuit Virgo Maria consortium cum Christo ad opus redemptionis, fructusque redemptionis ut redemptis distribuat in suis manibus habet, corredemptrix et gratiarum mediatrix est.

Quae singularia munia, quoad reliqua Ecclesiae membra, studium singulare postulant.

Magna itaque cura de Virginis persona agendum censemus.

5. Paritas non est inter relationes cum Virgine et relationes cum reliquis Ecclesiae membris, in tribus diversis statibus: militantibus, patientibus, triumphalibus. Cum his relationes sunt convenientes; cum Virgine vero potius sunt necessariae ad vitae salvationem.

Quae omnia ut enixe et alte de Virgine agatur exigunt, itaque haec doctrina Christi fidelibus tradatur.

34

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Procul dubio, commissio antepraeparatoria multo labore magnaque cum cura hoc schema praeparavit. Laudanda est praesertim quia conata est breviter illustrare locum quem B. M. V. in oeconomia nostrae salutis occupat. Nihilominus, mihi videtur nonnulla puncta in melius mutari posse.

Rationes cur mutationes quaedam proponuntur:

1. Textus huius schematis mihi videtur esse nimis « pure » dogmaticus, non autem satis pastoralis.

2. Etsi titulus schematis verba « Matre Ecclesiae » habet, fere nihil in textu dicitur de munere quo B. M. V. in Corpore Christi mystico fungitur.

3. Saepe affirmatur Matrem Salvatoris esse etiam Matrem hominum omnium, rationes tamen quibus hic titulus innititur, apertis verbis non dantur.

4. Non satis demonstratur praerogativas omnes quibus B. M. V. fruitur, ei concessas fuisse quia est « Mater Christi Salvatoris ». Consequenter, unitas interna textus schematis non exstat.

5. Ut scribitur in pagg. 13-14, singulae propositiones huius schematis « ipsius magisterii Ecclesiae auctoritate nituntur ». Attamen, S. Pontifices nonnulla dicta Patrum citaverunt et interpretaverunt in documentis a seipsis scriptis. Miratur ergo quod textus Patrum in textu ipsius schematis non magis citantur.

Quae cum ita sint, quaedam suggestiones proponuntur ad textum schematis meliori modo ordinandum, in quantum fieri potest.

I. *Decretum divinum.*

Ab aeterno uno eodemque decreto, Deus voluit eligere B. M. V. tamquam Matrem Filii sui dilectissimi Incarnati, redemptoris universi mundi, et eam cum Filio suo intime consociare ad opus redemptionis perficiendum (Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 6 dec. 1854, in Lemieux, *Marie: Documents Pontificaux,* vol. I, pag. 26; Pius XII, Litt. Enc. *Ad caeli Reginam, A.A.S.,* vol. 46, 1954, p. 634).

Attamen, Pater Aeternus hoc opus adimplere non voluit nisi cum libero consensu B. M. Virginis ipsius (*Lc.* 1, 38). Etsi B. M. Virgo cum Christo ad opus Redemptionis hominum consociata est, haec associatio e sola benevolentia divina provenit. Nam Maria ipsa est creatura, ex praevisis tamen meritis Christi redempta et ab omni culpa praeservata (Pius XII, Litt. Enc. *Fulgens Corona, A.A.S.,* vol. 45, 1953, p. 583).

Maternitas Christi redemptoris est veluti fons munerum quibus B. M. V. in oeconomia salutis fungitur, et centrum ac fundamentum omnium privilegiorum quibus ornatur (cf. numerosae citationes in Terrien, *La Mère des Hommes,* I, pp. 89 ss.; J. B. Carol, O.F.M., *Mariology,* vol. II, pp. 79 ss.; Guy de Broglie, s.j.,

in *Maria,* T. VI, pp. 331 ss.; Pont. Academia Mariana Internationalis, *De Mariologia et Oecumenismo,* 1962).

II. *Munera quibus B. M. V. in oeconomia omnium hominum salutis fungitur*:

1. Maria est *Mater omnium* illorum qui habent Deum ut Patrem et Christum ut Salvatorem: *a*) infidelium (cf. Terrien, *Id.,* T. II, pp. 86, 90-91); *b*) etiam eorum qui ante nativitatem B. M. V. in terra habitabant (cf. Terrien. *Id.,* II, pp. 92 ss.; praesertim p. 97); *c*) praesertim baptizatorum.

2. Sicut Christus est mediator, Maria, cum eo et sub eo, i. e. subordinate, gratiarum omnium, *gratia salutis non excepta, mediatrix* nuncupatur (cf. *Maria,* vol. I, pp. 419 ss.).

Prius demonstretur textibus S. Scripturae, Patrum tam graecorum quam latinorum, necnon Documentis S. Pontificum doctrinam hodiernam Ecclesiae de mediatione B. M. V. non esse a magisterio ecclesiastico post Reformationem inventam, ut ita dicam, sed, e contra, esse traditionalem. Item, explicetur quonam sensu B. M. V. Mediatrix dicitur, ut fit in n. 3 schematis.

3. B. Maria V. non tantum cum Christo Redemptore in hac terra sociatur, sed cum Eo, subordinate tamen, est *regina terrae et caeli* (*A.A.S.,* vol. 38, 1946, p. 266). In caelo « unaque simul cum Filio suo regnat » (Pius XII, *A.A.S.,* vol. 35, 1943, p. 248).

4. Quia B. M. V. est Mater Christi, Capitis Corporis mystici, est etiam Mater omnium membrorum eiusdem Corporis. Dici potest *Mater Ecclesiae* (Pius XII, *Il nostro quarto Convegno, A.A.S.,* vol. 50, 1958, p. 320). Est etiam *Typus Ecclesiae.* « Figuram in se sanctae Ecclesiae demonstrat », scribit S. Ambrosius de B. M. Virgine (PL 15, 1555 A). (Cf. Henri de Lubac, *Méditation sur l'Eglise,* p. 275; Carol, *Id.,* vol. II, pp. 550-595).

5. Aliquid addi potest, semper in intima connexione cum themate « Mater Christi Salvatoris », de Immaculata Conceptione et de exemptione ab omni culpa personali, necnon de gloriosa Assumptione in caelum.

III. *De cultu erga B. Virginem Mariam*:

1. *Generalitates.* De hoc, faveas videre n. 5 schematis, cuius titulus est: « De B. Maria Virgine Matre Ecclesiae ».

2. *Sacerdotes et seminaristae.* Sicut B. M. V. ex Dei placito electa fuit ut sit socia Christi, aeterni sacerdotis, ad omnes homines redimendos, ita sacerdos a Deo electus est ut redemptionis fructus hominibus distribuat et ut sic operi salutis collaboret. Quapropter, omnibus sacerdotibus, iuvenibusque qui in seminario ad dignitatem sacerdotalem recipiendam exercendamque sese praeparant, B. M. Virgo tamquam exemplar proponitur.

3. *Sodales religiosi et sacrae virgines*: « Religiosos sodales sacrasque virgines paterno adhortamus animo, ut in peculiarem tutelam se recipiant almae Dei Matris, quae virginum Virgo est... » (Pius XII, Litt. Enc. *Sacra Virginitas, A.A.S.,* vol. 46, 1954, pp. 188-189). In unione cum Maria Mediatrice, vitam suam pro salute mundi offerant.

4. *Fideles omnes.* Eis dicendum est devotionem marialem optimum esse medium fovendi arctissimam unionem cum Christo redemptore necnon cum Ecclesia (cf. Pius XII, *Il nostro quarto convegno, A.A.S.,* vol. 50, 1958, p. 321. - *Actes du Congrès Marial tenu à Bruxelles en 1954*: bref résumé dans « *Maria* », T. VI, pp. 659-660).

IV. *Maria S. fautrix unitatis christianae*:

Unitas non fiet nisi quando homines omnes cum Christo uniti erunt. Maria dici potest fautrix unitatis christianae, quia nos ducat ad Christum, salvatorem nostrum. « Ad Iesum per Mariam » (Leo XIII, Epist. Enc. de Rosario Mariali, *Adiutricem Populi Christiani, A.S.S.*, vol. 28, 1895-96, pp. 134 et 135; Pius XI, Litt. Enc. de Oecumenica Ephesina Synodo quindecim ante saeculis celebrata, *Lux Veritatis, A.A.S.*, vol. 23, 1931, p. 515).

35

Exc.mus P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Schema dilucide exaratum, cum admirabili diligentia et prudentia a Patribus quoque graecis desumptis argumentis rem illustrat et probat.

Summa laude dignum est elegans studium commissionis fratres separatos dogmati catholico conciliandi, quapropter e. g. omissio expressionum et vocabulorum quorumdam, quae in se verissima, difficilius a protestantibus intelligi possent, omnino patet.

Quoniam schema evidenter sub aspectu oecumenico, i. e. ad dulciter fratribus separatis veritatem catholicam probandam confectum sit, ideo liceat quae sequuntur humillime proponere:

1. Pag. 9 (95) *De mediatrice gratiarum*. Quae quaestio plurimos protestantes torquet, quapropter et schema eorum scrupula delenire conatur.

Ut res simplicius evadat proponitur, ut subito *linn. 18-19* post vocabula: « haec eius mediatio » addatur: « *participata et secundaria* », quod rem a primo etiam pro eis acceptabilius ponit.

2. Simili de causa utile videtur aliquo modo argumentum protestantibus quoque plausibile fortius sublineare, nempe quod B. M. V. species et exemplar, forma hominis perfecti ad mentem Dei Creatoris et Servatoris est, quod est effigies hominis, uti eum Deus voluit et sibi ab initio proposuit.

Quod praestantissimum Dei opus Matrem Ecclesiae esse facilius ab illis intelligi posse putatur.

3. Pag. 10 (96), lin. 40: loco « incorrumptam » melius « incorruptam ».

36

Exc.mus P. D. DIDACUS M. GÓMEZ TAMAYO
Archiepiscopus Popayanensis

N. 5. « De cultu erga beatissimam Virginem Mariam ».

Liceat mihi brevissimam observationem perficere circa quosdam aspectus de cultu erga B. Virginem Mariam.

N. 5 schematis, de quo mentionem feci, sic progreditur: « Quoniam igitur B. Virgini singularis competit excellentia, ita ut et ab archangelo nuntio Dei " gratia plena " (*Lc.* 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres (cf. *Lc.* 1, 42) salutari meruerit, nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit " beatam me dicent omnes generationes " (*Lc.* 1, 48),

cunctis a gentibus et ab universis ritibus, suffragiis saeculorum decursu continuo crescentibus, omni quidem cum laude " beata " praedicatur, colitur, amatur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur. Tantum vero abest ut huiusmodi singularis cultus marialis cultui divino latriae — quo Verbo Incarnato quemadmodum et Patri ac Spiritui Sancto adoratio exhibetur — detrimento sit, ut potius illi quam maxime faveat. Variae igitur formae pietatis erga Dei hominumque Matrem, quas Ecclesia — intra limites sanae et orthodoxae doctrinae pro temporum et locorum condicionibus et pro indole ingenioque fidelium —, approbavit, ad id spectant ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (cf. *Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur eiusque mandata serventur; et sic per Christum, qui est " via et veritas et vita " (cf. *Io.* 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque adorationem perducantur ».

Re quidem vera, argumentis theologicis fulcitus quae hic proferuntur, fas sit mihi, gentiliter a Patribus conciliaribus postulare, ut ad maiorem gloriam Dei et eius Matris beatissimae, necnon ad immensum bonum fidelium, reponantur in calendario Ecclesiae universalis, cum Officio semifestivo et Missa propria, Festivitates B. Mariae Virginis nuper sublatae: scil. festivitas B. M. V. Dolorosae, feria VI primae hebdomadis passionis; festivitas B. M. V. de Monte Carmelo, 16 iulii; festivitas B. M. V. de Mercede, 24 septembris; festivitas Mariae Auxiliatricis, 24 maii.

Ego quidem revera puto gloriam Dei id expostulare: his festivitatibus vigentibus, forsitan ubique terrarum, sed saltem certe in omnibus regionibus Americae Latinae, his diebus B. Mariae Virgini dicatis, copiosae multitudines fidelium ad sacramentum Eucharistiae accedebant, animabus prius purificatis sacramento poenitentiae, quod procul dubio Deo maximam gloriam inferebat. His festivitatibus suppressis, plerique testes sumus fervorem fidelium paulatim frigescere.

Quin immo, id etiam gloria B. M. V. postulat. Experientia enim docet esse veram proportionem inter incrementum cultus erga B. Virginem Mariam et incrementum spiritualitatis fidelium: B. Virgo magis magisque colitur et consequenter spiritualitas magis magisque augetur et fideles ad sphaeram supernaturalem magis elevantur.

37

EXC.MUS P. D. PAULUS GOUYON
Episcopus Baionensis

La théologie catholique gagnera en audience chaque fois qu'elle se présentera comme un tout, comme une synthèse théocentrique et christocentrique. Si elle apparaît au contraire comme une série de pièces disloquées, menant une vie indépendante, on opposera facilement les affirmations d'un traité à celles d'un autre traité et leur manque trop constant de référence à ce qui en fait l'unité: la révélation divine.

L'existence d'un schéma séparé: « De beata Maria Virgine, matre Dei et matre hominum », n'échappe pas à ce reproche. Elle ne manquera pas d'alimenter les préventions des protestants qui, si volontiers, nous accusent d'établir à côté de l'unique seigneurie du Christ, des seigneuries accessoires qui portent atteinte, disent-ils, à la conception biblique de l'économie du salut en Jésus-Christ.

Par sa présentation à part des autres schémas, le schéma sur la Vierge Marie risque de ne satisfaire ni les catholiques, ni les protestants. Ni les catholiques, dont certains trouveront que la place de la Vierge dans les préoccupations conciliaires est trop petite; ni les protestants qui trouveront qu'elle est trop grande. Au contraire pris dans le schéma sur l'Eglise, par exemple sous le titre Marie, image de l'Eglise, mère et fille de l'Eglise, un chapitre sur la Vierge Marie en eut constitué la magnifique conclusion. La compréhension de la Vierge Marie et de l'Eglise s'en fut mutuellement enrichie.

Les rédacteurs du schéma en ont eu conscience. Au n° 1 (ligne 28) ils relient la constitution sur la Vierge à la constitution sur l'Eglise, après avoir affirmé que Marie « prorsus singulare membrum Ecclesiae est, ... eiusdem exemplar, immo et Mater dicitur ». A la page 95 (ligne 5) ils recommandent aux théologiens et aux prédicateurs de mettre les titres de la Vierge Marie en connexion avec les autres dogmes.

Mais l'intention droite des auteurs du schéma est mal servie par la disposition typographique et par le plan.

Ce défaut affecte tout le schéma et c'est dommage car le schéma contient dans son ensemble des éléments excellents. Sans doute y trouve-t-on des répétitions inutiles (cf. p. 93, lignes 13-16 et 25 et p. 95 où le texte *1 Tim.* 11, 5 est cité aux lignes 20 et 38 pour appuyer la même affirmation). Mais en distribuant autrement la matière et en faisant quelques corrections on aurait sans doute un très beau chapitre.

Les rédacteurs n'ont pas assez conscience qu'ils ont à présenter une doctrine, objet de séculaires controverses, non à des élèves dociles qui s'inclinent volontiers devant l'argument d'autorité, mais au monde moderne et particulièrement aux « autres chrétiens ».

Cela suppose un grand souci de rigueur théologique. Particulièrement dans cette matière il est nécessaire de garder son sang-froid et d'éviter de céder au sentimentalisme qui conduit au danger d'inflation. La radieuse figure de la Vierge Marie est trop pure pour que l'on puisse, sans y porter atteinte la faire apparaître dans une autre lumière que celle de la simple vérité évangélique, toute de mesure et d'indicible qualité. Certaines affirmations irraisonnées ont quelque chose de sacrilège.

Compte tenu de ces remarques préalables, il semble qu'une introduction devrait montrer la Vierge Marie toute relative à son Fils et toute relative à l'Eglise. La théologie de la Vierge Marie est — historiquement et logiquement — le prolongement de la Christologie. Elle peut servir de point de départ ou de conclusion à l'Ecclésiologie. Marie est toute dépendante du Christ et c'est pour cela qu'elle est voulue et qu'elle est enrichie de dons singuliers. Dès ce départ viendraient donc les textes bibliques, supports traditionnels de la Mariologie et que le schéma ne manque point de rappeler. Marie dépend de son Fils dans les dimensions surnaturelles de son être, racheté « sublimiori modo ex praevisis meritis Christi », « in sua praedestinatione et sanctitate item atque in omnibus donis a Christo dependere Eique omnino subesse » (p. 95, lignes 27-29), « ex beneplacito divino et superabundantia » (p. 96, ligne 1); et dans les conditions et les effets de son action: « cum Eo et sub Eo operam suam consociavit » (p. 94, ligne 7).

Et tout de suite après, afin que ne se glisse aucune équivoque, surtout si l'on entend parler des titres de Marie et les justifier, il faudrait introduire l'excellent

développement sur l'analogie que l'on trouve à la page 96 (lignes 5 à 14), et qui définit l'analogie « dissimilis similitudo », pour conclure au sujet de la Vierge: « etenim nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo ».

Ainsi le climat serait créé et les objections d'avance désarmées.

Il faudrait ne manipuler qu'avec précaution certaines expressions prises des Pères ou des documents pontificaux qui, par leur sens étymologique, « insinuent » une égalité de dignité et de pouvoir entre la Vierge et son Fils.

Ainsi aux dernières lignes de la page 93 et aux premières lignes de la page 94 on rappelle que la vie perdue par une femme est redonnée par une femme, comme si le rôle de la femme dans la rédemption était primordial; on semble dire ailleurs que dans cette rédemption les deux sexes ont eu la même responsabilité dans la chute et dans le salut (cf. « ope utriusque sexus haberetur »). L'Eglise se doit en cette heure où elle est soucieuse d'œcuménisme, d'être plus sensible que jadis à toute expression qui peut constituer une pierre d'achoppement sur la route de l'unité. Elle doit veiller à ne pas donner valeur dogmatique à ce qui est seulement expression de la piété.

D'autres mots suggèrent à leur tour une identité de rôle entre Jésus et Marie. Ainsi: « consociare », « consortium » (cf. p. 94, ligne 9); ainsi l'expression « socia in gratia pro hominibus acquirenda » (p. 94, lignes 24-25). Ne serait-ce pas une affirmation de corrédemption, encore que l'on évite à dessein de prononcer le mot? La chose autant que le mot irrite nos frères séparés.

Le terme de médiation apparaît tout à coup (p. 95, ligne 18), expliqué par la comparaison du Bien et des biens sans que soit soulignée — ce qui eut été précieux pour notre texte — la distinction entre le Bien in se et les biens participés. On est même allé plus loin dans l'audace, en proclamant la Vierge Marie « caelestium quoque gratiarum administra et dispensatrix » (p. 94, ligne 25) sans assortir la proclamation des nuances nécessaires.

Faut-il aussi affirmer que Marie « ut pretium redemptionis nostrae cum Ipso et per Ipsum obtulit » (p. 94, ligne 14). Cela paraît dépasser l'enseignement explicite de l'Evangile qui se contente de mentionner la présence de Marie au Calvaire. On peut certes penser qu'elle était pleinement unie à la volonté du Père et du Fils, sans qu'il soit nécessaire de donner plus de précisions. La note 11 à laquelle renvoie notre texte semble bien le ramener à ces proportions.

Tout le problème du culte, évoqué dans l'article 5 (p. 97) devrait partir de la toute-puissance d'intercession de la Vierge. L'on s'étonne de ne pas voir invoqué ici Jean II, 11 que l'on cite à la page suivante. Dans cette perspective seulement il serait légitime d'affirmer que le culte de la Vierge favorise le culte divin (p. 97, ligne 19) et non après l'avoir présenté comme en lui-même. L'amour de Marie n'augmente l'amour de Jésus que lorsque la Vierge Marie est mise en relation avec son Fils. Le reste du texte sur les déformations du culte marial est bien venu.

La conclusion sur la Vierge Marie, « fautrix unitatis Ecclesiae » (n° 6) est inopportune et maladroite surtout quand elle se double de la recommandation faite à tous les fidèles de prier la Vierge Marie pour que les frères séparés viennent se ranger sous l'autorité du successeur de Pierre. Le paradoxe frise la naïveté; certains diront, la provocation. Alors qu'il eut suffi en évoquant Cana et la foi des apôtres d'exhorter à prier la Sainte Vierge pour obtenir que notre foi soit solidement fondée.

Si notre texte s'est gardé d'ajouter explicitement à la doctrine traditionnelle

qui doit être crue dans l'Eglise, puisqu'il ne définit ni corrédemption ni médiation (cf. p. 100, ligne 5, où les auteurs du schéma se défendent d'en avoir eu l'intention) les allusions qu'il y fait sont équivoques et donc dangereuses. Le texte appelle à la fois plus de précision, plus de réserve et plus d'unité.

N. B. On notera au passage (p. 93, ligne 14) la référence aux « sources » de la révélation, « in sacris fontibus », qui suppose dirimée en un certain sens la controverse sur les deux sources qui a profondément divisé les Pères au cours de la première session du Concile.

38

EXC.MUS P. D. CAROLUS P. GRECO

Episcopus Alexandrinus

Placet.

39

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

1. [*De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum*].

Pag. 7, lin. 5. « Ab aeterno uno eodemque decreto »: quatuor haec similia ablativa fortasse, elegantiae causa, essent separanda. Unde ita legi posset: « ab aeterno cum divinae Sapientiae incarnatione uno eodemque decreto beatissimam Virginem praestituit ». Vel, eadem de causa, depromptis verbis ex Pio XII, *Munificentissimus Deus,* in nota 1 citatis, ita textus aptari posset: « ab omni aeternitate, uno eodemque decreto, cum divinae Sapientiae incarnatione beatissimam Virginem praestituit ». Loco vocis « praestituit », quae fortasse non omnibus placet, poni posset vox « praeordinavit » (cf. in nota 1, Leonem XIII, *Augustissimae Virginis*), vel « elegit » (cf. Pium IX, *Ineffabilis Deus,* in initio). Vel posset etiam simplicius ita scribi, ad vitandam quoque similium vocum adhibitionem (libertate - liberatio; sapientissimus - sapientiae; omnium - omnimoda): « Immensae bonitatis Creator omnium sapientissimus Deus, qui plena fruebatur libertate in determinanda ratione qua generis humani restauratio (vel: redemptio) a se perageretur, ab omni aeternitate uno eodemque decreto statuit ut Verbum, ad cunctarum gentium salutem, ex B. Virgine, de Spiritu Sancto (vel: Spiritu Sancto foecundata), in temporis plenitudine (cf. *Gal.* 4, 4), carnem assumeret ».

Lin. 8. « Sive diserte sive implicite »: vox « implicite » fere numquam in magisterii ecclesiastici documentis adhibetur. Fortasse tantum semel, certe autem perraro, scil. in Pio XII, *Humani generis* (Denz. 2314) ubi et dicitur « implicite » et « veluti implicite ». Et revera haec vox nimis scholam sapit et falsae imaginationi favet quod dogmatis progressus sit nonnisi naturalis, philosophicus, logicus labor quo theologi speculativi mens conclusiones, in principiis contentas, eruit ex iisdem.

Nec obliviscendum est quanta cura Summi Pontifices Pius IX in *Ineffabilis Deus* et Pius XII in *Munificentissimus Deus* hanc praedictam vocem, de qua certe, id expostulante ipsa quae tractabatur materia, cogitarunt, vel praetermiserint vel omnino vitaverint, dogmatis progressum Spiritui Sancto, in Ecclesiam diffuso et operante, potissime tribuentes.

Cum autem haec eadem progressus dogmatici notio, iure hic quoque advertatur (cf. linn. 12-16), congruum videtur classicum loquendi modum hic quoque servari debere; ideoque propositionem emendandam esse, eo vel magis quod in ea *bis* vox « implicite » recurrit, et *bis* particula « veluti » ac *bis* vox « mysterium »: quae omnia innuunt propositionem nondum satis lima perpolitam fuisse.

Insuper vox « obscure » non admodum placet. Forsitan ergo, depromptis verbis ex duobus praedictis Pontificum documentis, ita posset propositio ad simpliciorem, at simul accuratam, formam adduci: « Cum autem Sacrae Litterae (et perantiqua atque universalis sacra traditio?), multiplici continenter ratione, Matrem cum humanae stirpis Salvatore, arctissimo et indissolubili vinculo coniunctam, inde a praeannuntiatione (cf. *Gen.* 3, 15; *Is.* 7, 10; *Mt.* 1, 23) ac virginali conceptione (cf. *Mt.* 1, 18-25 et *Lc.* 1, 26-38), exhibeant, plane congruit ut Ecclesia — quae Christi sponsa exstat Eiusque proinde Spiritu ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem [seu: ad revelatarum veritatum, in Sacris Fontibus contentarum, perficiendam cognitionem] infallibiliter dirigitur (cf. *Mt.* 16, 18; 28, 18-20; *Io.* 14, 16. 26; 15, 20) —, divini dum redemptoris arcana in dies illustrat, eiusdem quoque Genitricis mysterium clariorem iugiter in lucem proferat ».

Qua emendatione forte recepta, textus duabus adhuc notulis ornari deberet, una quidem ad indicandum verba « multiplici continenter ratione » esse Pii IX in *Ineffabilis Deus,* altera autem ad recolendum verba « quae Christi sponsa... Spiritu... infallibiliter dirigitur » esse Pii XII in *Munificentissimus Deus,* fere ad litteram.

Linn. 19-20. Verba S. Augustini: « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur », non necessario innuunt Mariam esse Ecclesiae *matrem.* Si ergo hoc patet *ex contextu,* congruum videtur ut in notula 2 addatur, praesertim ob eiusdem Doctoris verba quae in nota 3 referuntur, quaeque, prout extra contextum sonant, Mariam esse Ecclesiae *matrem* excludere possent.

Linn. 24-25. Fortasse, elegantiae causa, et ad *quinque genitivorum* seriem vitandam, ita sequens propositionis pars aptari posset: « ... superioribus vivi Ecclesiae magisterii documentis inhaerens, quod unicus depositi revelati exstat interpres authenticus... ».

2. [*De munere b. Virginis Mariae in oeconomia salutis*].

Pag. 7, lin. 32 ad pag. 8, lin. 5. Propositio haec est aliquatenus difficilis et dura, conceptu, latinitate aut saltem verborum ordine.

Ut clarior evadat, imprimis congruum est ut, iuxta morem classicum, omnia *ad* ipsum *Patrem* referantur et *non ad* eiusdem *Verbum.* Mos iste ideo autem classicus est, quia et biblicus et liturgicus: antiquitus enim patris erat nuptias facere filiis.

Quo more retento, ac duritie latinitatis semota, ita posset praedicta propositio emendari: « Cum igitur aeternus Pater Verbum suum humanam decreverit ex muliere naturam assumere ut, quemadmodum per foeminam mors, ita et vita nobis oriretur per foeminam, sicque sexus utriusque ope liberatio haberetur, non id ante perfecit quam designatae matris, ex bonitate paterna et praevisis Christi sui meritis sublimiori modo redemptae, liber consensus accessisset; qua acceptatione prolata, Unigenitus Dei, ex Maria de Spiritu Sancto carne suscepta, intemeratae quoque fieret Virginis Filius, novus Adam ac mundi Salvator ».

Si autem, hac nonobstante emendatione proposita textus prout nunc est

typis impressus vellet servari, certe tamen latinitas esset expolienda, ut omnis removeatur durities et obscuritas.

Sic, e. g., male sonant verba simul posita: « *acce*ptatio *acce*sserint »; si subiectum manet « *Verbum* », dici non potest postea « *Christi* » sed: « sui ipsius carnem facti » vel quid simile; pariter contorta fit propositio adhibitione repetita particulae « ut »; novissima tandem propositionis pars est satis obscura, et saltem postulat ut vox « incarnatione » inter virgulas collocetur, sicque legatur: « ut Filius Dei, incarnatione, eius (Mariae, certe, licet non sit *perspicuum*) quoque Filius ac novus Adam Salvatorque (!) mundi fieret ».

Rogo autem humiliter ut *integra* emendatio, supra proposita, accurate perpendatur.

Pag. 8, linn. 5-8. Constitutio laboriose videtur incedere, nimis saepe propositionibus separatis interrupta. Fortasse ergo congrueret ut praesens propositio praecedenti (reformatae) iungeretur, ac latinitas expoliretur: etenim voces « redemptor » et similes sexies, modicissimo interiecto intervallo, occurrunt.

Insuper, perpendendum est an *immaculata* Virgo Maria, ab aeterno ad tantam ac multiformem celsitudinem praeordinata, sine ullo addito « filia Adae », absque lugendae confusionis periculo, vocari possit. Si enim est simpliciter filia Adae, quomodo, ut mox dicetur in constitutione, « primatum » obtinet? Quo sensu, etiam a Pontificibus, primogenita vocatur ante omnem (etiam Adam!) creaturam? Quomodo, ergo, sine addito, filia Adae est?!

Si ergo, factis emendationibus quae videntur congruere, propositio haec renovata praecedenti emendatae iungeretur, textus qui sequitur haberetur: « ... qua acceptatione prolata, Unigenitus Dei, ex Maria de Spiritu Sancto carne suscepta, intemeratae quoque fieret Virginis Filius, novus Adam ac mundi Salvator; ipsa autem Maria, privilegiata Adae filia, non tantummodo Iesu Mater evaderet, unici divini Mediatoris ac Redemptoris, verum, adeo cum eo at sub eo operam suam in peragenda humani generis restauratione sociaret, ut universitatem gentium, cum Christo at sub Christo redemisse et corredemisse dicatur, atque haud semel, ab ipsis Romanis Pontificibus multisque aliis Episcopis Corredemptricis titulo meruerit ornari ».

Lin. 8-16. Textus non indiget nisi levi quadam perpolitione ac tribus forte additionibus: una quidem ad adumbrate saltem dicendum Filiali holocausto Mariam certe maternam adiunxisse oblationem: alia autem ne os obturetur dicentibus Mariam non usque ad Christi mortem tantum, sed ad consummationem usque sacramenti reconciliationis humanae (cf. infra linn. 16-18!) cooperatam fuisse redemptioni (ideoque, e. g. et sua « Desolatione » inter Filii obitum ac resurrectionem); tertia tandem ne sequatur, inde tantum a Dominici testamenti promulgatione, Deiparam Virginem omnium hominum evasisse matrem.

Ideoque textus sic posset emendari ac proponi: « Huiusmodi autem Dei Genitricis salutaris consensus, unde et eius in reconciliationis opere perficiendo consortium, a virginalis Iesu Christi conceptionis tempore ad sacramenti humanae reparationis consummationem usque permansit, tunc vero excellenter enituit cum, non absque divino consilio, iuxta crucem stetit (cf. *Io.* 19, 25); Unigenito suo ex imis condoluit visceribus; benedictum ventris sui Fructum [vel: Nati sui holocaustum], ut nostrae redemptionis praetium, cui materni cordis gladio transfixit ultro hostiam adiunxit [vel adiecit], cum Ipso et per Ipsum aeterno obtulit Patri; ac demum cum ab eiusdem morientis Domini caritate, sollemne e patibulo testa-

mentum veluti promulgantis, non discipulum Ioannem tantum at, in eius persona, universos homines, sibi commendatos, ut spiritualis mater, suscepit in filios (cf. *Io.* 19, 26-27) ».

Linn. 16-21. Textus quadam indiget expolitione ac, praesertim, una emendatione, ne sententia excludatur eorum qui, fortasse non erronee, reparationis humanae opus tunc tantum consummationem assecuturum sentiunt cum, animabus ad plenum purgatis corporibusque e pulvere suscitatis, aeterno Christus regnum offeret Patri (cf. *1 Cor.* 15, 28).

Textus emendatus sic ergo sonaret: « Quoniam vero humanae redemptionis mysterium *terrestrem* non ante attigit *verticem,* quam promissus a Christo Spiritus Sanctus die Pentecostes advenit [vel: defluxit]. Mariam in caenaculo una cum apostolis in oratione perseverantem spectamus [vel: legimus] Paracliti effusionem suis quoque precibus enixe implorantem ».

Linn. 22-26. Rectus oecumenismus, rebus bene perpensis, postulat ut doctrina nonnisi vere catholica, id est revelata aut certe toti Ecclesiae communis aut saltem *tutissima* praebeatur, at *integra;* ut qui ad Romanam Sedem accedere vel redire cupiunt seu volunt, quid ibi amplecti necesse sit sciant, sicque unitas non effimera, prouti haud semel accidit, sed stabilis oriatur et fiat. Ambiguitates ergo aut compromissus, si unquam placuerunt, hodie, ac praesertim iunioribus, certe nullimode placent. Vitanda proinde illa videtur methodus, iuxta quam res et dicuntur simul et non dicuntur. Si ergo supra dictum est beatam Mariam, non tantum ut Christi *matrem* sed etiam eiusdem *sociam* (= novam Evam), sub eo at cum eo *redemptionis operi cooperatam fuisse,* cur postea subticetur almam Virginem, sub at cum Christo, humanam familiam *redemisse,* seu *corredemisse,* ipsis Summis Pontificibus id fatentibus, a quibus et *Corredemptricis* titulo haud semel fuit ornata? Nam fratres, qui ad Petri Cathedram accedere aut redire cupierint, visis auditisque principiis nostris ac Pontificum documentis, an id sentiamus, et an admittendum sit, a nobis dubio procul expostulabunt. Dicatur ergo, maxima licet cum claritate ac prudentia.

Textus, ergo, his praemissis, sic posset emendari ac proponi: « Cum itaque b. Virgo, ab aeterno tamquam Dei hominumque mater praedestinata [vel: praeordinata], divina Providentia misericorditer disponente, Domini Iesu hisce in terris, in gratia pro Adae genitis adquirenda, generosa exstiterit socia [si antea non fuit additum, addatur: adeo ut gentium universitatem cum Christo et sub Christo redemisse seu corredemisse passim dicatur, atque Corredemptricis titulo haud semel a Pontificibus Summis decorari meruerit], hinc mirum non est si pervetustae cunctorum rituum sacrae Liturgiae, christianus populus, ipsique Successores Apostoli Petri, eam veluti supernae gratiae omniumque caelestium beneficiorum administram ac dispensatricem incessabili voce proclament ».

Linn. 27-32. Textus tantum leviter emendandus videtur, et quidem imprimis ut, cum Pontificibus Romanis, sanctam Mariam primatum, et non « quemdam » primatum, super omnes sed et super omnia, certe sub Christo at cum eo, clare habere dicatur; tandem ut auferatur ea quae de « peripheria » asseruntur utpote in tam solemni documento prorsus incongrua.

Textus ergo ita posset renovari ac proponi: « Hinc sequitur Mariam, quae in condendo mystico Christi Corpore tantam habuit partem, et in caelum assumpta ac Regina a Domino constituta, maternum erga cunctos animum gerit, post Filium

suum super omnes et omnia obtinere primatum; ac proinde, sub Christo at cum eo, in ipsomet Ecclesiae, ideoque et universi, centro collocari ».

3. [*De titulis quibus consociatio B. V. Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet*].

Pag. 8, lin. 34 ad pag. 9, lin. 2. Melius est ut clare pateat et asseratur, Mariam cum Iesu, ad redemptionis opus peragendum, cooperatam fuisse et quia Mater et quia veluti nova Heva; insuper praestat ut propositionis constructio fiat minus contorta ideoque planior, et eaedem vitentur voces.

Textus ita ergo posset emendari: « Quoniam in Mariae cum Iesu, Matris scilicet cum Filio Salvatore ac novae veluti Hevae cum novo Adamo, ad humanae redemptionis opus peragendum cooperatione, tamquam solido fundamento, radice ac principio, multiplices variique nituntur tituli, quibus sacrum Magisterium, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, ideo nefas est dicere eosdem titulos, in Ecclesiae sensu intellectos, vacuos inanesque esse, Sacris immo Litteris adversari ».

Pag. 9, linn. 2-3. In capite huius n. 3, et etiam in prioribus novem eiusdem numeri lineis (cf. pag. 8, linn. 37 et 40), sermo est de « titulis » Virgini tributis ac tribuendis. At, non sine animi stupore, conspicitur nunquam dein de titulorum pluralitate disseri, sed de *sola* « *Mediatricis* » appellatione. Vel ergo verba, italicis characteribus impressa, emendantur quibus n. 3 inscribitur; vel alius saltem additur titulus: qua in solutione, nulla alia *adiici* posset appellatio nisi « *Corredemptricis* » titulus.

Et iure quidem, nam ex praeiactis principiis, de cooperatione scilicet Sanctae Mariae ad redemptionis opus, ut mater ac praesertim ut socia, *imprimis et directe* sequitur eam esse Corredemptricem: si enim est Redemptoris socia in redemptionis opere, erit... Corredemptrix!

E contra, ex eo quod eadem Virgo fuit Redemptoris mater ac socia, non ita directe et imprimis sequitur eam esse « *omnium gratiarum* (etiam salutis physicae et promotionis ad gradus academicos) *Mediatricem* ». Divus quoque Antonius Patavinus, testante communi populi fide ac praxi, fere omnium vel omnino omnium gratiarum est mediator: nihilominus vel non fuit vel dici non solet corredemptor. Ergo gratiarum mediatio universalis non necessario et directo ex Corredemptione, sed ex Dei gratuito beneplacito potest seu posset unice oriri. [Nisi dicatur, praeter Christi redemptionem et Mariae corredemptionem, etiam universalis Ecclesiae corredemptionem esse agnoscendam, cum et sub Christo et Maria; hoc sensu quatenus aeternaliter divinitus praevisa Ecclesiae universae merita, Christi et Mariae meritis coniuncta, atque ex illis efficacitatem sumentia, cooperata sint redemptioni (et corredemptioni); sicut et nunc, in tempore, de facto, qui sunt merendi capaces, Christi et Mariae et universae Ecclesiae salvantur meritis, ac simul propria personali cooperatione, scilicet propriis cuiusque meritis...].

Nec dicatur corredemptricis titulum, ob oecumenicas rationes, esse vitandum: nam si mediatricis titulus *apertis* non adversatur Pauli verbis (cf. *1 Tim.*, 2, 5), multo minus corredemptricis appellatio; nam novi Adami titulus, quem Christo satis aperte tribuit apostolus (*Rom.* 5; *1 Cor.* 15) nullimode novae Hevae excludit appellationem, sed potius eam et *secumfert et advocat...!*

Et, de facto, subapostolici aevi Patres, ut magni Iustinus et Irenaeus, apostoli Pauli proculdubio spiritu ac doctrinis imbuti, statim et manifeste B. Virginem novam Hevam appellare non sunt veriti, immo et comparationem seu paral-

lelismum, sub recirculationis seu recapitulationis specie, inter Christum eiusque opus Mariamque instituere. Quae omnia, fortasse, antiquiora sunt ipsis mediatricis doctrina ac titulo: aut certe aeque et antiqua et solida.

Servata, ergo, n. 3 inscriptione, italicis characteribus impressa (De titulis quibus...), revera de *duobus* saltem titulis erit hic agendum: nempe et de mediatrice, et de corredemptrice, obstantibus nullis testimoniis aut rationibus in contrarium.

Ideoque, praedictis linn. 2-3 (pag. 9), haec aut similia verba possent substitui: « Quos inter titulos, humani generis corredemptricis necnon gratiarum omnium mediatricis appellationes potissimum profecto obtinent locum ».

Cui assertioni haec, vel similia, essent addenda: « Ad titulum corredemptricis quod attinet, qui Mariae competit redemptoris utpote matri atque sociae, fatendum est ipsum in novi Adae appellatione veluti imbibi, quam Christo tribuit Paulus, ab eaque dubio procul exigi.

Quam exigentiam, ipsius subapostolici aevi Patres persenserunt Iustinus atque Irenaeus, aliique sancti Ecclesiae doctores, qui beati Pauli parallelismum complectens, edixerunt humanum genus, veteris Adae veterisque Hevae inoboedientia perditum, novi Adae novaeque Hevae fuisse oboedientia salvatum.

Qui parallelismus, ipsis partim aperte partimque adumbrate fatentibus, nullimode aut imperfecte prorsus subsisteret si dum Heva perditioni est cooperata qua Adami socia, Maria saluti cooperata tantum fuisset ut Salvatoris Mater, non vero ut redemptoris adiutrix: parallelismus enim utrimque non physica maternitate, sed voluntario nititur actu.

Haec autem doctrina, nunquam in Dei populo sancto, saeculorum decursu, intermissa, inde circiter ab anno millesimo, novo veluti radiavit fulgore, ac dein praesertim S. Bernardi ope, eorumque qui ipsius fideliter pressere vestigia. Cum vero eam ipsi nonnulli Romani Pontifices assumpserunt, ampliorem eidem contulere splendorem, suaeque excelsae addiderunt auctoritatis pondus.

Contra quem corredemptricis titulum, nulla prorsus in contrarium sana militat ratio: corredemptricis praerogativa aut actio non enim redemptoris minuit seu obscurat opus vel meritum; sicut nec ministrorum sacerdotium sempiterno Christi officit muneri, eo quod huius illud derivatio sit atque adiutorium: non necessitatis quidem aut infirmitatis, sed dignitatis et convenientiae ».

Pag. 9, lin. 2 - pag. 10, lin. 4. Post additionem eorum quae ad corredemptricis doctrinam ac titulum referuntur, et antequam legantur ea quae pag. 9, lin. 2 - pag. 10, lin. 4 iam in decreti schemate exstant, quaedam adiungenda seu inserenda videntur, introductionis seu fundamenti ad instar ipsius doctrinae ac tituli mediatricis: « Ad Mediatricis titulum vero quod spectat, qui praerogativam exprimit quae Mariae competit utpote Filii Dei humanique generis redemptoris Matri atque sociae, dicendum est ipsum in pene omnium temporum ac locorum Liturgiis fundari, quae ordinarii et universalis Ecclesiae magisterii sunt authenticus testis, sub ipsorum Romanae Sedis Pontificum suprema vigilantia positus; qui Christi vicarii, ceteroquin, plures post episcopos atque theologos, mediatricis doctrinam aperte, et quidem in magni etiam momenti documentis, suam fecerunt, ipsumque mediatricis titulum S. Virgini tribuerunt.

Et iure quidem, nam si S. Paulus apostolus, adhuc in terris positus, sine intermissione in orationibus memor erat fidelium, eorumque pro se precum subsidium instanter poscebat, expedit multo magis et iuvat ut S. Virginis Mariae, in caelis gloriose regnantis, intercessioni nosmetipsos fidenti commendemus animo.

Ipsa enim Deo Patri cuius est perfectissima filia, ipsius Unigenito Iesu Christo Domino nostro cuius Mater exstat ac socia, et Divino Spiritui quo fuit ac manet repleta, prae universis creaturis est absolutissime iuncta; iisdemque de causis, supra omnes et amatur a Deo et Deum ex toto redamat corde.

Ex hac almae Virginis in Deum, cui tantopere nectitur, profundissima dilectione, intensissimus in universos homines, Patris genitos ac Filii sui fratres ac membra, Spiritu Sancto afflante, amor promanat. Ideoque, eiusdem Paracliti caritate succensa [acta], ad Christum gratiae effusionem beneficiorumque omne genus elargitionem impetratura incunctanter accedit; ac non tantum per eum, sed et cum eo et in eo, ad ipsum immensae maiestatis Patrem, a quo bona cuncta descendunt, fidenter procedit; ipsiusque Genitoris cui est dilectissima et a quo propterea est semper audita, per Iesum, at cum eo et in eo, cuius est amatissima Mater et socia cuique proinde prorsus nihil potest negari, Spiritus Sancti gratiae ac beneficiorum, vera excellentissima Ecclesiae universalis portio, administra incessabiliter fit ac distributrix.

Contra quam marialis mediationis doctrinam ipsumque, quoad caelestem gratiam supernaque beneficia, universalis mediatricis titulum, nulla pariter opponi potest revelata auctoritas aut valida ratio: verum est enim unum inter Deum et homines mediatorem, aiente Paulo (cf. *1 Tim.* 2, 5) esse Dominum Iesum; sed, ex alio capite, impossibile est illum, qui est unus mediator, at simul Mariae amantissimus filius ac novus fidelissimus Adam, eam sibi incessabiliter indissolubiliterque non sociare in mediationis officio, sive de ipsa supernaturali regeneratione agatur, sive etiam de natorum, per gratiae iugem participationem beneficiorumque omne genus collationem, cura ac provectione; sicut pariter possibile non est Mariam, utpote Iesu Matrem ac sociam, suae strictissimae unionis vi suique ardentissimi amoris impulsu, Filio suo ac novo Adae, in praedicto amplissimo mediationis opere, nolle coniungi seu eiusdem administram fieri atque adiutricem.

Perspicuae huius ac fundatissimae denegatio doctrinae, absurdam secumferret intimissimae coniunctionis et incensissimae caritatis denegationem, Iesum inter atque Mariam, ac proinde vicissim.

Cum sit autem mediatoris adiutrix, Maria est ergo tantum secundaria mediatrix: a Dei Patris enim bonitate gratuita, Christi intervenientibus meritis, admirabile hoc Spiritus donum, nempe mediatricis officium ipsamque mediandi vim, incessabiliter recipit; eaque proinde dependenter a Deo, ut creaturam decet ac filiam, sicut possidet ita et exercet. Incarnato item Dei Verbo, ut Filio redemptori praeredempta Mater et ut novo Adae nova pariter Heva, peramanter coniuncta, ab infinitis Iesu Christi meritis potissime virginalis cooperatio praetium sumit, impetrandi atque obtinendi virtutem ac dilargiendi auctoritatem.

Qua in re, scientifice profundiusque investiganda, rimanda atque exponenda, omnis vulgaris imaginatio prorsus est removenda, ac si scilicet, e Virgine, tamquam e terrae fonte, Spiritus Sancti gratia manaret; vel ac si per eam, materialem quasi per aquaeductum, Paracliti effusio transiret; per eiusve corporales manus divina beneficia ad nos derivarent. At res, sicuti sunt, ita procul dubio et debent intelligi atque explicari, quatenus nempe Summi Genitoris Iesuque Amori, aut benefacere cupienti aut de facto benefacienti, almae Virginis amor, Patris filiae, Christi genitricis et sociae, Spiritu Sancto plenae, Ecclesiae omniumque matris, incessabiliter manet coniunctus et in cupiendo et in benefaciendo.

Christi ergo mediatio aut unici divini mediatoris titulus, mediatricis officio

atque nomine, nullimode minuitur vel obscuratur, at potius extollitur et honoratur: sunt enim, iterum, munus ac titulus non divinae necessitatis aut infirmitatis, sed dignitatis et convenientiae. Mariae enim, sicut corredemptio ita et mediatio, seu intima ad redemptorem seu mediatorem coniunctio, tamquam supremo e fonte, unice e Dei promanat amore erga Virginem, et Virginis erga Deum et nos. Tota ergo vertit in Dei ac Virginis gloriam et laudem ».

Pag. 10, linn. 5-14. Hortamentum istud superfluum videtur. Si autem vellet servari, latinus verborum ordo ita forte in melius commutari posset: « Quapropter Sancta Synodus theologos divinique verbi enixe hortatur praecones ut, ad Ecclesiae magisterii sensum, Divinarum Scripturarum, sanctorum Patrum ac sacrarum Liturgiarum studium excolentes, B. Virginis munera atque officia cum aliis dogmatibus connexa, potissime vero quae ad Christum, totius veritatis, sanctitatis ac pietatis centrum attinent, in vera luce sedulo collocare nitantur; servata semper, quoties de Iesu simul ac Maria nomen aliquod aut officium praedicantur, debita analogia ».

Novissima ergo textus verba (linn. 13-14): « etenim nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo », omnino expungenda videntur. Male enim sonant, et nullos revera feriunt scriptores catholicos, nisi forte sanctos illos theologiae gigantes qui edixere Mariam, divinae suae maternitatis ratione, fines veluti Divinitatis attingere... Eos autem gigantes Ecclesia ferire non consuevit.

4. [*De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris*].

Pag. 10, lin. 15, pag. 11, lin. 5. Haec omnia *praetermittenda* videntur, ob rationes quae sequuntur:

1) Cuncta ista nihil sunt nisi duorum documentorum pontificalium repetitio, scil. *Ineffabilis* Pii IX et *Munificentissimus* Pii XII; et quidem repetitio abbreviata, nihil certi addens, et minoris auctoritatis: *a*) perquam abbreviata: ut patet; *b*) nihil certi addens: ut pariter liquet, et ex secunda ratione mox luculentius innotescet; *c*) minoris auctoritatis: *Ineffabilis* enim ac *Munificentissimus,* saltem definitionis irreformabilis ratione, quae in utroque documento exstat, constitutionem exsuperaret huius Concilii.

Si autem n. 4 velit servari, nonobstantibus his rationibus quae graves videntur, sequentibus criteriis deberet aptari.

1) latinitas expolienda esset, eadem vel similia verba saepius repetita devitantes, verborum ordinem in melius commutantes etc.;

2) ea quae ad mortem B. Mariae referuntur expungenda essent, ne Concilium, cum ad discutiendum de illa re pervenerit, tempus insumat in negotio *nullius momenti dogmatici ac pastoralis,* cum fidelium et infidelium exigua aedificatione: de re enim agitur non tantum inter theologos disputata, sed quam Pius XII, in constitutione *Munificentissimus, studiose* vitavit, ut manifeste appareret etiam ex sola, sed attenta, textus inspectione.

Ergo, si hic n. 4 in constitutione servaretur, quoad B. Virginis mortem, res ita deberent disponi ut vel studiose eius affirmatio vitetur, vel hypothetice proponatur (« si... »), vel historice referatur, quin decretum eam velut assumat: sicut se gessit Pius XII in *Munificentissimus* cum historice, et quidem verbum adhibens praeteriti temporis (« fuit »), antiquorum fidelium persuasionem recolens, scripsit: « ... haud difficile iisdem fuit assentiri magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenam suum, ex hac vita decessisse ».

His autem quaedam sunt reverenter at necessario animadvertenda circa ea quae in prima medietate pag. 28 (in notis, ergo) proferuntur:

a) Verba Pii XII ex *Munificentissimus* deprompta, *afferri nequeunt* ad illius Pontificis propriam mentem illustrandam, cum ibi Papa *historice* antiquorum sententiam recolat, non autem persuasionem suam aperiat;

b) Ad Pii XII mentem, quoad Virginis transitum, *positive* investigandam, cf. *Ragguaglio Mariano,* 1950, p. 65, ubi photographicum specimen cuiusdam precis exhibetur, ab ipso Pio XII revisae, in qua, *sua pontificali manu,* ea quae ad Virginis in caelum assumptae mortem referebantur, ipse atramento suppressit, ipsam autem vocem « *morte* » ita atramento *cooperuit ut vix adhuc legi queat...* Quid hoc significat? Unum e duobus vel Pontificem nolle ut de tali re agatur, aut inclinare ad sententiam morti adversam. Et hic de *textu* agitur, non de quodam vulgi rumore...;

c) Tandem, non sine stupore, in eadem p. 28, leguntur verba « Traditio... sull'argomento di tradizione ». Quo pacto enim parallelismus seu comparatio institui potest inter *singularem catholicorum antistitum et fidelium conspirationem,* qui *fere unanimi consensione* assumptionis definitionem petiere, et traditionem de morte Virginis? Etiam concesso esse antiquissimam et constantem, numquid est certe *divino-apostolica?!* Numquid, quoad hanc, sicut pro assumptione, « directo atque ex auctoritate » Summus Pontifex omnes interrogavit episcopos? Certe non! Numquid episcopi, suam clerique ac populi sibi respective commissi mentem aperientes quoad assumptionem, eadem prope unanimi consensione asseruerunt Mariam mortuam esse et id definibile autumarunt? Certe non, fatente ipsa harum paginarum notitia (cf. pag. 27, nota 26): « Plus quam *tertia* pars... *dimidia* pars... »! Quale discrimen inter prope unanimem consensionem quoad assumptionem, et tertiam vel dimidiam partem quoad mortem! Parallelismus seu comparatio inter assumptionem et mortem tunc tantum institui posset si episcopi, a Summo Pontifice « directe et ex auctoritate » interrogati, sicut praestiterunt pro assumptione, ita et pro morte, prope unanimi consensione affirmarent Virginis mortem esse definibilem ac definitionem peterent. Tunc revera, etiam quoad mortem, singularis antistitum ac fidelium conspiratio manifestaret mentem magisterii ordinarii universalis Ecclesiae; et tunc solum illa conspiratio seu doctrina « *per seipsam* » ostenderet sententiam morti faventem non esse mere historicam, sed *theologicam, immo originis divino-apostolicae, ideoque divinae infallibilis revelationis testem!* Numquid huc sumus? Ideoque ea quae latine et italice, in praedicta prima medietate pag. 28 referuntur, accuratius deberent considerari, quia fortasse parallelismus inter doctrinae statum quoad assumptionem et quoad mortem iure meritoque nondum institui potest. Consultum ergo videtur mortis mentionem vitari, eo vel magis quod inter Mariae ac nostrum transitum esse posset non univocitas sed analogia: quatenus in transitu nostro, anima a corpore separatur separatione mortis; dum in Mariae transitu, anima separari a corpore ad tempus potuit non morte, sed vehementissima *extasi,* de qua loquitur Paulus *2 Cor.* 12, 1-4 (et S. Theresia Abulensis) quam non resurrectio secuta esset sed assumptio tantum, vi cuius corpus, animae raptae iterum coniunctum, ad caelum evectum fuisset.

Et, revera, si attendatur non tantummodo *antiquissima* illa mortis traditio, sed et *omnium temporum universae Ecclesiae* sensus, dici nequit Ecclesiam sentire Mariam mortuam fuisse univoce uti nos...

His quoque considerationibus suadetur ut etiam hoc decretum a *mortis* mentione abstineat.

Textus ergo, si servari velit, ita posset aptari: « Maria Virgo a Deo, qui ineffabili eam est prosecutus amore, privilegiis plane singularibus ditata est mirabilis in ortu, in Conceptionem immaculatam, mirabilis deinceps, cum omnis personalis culpae expers, ac simul mater semperque virgo, mente et carne exstiterit; mirabilis tandem in exitu,

[1]

quia, expleto vitae temporalis cursu, corpore et anima gloriose est in caelum assumpta.

[2]

quia si, secundum antiquam ac venerabilem traditionem, mortem subiit temporalem, quo plenius Filio suo conformaretur, nexibus tamen mortis deprimi procul dubio minime potuit, et, ut catholicae fidei dogma tenet, corpore et anima gloriose est in caelum assumpta.

Quae singularia privilegia aliaque gratiae dona, intuitu meritorum redemptoris divinitus Mariae collata vel ab eodem profluentia, ita in Christi honorem redundant, ut excelsa Matris munera contemplari nequeamus, quin ipsius Filii bonitatem, amorem, omnipotentiam miremur ac celebremus.

Sicut enim matris iniuria afficit filium, ita et matris gloria in filium redundat: ideoque, eo quod Maria singularem cum Nato suo affinitatem habuerit, decuit ut ex praevisis perfectissimi Salvatoris meritis, totius sanctitatis auctoris, — qui ad peccatum destruendum venit in mundum —, inde a primo conceptionis instanti ab omni culpae labe praeservaretur immunis, atque longe ante universos angelicos spiritus ac sanctos tot gratiis ornaretur ac donis, ut Dei Patris filia, Verbi mater, Spiritus Sancti sacrarium, omnibus creaturis dignitate praecelleret.

Plane quoque oportebat ut Filius, qui peculiari Genitricem suam prosequebatur dilectionis affectu, — quique corporalem Matris integritatem in ipsomet partu incorruptam veluti atque illibatam servare, ita ut « virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo » effunderet —, corpus illud, augustum divini Verbi tabernaculum, totum sanctum, totum castum, in cinerem resolvi non pateretur ».

5. [*De cultu erga beatissimam Mariam Virginem*].

Pag. 11, linn. 6-28. Doctrinae soliditas, styli perspicuitas, pastoralis sollicitudo postulare videntur ut cultus erga Deiparam fundamenta seu radices vel rationes recolantur. Non videtur ergo sufficere quod *generice* dicatur: « Quoniam... Virgini singularis competit excellentia... ».

Fundamenta autem haec seu radices vel rationes ad unionem reducuntur inter Patrem, Filium, Spiritum Sanctum ac Mariam et vicissim, atque inter ipsam et nos ac vicissim.

Recolenda sunt ergo, ut sequitur vel alio meliori modo: « Cum igitur, ut dictum est, Deus Mariam prae omnibus creaturis cunctisque sanctis, aeterna caritate dilexerit atque incessabiliter diligat; ipsa vero, perfectione quam nullus unquam attigit vel in posterum attinget, Altissimum ex toto semper redamaverit ac redamet corde, ideoque mutua strictissima perpetualiter nectantur unione, hinc manifesto sequitur ac liquet pleno Dei cultori impossibile esse Omnipotentem debita, scil. latriae, adoratione revereri, quin dilectissimam immensisque, immo singularibus,

gratiarum monilibus decoratam, summi Patris filiam, Incarnati Verbi matrem ac sociam, necnon Sancti Spiritus habitationem, congruo, hyperduliae nempe, cultu haud venerari.

Idipsum quoque innotescit si relationes considerantur non unice Deum inter et Mariam atque vicissim, sed praecise Christum inter ac Mariam per respectum ad nos et vicissim. Cum enim B. Virgo, divinae maternitatis titulo atque associationis cum Iesu in redemptionis ac mediationis opere, Ecclesiae omniumque etiam hominum, licet non eadem perfectione, mater exstet, eamdemque, immo et eosdem, incensissimo more perdiligat; hinc sequitur profecto ac patet, Ecclesiam imprimis, ac universarum quoque gentium familiam, non eadem quamvis perfectione, ad tantam Matrem medullitus redamandam inclinari ac teneri, immo et peculiarissima veneratione prosequi ».

Cultus fundamentis, radicibus, rationibus ita, vel alio meliori modo memoratis, addi poterunt ea quae hic, scil. in decreti schemate exhibito, afferuntur, nonnullis tamen inductis mutationibus minoris momenti, ut, e. g.: lin. 12, loco « cunctis » ponatur « permultis »: buddistae enim aliive beatam Virginem non colunt; « ab universis ritibus », addatur: « Ecclesiae »; lin. 19, loco « igitur » ponendum videtur « enim», ut ea quae ibi dicuntur, appareant non abstracte asserta, sed tamquam praecedentis assertionis probatio; etc.

Textus ergo, his aliisve parvis mutationibus, etiam elegantiae causa, inductis, sic exhiberi posset: « Quoniam igitur beatissimae Virgini haec singularis competit excellentia, ita etiam ut a Dei nuntio Gabriele archangelo " gratia plena " (*Lc.* 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres salutari meruerit (cf. *Lc.* 1, 42), nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit " beatam me dicent omnes generationes " (*Lc.* 1, 48), ab innumeris pene gentibus et ab universis Ecclesiae ritibus, suffragiis saeculorum decursu continuo crescentibus,[35] omni quidem cum laude " beata " praedicatur, atque ut talis amatur, colitur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur.[36]

Tantum vero abest ut singularis huiusmodi marialis veneratio, divino latriae cultui, quo Incarnato Verbo quemadmodum et Patri et Spiritui Sancto adoratio exhibetur, detrimento sit, quin potius illi quam maxime faveat.

Variae enim erga Dei hominumque Matrem formae pietatis, quas Ecclesia — intra sanae et orthodoxae doctrinae limites, pro temporum et locorum conditionibus et pro fidelium indole atque ingenio — approbavit, ad id spectant ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri omnem plenitudinem inhabitare complacuit (cf. *Col.* 1, 19), rite agnoscatur, ametur, glorificetur eiusque serventur mandata; et sic per Christum, qui est " via, veritas et vita " (*Io.* 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque perducantur adorationem ».

Linn. 29-34. Propositio emendetur, ut vitentur duo « ut »; loco vocis « sana », quae lin. 20 adhibita est, ponatur « sincera » (vox tridentina); potius quam « eodemque tempore admonet episcopos », dici elegantius posset « simulque episcopos admonet », licet perpendendum sit an congrue Concilium, quod omnibus episcopis constat, dicatur episcopos admonere... At, transeat! Futuros praesertim respiciet episcopos!

Textus ergo ita posset expoliri: « Quam sinceram, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto recolit, simulque episcopos reverenter hortatur ad theologis divinique verbi praeconibus sedulo invigilandum, ut ab omni falsa veritatis super-

latione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda et illustranda, abstineant [37] ».

Pag. 11, lin. 35 - pag. 12, lin. 5. Ne calamum quassatum videamur confringere, aut linum fumigantem exstinguere, ita textus aptari posset: « Utriusque ergo sexus fideles omnem vanam respuant credulitatem, ac veram devotionem meminerint non in quodam tantum unius momenti affecto proprie consistere, at e sincera et plena fide, caritate scilicet informata, procedere; qua ad Iesu Matrem ex animo diligendam (cf. pag. 11, lin. 14 et pag. 12, linn. 8-9) adducimur, ideoque ad unionem cum ea, atque ad virtutum imitationem illius beatissimae Virginis,[38] quae " ancilla Domini " (*Lc.* 1, 38), humillima et oboedientissima fuit, quaeque fidelissime servavit, ea " conferens in corde suo " (*Lc.* 2, 19), quaecumque ad Verbum Incarnatum pertinebant (cf. *Lc.* 2, 51), beata quia credidit (cf. *Lc.* 1, 45) salutata. Nihil enim materna Mariae propinquitas profuisset, " nisi felicius Christum corde quam carne gestasset " [39] ».

Pag. 12, linn. 6-10. Haec satis contorta propositio, pulchram quidem rem asserit, at quae in perpetuo quodam Concilii decreto posset omitti. Si autem servabitur, ita fortasse posset planius proponi: « Quo Domini ac Salvatoris nostri Matrem honore debito ipsos quoque haud paucos fratres separatos prosequi, potissimum vero orientales, — qui in Deiparam peculiari modo colendam fervido quodam feruntur impulsu [40] —, magnum sacrae Synodo gaudium ac solatium affert ».

Linn. 11-13. Haec quoque propositio posset omitti. Si servabitur, ita forsan leviter expoliri posset: « Hinc manifesto patet perperam ac immerito cultum erga Dei Genitricem exprobrari catholicae Ecclesiae, tamquam si exinde ex uni Deo ac Iesu Christo cultui debito aliquid subduceretur ».

6. [*Maria SS. fautrix unitatis christianae*].

Sicut praecedens n. 5, ita et hic n. 6, taliter exhibendus est ut eiusdem connexio pateat cum principiis, in praecedentibus numeris, praesertim 2 et 3, positis.

Ideoque, talibus principiis ad memoriam revocatis, ita numerus aptari posset.

Pag. 12, linn. 14-20. « Maria, Virgo sanctissima, alma redemptoris genitrix atque socia, omniumque gratiarum mediatrix, cum in Calvario universos homines materno cordi publice solemniterque in praedilecti apostoli Ioannis persona commendatos habuerit, vehementer cupit ut non modo illi qui uno sunt donati Christi baptismate, unoque Spiritu aguntur,[41] verum etiam ii qui se a Domino Iesu fuisse redemptos ignorant,[42] una eademque, sive cum divino Salvatore sive inter seipsos, fide et caritate cohaereant ».

Linn. 20-27. Latinitas leviter est expolienda, etiam ut triplex particulae « ut » adhibitio vitetur: « Quapropter certa spe ac fiducia Sancta Synodus nititur fore ut haec Dei hominumque Mater, — qua interveniente (cf. *Io.* 2, 3) Incarnatus Filius in Cana Galileae primum operatus est signum, ex quo in eum crediderunt discipuli eius (cf. *Io.* 2, 11), quaeque Ecclesiae nuper ortae adstitit,[43] — patrocinio suo a Deo impetret ut omnes in eumdem gregem sub uno Pastore tandem aliquando conveniant (cf. *Io.* 10, 16) [44] ».

Linn. 27-36. Etiam in hac propositione adsunt duo « ut », quae eam minus planam reddunt. Posset ergo ita perfici: « Quamobrem universos hortatur fideles, ut hanc ad unitatis fautricem,[45] atque christianorum Adiutricem, supplicationes instanter effundant; cuius potenti intercessione permotus, cunctas gentium familias, illos praeprimis qui christiano gloriantur nomine, divinus eius Filius in unum Dei populum congreget, qui Christi in terris vicarium, B. Petri successorem,

— quem in Ephesina Synodo, ubi divinae maternitatis dogma sollemniter sancitum fuit, unanimi plausus Patres " fidei custodem " merito consalutarunt — tamquam communem Patrem amanter agnoscant ».

Animadversiones additae:

Nomine plurimorum Patrum, non spiritu novitatis sed verae caritatis et amore veritatis ductus, loquor de argumentis hucusque adductis contra distinctionem schematum *de Ecclesia* et *de B. Virgine Maria*. Et imprimis sequentia notare vellem:

a) Et ipse em.mus card. Franciscus König bene novit vim argumentationis em.mi card. Rufini Santos cum scripserit: « his omnibus perlibenter et ex corde consentio »;

b) Ex argumentis hucusque adductis, unum potissimum colligitur: nexus scil. inter Mariam et Ecclesiam; ex quo tamen concludere fas est:

1. ergo schema de Ecclesia, uti prostat, est imperfectum. Ratio: de Maria nihil dicit.

2. Defectus vero non corrigitur per simplicem appositionem novi capitis in fine schematis. Ratio: defectus non est post finem tractationis sed in ipsa tractatione: ubi vulnus, ibi remedium!

3. Et theologi ad confectionem schematis propositi certe sciebant nexum adesse inter Mariam et Ecclesiam; unde rectius de hoc schemate dicere fas sit « taliter a talibus studiose proponi ut exigat novam ac pleniorem tractationem de B. Virgine Maria ».

4. Denique plura argumenta multoties peccant contra illam syllogismi regulam quae sic enuntiatur: terminus esto triplex: multoties enim ex ordine reali ad logicum illogice fit transitus.

Sed ad singula prolata argumenta veniam!

1. « Maria est membrum Ecclesiae Christi; ergo de illa fiat sermo ubi de Ecclesiae membris disseritur ». Verum esse videtur, at contra est:

a) Maria non est ut cetera membra Ecclesiae. Ex singulari missione, singularibusque privilegiis singularis tractatio!

b) Nexus inter Mariam et Ecclesiam reale est, tamen: 1. Multa privilegia mariana, certe, antecedunt Ecclesiam; 2. Maria operata est etiam quando Ecclesia nihil erat, ut in Evangelio prostat; ergo Maria non potest simpliciter connumerari inter cetera membra Ecclesiae Christi!

c) Exaggerationes in mariali cultu reapse existunt; at Concilium est optima occasio ut omnibus, catholicis et non catholicis, dicatur quid de Maria sentire debemus ut, depulsis erroribus, foveatur vera devotio. Quod si

d) Verba Papae Pauli VI f. r. in solemni quodam sermone prolata aperte demonstrant Mariam esse membrum et typum Ecclesiae, eo ipso demonstrant illam non esse ut cetera membra populi Dei; ergo ad sententias oppositas distrahi possunt! Ac insuper addere possumus: Summus Pontifex dixit, sed omnia dixit?... si circumstantias inspicimus, non omnia erant dicenda: ergo stat difficultas! Et si malitiae tandem indulgerem, dicere fas mihi esset: Summus Pontifex tot confusiones vidit ut ad Mariae patrocinium commendavit incolumitatem saltem quarundam veritatum!...

2. « Schema separatum a pluribus acciperetur uti nova definitio marialis. Ergo, quae de Maria dicenda sunt, in schemate *de Ecclesia* dicantur ». At contra est: *a*) plura schemata prae manibus conciliares Patres habent et nemo illis vim

definitionis tribuit; *b*) schema de B. Virgine Maria, ut cetera, in manibus tradetur illorum qui saltem legere sciunt; et ex contextu clare apparebit non agi de definitione.

3. « Maria est Ecclesiae typus; ergo bonum videtur de illa sermonem facere quando de Ecclesia sermo fit »; at contra est:

a) Certe Maria est typus Ecclesiae, sed Ecclesiae est ne tantum typus?...

b) Si typologia est tanti momenti in ecclesiali theologia, quare de patriarchis et prophetis nullus fit sermo in schemate — et ipsi pertinent ad typum Ecclesiae! — et tantummodo de Maria fieri debet?...

c) Cum plura, in Maria, typologiae Ecclesiae non accommodentur, rectius dicendum esset: 1. quae typologiae Ecclesiae accommodantur, in schemate *de Ecclesia* dicantur; 2. quae vero typologiae Ecclesiae non accommodantur, alio in schemate proponantur: et sunt plura, et maximi momenti!...

4. « Ex schemate separato, magis videmur honorem tribuere Mariae quam Christo: ergo uniantur schemata! » at contra est:

a) in schemate *de Ecclesia,* nullum habemus caput « de Iesu Christo »; ergo difficultas maneret!

b) E schematis textu de B. Virgine Maria clare appareret Mariam non esse super nec contra Christum;

c) Ipsa confusio pluries et merito denuntiata postulat clariorem expositionem dogmatis mariani; quae confusio facilius dirimitur clara expositione quam silentio vel paucis verbis!

d) Pastorale munus est docere et docere praedicando (« vaeh mihi si non evangelizavero »); sed praedicare debemus praesertim, dicit Paulus, quando fideles « a veritate quidem auditum avertent... et ad fabulas convertuntur ».

5. Argumentum historicum sic instruitur: « Plura quae de Maria dicuntur, de Ecclesia dicebantur; ergo unica tractatio! » At contra est:

a) antecedens gratis affirmatur, gratisque negatur.

b) Dato et non concesso antecedente; si plura, non omnia! Ergo argumentum non concludit.

c) Elementa de quibus sermo, dicuntur « personalia »; ergo ad Mariam referuntur praedicatione directa et propria; ad Ecclesiam vero praedicatione indirecta seu metaphorica.

d) Metaphorae tamen in theologia et praesertim in constitutione dogmatica conciliari non sunt nimis extollendae; secus et de nobis dicere possent nostri fideles: « a veritate quidem auditum avertent... ad fabulas convertuntur ».

6. Ratio pastoralis sic proposita fuit: « ut populus doceatur de recta fide in Incarnationis mysterio, ne negligendo essentialia, ad secundaria et accidentalia tantum abducantur! ». Tamen notandum est:

a) Quo modo ad conclusionem unicae tractationis tum de Ecclesia tum de B. Virgine Maria sit deveniendum ex praemissa posita est difficile scitu.

b) Argumentum posset forsitan concludere si ageretur de Verbo Incarnato, non vero de Ecclesia!

c) Maria, in contextu, apparet ut aliquid mere secundarium et accidentale; quod falsum est!

d) Abusus in mariali devotione non sunt contra schema separatum, immo sunt pro schemate separato ut veritas clarius appareat.

7. Ratio oecumenica, generaliter sic proponitur: « Si de Maria dicimus tan-

tummodo quod est Mater Dei et Ecclesiae typus, et fratres separati nobiscum hanc fidem profiterentur ». Hoc verissimum est, at contra est:

a) Oecumenismus est in confessione vel in occultatione veritatis faciendus?

b) Concilium doctrinam catholicam exponere debet vel doctrinam nostrorum fratrum separatorum?

c) Traditam doctrinam, fidei progressu ipsorumque fidelium sensu fidei per tot saecula clarificatam, cui spernere et oblivisci licet?

d) Occultatio veritatis, nos et separatos offendit: 1. nos quia hypocritae videmur; 2. separatos qui debiles videntur et a veritate offendi.

e) Hodie, convenientes in unum, nos et separati, aperte disserendo, traditionales obiectiones solvere possumus et ad unitatem sternere viam. Hoc opus videtur esse praecipuum Concilii ad Oecumenismum quod attinet; secus, quid prodest remanere corpore uniti et corde et mente separati?

Ex dictis, conclusio! Separentur schemata; fidem aperte profiteamur; magistri simus — uti sumus — in Ecclesia, clare docendo non vero vera occultando, illius Pauli memores: « Ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in caritate, crescemus in illo per omnia, qui est caput Christus » (*Eph.* 4, 12 ss.).

40

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Simul cum his, quae haec Sancta Synodus diserte docet de S. Matre Ecclesia, peropportunum et iustum est ut etiam doctrina proponatur de SS. Virgine Maria, quae Mater Dei est atque nostra. Oblivisci nefas est enim quod Pius XII suavissimis ac fulgidis verbis proclamavit: « (B. Virgo Maria) mysticum Christi Corpus e scisso corde Servatoris natum, eadem materna cura impensaque caritate prosecuta est, qua incunabulis puerulum Iesum lactantem refovit atque enutrivit » (Enc. *Mystici Corporis*).

Maria Mater Ecclesiae! Haec dulcis veritas nos allicit in his quae dicturi sumus:

1. *Sacra Synodus non potest de B. Virgine non agere*: haec assertio obvia apparet. *Primo* propter eminentiam, qua B. Virgo Maria simul est membrum singulare Ecclesiae, et ipsam Ecclesiam transcendit; *postea* quia Maria Mater est Ecclesiae, ipsa enim Ecclesia se proclamat filiam B. Virginis; qua filiatione gaudent non tantum singuli christifideles, sed etiam ipsa societas. *Tertio*, quia Maria est regina, cui Ecclesia sese reverenter subdit atque dedicat. *Tandem*, Maria mediatrix est inter Christum et Ecclesiam, sicut verbis utens S. Bernardi Pius IX edixit.

Insuper, oportet Concilium de B. Virgine loquatur ut pulcherrimam et copiosissimam doctrinam mariologicam, a recenti magisterio Summorum Pontificum emanatam, colligat atque proponat. Attente perpendamus silentium Concilii de hac re, in praesenti animorum statu, a multis interpretandum fore tanquam quaedam praeteritio vel forte subaestimatio, eorum quae in Encyclicis *Mystici Corporis, Munificentissimus Deus, Ad caeli reginam,* aliisque, omnium plausu, fidelibus proposita fuere.

Rationes ex irenismo petitae, ut explicatio magnalium B. Mariae sive omit-

tatur sive imminuatur, eaedem quidem sunt quae saepe iam opponebantur temporibus inde a Pio IX ad Pium XII: quod tamen nullo modo obfuit ut hi venerabiles Pontifices veritatem proclamarent.

Postremo, de B. Virgine Maria silere non licet, cum hoc tempore nostro, non sine magno dolore et scandalo, videamus negari vel in dubium revocari dona atque privilegia B. Mariae a toto populo christiano inde a multis saeculis in pacifica possessione affirmata: v. g. Virginitatem Mariae in partu et cognitionem Divinitatis Filii sui, quam inde ab Incarnatione ipsa Virgo Maria habuit.

2. *Multa in schemate hoc nobis placent.* Imprimis placet doctrina quae in Sacris Litteris et in Ecclesiae Magisterio innititur. Plaudimus etiam manifestam intentionem schematis ut locus qui B. Virgini in Ecclesia competit sua luce exponatur, ut privilegia quibus a Filio suo ditata est recenseantur, utque officia quibus nos ipsi erga Matrem tenemur enuncientur. Quae omnia tendunt ad hoc ut floreat simul lucidior cognitio de B. Virgine et pietas filialis in dies intensior evadat.

3. *Quaedam vero in schemate minus placent. Primo,* ordinatio schematis deficiens videtur, et minus apta ut synthesis doctrinalis de magnalibus atque muneribus B. Virginis obtineatur. Insuper quaedam repetitiones offendunt: sic de praedestinatione B. Mariae sermo fit in repetitis numeris; quod etiam dicendum est de sua cum Christo associatione et de suis muneribus Matris, Reginae et Advocatae. Desideraretur igitur perfectior ordo et claritas.

Secundo, non placet quod verba atque expressiones a Romanis Pontificibus adhibita omittantur, etiamsi doctrina ipsa ab iisdem proposita doceatur. Ratio irenismi, quae in notis profertur, non convincit: quia si reapse mediatio Virginis Mariae docetur, cur vitanda sunt verba « mediatio », et « corredemptio », quibus haec doctrina a Vicariis Iesu Christi exposita fuit? Nisi doctrinam corrigere velimus, non est cur modum loquendi relinquamus.

Tertio, damnatio errorum de quibus supra, directe proponenda esset, non quasi per transennam. Res est enim non parvi momenti, unde oportet ut Concilium clare loquatur ad deviationes theologorum praepediendas.

4. *Ut schema perficiatur,* haec quae sequuntur proponimus. *Absque ambiguitate* extollantur magnalia, missio atque privilegia B. Virginis. Haec est enim veritas, quam Summi Pontifices iterum atque iterum docuerunt, quam etiam Sancta Synodus in luce ponere debet.

Numeri schematis sic redigantur et ordinentur ut facile perspiciantur articulatio atque mira harmonia privilegiorum B. Virginis, ita ut veluti coronam titulorum eius fideles prae manibus habere possint.

Etiam stylus dicendi pro fervore perfundatur ut decet materno officio B. Virginis in familia Ecclesiae.

Ut finem attingam, si Patribus conciliaribus opportunum visum fuerit, etiam in hac constitutione illae acclamationes ac laudes B. Virginis subiungantur, quibus nonnulla praeterita Concilia sessiones claudere solebant; atque in proximo Immaculatae Conceptionis festo uno ore et corde clamemus ad Matrem Dei et Matrem nostram ut, ipsa intercedente, labores nostri fructuosi reddantur.

41

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

This Schema is in general to be commended. It would be well, perhaps, to include some treatment of the Blessed Virgin Mary as the exemplar of the Church (and of the Christian) in receiving and responding to the Word of God.

Page 17 (103) n. 9. The " Fiat " of the Blessed Virgin Mary is here spoken as the " origo " of her mission and glory. Instead of the word origo, which might be misunderstood as meaning source, would it be preferable to use some other expression, e. g., " initium "?

42

EXC.MUS P. D. ANDREAS R. JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

Ce schéma, qui contient certes de bons éléments, a besoin d'une transformation profonde, mieux encore d'une reprise à neuf.

1. Tout d'abord, on doit *regretter* que, contrairement à l'avis de nombreux Pères, *on ait finalement séparé ce schéma de celui de l'Eglise*. Sa brièveté même incitait à ne pas en faire un schéma à part. En intégrant ce schéma dans celui de l'Eglise, on s'opposait par le fait même à une des tentations de la théologie mariale qui est « de considérer Marie pour elle-même, indépendamment du plan du salut, avec le souci dominant de mettre en plus grand relief sa gloire et ses privilèges considérés comme fins en soi »; d'où le danger trop réel d'exagérations sur le plan doctrinal et de déviations dans la dévotion.

Il serait donc souhaitable de voir ce schéma réintégré dans celui de l'Eglise, en mettant en relief le rôle unique de Marie, prédestinée comme associée à la Rédemption, mais aussi sa place suréminente dans l'Eglise. On montrera donc, d'une part, que Dieu n'a pas comblé Marie de grâce par pure complaisance personnelle et pour sa seule perfection propre, mais pour coopérer en proportion au salut des hommes. Sa présence au mystère du salut est toute relative au Christ et au salut des hommes. On montrera, d'autre part, que si Marie est membre de l'Eglise, elle est selon le mot de St Augustin « supereminens membrum »: type et exemplaire parfait de l'Eglise, Marie dépasse l'Eglise et les autres membres en grâce et en sainteté, mais aussi par sa maternité divine et son association à la vie et au mystère du Christ, elle précède et dépasse l'Eglise et est donnée pour mère aux hommes. En situant ainsi la Vierge dans l'Eglise, on manifestera sa signification dans le plan du salut, son point d'insertion et sa fonction dans l'Eglise, et du même coup, dans la vie chrétienne et apostolique. Par ailleurs, cette situation éminente et unique de Marie ne paraîtra diminuer en quoi que ce soit la transcendance essentielle du Christ, puisque la Vierge apparaîtra comme le chef d'œuvre du salut que le Christ réalise dans l'humanité et qu'elle sera présentée, comme dans la Sainte Ecriture, non pour elle-même, mais toute en fonction du Christ et du mystère du salut.

2. On doit louer le schéma proposé de son intention de tenir compte de l'*orientation œcuménique* assignée par Jean XXIII au Concile. Malheureusement

la réalisation n'est pas toujours très heureuse. Par exemple, l'épilogue du schéma (pag. 96, n. 6, lig. 27) invite tous les chrétiens — donc aussi nos frères séparés: orthodoxes et protestants — à prier Marie « fautrix unitatis » afin qu'elle les rassemble « sub uno Pastore » (ici, référence à *Jn* 10, 16); mais il y aurait intérêt à rétablir le texte exacte: « ut fiat unum ovile et unus pastor ». Demander de prier Marie, et surtout de la prier pour que tous les chrétiens se réunissent « sub uno Pastore » ne peut avoir de sens pour des protestants, mais bien plutôt les irriter. Les deux obstacles majeurs à l'union sont précisément: la Vierge et le Pape; évitons de les présenter comme moyen et motif d'union.

3. Le même souci œcuménique a fait, à juste titre, *omettre des expressions* qui, bien que reçues dans l'Eglise et en soi très exactes, si on les comprend bien, cependant prêtent à équivoques. Elles peuvent difficilement être bien comprises par nos frères séparés (cf. pag. 100, 3 *a*) et risquent d'être même mal comprises par des catholiques et de fausser la dévotion des fidèles! On ne peut demander aux fidèles d'entrer dans les subtilités théologiques; il faut être clair et éviter d'attribuer à la Vierge ce qui ne peut lui être attribué dans le même sens et au même titre qu'au Christ. Le Concile est une occasion unique pour faire un redressement nécessaire; le moins que l'on puisse lui demander, c'est d'éviter d'utiliser ces expressions dans le *texte* même. Par contre, il serait bon qu'en *note,* on explique le sens de certaines de ces expressions devenues traditionnelles et pourquoi on préfère désormais ne plus les employer. Ainsi déjà le mot « corredemptrix » n'est pas dans le texte. On pourrait souhaiter que le mot « mediatrix » (cité pag. 95 lig. 3; 31; 41) disparaisse également, imitant la sage réserve de Pie XII et de Jean XXIII à son sujet (cf. et *1 Tim.* 2, 5: unus et mediator Dei et hominum...). Cela répondrait à un double souci: œcuménique et pastoral.

4. Parallèlement à des déviations sur le plan doctrinal, qui ont tendance à assimiler la fonction « corrédemptrice et médiatrice » de la Vierge à celle de l'unique Rédempteur, ce qui nécessite une insistance particulière pour souligner la transcendance essentielle du Christ, on rencontre, sur le plan de *la dévotion,* des déviations contre lesquelles le Concile se doit de prémunir les fidèles. Aussi faudrait-il insister plus qu'on ne le fait dans le texte (pag. 97 n. 5, lig. 30, 35...) sur ce point, se montrer plus explicite sur les abus: dévotion mariale prenant la première place et érigée en panacée universelle, pratiques presque superstitieuses... On ne saurait trop aimer Marie, et dans un sens trop l'honorer, mais encore faut-il l'aimer « bien » et l'honorer, comme elle-même souhaite être honorée, c'est-à-dire en fonction de son Divin Fils. Ces déviations ne sont pas seulement le fait des anciens pays chrétiens; on les retrouve en mission. Un professeur vietnamien de dogme me disait récemment à ce sujet: « L'expérience au Vietnam montre clairement qu'il faut des instructions précises sur ce point ». Et un religieux éminent qui fut autrefois à la tête d'une circonscription religieuse en Chine m'écrivait: « Conviendrait-il d'introduire d'un mot, allusion à des abus manifeste de langage lorsqu'on attribue à Marie les attributs divins: " omniprésence " ou " omniscience "?... Ces mots mal compris par le peuple chrétien ont introduit de véritables erreurs... Nous avons eu au moins en Chine, une véritable difficulté sur ce point, et en conséquence, l'introduction d'un faux mysticisme, sous couleur de dévotion envers la T. S. Vierge ».

5. A propos de la *mort de la Vierge* (pag. 96, n. 4), on peut se demander s'il est opportun de trancher la question, d'imposer une foi dogmatique sur un point

qui ne paraît pas suffisamment mûr. La tradition est-elle suffisamment unanime? Le fait de l'existence d'un tombeau en Terre Sainte est une base bien fragile au point de vue historique. La raison de convenance est certes beaucoup plus valable, mais elle reste une raison de convenance...; on peut douter qu'elle suffise pour ériger en article de foi la mort de la Ste Vierge.

43

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Liceat mihi quasdam proponere emendationes.

Titulus forsan in hanc formam mutari potest: « De B. Maria Virgine Matre Dei et christifidelium » vel etiam: « Matre Dei et hominum ». *Ratio*: titulus « Mater Ecclesiae » convenit quidem B. Virgini, attamen alii tituli in traditione sunt magis usitati. Et antiqua traditio referens ad Ecclesiam B. Virginem magis typum et exemplum Ecclesiae nominat.

Pag. 7, n. 1, post lin. 30: addatur: « Non autem est in intentione sacrae Synodi propositionibus marialibus huius constitutionis novas valoris notas attribuere, quas hucusque nondum habebant, sed singulae propositiones eodem certitudinis gradu praedicantur, quem iam habuerunt in magisterio ordinario Ecclesiae ». *Ratio*: revera iam Praenotanda n. III, pag. 14 (100), linn. 3-7 similiter loquuntur. Attamen etiam in ipso textu hoc clare dicendum est, ne neglectis praenotandis novas definitiones protulisse videamur, quas Ioannes XXIII beatae memoriae papa hoc in Concilio inopportunas iudicavit. Tollantur ergo omnes timores, ne post Concilium celebratum quidam censeant omnes huius Constitutionis praepositiones esse v. g. de fide divina definitas. Huius modi dubiis sublatis multo facilior hoc schema erit discutiendum.

Pag. 8, n. 2, linn. 31-32: in hanc formam mutentur: « proinde non, ut quidam aiebant, " in peripheria " vel in vestibulo, sed in ipsomet sanctuario Ecclesiae sub Christo in Spiritu Sancto collocari ». *Ratio*: «peripheria » et « centro » non placent, sunt verba non sacra et ex geometria desumpta. De cetero illud infaustum effatum de « peripheria », quod hic in memoriam revocetur, iam satis superatur et eliminatur per ea quae in toto contextu de B. M. V. dicuntur. Ideo linn. 31-32 etiam simpliciter possint deleri.

Pag. 10, n. 3, lin. 10: post verbum « pietatis » adiungatur: « et ad Spiritum Sanctum, quo cooperante Christus mundum vivificavit per eum semetipsum offerens immaculatum Deo (*Hebr.* 9, 14), quique postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* 8, 26) ». *Ratio*: cum de B. Virgine agamus, non omittenda videtur Spiritus Sancti operatio. Etenim in Canone Missae Missalis Romani in oratione secunda ante Communionem dicitur: « Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, mundum vivificasti ». Et idem magis explicat Leo Papa XIII in suis Encyclicis Litteris *Divinum illud munus* (*A.S.S.*, XXIX, p. 648), ubi dicitur de Christo: « omnis eius actio praesente Spiritu agebatur praecipueque sacrificium sui: Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo » (*Hebr.* 9, 14).

Pag. 11, n. 5, lin. 30: loco verborum « eodemque tempore » ponatur: « simulque ». *Ratio*: sensus idem est, sed non insistitur in temporis momento.

44

Rev.mus P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S. I.

Omnino placet proponi schema aliquod de B. Virgine. In schemate proposito multa bona et optima reperiuntur; et tamen schema in genere non placet. Nam:

Quamquam theoretice omnino verum est honorem Matri exhibitum minime detrahere honori Filio debitum, de facto tamen videmus non paucos fideles, in regionibus imprimis minus cultis, vel ubi magis invalescit ignorantia religiosa, B. Virginem pari, ne dixerim quandoque maiore honore colere quam ipsum Christum.

Quod incommodum, nedum praeveniat schema, potius augebit. Non sufficit per transennam dixisse Christum eiusque Matrem tantum ab invicem distare quantum Deum a pura creatura; cum vident populares Mariam Virginem magis magisque assimilari Christo, notionem discriminis inter utrumque amittunt.

Prudentius proinde loquatur schema.

Mihi non placet, quamquam iam apud multos est in longo usu, vox « mediatrix » B. Virgini tributa, idque ob causas ordinis pastoralis. Notio quidem « mediationis » B. Mariae Virginis rectissima est. Sed vox « mediatrix » nata est insuperabilem confusionem gignere in mente fidelium minus alte instructorum: Christus est Mediator, pari passu Maria mediatrix! Praeterea vox « mediatrix » protestantes non paucos confirmabit in suo praeiudicio, catholicos Dominum eiusque Matrem pari honore colere. Ad quid adversarios irritare si id vitari potest?

Si loco vocis « mediatrix » utatur Concilium voce « Advocata » vel simili, incommoda praeveniuntur.

In specie autem vox « *omnium* gratiarum mediatrix » (n. 3, pag. 9, lin. 31) quippe cum haec doctrina minime matura videatur, non placet in textu Concilii alicuius Oecumenici. Sinatur doctrina maturari.

Immo minus placet id quod n. 2, pag. 8, linn. 25-26, de Maria tamquam « gratiarum administra et dispensatrix »; hoc enim prout iacet soli Deo convenit.

Alia particularia:

N. 2, pag. 8, lin. 16: minus placet in Concilio ad asserendam maternitatem universalem B. Mariae Virginis, explicite appellari textum *Io.* 19, 26-27. Illa maternitas solidis argumentis theologicis probatur, quin oporteat recurrere ad explicationem symbolicam huius textus. Hanc piam explicationem textus adhibeant praedicatores et pii auctores — immo Summi Pontifices in homiliis —, sed ne canonizetur in Concilio.

N. 4, pag. 10, linn. 21-22, non placet illud « secundum antiquam et venerabilem traditionem ». Aliud est traditio ordinis dogmatici, aliud traditio historica seu humana. Haec enim non fit « venerabilis » quia est antiqua; interpretatio Scripturae de forma non sphaerica terrae, erat antiqua cum Galilaeus eam reiecit; minime ideo erat « venerabilis ». Nihil est venerabile eo solo quod est antiquum.

Omnino inclinor in sententiam B. Mariam V. esse mortuam antequam in caelum assumptam; quare autem Concilium canonizat sententiam de qua adhuc dissentiunt theologi etiam ex piissimis?

N. 4, pag. 11, linn. 1-2: ex notis patet velle auctores schematis non tantum affirmare virginitatem in partu, de qua nemo dubitat (nam verum non est auctores

qualis Galot qui in nota 32 appellatur, asserere univocam esse virginitatem ante partum et virginitatem in partu, uti constat attente legenti articulum) sed modum anatomicum illius virginitatis definire. De qua re, quamquam traditio a tempore S. Ambrosii communis videtur, non consentiebant antiquiores Patres.

Hic videtur iterum praevalere tendentia quam saepius advertimus in schematibus commissionis theologicae anteconciliaris, imponendi inter sententias a theologis catholicis agitata, sententiam quae sibi praeplacet.

N. 5, pag. 11, linn. 15-19: haec theoretice et de iure sunt vera; de facto autem uti superius dixi, non adeo sunt.

N. 5, pag. 12, linn. 6-13: omittantur. Non nostrum est dicere quid de nostra doctrina sentiant alii.

45

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS IOSEPH KOWALSKI
Episcopus Culmensis

Fides quae tenet Deiparam Virginem Mariam esse etiam Matrem Ecclesiae semper in Ecclesia vivens erat: ita S. Irenaeus, in opere suo *Contra Haereses* Mariam cum Heva comparans scribit: « sed haec (= Maria) suasa est oboedire Deo, uti virginis Hevae fieret advocata » (cf. *Contra Haer.,* V, 19; PG 7, 1179).

Illam comparationem primae et secundae Hevae posteriores Ecclesiae Patres iterum ac iterum considerantes idem diverso modo affirmant.

Apud Tertullianum ita legimus: « Crediderat Heva serpenti: credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit » (cf. *Liber de carne Christi,* cap. 17; PL 2, 782).

S. Augustinus in libro *De sancta Virginitate* (cap. 6; PL 40, 303) ita de Maria loquitur, est « plane mater membrorum eius, quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt: corpore vero ipsius capitis mater ». Alio autem loco: « Quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam (= Mariam) nasceretur » (cf. *De agone christiano,* cap. 22; PL 40, 303).

Quae affirmatio antea apud S. Hieronymum ita breviter sonat: « Mors per Hevam, vita per Mariam » (cf. *Epist.* XXII, cap. 21; PL 22, 408). Similiter postea S. Ioannes Chrysostomus (cf. *Homil. in Sanctum Pascha,* 2; PG 52, 768: « Pro Heva Maria ») expositionem suam in Ps. XLIV faciens affirmat: « Virgo nos paradiso expulit; per Virginem (= Mariam) vitam aeternam invenimus » (cf. PG 55, 193).

Quam seriem citationum liceat concludere verbis S. Petri Chrysologi: « Et facta est vere nunc (Maria) mater viventium per gratiam » (cf. *Sermo CXL*; PL 52, 576).

Nec omittere possumus unum saltem monumentum archeologicum saec. IV; in catacumba sic dictum « maius » invenimus Mariam « orantem » coram Christo. Quae imago « Mariae advocatae », i. e. Mariae munus Ecclesiae fungentis traditionem S. Irenaei evocat et confirmat (cf. Wilpert, *Pitture delle Catacombe,* tav. 207, 209).

Simili inquisitione facta doctus Iesuita contemporaneus ausus est tamen concludere: Pietas christiana primi millennarii novit solummodo impliciter, Mariam esse Matrem nostram! (cf. P. Stäter, S. I., *Maria im Reiche Christi,* Paderborn 1958,

p. 36). Idem auctor, historice rem tractans, affirmat et probat, maternitatem Mariae quoad Ecclesiam, quoad nos theologice elaboratam esse decursu secundi millennii christianismi.

Videamus nunc hanc evolutionem saltem per summa capita!

S. Bernardus, tantum pro mariologia benemeritus, caret invocatione: « Maria, Mater christianorum! ». Invenimus tamen eandem iam apud discipulum eius (talem abbatem Guericum) ac in scriptis posterioribus, quorum redactio a nonnullis pro S. Alberto Magno revindicatur.

Maximi momenti pro ulteriori evolutione apparet magisterium Summorum Pontificum.

Ita, tempore post-Tridentino, S. Pius V et Gregorius PP. XIII expressionibus ut « Mater misericordiae », « Mater gratiae » peramanter utuntur. Ad inveniendum tamen expressionem, quam nunc saepius audire soliti sumus, debemus in saeculum XVIII transire, ubi Benedictus XIV (cf. *Bulla aurea,* die 27 nov. a. D. 1748 data!) et Pius PP. VI Mariam, matrem omnium fidelium declarant.

Saeculo elapso, Pius IX, Papa definitionis Immaculatae Conceptionis dogmatis, saepe saepius in allocutionibus suis ac scriptis utitur expressione « Maria, Mater nostra ».

Hanc invocationem PP. Leo XIII per encyclicas de Ss.mo Rosario tota in Ecclesia divulgavit. Largam acceptationem S. Pontificis invenit ultima formula, ubi inter bonitatem ac Dei misericordiam et nostram miseriam ponit et invocari suadet: Mediatricem, advocatam, B. M. Virginem, « Matrem Dei et amantissimam matrem nostram » (cf. *L'Osservatore Romano,* 28 luglio 1903). Eiusdem S. Pontificis doctrina circa « Mariam, Matrem nostram » tanti est contentus, ut aliae conclusiones theologicae brevi sequuntur, in decursu saeculi praesentis. Decisivus hac in re interventus Summorum Pontificum clare apparet:

S. Pius X: Encyclica pro anniversario L proclamationis Immaculatae Conceptionis dogmatis data die 2 febr. 1904;

Benedictus XV: *Inter sodalicia,* 22 martii 1918;

Pius XI: *Explorata res,* 2 febr. 1923;

Pius XII: *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943.

Scriptum est: Omnis scriba in regno caelorum doctus profert de thesauro suo nova et vetera; similiter Summi Pontifices decursu temporum novum aspectum mariologiae, scil. SS. Mariam esse utique Matrem nostram — de thesauro fidei revelatae nobis in lucem protulerunt!

46

Exc.mus P. D. CONSTANS FRANCISCUS GERARDUS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Animadversiones.

1. Pag. 13. Praenotanda sequentem pro opportunitate huius schematis allegant rationem: « Doctrina de Dei hominumque Matre tali via ac ratione hisce ultimis decenniis et a Summis Pontificibus et ab episcopis et a theologicis pertractata est, ut iure meritoque tum a catholicis tum ab acatholicis expectetur clarum verbum ex quo pateat quid reapse Ecclesia catholica, qua talis, de munere, privilegiis et cultu mariali credit, tenet docetque ». Contra hanc rationem inferri potest, viam ac rationem, qua ab Ecclesia ultimis decenniis doctrina marialis pertractata

sit, praecise talem esse, ut necessitas novae constitutionis a Concilio edendae vix appareat. Hoc magis adhuc valet de hac constitutione, in qua nempe synthesis completa theologiae marialis evolvitur. Speciatim mihi videtur attendendum ad impressionem infaustam, quam constitutio cuius ratio essendi e contextu non patet, inter christianos non catholicos provocare potest.

2. E modo quo doctrina de B. Maria Virgine omnium gratiarum mediatrice in hoc schemate proponitur, quamvis effata maiora theologiae catholicae resumuntur, timeo, ne confusio oriatur tum inter catholicos quum inter christianos non-catholicos. Quemnam valorem adiudicare tenentur tali declarationi doctrinali a Concilio Oecumenico datae? Confusio eo magis praevidenda est quod Constitutio ex una parte characterem dogmaticum in titulo sibi vindicat, dum ex altera parte in praenot. III (pag. 14) dicitur, « nullum novum dogma » in ea proclamari.

3. Quae in ultimis lineis huius schematis habentur, scil. pag. 12, lin. 32 ss. a verbis « qui Christi vicarium » usque ad finem, ad rem vix pertinent ac sensibilitatem fratrum separatorum facile tentant.

Emendationis propositio.

1. Imprimis considerandum mihi esse videtur, an schema tamquam constitutio peculiaris sit edendum vel potius ad caput speciale schematis II *de Ecclesia* sit reducendum.

2. In utraque suppositione hoc schema clariore modo cum argumento schematis II *de Ecclesia* coniungatur, ita ut ratio essendi melius appareat.

3. In iis quae de titulo mediatricis dicenda sunt periculum confusionis elidatur.

4. In pag. 12, linn. 32 ss., scil. a verbis « qui Christi vicarium » usque ad finem, deleantur.

47

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis

In genere.

Proprietates praecipuae huius schematis sunt brevitas, claritas, eius derivatio ex sola Sacra Scriptura et praeviis declarationibus magisterii ecclesiastici. Apte et clare declarata sunt propositum atque momentum schematis apud illa praenotanda quae apparent in fine schematis in pag. 13 (99). Si est possibile et si consentiens cum traditione videtur, fortasse ideae principales in « Praenotanda » expresse incorporari possent in schemate ita ut, si Concilium constituat hoc schema partem decretorum facere, ii qui eis postea studebunt melius Patrum propositum discernere possint. E. g., exprimi possent in schemate: 1. quod Patres nullum habent propositum definiendi novum dogma; 2. quod haec repraesentatio doctrinae traditionalis fundamenta firma habet in Sacra Scriptura et quod nulla est in schemate declaratio quae non iam expressa sit a Summis Pontificibus.

Schema notabile est imprimis quia reiicit errores « maximalistarum » tum « minimalistarum », et deinde, quia per omnia spirat caritatem, spiritum qui cum difficultate sustentatus est contra opiniones aliquorum fratrum separatorum. Praeterea, doctrina aperta schematis non potest argui deceptionis vel mutationis propter spem reunionis. Laudabiliter allata sunt per totum schema plura loca ex Sacra Scriptura, quae maximi habetur a christianis acatholicis.

Forsitan bonum sit si schema faciat mentionem de B. Virginis realitate historica. Sanctitas Mariae singularis factorum vitae eius recordatione optime intellegi potest.

In specie.

1. *Titulus.* Aliquis potest sese titulo B. Virginis « *Mater Ecclesiae* » opponere propter eandem rationem ac afferat contra titulos « Ecclesiae exemplar » et « Filia Patris », de quibus tractabitur infra (pag. 7, lin. 22; pag. 10, lin. 36). Titulus « Mater Redemptoris » videtur exprimere melius positionem essentialem Mariae in oeconomia salutis et eodem tempore significationem aliarum praerogativarum quae consequuntur illam positionem, continet.

2. Pag. 7, lin. 22: cum in praenotandis declaretur omissas esse quasdam expressiones et vocabula a Summis Pontificibus adhibita, quae « licet in se verissima, possent difficilius intelligi a fratribus separatis » (pag. 14 sectio IV, 3, *a*), melius forsitan esset evitare titulum « (Ecclesiae) exemplar ».

3. Pag. 9, lin. 10: ordo verborum, « vehementius item quam quae maxime », tali modo componitur ut sententia fiat difficilis intellectu. Significatio huius lineae et earum quae sequuntur remanet satis obscura.

4. Pag. 10, lin. 36: propter rationem supra allatam (pag. 7, lin. 22), melius esset omittere titulum « filia Patris ».

5. Pag. 10, lin. 40: loco « *incorrumptam* » melius esset scribere « *incorruptam* ».

6. Pag. 12, linn. 11-13: forsitan veritas his lineis declarata debeat exprimi magis positive ne sententia nimis defensiva appareat. Cum quidem veritas haec satis bene stabiliatur per loca ex Sacra Scriptura allata et dicta Patrum Antiquorum, hae lineae revera sapienter omitti possint.

48

Exc.mus P. D. AMEDEUS LEFÈVRE
Archiepiscopus Rabatensis

Hoc schema mihi videtur funditus reformandum. Etenim:

1. Ante omnia Conc. Oecum. Vaticanum II, de die in diem, magni momenti fecit finem oecumenicam, a S. S. Ioanne XXIII intentam. In omnibus schematibus, semper haec finis ultima ante oculos Patrum habenda est. Quanto magis nihil scribendum et declarandum est quod quoquo modo relationes inter catholicos et alios christianos aggravesceret!

Dummodo aliunde, nullae graves nec urgentes errores de B. Maria Virgine in Ecclesia catholica vivescunt, mihi videtur melius esse Concilium iam tam graviter sollicitum ex multis et difficillimis quaestionibus, non tractare de B. M. V. privilegiis ab omnibus catholicis fidelibus agnitis.

2. Attamen si forte tractandum est de doctrina hac, totum schema de B. M. V. iungendum est cum schemate *de Ecclesia* (vel potius: reintegrandum est... quia infaustissime ab illo fuit seiunctum).

Et hoc quidem manifeste convenit dum ipsum schema (in art. 3, pag. 10, linn. 5 s.) enixe hortatur theologos et praecones ut sedulo adnitantur studium imprimis Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad sensum magisterii Ecclesiae excolentes, in vera luce ponere munera et officia B. M. Virginis cum aliis dogmatibus connexa.

At certe apud Patres, et iam in apocalypsi Ioannis apostoli, Maria apparet typum gerens Ecclesiae, ita ut doctores saepe dubitant utrum aliquis textus unam respicit, vel aliam, vel ambas simul. Et ideo Concilium debet praebere exemplum in hac perutili agendi ratione.

3. *Mediatio* B. M. Virginis arduarum difficultatum causa non tantum de vocabulis sed etiam de re ipsa, minime videtur attigisse enucleationem omnino requisitam ad declarationem dogmaticam. (Etenim: inscriptio schematis huius est « schema constitutionis dogmaticae »). Mediationem B. Mariae omnes admittunt in Ecclesia sed multae opiniones de hac doctrina legitime disputantur. Quid ergo et qua necessitate impulsum, Concilium vellet thesim vere incertae interpretationis definire dum nullum est negationis periculum?

4. Si pensamus textum (pag. 9 [95], lin. 3) comparatio cum intercessione Pauli apostoli in terris degentis valde inepta est, et iam in ipso schemate affirmatur omnino deficiens! Mediatio Mariae est vere dissimilis, unica et eminens in singularitate sua. Sed e contrario, si mediatio ponitur ut ex ista affirmatione dimanet argumentum ad roborandam thesim de « corredemptione » omnino deploramus hanc connexionem inter veritatem ab omnibus admissam et alteram a multis doctoribus iure impugnatam. De hac re aliquid dicemus in suo loco, sed nunc requirimus plenam lucem in expositione intentionum Concilii. Renuimus omnem ambiguitatem et minimam aequivocitatem in tam gravi materia.

5. In Praenotandis (pag. 14 [100], art. IV) legimus cum stupore... Paulo antea, redactores schematis (pag. 10, lin. 5) omnes hortantur ut se referrent ad S. Scripturam et SS. Patres, et nunc ad iustificandas affirmationes suas de B. M. V. privilegiis, asserunt se hausisse singulas propositiones in tot et tantis documentis marialibus Romanorum Pontificum! Miror talem auctoritatem tributam esse, in constitutione *dogmatica,* dictis documentis pontificalibus inter quae fere omnia indole « doctrinali » carent, sed magis pietatis et devotionis exhortationes apparent. Insuper « errores » (?) denuntiatae (Art. IV § 2) in Praenotandis repente surgunt, de quibus nullus sermo fit in ipsius schematis corpore. Et hoc videtur incongruum.

6. Affirmatio, non quidem expressa sed larvata, adumbrata, pluries insinuata, de participatione B. M. Virginis redemptioni « *obiectivae* » ut aiunt, nobis displicet. In primis quia in tanti momenti declaratione sermones et positiones, ut nuper diximus, apertissimae esse debent sine ulla dubitationis causa. Secundo: textus schematis sic condemnaret opinionem multorum peritorum huic doctrinae inimicorum. Verba « redemptionis obiectivae » quamvis non leguntur, asseruntur de facto cum schema propugnat participationem B. M. Virginis in gratiis redemptionis « acquirendis ». Atqui haec opinio omnino indiget explanationibus. Insuper redemptio non est aliqua « res » ad quam « acquirendam » Christus Dominus multum et principaliter laboraret, Maria autem parum. Redemptio est Christus et communicatio Redemptionis est transfusio in nobis gratiae, i. e. divinae vitae a Christo resuscitato et glorioso dimanantis. Non decet, in redemptione mundi, quoddam commercium iuridicum in primis inspicere. Argumenta vero de sacrificio iurium maternalium sumpta, vel de compassione sub cruce Domini quasi fuisset actus sacerdotalis, minime inveni in traditionis Patrum decursu. Locutiones huiusmodi magis sunt oratoriae quam dogmaticae et non dicendae sunt « ex se verissima »! (pag. 14).

7. Titulus schematis corrigendus videtur. « Mater Ecclesiae » non est disputandus in se, non est vero de antiquo et traditionali usu; praesertim haec praefe-

rentia Concilii Oecumenici pro hac appellatione nolis velis praeiudicium grave et opportunum afferret alio titulo multo magis fundato, scil. « Maria imago Ecclesiae ».

8. Tandem respectu exigentiarum Oecumenismi, hoc schema valde est inconveniens. Ardentissime speramus totum textum reformatum iri, et speciali modo ultima verba infausta (pag. 12 [98], linn. 26 s.).

Novum schema optamus multo magis indole « biblico » et « ecclesiologico » praeditum.

49

EXC.MUS P. D. ALBERTUS LEMÉNAGER
Episcopus Yarmuthensis

Schema de B. Maria Virgine quibusdam deficientiis laborat. In primis

1. Non est satis organicum. Inveniuntur sane in isto textu praecipua puncta doctrinae de Beata, necnon textus scripturistici communiter usurpati, sed haec omnia quasi per saltum procedunt quin efforment verum corpus doctrinae.

2. Methodus qua utitur schema videtur emendanda esse. Magis paedagogicum et oecumenicum esset incipere a locis Scripturae ad rem pertinentibus, antiqua traditione quandoque illustrata, et postea tantum ad pronunciamenta Ecclesiae recurrere. Sic iustificaretur doctrina magisterii per recursum ad fontes.

Cum alius textus nobis in « Emendationes super schema de B. Maria Virgine » quasi proponitur, liceat mihi aliam formulationem notam facere, illam nempe conferentiae Angliae et Cambiae praeparatam, et ab abb. Butler subsignatam. Hic textus omnino acceptabilis mihi videtur. Procedit enim e monumentis revelationis, scil., ex Scripturis, ex antiqua traditione et ex Liturgia. Sic vere oecumenicus evadit, et viam historicam sequendo, hominibus hodiernis aptius quam alii textus loquitur. Isti schemati unum tantum deest: sequi deberet viam historicam *ab ipso initio* historiae salutis.

Schema de B. Maria Virgine incipere debet a *Gen.* 3, 17, eo quod illud oraculum Genesiacum Mariae partibus in salute generis humani primum etsi iam obscurum praestat fundamentum. Interventio enim divina post lapsum non est mera hostilitatis declaratio mulierem inter et serpentem, sed conversio hostilitatis in favorem mulieris, cuius calcaneo si insidiatur serpens, ipsa cum posteritate serpentem in capite i. e. mortaliter vulneratura praedicitur. Est recirculatio de qua Patres passim locuti sunt. Ad intelligendum, itaque, partes mulieris, nempe Mariae, in liberatione generis humani a diabolo, examinare oportet quae mulieris sunt in locis Scripturae ubi Deus suum de homine salvando consilium denuo affirmat atque enucleat. Loca ista, sane, naturam prophetiae retinent et res ibidem praedictae obscuritate velatae remanent; sed sunt ex his locis quae liberatorem populi nuntiando, matrem eius modo tam inusitato et mysterioso cum illo associant, quod mens anceps aliquid de magno Dei consilio ibi insinui suspicatur. Tales sunt *Is.* 7, 14; *Mich.* 5, 2; *Soph.* 3, 14-17 (cum *Zach.* 9, 9, *et Ioel* 2, 21-27). Omnes illi textus adesse ostendunt cum triumphatore causae Israeliticae mulierem mysterii plenam, et quidem in momentis criticis vitae populi Dei.

Omnia haec obscura manent usque ad exitum Veteris Testamenti; sed audito Evangelio salutis, sensus istorum oraculorum in plena luce ponitur. Apparet tunc quomodo Maria virgo non est quasi accidentaliter selecta a Deo ut mater Verbi

fieret; sed constat e contra quod illa beata creatura est fructus ultimae evolutionis « reliquii » gentis Israeliticae, mulier sancta a Deo ab aeterno electa ut digna Filii sui mater efficeretur.

Sic in comperto ponitur quod, ita disponente divina Providentia, munus B. M. V. in historia salutis est essentialiter *christologicum* et *soteriologicum*. Quod schema propositum non exponit ut oportet, nec novum schema Chilenum.

Semel emendatus ut supra, et infra in nota,[1] textus conferentiae Angliae et Cambiae mihi videtur omnino acceptabilis; certo certius est magis oecumenicus quam alii.

Propono igitur ut hic textus Conferentiae Angliae et Cambiae considerationi Patrum submittatur.

50

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis - Castrorum Caeciliorum

In schemate *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae*, n. 4, pag. 10 (96), linn. 20-24 delenda esse quaedam verba proponitur. Paragraphi nova exaratio: « mirabilis denique in suo exitu, nexibus mortis cum deprimi minime potuisset, corpore et anima gloriose in caelum assumpta est ». Conveniens videtur:

1. Quia hoc modo nihil inducitur de morte B. M. V. Secus Sacra Synodus affirmaret quasi factum certum ac verum Virginis mortem.

2. Non conveniunt theologi; et quamvis maiori ratione convinciatur eiusdem mors, sententia itaque valida est ipsam de facto non moriri.

3. Sollemne igitur prae ceteris magisterii privati ac de hoc publicum documentum est Pii XII constitutio dogmatica *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950, qua dogma Assumptionis B. M. V. declaratur. Hac occasione nactus Summus Pontifex vigilanti verbo continuo in tota usus est ut unum definiret et alium non absolveret. Ipsis verbis definitionis loquitur de Assumptione; mortis quaestionem directe fugit et dicit: « Pronuntiamus, declaramus et definimus divinitus revelatum dogma esse: Immaculatam Deiparam Virginem Mariam, *expleto terrestris vitae cursu*, fuisse corpore et anima ad caelestem gloriam assumptam ».

4. Si ergo caput tacet et non statuit, opportunum hoc non cogito momentum ut Concilium Vaticanum II quasi rem iudicet, palam asserens B. Virginis mortem.

5. Nec affirmo denique, nec nego S. Virginis mortem; minus probo subiectam morti de facto non fuisse; rogo, si vobis placet, deleantur verba quibus Concilium unam pronuntiet sententiam de morte Mariae.

Quae omnia superiori vestro iudicio submitto.

In schemate *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae*, pag. 12 (98), n. 6, lin. 15, inter cetera Deiparae privilegia, addere propono nobilissimum alterum quo eius regalem potestatem confitemur, his verbis: « ... *ac Mundi Regina* ». Paragraphus tunc esset: « Maria, Mater et Virgo *ac Mundi Regina*, cum homines universos in Calvario... etc. ». *Rationes*:

1. Agitur, ut videtur, non strenue asserere Mariae commendatum fuisse uni-

---

[1] In principio schematis anglici electio Mariae tribuitur Filio, dum Patri referri deberet.

versale imperium; sed tantum novam rationem inquirimus qua S. Mariam fautricem dicamus unitatis christianae.

2. Bene quidem eam dicimus universorum reginam, qua fit omnium exoptata unitas.

3. Homines in capite et natura unum ens creatum, intellectu perpolitum, in terris degens aspicimus; sed tot differentiis disgregati quot lingua, moribus, historia, geographico substrato monstrantur, ac diversa religione propter divinitati diversum cultum tributum.

4. Ceteris de eorumdem facienda unitate ex Mariae superiori interventu rationibus hanc addendam censeo quae de ipsius uno eodemque materno corde procedit: Ipsa nobis unicum cor et misericors et universale dilectione praeditum dat. Nos ei offerimus vitam unam et affectionem unicam, quibus illa generis humani unitas christiana efformatur.

5. Et si unum cor ad amorem, unam ultro tantum legem homines regentem B. Virgo omnibus confert. Tunc ex lege pro universis unica, unicum fit cunctis hominibus iuridicum pactum, quo firmatur creaturarum vera unitas.

6. Universalitatis verbis S. Pontifex in Litteris Encyclicis *Ad caeli Reginam,* diei 11 otcobris 1954 usus est, quibus *universae* Ecclesiae festivitatem B. Mariae Virginis Reginae declaravit, profectus intuens omni Matri Ecclesiae inde obvenientes, haec dicens et illum significans: « Cum vero, maturo ponderatoque consilio, persuasum nobis habeamus magna oritura esse *Ecclesiae emolumenta,* si quasi in suo candelabro rutilantior lucerna posita, illa solide probata veritas manifestior *omnibus refulgeat,* Apostolica Nostra potestate decernimus et instituimus festum Mariae Reginae, *quod toto terrarum orbe* quotannis die 31 mensis maii est celebrandum ».

Illa autem omnia quae visa mihi sunt, superiori vestrae benevolentiae fidenter trado.

51

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

1. N. 4. In prima paragrapho et in secunda paragrapho adsunt repetitiones quae omitti possunt ac debent.

2. Titulus huius schematis est « De B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae ». Unde necesse est ut saltem unus numerus habeatur in quo concise et clare enucleetur doctrina de relatione B. Virginis Mariae cum Ecclesia Christi.

52

Exc.mus P. D. IOANNES McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Pro his animadversionibus in schemate de B. Maria Virgine praeparandis, consilium petii a sequentibus Patribus a facultate theologica Societatis Iesu in Collegio S. Spiritus Westoniensi (prope civitatem Bostoniensem, Stat. Foed. Americae): P. Mauritio Walsh, S. I., P. Ioanne Walsh, S. I., P. Eduardo Callahan, S. I.

Iisque PP. pro eorum liberali auxilio et consilio in hac re memor gratusque sum.

In genere: Quattuor in genere sunt animadvertenda: 1) De proprio contextu doctrinae de B. Virgine. 2) De qualificatione dogmatica doctrinae expositae. 3) De relatione inter doctrinam exponendam (simul cum modo expositionis) et finem Concilii. 4) De debita emphasi et de huius respectu oecumenico.

1. *De proprio contextu doctrinae de B. Virgine Maria.* Desideratur ut doctrina de B. Virgine Maria intimius ponatur in proprio contextu tamquam pars doctrinae de mysterio Ecclesiae (Ecclesiae non praecise quatenus est societas externa, iuridica, hierarchica, sub primatu Romani Pontificis, sed) quatenus « in Corpore mystico Christi omnes nos Spiritu Dei ut membra ita consociamur ut in opere salutis unusquisque ab omnibus dependeat et nullus sibi soli vivat » (ut animadvertit P. K. Rahner, S. I., de hoc schemate sub art. 3, pag. 93, linn. 3-7). Ideo, loco schematis distincti, forte multo melius materia de B. Virgine exponenda est ut pars schematis de Ecclesia. Sic melius forte agnosceretur ab omnibus — et a « minimistis » (qui pro maxima parte sunt extra unionem externam cum Ecclesia... et « minimistae » sunt eo quod male intelligunt verum contextum doctrinae mariologicae catholicae) et a « maximistis » (qui pro maxima parte sunt ex ipso gremio Ecclesiae sed « maximistae » sunt ex exaggerata emphasi in quasi-privata et individualistica dignitate Matris Dei *extra* contextum mysterii salutis quo omnes nos unimur nobismetipsis — et Matri Dei — in Christo et sub Christo).

2. *De qualificatione dogmatica.* Commendatur schema in hoc quod non intendit definire nova dogmata marialia; haec intentio enim bene concordat cum fine Concilii quatenus exponitur in allocutione Summi Pontificis diei 11 octobris 1962. Illa intentio autem exprimi debet in ipso schemate potius quam in notandis (cf. pag. 100, lin. 5); porro, exactius indicetur qualificatio dogmatica in ipso schemate. Non omnia in praesenti schemate habent eundem valorem doctrinalem; nullo modo sufficit asserere omnes sententias fuisse a Summis Pontificibus prolatas (cf. pag. 100, IV, 1, lin. 11) — vix omnes eodem modo nec omnes in recto nec definitive prolatae sunt.

3. *De relatione inter doctrinam expositam (simul cum modo expositionis) et finem Concilii.* Magis responderet schema indoli Concilii si magis attenderetur monitis Summi Pontificis in laudata allocutione, praesertim autem: « Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt...

Est enim aliud ipsum depositum Fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia... » (cf. *Ordo Agendorum... inter...* pag. 2, 3).

Non liquet accommodatio necessitatibus temporum nostrorum in modo exprimendi doctrinam. Mera repetitio dogmatum iam solemniter definitorum (ut doctrinae de Conceptione Immaculata et Assumptione) non videtur fovere finem Concilii, nec expositio quaestionum quae melius relinquantur manualibus theologicis vel quae parum momenti pastoralis habent (ut doctrinae de virginitate mere physica in partu). Quidquid sit de veritate doctrinae, qualis finis pastoralis est assequendus in dirimenda quaestione de morte B. Virginis? Callida speculatio ad probandum Mariam esse simul redemptam et co-redemptricem, forte suum locum habet in scholis, non autem in Concilio cuius finis praecipuus est pastoralis.

Neque liquet accommodatio necessitatibus temporum nostrorum si doctrinae (verae quidem et indubiae) fulciuntur textibus Sacrae Scripturae (praesertim *Gen.*

3, 15) quorum sensus marialis adhuc disputatur ab exegetis catholicis omnino piis ac orthodoxis.

Stylus schematis nimis complexus videtur; non paucae repetitiones difficilius reddunt assecutionem finis schematis (et quidem ipsius Concilii).

4. *De debita emphasi et de huius respectu oecumenico.* Verissimum et indubium est cultum erga Deiparam *obiective* nullo modo ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subducere (cf. art. 5, pag. 98, linn. 11-13). Verissimum et indubium est cultum marialem cultui divino latriae *obiective* nullo modo detrimento esse (cf. art. 5, pag. 97, linn. 16-18). Attamen vix negari potest utrumque cultum (distinctum et quidem essentialiter diversum) videri fere confundi in populari ac privata devotione plurimorum catholicorum. Infra gremium Ecclesiae hodiernae vix datur periculum « minimizandi » momentum doctrinae marialis (devotio enim erga Matrem fere numquam antea floruit ac his nostris diebus); sed candide debemus confiteri exaggerationes nonnullorum catholicorum rudiorum forte occasionem dedisse tendentiae (quae hodie inveniatur in pluribus christianis separatis) doctrinam marialem minimizandi. Ideo, in schemate emphasis est ponenda in illa distinctione cultus latriae a cultu hyperduliae (certe *non* terminis technicis exprimendis sed terminis accommodatis necessitudini temporum) ne videamur commendare exaggerationes provenientes non ex doctrina sana et solida sed potius ex quadam credulitate privata. Porro, materia tractanda reduci ac simplificari debet — ita ut tractetur de his ideis principalibus: Summa benevolentia divina in seligenda persona humana ad cooperationem tam intimam in opere Incarnationis (et ideo redemptionis); principale et pulcherrimum fundamentum dignitatis B. Virginis habetur in hoc quod est Dei Mater; Mater Iesu certissime est persona humana excellentiae singularis in Christo mystico; ideo omnes christiani bonae voluntatis debent sine intermissione quaeritare eius intercessionem erga Sanctissimam Trinitatem ut omnes unum simus in Christo. Etsi modus exprimendi res est passim modificandus, hae ideae principales iam partim continentur sequentibus locis in schemate: art. 1, pag. 93, linn. 1-6; art. 2, par. 93, linn. 31-34 et pag. 94, linn. 1-5; art. 3, pag. 95, lin. 41 et pag. 96, linn. 1-4; art. 5, pag. 97, linn. 29-40 et pag. 98, linn. 1-5; art. 6, pag. 98, linn. 14-27.

Timeo ne schema uti stat praebeat nova obstacula unioni fratrum separatorum; si tamen materia simpliciori modo cum debita emphasi tractatur, Concilium modo vere « oecumenico » docebit et locum vere singularem quem habet Mater Dei in Corpore mystico et valorem singularem eius intercessionis ut omnes unum sint.

In specie. Uti patet ex animadversionibus generalioribus, desideratur fundamentalis revisio schematis. Attamen, sequentia praesertim non placent in prima versione:

Art. 1 (pag. 93, lin. 10): « praeannuntiatione prophetica ». Nonobstante usu protoevangelii in ipsis documentis magisterii in contextu mariali, caute tamen citentur — ne videamur detorquere sensum.

Art. 1 (pag. 93, lin. 14): loco « errore » legatur potius « definitivo errore ».

Art. 1 (pag. 93, lin. 29): loco « nostra... officia » dicatur potius « nostram... relationem ».

Art. 2 (pag. 94, linn. 1-3): « non id antea perfecit... ». Ne res ita exponatur ac si Deus non absolute sed *conditionate* tantum vellet Incarnationem (sub conditione liberi consensus Virginis).

Art. 2 (pag. 94, linn. 13-15): omnino omittatur materia hic contenta. Doctrina enim de consortio Mariae in opere redemptivo peragendo et praesertim in actione sacrificali Christi eget elaboratione theologica in scholis antequam proponatur a Concilio.

Art. 2 (pag. 94, linn. 22-26): expositio doctrinae de Maria utpote gratiarum administra et dispensatrice praematura est; igitur Concilium non debet in hanc quaestionem intrare. A fortiori, enixe precor ne fiat mentio quidem de Maria utpote socia in gratia *acquirenda.*

Art. 2 (pag. 94, linn. 27-28): « in Corpore Christi mystico condendo partem habuit ». Omittatur. Non concordat cum fine schematis vel Concilii.

Art. 2 (pag. 94, lin. 32): « centrum ». Omittatur. Solus Christus est centrum Ecclesiae.

Art. 3 (pag. 94, lin. 36): « in humanae redemptionis peragendo opere ». Vide quae dicuntur supra sub pag. 94, linn. 22-26.

Art. 3 (pag. 94, lin. 40): « nefas est dicere ». Nemo est qui negaret veritatem asserti. Attamen, sub respectu « oecumenico » evitandae sunt expressiones asperae — et facile evitari possunt sine ulla obscuritate doctrinae vel reticentia veri.

Art. 3 (pag. 95, lin. 10): « copulatur ». Eo quod verbum acquisivit sensum quasi-technicum in lingua theologiae moralis, omnino evitandum est hoc in contextu.

Art. 3 (pag. 95, lin. 27): loco « Ipsam » legatur potius « ipsam » (ne quis — etsi immerito — dicat Concilium ipsum confundere dignitatem B. Virginis cum dignitate ipsius Christi).

Art. 3 (pag. 95, lin. 32): « in illis acquirendis ». Vide quae dicuntur supra sub art. 2 (pag. 94, linn. 22-26).

Art. 4 (pag. 96, linn. 20-24): nulla apparet valida ratio dirimendi quaestionem de morte Mariae. Quidquid sit de veritate huius (aliqui saltem theologi dubitant de certitudine huius, et certissime doctrina non stabilitur ex argumentatione contenta in notis 26 et 27), multo melius relinquitur libertas piae meditationi hac in re... sicuti Ecclesia consulto per saecula reliquit quaestionem.

Art. 4 (pag. 96, linn. 40 ss.): quidquid sit de momento doctrinae circa virginitatem physicam in partu saeculis praeteritis, intima discussio huius quaestionis his diebus minoris momenti est et nullum inservit finem pastoralem — immo interpretari potest ac si Concilium vellet docere quamlibet mulierem subire aliquam corruptionem seu contaminationem in partu prolis.

Art. 4 (pag. 97, linn. 4-5): « in cinerem resolvi non pateretur »: hic videtur innui contrarium illius quod dicitur supra de morte Virginis (pag. 96, linn. 20-24), nam si re vera mortua est necessario aliquam resolutionem in cinerem subivit. Non autem oportet dirimere quaestionem, sive asserendo Mariam re vera mortuam esse sive innuendo eam mortem non subivisse.

Art. 5 (pag. 97, linn. 16 ss.): distinctio inter cultum marialem et cultum divinum latriae omnino est asserenda — terminologia autem accommodata et magis intelligibili simplicibus fidelibus. Vide hac de re ea quae dicuntur in animadversionibus generalioribus.

Art. 5 (pag. 98, linn. 11-13): hoc omnino verum est de doctrina *obiective* spectata. Sed humiliter confitendum est dari aliquas exaggerationes provenientes ex vana credulitate potius quam ex fide et doctrina Ecclesiae. Hac de re, vide quae supra dicuntur in animadversionibus generalioribus.

Art. 6 (pag. 98, linn. 32-36): fiat conclusio potius christologica quam iuridica.

Momentum doctrinae mariologicae non consistit in nexu quem habet cum doctrina de Ecclesia praecise *quatenus* est societas hierarchica sub primatu Summi Pontificis. Ideo, etsi ea quae dicuntur hoc loco omnino vera iustaque sunt, tamen non omnino apta sunt in contextu.

Praenotanda, pag. 100: IV, 2, *b*: « tempore Annuntiationis prorsus ignoraverit Filium... esse Deum ». Error est dicere hanc sententiam esse errorem; res enim sub lite est. IV, 2, *c*: « esset eiusdem speciei membrum Ecclesiae sicut et ceteri Filii Adae ». Quid hoc significat? Mariam non esse hominem? vel Mariam carere peccato? vel quidnam? Confiteor sententiam ita obscuram esse ut careat sensu.

53

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Velim sententiam demissius proferam schema ita rationibus inniti quibus probatur Iesum Christum esse unicum Deum inter et homines mediatorem ut videatur magis praeiudicatas adversariorum opiniones refellere quam christifidelium erga Deiparam pietatem rite stimulatam fovere.

54

EXC.MUS P. D. IOSEPH MICHAEL MEDINA
Episcopus tit. Termessinus, aux. Mendozensis

De inclusione B. V. Mariae in ecclesiologico schemate. Mihi *videtur dumtaxat* maternitatem spiritualem includendam esse, et non omnia quae in actuali schemate mariano inveniuntur. *Nam*:

1. inclusio evidens est; B. V. Maria enim est Mater Ecclesiae;

2. perspicuum quoque est non omnia B. V. Mariae in schemate ecclesiologico debere esse; omnes enim quaestiones marianae non tam intime coniunguntur mystico cum Corpore, secus unum schema *in* altero daretur.

His expositis, humiliter *propono*:

a) quod in schemate *de Ecclesia* tantum sermo sit de B. V. Maria ut Matre mystici Corporis et ut fautrici sanctitatis,[1] unitatis,[2] extensionisque[3] christianae;

b) quod cetera B. V. Mariae (v. g. de titulis, de privilegiis, de cultu, etc.) exponantur in exclusivo schemate mariologico, gaudente prologo in quo explicitetur aliqua mariana iam tractata fuisse in ecclesiologia.

Necessitatem et urgentiam huius exclusivi schematis mariani apparet, nam:

« necessitas » oritur ex progrediente oecumenismo, ex optata unitate, ex pastoralibusque laboribus;

« urgentia » vero postulatur ad temperandum extremismum, sive maximilistarum sive minimilistarum, in Mariologia actuali.

---

[1] Cf. *de Ecclesia,* cap. I, n. 8.
[2] Cf. *de Ecclesia,* cap. I, n. 9; et de *B. M. V. Matre Ecclesiae,* n. 6.
[3] Cf. *de Ecclesia,* cap. I, n. 10.

55

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

I. *Considérations générales*:

1. Je voudrais, tout d'abord, louer le schéma et ses auteurs pour les qualités que l'on note au long de ses pages:

a) premièrement, la doctrine traditionnelle sur la Ste Vierge et le culte qu'on lui rend est exposée d'une manière précise, claire et compréhensive.

b) un effort sérieux est fait pour considérer la Ste Vierge, non seulement dans sa maternité divine, mais dans son rapport à l'ensemble du Mystère du salut. Par ailleurs, le schéma a bien fait d'éviter de traiter de certaines questions non encore mûres ou qui pourraient être objet d'achoppement pour les non-catholiques.

2. Je regrette, cependant, qu'une note théologique n'ait pas été donnée à l'ensemble du schéma. Il semble, en effet, que l'auteur du schéma veuille proposer les différentes affirmations ici présentes comme de solennelles définitions.

Qu'on veuille bien laisser libre cours à la discussion des théologiens et au dialogue avec les non-catholiques. Bien des questions de la mariologie, en effet, ne sont ni suffisamment mûres ni suffisamment claires pour qu'elles puissent s'imposer d'une manière irréformable.

3. Il me semble qu'il faudrait revoir tout ce schéma du point de vue œcuménique, non certes pour diminuer ou taire certaines vérités aux yeux des fidèles catholiques, mais pour faciliter davantage le dialogue avec les frères non-catholiques.

a) Je prends tout d'abord le dogme de la médiation mariale. Il faudrait, à tout prix, pour éviter toute équivoque, l'enlever d'un contexte qui fasse penser qu'il est sur le même rang que la médiation du Christ, ou que la médiation de Marie est complémentaire de celle du Christ, comme si celle-ci était insuffisante. La Vierge, bien que membre privilégié du Corps mystique, demeure tout de même membre et son rôle doit être envisagé à l'intérieur de l'Eglise.

Parlons d'intercession spéciale de la Vierge Marie. Parlons d'un cas privilégié d'intercession dans la Communion des Saints. Evitons le terme de *médiation*.

b) Il ne suffit pas, en effet, de dire que la médiation mariale diffère de la médiation du Christ, parce qu'elle en dépend.

Il y a entre les deux cette autre différence: le Christ nous unit à Lui et par Lui au Père. Il fait de nous des « filii in Filio ». La Vierge demeure, à sa place privilégiée, dans l'unité ecclésiale des membres rachetés par la croix du Christ, embellie qu'elle est par les dons et les bienfaits de Dieu.

Mais la question qui doit se poser ici est la suivante: est-il opportun de traiter maintenant de la médiation de la Vierge? Est-il, du point de vue œcuménique, opportun d'en parler? Si oui, a-t-on fait les efforts nécessaires pour que cette doctrine ne soit pas mal interprétée ou mal comprise par nos frères non-catholiques?

De la sorte, nous éviterons l'objection des frères non-catholiques qui affirment que nous sommes plus enclins, dans notre piété et notre doctrine, vers la Ste Vierge que vers le Christ, unique Rédempteur et unique Médiateur.

II. *Considérations particulières*:

a) Il me semble que le mot « praeannuntiatio » de la page 7, ligne 10, est, du point de vue exégétique, trop clair dans son application à la Ste Vierge.

Je lui préférerais le mot « praelusio » appliqué au texte de *Gen.* 3, 15, qui est appelé protévangile et est, d'ordinaire, dit de la Mère de Dieu par le magistère.

b) Le mot « obscure » de la page 7, ligne 14, serait à supprimer. L'on sauvegarderait de la sorte la dignité de la Sainte Ecriture. L'on pourrait laisser seulement « veluti implicite ».

c) Un défaut de méthode se laisse voir à la page 7, ligne 23: il y est dit que le Concile, après avoir traité du Corps mystique, traite maintenant de la Ste Vierge. Or, s'il est souhaitable que le Concile traite en profondeur des mystères du Rédempteur et creuse davantage la doctrine du Corps mystique, il reste qu'ici il n'en a pas parlé.

d) Il faudrait revoir le texte de la page 8, lignes 1-3. Ce texte, en effet, ferait croire que la volonté universelle de salut en Dieu est conditionnée par la libre acceptation de la Ste Vierge, comme aiment à le répéter bon nombre de prédicateurs.

Dieu veut l'Incarnation, et donc le salut de l'homme, absolument librement, et c'est pour cela qu'il veut d'une volonté antécédente absolue le consentement libre de la Vierge: ce consentement, Dieu l'obtient par sa grâce efficace.

L'on verrait mieux par là que la collaboration de Marie à l'œuvre de la Rédemption est une grâce de Dieu et de son Christ. La mariologie ne serait plus alors, pour nos frères non-catholiques, un écran qui cacherait l'absolue gratuité de la grâce ni une doctrine qui affirmerait que la prédestination est due au mérite personnel.

e) Le texte de la page 8, lignes 7 s., serait à corriger comme suit: « verum etiam cum eo et sub eo, gratia Dei consociata est ad opus Redemptionis Christi ». L'on maintiendrait de la sorte que le consentement de la Vierge à l'œuvre de l'Incarnation demeure, en tout premier lieu, une grâce de Dieu, tout en restant un acte libre. « Dieu, en couronnant nos mérites, couronne ses grâces » dit S. Augustin.

f) Le texte de la page 8, lignes 13-15 serait à revoir: la Vierge n'a pas offert le « pretium redemptionis ». La piété le dit. La piété est à reconsidérer. Cette offrande de la Vierge serait-elle un vrai sacrifice? Cette offrande de la Vierge serait-elle de sa part une libre adhésion à l'oblation du Christ qui seule peut être appelée vrai sacrifice? Serait-ce une nouvelle acceptation de la Rédemption du Christ par laquelle la Vierge a été elle-même rachetée?

Tout cela fait allusion à la « corrédemption ». Mais cette doctrine est encore obscure, non encore mûre. Il ne faudrait pas qu'elle soit matière pour les discussions d'un Concile. Il faudrait plutôt la supprimer de nos discussions et la laisser au libre échange entre théologiens.

g) Il faudrait, à la page 8, lignes 24-25, enlever ce qui ferait penser à la corrédemption: le « generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda » devrait être remplacé par « generosa socia in opere redemptionis ». La raison de ce changement est que la grâce n'est l'objet d'aucun mérite de la part de la créature. La bonté divine est à l'origine de toute grâce et de tout bienfait divin.

h) Il faudrait noter, à propos de la page 8, lignes 31 s., que le Corps mystique n'a qu'un seul centre, le Christ qui en est la tête. Il serait, par ailleurs, souhaitable que des termes spatiaux, comme centre et périphérie, ne soient appliqués à une doctrine théologique et religieuse sans être profondément corrigés.

i) Je ferais, à propos de la page 9, ligne 32, la même remarque faite au par. *g*). Au lieu de « in illis acquirendis » je mettrais « in opere redemptionis ».

j) Il me semble que le texte: pag. 10, ligne 29 à pag. 11, ligne 5, doit être supprimé pour les raisons suivantes:

1) On y trouve des citations ou de simples répétitions d'affirmations déjà dites plus haut, pag. 10, lignes 15-24. Le « semperque, mente et corpore, Virgo » de la page 10 lignes 19 s. dit suffisamment la virginité *in partu.* L'on pourrait ajouter ici le « ante partum, in partu, post partum ».

2) Ce qui est dit, pag. 10, lignes 40-41, ne nous plaît pas. On y affirme indirectement qu'il se produit *in partu* une corruption de l'intégrité et une contamination de la femme. Cela est insinué, lorsqu'on dit que *in partu,* seule la Vierge Marie est restée *incorrupta* et *illibata.* Ce qui me semble difficilement acceptable par une mentalité d'aujourd'hui pour qui le sacrement du mariage reprend de plus en plus son sens religieux.

3) Page 11, ligne 4: ce texte ne nous plaît pas: la vraie raison de l'Assomption corporelle de la Ste Vierge n'est pas dans le fait d'éviter la réduction en cendre de son corps, mais dans le fait qu'étant rachetée parfaitement, Marie devait acquérir immédiatement et totalement le fruit de la Rédemption, et qu'elle pouvait l'acquérir après la Résurrection du Christ.

k) Le texte de la page 12, lignes 14-36 serait à omettre ou à remplacer.

Cette apologie de la Ste Vierge ne profitera ni à l'œcuménisme ni à la piété des fidèles catholiques.

La confiance en la Vierge est bonne, excellente même. Il faut toujours la faire dépendre de l'adoration mystérieuse de la volonté divine, à laquelle reste soumise toute créature, toute demande et la Vierge elle-même.

III. *Conclusion*: Etant donné tout ce qui a été dit plus haut, la conclusion de ce schéma devrait être un retour au Christ seul unique Rédempteur et Médiateur. Ce serait là une conclusion normale à la mariologie et le signe non équivoque d'une attention au point de vue œcuménique.

56

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Pag. 8, lin. 25: post vocem « quoque » inseratur vox « omnium », ut sic legatur: « caelestium quoque omnium gratiarum administra... etc. ».

Rationes: *a*) Sic docebant recentes Summi Pontifices, vestigia SS. Doctorum prementes: « Sic voluit Deus ut nos omnia haberemus per Mariam ». *b*) Ut omnis de hac re dubitatio tollatur. Experientia docet multos sacerdotes timere doctrinam de Maria mediatrice *omnium* gratiarum praedicare; et multos nolle optimam « *Legionem Mariae* » in apostolatu adhibere, quia dicunt doctrinam istam, quae Legionis fundamentum sit, non esse certam.

Pag. 8, lin. 40, et pag. 9, lin. 1, scil.: « eosdem titulos, *in sensu Ecclesiae* intellectos ». *Non placet.* Quinam, quaeso, *iuxta Ecclesiam,* est sensus germanus titulorum « co-redemptricis » et « mediatricis »? Ex hoc quod theologi de vero istorum titulorum sensu disputant, patet « sensum ab Ecclesia intellectum » *non*

apparere. Propterea Concilium, ne de vacuitate verborum accusetur, has res clarificare debet.

Porro, ut hoc fiat, videtur quod totum schema magis logice, concinne et theologice procedere oporteat.

Re quidem vera, schema propositum videtur magis esse *apologia* quaedam coram acatholicis quam expositio theologica seu doctrinalis. Decretum satis timidum apparet.

Pag. 8, lin. 24, nempe: « generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda ». Post vocem « socia », haec ponantur verba: « in satisfactione pro peccatis facienda atque... », ita ut comma sic se habeat: « fuerit generosa socia in satisfactione pro peccatis facienda atque in gratia pro hominibus acquirenda... ». *Ratio*: cum Redemptio *duobus* elementis constet, nempe satisfactione et merito, cumque Maria *vera* fuerit alma socia Redemptoris in *toto* opere redemptionis, partes eius in satisfaciendo pro peccatis omnino praetermittendae non sunt, ne expositio manca et truncata in animarum confusionem fiat.

Pag. 9, lin. 2. Inseratur vox « omnium » post vocem « Virgo », ut sic sonet: « B. Virgo *omnium* gratiarum mediatrix nuncupatur ».

57

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ
Episcopus Parentinus et Polensis

Humiliter propono sequentem i. e. tertium modum tractandi *de B. Virgine Maria, Matre Ecclesiae*. Uniatur, quaeso, schema *de B. M. V. Matre Ecclesiae* cum schemate *de Ecclesia Christi*: non autem uti simplex *caput*, sed tamquam *pars* aeque principalis; ita ut schematis uniti titulus fiat: *de Ecclesia Christi et de B. Virgine Maria, Matre Ecclesiae*. Pars I: De Ecclesia Christi; Pars II: De B. Virgine Maria, Matre Ecclesiae.

58

Exc.mus P. D. PETRUS MARTINUS NGO-DINH-THUC
Archiepiscopus Huéensis

Mihi videtur constitutionem separatam de B. M. V. Matre Ecclesiae esse opportunam uti complementum constitutionis de Ecclesia, nam in ea constitutione agitur de Membris Ecclesiae, de Summo Pontifice, de episcopis, diaconis, de laicis, sed membrum excellentissimum Ecclesiae, super apostolos et prophetas immediate post caput Corporis mystici est B. M. V.

Inde ista constitutio de B. M. V. non est quid superfluum, tamquam petra aberrans, sed essentialiter connectitur cum constitutione de Ecclesia. Dignitas huius membri utpote collum Corporis mystici requirit constitutionem separatam.

Alia conclusio est haec. In constitutione de B. M. V. Matre Ecclesiae, verbis nitidioribus, clarioribus v. g. in prooemio declaretur ista connexio inter ambas constitutiones, ut ligamen logicum amplius appareat.

Sub hoc aspectu, scil. connexionis, mihi videtur, argumenta ad illustrandam illam Maternitatem, quod est obiectum principale constitutionis, ordine aliquatenus separato procedere, ut non dicam — sine ordine allegari: legimus etenim

pulcherrima verba de immaculata conceptione, de assensu libero B. M. V. in conceptione Filii, de eius virginitate perpetua, de eius participatione in redemptione, de potentia mediatrice, de eius morte et assumptione necnon de variis titulis quibus extollitur in Ecclesia.

Omnia haec, utique sunt optima et sunt fasciculus argumentorum in demonstratione Maternitatis B. M. V., sed, saltem mihi, non apparet evidens connexio, nervosa quidem ad demonstrationem theseos.

His dictis: assentio plene introductioni huius constitutionis in laboribus huius Concilii eius opportunitatem celebro et dignam esse quae subiiciatur examini Summi Pontificis credo.

Hanc generalem observationem — quoad discussionem schematum — faciendam esse mihi videtur: constitutiones in hac sessione propositae liberae discussioni Patrum, quasi microscopio virorum peritissimorum subiectae sunt et reductae ad proportionem lelliputianam et differunt toto caelo ab illis quae nobis subiecta fuerunt in prima sessione. Certum est, compositio earum, necnon argumenta allata, non possunt placere adamussim singulis Patribus, nam quot capita, tot sensus; sed in illis, si non deprehenditur error, cur volumus imponere nostros individuales gustus, et omnia penitus mutare, ita ut non remaneat petra supra petram, et nova constitutio ex multiplicibus genitoribus concepta esset mosaicum quoddam, « un je ne sais quoi » inharmonicum heterogeneum ita ut nemo possit recognoscere in illis aliquid de vultu patris — oportet ergo sapere ad sobrietatem — secus Concilium duraret in sempiternum.

59

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

A) Textus schematis — quoad contentum — manifeste ditissimus est. Crederem tamen aliquid in eo desiderari — quoad praesentationem et prospectum expositionis.

Nempe, in schemate assumitur doctrina Mariana in « termino ad quem » quae iam maturata pervenit; sicque exposita debite vindicatur, non sine discreta polemica resonantia in ordine doctrinali.

Quae expositionis ratio minus accommodari pastoralibus exigentiis videtur, maxime in linea Oecumenismi. Compertum est enim fratres separatos ex Anglicanismo et Protestantismo, in hac materia esse valde sensibiles, multasque invenire difficultates.

Hinc alium prospectum proponere mihi concedatur.

Cum schema de B. Maria V. schemate *de Ecclesia* introducatur, idque complere intendat, inter utrumque compago providentiali Sapientia disposita inveniri videtur: nempe thema de « *nova Eva* », iam in Scriptura adumbratum ac in S. Traditione inde a saec. II tritum, in quod praecise B. M. V. et Ecclesia simul harmonice conveniunt, et in cuius luminoso prospectu earumdem mutua habitudo, simul ac utriusque respectiva relatio ad Christum « *novum Adamum* » serene clarescunt.

In tali namque prospectu, statim obvia denotatur « arcta necessitudo inter Christum et Mariam iuxta beneplacitum » (n. 1): relatio inter novum Adamum et novam Evam. Ac simul manifestatur connaturale « munus B. Virginis Mariae

in Oeconomia nostrae salutis » (n. 2): novae Evae iuxta novum Adamum. Sicque sponte clarescit legitimitas ac rectus usus titulorum « quibus consociatio B. M. V. cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet » (n. 3): consociatio novae Evae cum novo Adamo.

Aliunde, cum progressus doctrinae et cultus Mariani in Ecclesia, quo paulatim determinatae sunt relationes inter B. M. V. et Ecclesiam vigentes, historice, magna ex parte, peractus est in prospectu et sub luce parallelismi inter novam Evam Mariam et novam Evam Ecclesiam exsistentis, in earum respectiva ad Christum habitudine, si assumatur in schemate huiusmodi expositionis prospectus, fratribus separatis indigitatur ipsissima via serio contemplanda, a Sapientia divina historice disposita.

Quae contemplatio, luminosa ac serena, faciliter eos conducet ad recte intelligendum gratoque animo aestimandum catholicorum prospectum.

Talis expositio ac consideratio ex « termino a quo » ad « terminum ad quem » in prospectu providentialis lineae progressus, plures ambiguitates quasi sponte dissipabit, simul ac vindicationi, accentum polemicum aliquo modo redolenti, serenam et attrahentem reddet propositionem.

Crederem card. Newman hoc modo ad plenum intellectum plenamque vindicationem doctrinae Marianae catholicae accommodatam, fuisse deductum.

B) N. 3. Ad magis illustrandam providentialis mediationis maternae doctrinam, erga Christum « unum Mediatorem » totaliter dependentis, et ad tollendam omnem possibilis falsae interpretationis ansam, optarem ut in lin. 18, pag. 9, post verba « ex sacrificio cruento Filii sui benedicti », addantur: « necnon ex filiali pietate eiusdem erga dilectam Matrem, haec eius mediatio et intercessio... ».

C) In n. 6 emphasis ponitur — et recte merito — in munus B. M. V. erga *omnes homines*.

Iamvero textus — passim — minus claras praebet formulas quae benevolentiam maternam B. M. V. ad solos christianos restringere videntur.

Compertum est in omni loco maternum munus et influxum esse magni momenti. In orientalibus plagis, saepe saepius gentiles ad Deum accedunt, praeeunte et mediante Matre Maria cuius affectum maternum experti sunt.

Auderem suggerere ut titulus universalior reddatur: Maria fautrix unitatis *omnium in Christo,* et in lin. 28 « ... ad hanc fautricem unitatis *omnium* atque adiutricem christianorum ».

60

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

N. 3: *a*) Opportunum videtur quod de titulo « Mediatricis gratiarum » non tractetur quasi exemplificative. Si enim certum est, ex multiplici usu Romanorum Pontificum et Liturgiae, titulum Mediatricis recte usurpari et plus quam 500 episcopi et praelati definitionem postulaverunt, puto Concilium explicitius et amplius de hoc tractare posse, rationes quoque theologicas indicando saltem pro mediatione universali in cooperatione Matris Dei cum Christo fundata.

b) Neque sat locus dandus est *defensioni,* sed potius *clarae affirmationi.*

Quod ultimum valet etiam relate ad n. 5.

N. 6: Valde placet. Sacra Synodus Verbi Dei praecones enixe hortetur ut hunc aspectum frequenter fidelibus illustrent.

61

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

1. De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum.
2. De munere beatissimae Virginis Mariae in oeconomia nostrae salutis.
3. De titulis quibus consociatio B. Virginis Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet.
4. De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris.
5. De cultu erga B. Virginem Mariam.
6. Maria SS. fautrix unitatis christianae.

Suggestiones: Sacra Synodus B. Virginem Mariam in Christo gratiarum Mediatricem dogma esse credendum definire dignetur.

Itemque B. Virginis Mariae sub invocatione « Virgo de Monte Carmelo » festum proprium in calendarium universale restaurare dignetur.

62

EXC.MUS P. D. GREGORIUS ELIAS OLÁZAR MURUAGA

Episcopus tit. Prusensis, vic. ap. Yurimaguaensis

Animadversio. In hoc pulcherrimo Mariologiae compendio mihi non placet distincta caritatis mensura erga fratres *internos* et fratres *dissidentes.*

Si Concilium non vult mortem Mariae definire et hucusque aliqui theologi catholici libere immortalitatem defendunt, pro me textus constitutionis dogmaticae forsan nimis insistit relate ad mortem Mariae et durius mihi sonant ea quae in *praenotandis,* pag. 14 (100) IV, 1, *c*) dicuntur: « *Reiicitur error* (eorum) qui dicunt Mariam mortuam non esse »; dum in lineis immediate sequentibus, n. 3, *a*) asseritur: « Omissae sunt expressiones et vocabula quaedam a Summis Pontificibus adhibita, quae licet in se verissima, possent difficilius intelligi a fratribus separatis ».

63

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER

Episcopus Northantoniensis

De Beata Maria Virgine: Instead of a separate Schema, it might well be put as an Appendix or Epilogue to the Schema De Ecclesia. It could be recast and made more Scriptural.

64

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PAWLOWSKI

Episcopus Vladislaviensis

Ad finem schematis Maria SS. merito fautrix unitatis christianae vocatur (cf. pag. 98, linn. 14-36). Ad hanc unitatem omnium christiani nominis populorum protegendam doctrina de Dei Genitrice Maria modo synthetico proponitur et passim etiam difficultates ac praeiudicatae opiniones acatholicorum explicantur

vel removentur. Adsunt tamen quaedam in schemate vel minus opportune inserta, vel nimis polemice dicta. Servato proinde substantiali argumento eiusdem, quod mihi placet, meo humili iudicio alia omittenda, alia abbrevianda et magis irenice ac suavius exprimenda propono.

Et imprimis mentio de morte temporali Mariae in pag. 96, lin. 22 inopportune inserta mihi videtur. In praesenti abstineo ab hac sententia disceptanda et consequenter a considerando facto ipsius mortis. Censeo tamen melius fore, ad evitandas quaestiones quae statim exoriri possint, si mors B. Mariae Virginis definitive et quidem tam sollemniter in Concilio Oecumenico asseratur, scilicet de eius resuscitatione et de tempore quo corpus in sepulcro detinebatur. Insuper omnium qui unitatem fratrum orientalium cum Ecclesia catholica fovere intendunt, maxime interest, ne turbetur antiquissima et unanimis traditio, iuxta quam exitus Mariae de vita terrestri termino generali « koimesis » - « dormitio » designatur. Ratio in schemate allegata ad mortem Mariae demonstrandam non plene conclusiva est, quia non datur tale principium quo Maria in omnibus Christo similis esse debeat. In schemate vero legitur: « quo plenius Filio suo assimilaretur ».

Praeterea verba: « secundum antiquam et venerabilem traditionem » exclusive tantum ad mortem temporalem Mariae referuntur et corporalis eius assumptio in caelum est dogma fidei christianae formaliter definitum, proinde mentio eorum nullo modo in eadem sententia ita exprimi potest prout in schemate pag. 96, linn. 20-24 factum est. Proponere igitur audeo, ut removeantur quae de morte temporali dicuntur.

Textus schematis	*Emendatio*
Pag. 96, linn. 20-24: « ... mirabilis denique in suo exitu, quia etsi secundum antiquam et venerabilem traditionem mortem subiit temporalem, quo plenius Filio suo assimilaretur, nexibus tamen mortis cum deprimi minime potuisset, corpore et anima gloriose in caelum assumpta est ».	« ... mirabilis denique in suo exitu, quia corpore et anima gloriose in caelum assumpta est ».

Pag. 97, lin. 4: loco verborum: « in cinerem resolvi non pateretur » ponatur: « gloria assumptionis in caelum honoraret ». Quae emendatio est consequens omissae mentionis de morte temporali Mariae atque hic simul proponitur.

Pag. 93, lin. 4: in schemate loco verborum: « ac ratione qua generis humani liberatio a se perageretur », ponatur: « ac ratione qua generis humani liberationem a peccato perageret ».

Necessarium censeo, ut malum a quo liberatio facta est, melius exprimatur.

Pag. 94, linn. 39 s.: verba: « nefas est dicere », « vacuos inanesque », quae nimis polemice sonant, omittenda sunt. Hinc sequens emendatio in ultima parte sententiae proponitur.

Textus schematis	*Emendatio*
« .. tamquam solido fundamento, radice ac principio nituntur, nefas est dicere, eosdem titulos, in sensu Ecclesiae intellectos, vacuos inanesque esse, immo Sacris Litteris adversari ».	« ... tamquam solido fundamento nituntur et si in sensu Ecclesiae intelliguntur Sacris Litteris minime adversantur ».

Pag. 95, linn. 18 s.: etiam hic verba schematis debita simplicitate carere videntur. Proinde quaedam abbreviatio textus proponitur, ut infra.

Textus schematis	*Emendatio*
« ... ut unus Mediator Dei et hominum desinat esse homo Christus Iesus (cf. *1 Tim.* 2, 5), sicut ex eius bonitate non sequitur, ut solus bonus desinat esse fons bonorum omnium, ipse Deus (cf. *Mt.* 19, 17, coll. *Rom.* 2, 4) ».	« ... ut Christus Iesus desinat esse unicus Mediator Dei et hominum » (cf. *1 Tim.* 2, 5).

Pag. 95, linn. 37-41: mentio de « absoluto » sensu mihi inepta videtur; nam non est in usu verbis Sacrae Scripturae sensum absolutum attribuere. Textus vero allegatus adeo est notus, ut brevitatis causa iuste omitti possit. Proinde sententiam schematis sic contrahendam propono:

Textus schematis	*Emendatio*
« ... nullo modo mediatio unici nostri Mediatoris, iuxta absolutam significationem verborum Apostoli (*1 Tim.* 2, 5) " Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ", obscuratur vel minuitur; immo haec Christi mediatio extollitur et honoratur ».	« ... nullo modo suprema, principalis et universalis mediatio unici Salvatoris nostri obscuratur vel minuitur, sed potius extollitur et honoratur ».

Neque mihi placet textus schematis in pag. 96, lin. 13 positus: « nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo ». Haec enim enuntiatio explicatione indiget eaque deficiente sensus sententiae intolerabili ambiguitate laborat. Et ratio gravis est, nam B. Virgini Mariae et Matri Dei sunt tituli, qui ipsam Christo recte aequiparare sinunt, utpote peculiaris illa relatio maternitatis, quae implicat aequalitatem naturae humanae.

Propterea textum schematis corrigendum propono, ut sequitur:

Textus schematis	*Emendatio*
Pag. 96, lin. 13: « ... seu dissimilis similitudo, quoties nomen aliquod aut officium simul de Christo et Virgine Maria praedicatur: etenim nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo ».	« ... seu dissimilis similitudo, quoties nomen aliquod aut officium simul de Christo et eius Matre praedicantur ».

Pag. 97, lin. 37: verba schematis: « respuant omnem vanam credulitatem », mutentur aliqualiter in verba: « caveant ab omni vana credulitate ».

Pag. 98, linn. 2-5: etiam quaedam omittenda mihi videntur. Ea enim, quae in schemate speciatim « de materna propinquitate » dicta sunt, minus recte sonant. Nam haec « divina maternitas » post unionem hypostaticam maximam gratiam in ordine supernaturali et in ordine sanctitatis constituit. Ergo haec emendatio a me desideratur:

Textus schematis	*Emendatio*
« ... quaecumque ad Verbum Incarnatum pertinebant (cf. *Lc.* 2, 51), beata quia credidit (cf. *Lc.* 1, 45) salutata. Nihil enim materna propinquitas profuisset, « nisi felicius Christum corde quam carne gestasset ».	« ... quaecumque ad mysterium Incarnationis et ad opus salutis a Christo peragendum atque in Ecclesia continuandum pertinebant ».

Pag. 98, linn. 11-13: tota phrasis hic posita superflua mihi videtur eamque removendam esse puto. Etenim supra in pag. 97, linn. 15 s. res satis profunde ac fuse enucleata est.

Pag. 96, lin. 10: quoad verbum « centrum », quod mihi displicet, aliqua obicienda habeo idque mire sonans invenio. In eius locum vox traditionalis « fons » adhibenda mihi videtur.

Hae sunt meae animadversiones, mutationes et emendationes, quibus doctrinam marialem expolire cupio atque ad considerandum propono.

Animadversiones additae:

Nomine episcoporum Poloniae.

Votum generale.

Mariologia recentior, ea quae de dignitate et missione B. M. V. ex revelatione nota sunt, dividere solet in praerogativas personales et sociales quae vocantur. Ad speciem primam adnumerantur divina maternitas, immaculata conceptio, virginitas intemerata et perpetua. Inter attributa Mariae socialia ponuntur maternitas spiritualis, mediatio universalis et ineffabilis regalitas. Mediationem in gratiarum oeconomia relate ad homines, munus Mariae gravissimum, saluti nostrae utillimum, solatium haud parvum afferens, quis in Ecclesia in dubium vocet?

Mariam mediatricem esse schema nostrum non tantum graviter inculcat, sed hanc functionem B. M. V. in cardinem totius materiae expositae ponit. Modus tamen istius expositionis duabus difficultatibus oneratur, quae sunt:

1. nimis polemicis verbis utitur, e. g. in pag. 7, lin. 30, fere ab initio « praeiudicatas opiniones » commemorat; in pag. vero 8, lin. 40, haec verba sunt: « nefas est dicere... titulos vacuos inanesque esse », et alibi passim similia;

2. nimis insistit in titulis et privilegiis extollendis; dum secundum meum humile iudicium schema responsum dare debet ad interrogationem: « Quae est ista? », creatura quidem, sed super creaturas elevata; a Christo redempta, sed in opere redemptionis cooperans; Ecclesiae membrum, sed cum Christo capite arctissime coniuncta in eius praecellentia ineffabili. Recte igitur desideratur expositio magis positiva, exprimens ipsam personam eiusque missionem exceptionalem, prorsus unicam.

Schema peropportune extollit consensum Mariae in incarnationem ipsam Filii Dei et in opus salutiferum crucis. Velim tamen, ut exinde non tam mediatio B. M. V. quam potius eius maternitas spiritualis, praecipue erga omnes christifideles, logice connotetur atque ex hac ratione Dei Genitrix praesentetur utpote digna quae supremis laudibus decoretur. Mentem meam corroborant haec verba Papae Pii XII ex litteris encyclicis *Fulgens corona* die 11 octobris a. 1954 datis: « Ad hunc excellentissimum intelligendum dignitatis gradum quem Deiparens super creata omnia adepta est, considerare iuvat, sanctam Dei Genitricem iam in primo temporis momento quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam

fuisse, ut sanctorum omnium gratiam superaret... Praeterea B. Virgo non solummodo supremum, post Christum, excellentiae ac perfectionis gradum obtinuit, *verum etiam aliquam illius efficacitatis participationem,* qua eius Filius ac Redemptor noster in mentes et in voluntatem hominum regnare iure meritoque dicitur ».

Ex allato textu patet ipsam dignitatem Deiparentis praeprimis perpendere oportere. In qua maternitate duplex aspectus considerandus est, *physicus* scilicet, utpote Christum concipit, gignit, nutrit ac fovet, et *moralis* inter Filium et Matrem exinde proveniens. In qua morali relatione omnes homines per Christum redempti comprehenduntur. Altero sub aspectu B. M. V. est Mater omnium hominum Sanguine Filii acquisitorum, eo fine, ut unum Corpus mysticum efficiant. Itaque Maria est insimul Mater Christi Hominis et Mater hominum, Mater Capitis et Mater membrorum, quorum in salute procuranda summum studium maximamque sollicitudinem supernaturalem exhibet. Notionem hanc optime perpolivit insignibus notissimisque verbis S. Pius X in litteris encyclicis *Ad diem illum,* a. 1904 datis.

In schemate pulcherrime dictum est Mariam esse Matrem Fidei nostrae et Matrem misericordiae, qua homines ex benevolentia Patris in Filio per Spiritum Sanctum regenerantur et sanctificantur. Equidem B. M. V. non solum considerari debet fidei nostrae obiectum, verum etiam prout in hac fide Ecclesiae obiectiva et in fide subiectiva testium Christi partem activam habet, eam nempe elargiendo atque in progressu advigilando. Haud perperam enim Maria ab Elisabeth salutatur insimul ut Mater Domini sui et ut beata quae credidit. Effectus interventus B. M. V. in Cana Galilaeae ad hoc praecise reducitur, ut discipuli in Magistrum suum semel pro semper credant. Postea Maria in coenaculo praesente, Spiritus Sanctus hanc fidem corroboravit, ut ab apostolis Ecclesiae in depositum perpetuum traderetur. Hanc ideam de activa parte B. M. V. in fide christiana procuranda ac stabilienda optime nostris temporibus perpolivit René Laurentin tamquam sacerdotale ministerium Deiparentis ipsi omnino proprium.

Fides, tum in suo initio tum insuper in tota vita morali quam exigit, praeprimis a gratia dependet, ac proinde maximum gratiae donum est, quo etiam misericordia divina optime manifestatur, praecipue quidem in perseverantia quae finalis vocatur. Pro quo interventu B. M. V. in vita hominum debetur eidem gratitudo, confessio, glorificatio et laus.

In formis, quibus cultus Mariae exhibetur, non sat exprimitur elementum gravissimum, ne dicam essentiale. Etenim hic generatim considerantur laudes Mariae exhibitae et petitiones nostrae, sive de rebus terrenis sive spiritualibus. Dum secundum experientiam pastoralem, quam sacrorum antistites nonnullis in regionibus acquisierunt, cultus Mariae impellit atque expostulat, ut fideles omnes vires omnesque conatus in auxilium Ecclesiae peregrinantis ferant secundum illud effatum Mariae: « Quodcumque dixerit vobis (Christus), facite » (*Io.* 2, 5).

Miror, quid causae sit, quod in schemate nostro, opus quidem oecumenicum prosequenti, non tantum modus exponendi sed etiam mens tenorque locutionis omnino indolem s. d. latinitatis praeseferat. Quousque tandem illi, qui theologiae catholicae addicti sunt, in elucubrationibus quae publici iuris fiunt negligent locupletissima testimonia, quae ex operibus Patrum orientalium et ex liturgiis eorundem exhauriri queant? In liturgiis enim orientalibus et occidentalibus de pietate erga B. M. V., Matrem generis humani et Dominam omnium rerum creatarum eadem mens est. Unum exemplum tantum afferre mihi liceat. Graduale

Missae in honorem B. M. V. Claromontanae haec habet: « Porta caeli et stella maris es, Virgo Maria, ... quia omnis virtus et decor et gloria ex te resplendet ». In eodem sensu laudem Mariae cantat celeberrimum canticum orientale quod « cherubicon » vocatur: « Mariam super omnes cherubim gloriosiorem superque omnes serafim incomparabiliter honorabiliorem, sine detrimento virginitatis Domini Verbum gignentem, Dei Genitricem in aeternum existentem confitemur atque magnificamur ».

Quaedam particularia iam secretariatui tradidi. Hic duo tantum considerare opportunum censeo:

1. Non placet mihi iuxtapositio formularum: Filia Patris, Mater Filii, Sacrarium Spiritus Sancti, nam maternitas divina de Maria Virgine sensu vere *physico* praedicatur, dum ceterae praedicationes sensum tantum *moralem* habent (schema, pag. 10, linn. 36 s.).

2. Pariter, non possum assentire declarationi, quae in schemate, pag. 10, linn. 13 s., habetur: « Nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo », quia Christus in his terris sub aliquo respectu a Maria dependebat atque hanc relationem et honorem etiam nunc in gloria caelesti aliquatenus agnoscit.

Votum particulare: *de morte Mariae.*

In § 4 schematis fit mentio de morte Mariae. Liceat mihi opinionem meam hac in re proponere. Iis assentio, qui postulant, ut haec mentio de morte Mariae temporali omittatur. Hic sane abstineo ab ipsa doctrina disceptanda seu a considerando facto ipsius mortis atque tantum censeo mentionem mortis B. M. V. in schemate inopportunam esse. Opinio mea, quam humiliter exprimere audeo, sequentibus rationibus probari potest:

1. Si mors temporalis Mariae asseratur, tunc statim interrogandum est de loco in quo corpus Dei Genitricis depositum est, de tempore quo corpus eiusdem in sepulcro detinebatur atque de posteriori corporis Mariae resuscitatione. Praetermittam adiunctum haud parvi ponderis, scil. quod huiusmodi facta ex necessitate naturali testes oculares habere debent. Quis est inter harum rerum peritos, qui ignoret quo gradu ista facta debita claritate in traditione careant et qualis inter diversa testimonia perplexitas vigeat? Consequenter etiam probatissimi auctores nostri temporis, ut tantum Martin Jugie et Carolum Balić commemorem, in opinionibus de hac re inter se discrepant.

2. Unica ratio theologica, quae in schemate, pag. 10, lin. 22, ad demonstrandam mortem Mariae ponitur, haec est: « Quo plenius Filio suo assimilaretur ». Quae ratio non plene conclusiva est, quia non datur tale principium, quo Maria in omnibus Christo similis esse debeat. Alio in loco ipsum schema, pag. 10, linn. 12 s., de « dissimili similitudine » inter Mariam et Christum loquitur, quae regula philosophica melius et efficacius in hac proprie quaestione applicari potest.

3. Si mors temporalis Mariae sensu technico agnoscatur, tunc statim exoritur quaestio de huius mortis causa physica et de eius fine morali. Dum iuxta communiorem opinionem theologorum, prout Maria Christo vitam suam Patri pro salute generis humani offerenti vere proprieque sensu mystico compassa ac commortua est, non consideratur nisi quod Maria ad opus redemptionis attulerit per iurium maternorum abdicationem sub cruce factam. Id quidem admittitur etiam ab iis, qui Mariam corredemptricem agnoscunt et respectivae doctrinae quam maxime favent.

4. In definitionibus Ecclesiae elementa doctrinae, ut ita dicam, conclusiva

dogmatice enuntiantur absoluta sententia declarativa, omissis saepius iis quae intermedia et praesupposita censentur, quia valor definitionis ultimo non in argumentis neque in logica formulae structura fundatur, sed in assistentia Spiritus Sancti, quo doctrina a magisterio ecclesiastico proposita ab omni errore praecavetur. Per modum exempli id afferam: Dogma Immaculatae Conceptionis praesupponit doctrinam de animatione corporis, circa quam usque adhuc definitio non habetur et thesis ipsa de animatione in momento conceptionis passivae ex universali Ecclesiae magisterio ordinario ad summum tamquam doctrina theologice certa communiter agnoscitur.

5. Tria lustra adhuc non sunt prolapsa a die sollemni ac memorabili, quo iudicium definitivum de Assumptione B. M. V. a Papa Pio XII prolatum est. Ipsa veneratio memoriae debita, sive huius felicis recordationis Pontificis, sive dogmaticae eius definitivae enuntiationis, non tantum suadet sed quoque obligat, ut abstineamus nos in hoc concilio oecumenico a facto mortis temporalis Mariae definiendo, ne videamur nos vel corrigere tam cito definitionem vel lacunam quandam in ea conspectam quasi supplere. Definitio dogmatica de Assumptione B. M. V., si mere formaliter sumatur, a Papa Pio XII maxima cum habilitate ac debita cum prudentia composita est, ac proinde eam in hoc statu ulterius servare omnino opportunum fore censeo.

65

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI
Archiepiscopus Lancianensis-Ortonensis

Schema de B. M. Virgine Matre Ecclesiae valde mihi placet ob suam sobrietatem, claritatem, characterem pastoralem, biblicum et oecumenicum. At magis placeret, si quaedam puncta haud parvi ponderis fuissent paulo amplius et profundius pertractata. Inter haec puncta doctrinalia habetur illud de mediatione mariali et de relatione huius mediationis ad intercessionem B. Virginis, necnon de distinctione inter intercessionem Mariae et aliorum sanctorum.

Intercessio, natura sua, mediatio quaedam est. Ille enim qui intercedit, medius sistitur inter eum apud quem intercedit et eum vel eos pro quibus orat. Est igitur intercessio vera mediatio.

Rursus intercessio est unus inter diversos modos mediationis. Sunt enim plures alii sicut, v. g., officium sacerdotis. Ideo omnis intercessio est mediatio, sed non omnis mediatio est intercessio.

Christus Dominus fecit et perpetuo facit mediationem inter Patrem et homines; cui mediationi nihil deest aut deesse potest, cum sit in omni linea perfecta. Sed consilium Dei fuit, ut, ipsius supremi Mediatoris virtute interveniente, et proinde nullo modo separatim aut independenter ab eius mediatione, nos in eum per sanctos medios reducamur. Propterea, ex voluntate Dei, sancti sunt pro nobis intercessores et mediatores apud Deum.

Ideo Concilium Tridentinum docuit « sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre », et « bonum atque utile esse suppliciter eos invocare et ad eorum orationes, opem auxiliumque conferre » (Decr. de invocatione Sanctorum in sess. 25). Immo idem Concilium expresse declaravit, eos « impie sentire », qui asserunt hanc sanctorum invocationem, ac proinde eorum mediationem, « adversari honori unius Mediatoris Dei et hominum Iesu Christi ».

Haec severa damnatio Concilii Tridentini valde notanda est, quia nonnunquam apud catholicos talia dicuntur, quae sensum praebeant vix multum dissimile ab his quae a Concilio damnantur.

Huius rei ratio est, quia ad sanctos non confugimus propter aliquem defectum misericordiae Christi — quod blasphemum esset cogitare —, sed quia ipse ordinatissime voluit ut affectus misericordiae et mutuae caritatis inter membra totius familiae Dei, quae est Ecclesia, multiplicius diffunderetur, dum sancti non solum suscipiunt in seipsis misericordiam Dei, sed insuper nos obiectum efficiunt suae misericordiae, quam a divina misericordia participant. Eodem modo, licet meritum et satisfactio Christi pro nobis habuit valorem absolute sufficientissimum atque adeo exclusivum, ita ut independens ab illo meritum aut satisfactio nullius esset valoris, voluit tamen Ipse ut nos non solum fructus gauderemus meriti et satisfactionis suae, verum etiam ex Ipso et cum Ipso vim vere merendi et satisfaciendi participaremus.

Haec, quae de sanctis in genere dixi, a fortiori valent de B. Virgine, quam Ecclesia salutat Regina sanctorum omnium. Mediat ipsa inter Deum et nos sua intercessione ad « beneficia impetranda a Deo per Filium eius, Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est » (Conc. Trid., *ibidem*).

Attamen B. Virginis intercessio, ac proinde mediatio, valde differt ab intercessione sanctorum. Tota enim intercessionis vis in eo est, quod intercessor sit gratus et acceptus illi apud quem intercedit. Sunt vero sancti Christo gratissimi et peraccepti propter vinculum gratiae supernaturale, quo Christo devinciuntur tamquam fratres, eiusdem Patris caelestis filii, etsi non eodem modo. Cum ergo gratia B. Virginis in immensum superet gratiam et merita sanctorum omnium, necesse est ut ex hac parte eius intercessio sit Christo omnino gratior atque apud Ipsum validior. Ut enim Doctor Angelicus docet, si « magnum est in quolibet sancto quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum », maximum esset « quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo ». Et addit « hoc est in B. Virgine », utique ex Iesu Christi gratia et dependenter ab ipso (Expositio Salut. Angelicae).

Sed B. Virgo peraccepta est Christo non hoc solum titulo, sed alio etiam qui sibi exclusivus est. Ipsa est enim Mater eius, et quidem non maternitate tantum physiologica, sed pertinente ad ipsum consilium soteriologicum Dei. Impossibile sane est, ut petitionem Mariae accipiat Christus nisi tamquam voluntatem Matris suae. Ideo in Concilio Nicaeno II, ubi de veneratione imaginum et invocatione sanctorum agebatur, constanter post Christum Dominum ponitur, ante omnes ceteros angelos et sanctos, B. Virgo tamquam Dei Genitrix. Mens autem Patrum illius Sacri Concilii Oecumenici clarissime probat eos vidisse rationem atque vim omnino specialem in intercessione B. Virginis propter titulum maternitatis divinae. Ita, in epistola S. Germani, a Concilio lecta et adprobata, explicatur diversa ratio nostri cultus erga Christum, erga Dei Genitricem et erga sanctos. Fundamentum vero huius diversitatis in eo ponitur, quod Christum tamquam Deum et Dominum veneremur, Mariam ut « ancillam et vere Matrem eius ac intercessione potentissimam generis nostri. Illum, ut Dominatorem bona nostrae salutis conferentem; hanc *materne* pro nobis intercedentem; sanctos omnes tamquam conservos nostros Deo placentes » (Mansi, 13, 103-104). Similiter in professione fidei Theodori ep. Amorrii, quae iterum ab eodem Concilio tamquam plene catholica magno plausu suscepta est, legitur: « Auxilium et protectionem Dei Genitricis et interces-

siones illius singulis diebus et noctibus invoco ut peccator in adiutorium mei utpote quae habeat confidentiam apud Christum Dominum nostrum, qui ex ea natus est » (Mansi 12, 1013-1014). Haec est Sacri illius Concilii vera doctrina.

Adhuc explicatur amplius specialis vis et ratio intercessionis B. Virginis prae aliorum Sanctorum intercessione, ex ipsius cum Christo coniunctione, ex qua regalem facultatem participat dispensandi Divini Redemptoris Regni thesauros, (Encycl. *Ad caeli Reginam*: *A.A.S.*, 46, 1954, p. 635). Nam, ut scripsit Benedictus XIV, ipsam « adeo supremus Rex Regum adamavit, ut ad salutem populi sui, non tam dimidiam regni sui partem, quam totum quodam modo imperium suum et potestatem cum ea communicare videatur » (Bulla *Gloriosae Dominae*). Haec profecto de aliis sanctis affirmare non licet.

Omnia fere collegit optime Pius IX, cum Ecclesiam universam docuit in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus*: « Quae nostrae salutis negotia tractans, de universo genere humano est sollicita, et caeli terraeque Regina ac Domina constituta ac super omnes angelorum choros sanctorumque ordines exaltata, astans a dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi, maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit ac frustrari non potest ».

Quae hucusque edixi de mediatione et intercessione B. V. Mariae certam catholicam doctrinam quam unanimiter omnes scholae catholicae tenent, constituunt. Unicam auctoritatem ex campo theologico Doctorem Communem Thomam Aquinatem adduxi. At, haud minori difficultate potuissem adducere haud paucos textus S. Antonii Patavini, S. Bonaventurae, S. Bernardini Senensis, S. Laurentii a Brundusio, S. Leonardi a Portu Maurizio, necnon tot tantorumque doctorum Ordinis nostri Seraphici, qui inspirati principio B. Ioannis Duns Scoti: « Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnat videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae » (Sent. III dist. 3 q. 1) una cum S. Bernardino Senensi confitebantur: « Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum: nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur », nam « A tempore enim a quo Virgo Mater concepit in utero verbum Dei, quandam, ut sic dicam, iurisdictionem seu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus Sancti processione temporali, ita quod nulla creatura aliquam a Deo obtinuit gratiam vel virtutem nisi secundum ipsius piae Matris dispensationem » (cf. S. Bernardinus, *De Annuntiatione B. M. Virginis*, sermo 6, a. 1, c. 2; *De Nativitate B. M. Virginis*, sermo 6, a. 1, c. 8).

Singulos autem auctores praetermittendo, iuvat in memoriam revocare quaedam facta quae Ordo Seraphicus, qua talis, pro mediatione mariali magis magisque asserenda, confirmanda ac propaganda fecit.

Imprimis notandum est quod capitulum generale Ordinis anno 1927 Assisii celebratum, votum emisit ut a S. Sede impetraretur facultas celebrandi festum universalis mediationis B. M. Virginis, pro Ordine nostro, sicut reapse factum est. Interim, pars almae S. Ioseph in Belgio Provinciae in novam administrationem erigitur, et nova Provincia titulo B. V. Mariae Mediatricis decoratur. In II Conventu Lectorum undecim Provinciarum Slavicarum a die 25 ad diem 29 augusti 1937 Cracoviae celebrato, doctrina de universali Virginis mediatione proposita et demonstrata fuit, et immenso plausu est adprobata; atque cum ingenti gaudio festum Mediatricis omnium gratiarum in Ordine exceptum ac pro ipsis quoque slavicis dioecesibus posita postulatio fuit.

Statim post hunc conventum Rev.mus P. Leonardus M. Bello, totius Ordinis

Fratrum Minorum Generalis Minister, publici iuris fecit Litteras, summi momenti, de mediatione mariali, in quibus postquam locutus est de concessione festi B. Virginis Mediatricis, locutus est de « Ordinis Seraphici scientiae ac pietatis cultu in B. M. Virginem », dein de « Maria Mediatrice, veluti capite secundario et collo Corporis mystici » (pp. 13-28), de « Maria Mediatrice veluti Corredemptrice » (pp. 28-38), de « Maria Mediatrice veluti Dispensatrice omnium gratiarum » (pp. 38-56), ad calcem praescribens ut « B. Virginis Mediatricis festum, sicut festum Christi Regis, publicis in templo precibus et praedicatione opportune praeparetur, et dein sollemniter celebretur », ut « etiam ipso die festo Mediationis vel alio opportuniore die, peragatur sacer ritus obsequii publici et sollemnis Exaltationis B. Mariae Virginis, aut « Reparationis iniuriarum » etc. Demum, nova Curia Generali constructa, Ecclesia dicata fuit B. Virgini omnium gratiarum mediatrici.

Forsitan hodie, in hoc momento oecumenico, haec omnia alicui videbuntur ut tamquam aliquis excessus! At, si verum est, quemadmodum magisterium ordinarium catholicae Ecclesiae tenet, quod Maria in oeconomia salutis eximias partes habuit, quod mysteriis Christi non tantum adfuit sed interfuit, quod Deus qui potuisset nos redimere aut non redimere, vel uno aliove modo redimere, sic disposuit *ut omnia haberemus per Mariam,* tunc Ordo Seraphicus, iuxta monitum sui Sancti Fundatoris, « semper subditus et subiectus pedibus sanctae Matris Ecclesiae », forsitan tantum maiori accentu proposuit id quod tenet Mater Ecclesia, id quod omnes scholae catholicae docuerunt, et docent, id quod Summi Pontifices, potissimum nostra hac aetate, edixerunt in tot tantisque summi momenti documentis, in quibus Beatissima Virgo nuncupatur Corredemptrix, Reparatrix, alma Socia Christi Redemptoris, omnium gratiarum Mediatrix, donorum Dei conciliatrix, nostrae salutis media et sequestra, et ita porro.

Si nos obtinere volumus maximum donum, maximam gratiam ab omnium gratiarum Mediatrice, nempe unionem omnium, qui gloriantur nomine christiano, in hoc Concilio Vaticano II, necesse est dare Mariae id quod Deus dedit et Ecclesia catholica semper tenuit, nempe, si non definire tamquam dogma fidei, saltem confirmare tamquam doctrinam Ecclesiae, traditionem doctrinam marianam, B. Virginem esse consociatam Christo in opere Redemptionis tamquam Novam Hevam Novo Adamo, ipsamque esse omnium gratiarum Mediatricem.

66

Exc.mus P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnoviensis

Schema in titulo dicit B. Mariam Virginem esse Matrem Ecclesiae. Quae forma nominationis B. M. V. est quidem non usitata valde, sed propter specialem finem ss. Synodi, quod sit oecumenica et pastoralis, tamen est necessario in usum vertenda nostro aevo, quando eadem ss. Synodus omnes baptizatos immo et non baptizatos vult sub maternas alas Ecclesiae coadunare, sicut gallina pullos, ita convocat omnes baptizatos et baptizandos, ut sint unum.

Prima emendatio. In schemate paucis exponatur verbis, cur B. M. V. recte nominetur Mater Ecclesiae. Thesis in inscriptione schematis promittitur, sed eius explicatio exhaeret et desideratur.

In schemate etenim explicatur tantum ea forma, quod legatur B. M. V. esse Matrem omnium hominum et sic quod continetur in maiori, continetur in parte, de Ecclesia: non tantum Matrem hominum, sed et Matrem Ecclesiae venerari debemus B. M. V.

Schema nominat B. M. V. « Dei hominumque Matrem » (par. 1, lin. 27) vel « Matrem Dei hominumque » (par. 6, lin. 21) expressis verbis; non expresse, sed idem sonat aliis verbis: « Mater hominibus data est » (par. 2, linn. 15-16); « homines universos in Calvario habet materno cordi commendatos » (par. 6, lin. 3). Non igitur Mater Ecclesiae liquet exinde, quae invocatio in titulo schematis legitur, sed Mater omnium hominum sicut « nova Heva » (par. 3, lin. 2).

Iamvero recte explicata et interpretata invocatio, nominatio B. M. V. uti « Mater Ecclesiae » fini non parum sed valde multum inservit fini ss. Synodi unionistico, oecumenico tam inter orientales, qui fervido quodam impulsu in Deiparam peculiari modo colendam feruntur, quam inter occidentales, separatos, dissidentes fratres, qui vero perperam et immerito exprobrant catholicae Ecclesiae erga Deiparam cultum, tamquam si exinde aliquid ex cultu uni Deo et Iesu Christo debito detraheretur, subduceretur. B. Maria Virgo omnes baptizatos parturiit sub cruce in doloribus, quando Dominus confirmavit veritatem huius Maternitatis B. M. V. in Annuntiatione Incarnationis Domini in Nazareth manifestatam, revelatam. Qui est baptizatus, eo ipso ut proles, pertinet ad B. M. V.; introitus in Ecclesiam patet per baptismum sacramentalem, vel voti vel sanguinis. Baptizati qua membra Ecclesiae, sunt proles B. M. V. Ipsa digne et iuste nominatur Mater Ecclesiae, Mater baptizatorum magis quam sunt baptizati proles Ecclesiae, quae etiam sancta mater nostra dicitur. Quae distinctio non est intelligenda tantum ontologice. Nam uti recte dicitur s. Ecclesia mea mater: sed magis est mater mihi B. M. V., quam est Ecclesia. B. M. V. prius fieri debuit mater Ecclesiae, ut deinde mater fieri possit mihi Ecclesia.

Nam quum Dominus noster in cruce pependit ut nos redimeret, tota sancta Ecclesia futura nata est ex eius divino-humana Passione. Uti s. Patres dicunt: de latere Christi Domini morientis surrexisse Ecclesiam. Tunc enim de cruce Dominus discipulum, quem diligebat, alloquitur: « Ecce, Mater tua » (*Io.* 19, 27). Hereditas sanctissima est Mater Maria non tantum s. Ioanni! « Et ex illa hora accepit eam in sua » (*ibid.* 28) non tantum Ioannes accepit eam in sua, sed data est nobis, ut accipiamus eam in nostra. Participes sumus honoris, ut eandem iuste nominemus Matrem totius Ecclesiae quam S. Ioannes repraesentavit sub cruce.

Conclusio: Sufficit explicatio brevis et quidem statim in par. 1 lin. 22, ut exponatur in hoc loco nominatio Mater Ecclesiae verbis f. m. Pius XII ex Encycl. *Mystici Corporis,* die 29 iunii 1943 (*A.A.S.,* 1943, pp. 247, 248) citatis in notis schematis (pag. 18 [104]), quae propterea magis in ipsum textum constitutionis pertinent, quam inter notas: « B. Maria Virgo ipsa fuit, quae Christum Dominum, iam virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate donatum... edidit... Ipsa igitur omnium membrorum Christi sanctissima Genitrix ». Si Ecclesiae Capitis est Genitrix, tunc est etiam totius Corporis Christi mystici, seu ipsius Ecclesiae, quae est ipsum Corpus Christi Domini mysticum.

Secunda emendatio. Attamen, si B. M. V. est Mater Ecclesiae, Mater Corporis Christi Domini mystici, quo sensu est membrum huius mystici Corporis? « Etsi verum Beatissimam Mariam Virginem quoque uti nos Ecclesiae esse membrum, tamen minus verum est eam esse mystici Corporis Christi membrum plane singu-

lare » ita f. m. Pius XII in Nuntio Radiophonico iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano, Romae habito 24 octobris 1954, item e nota 15 schematis, p. 22 [108].

Non repugnat affirmare quamquam sit Mater Ecclesiae non sine mysterio, eam esse veluti collum huius mystici Corporis Christi Domini. « Ipse est Caput corporis Ecclesiae » (*Col.* 1, 18), sic nos docet Spiritus Sanctus ore apostoli gentium. Collum est enim immediate sub capite: sic et B. M. V. est immediate sub Christo Domino. Collum est super omnia membra corporis; sic et B. M.V. in mystico Corpore exaltata est super omnia membra mystici Corporis Christi Domini. Per collum cibus et potus ad sustentandam vitam descendit in corpus, quod est lex biologica naturalis; sic cibus et potus gratiae et veritatis, quae per Iesum Christum facta est (cf. *Io.* 1, 17) per collum hoc, per B. M. V. descendit de Capite in cetera membra Corporis mystici, ne fame et siti pereant in via peregrinantes in patriam. Similiter ergo est haec lex biologiae supernaturalis. Hinc B. M. V. dispensatrix omnium gratiarum recte dicitur: per eam accepimus veritatem et gratiam, et quidem eo sensu, quod ipsa cooperante Spiritu Sancto facta est Mater Aeterni Verbi. Ipsa est vere collum, sine ea omnes quasi sine vita, decollati existeremus: seiuncta membra a capite et collo pallida mors non qualiscumque in perniciem ruinae detrudit. Collum istud nobis dispensat cibum et potum vitae aeternae in Eucharistia, ut vivamus et non moriamur in aeternum.

Quae parabola ob tertium comparationis adhibetur ut ostendatur, quam infelices sint omnes, qui cibum et potum per B. M. V. accipere renuunt. Sunt famelici pauperes, quibus auxilio esse potest B. M. V. Mater Ecclesiae, ut ex eius uberibus melle et lacte plenis satiantur et saturentur ad vitam gratiae et veritatis.

Conclusio: Dolor ss. Synodi magnus exprimatur in par. 5 post lin. 13, prout magnum s. Synodo gaudium et solatium affert honor et reverentia haud paucorum fratrum separatorum, potissimum vero orientalium erga B. M. V. Dolemus omnes Patres reverentiam et honorem erga B. M. V. non esse in cordibus haud paucorum fratrum separatorum, dissidentium. Propter divinam Maternitatem suam est B. M. V. speciali cultu honoranda, quem recte nominamus hyperduliam, quin hic cultus esset adoratio, quam soli Deo Uno et Trino deferimus, Creatori et nulli creaturae, nec ipsi B. M. V.

Tertia emendatio. Non adeo emendationem dixerim, nam est magis prex, et quam iusta iuxta suprafata!

In Ecclesia vetustate eminet veritas: lex orandi est lex credendi. Ita oramus, uti credimus. Ita credimus, uti oramus. Credimus B. M. V. esse Genitricem, Matrem Capitis; absonum esset dicere: Eam non esse Matrem et omnium membrorum, videlicet totius mystici Corporis Domini, quod est Ecclesia. S. Ignatius E. M. ad Trallenses c. XI scribit pulchre: « Non potest igitur Caput seorsim nasci sine membris ». Credimus ita. Ut sic et oremus, his rationibus fulcimur.

Solet christianus in Litaniis Lauretanis pie invocare B. M. V. Matrem in relatione ad Christum Dominum, ad Caput Ecclesiae invisibile. Non solet hucusque Eam invocare Matrem mystici Corporis Domini, Matrem Ecclesiae. Eius maternitas ad Ecclesiam nullibi reperitur in orationibus. Quod credimus, idem et oremus.

Ephesina ss. Synodus se memorabilem fecit victoria reportata de Arianismo. Populus fidelis alta voce clamabat: Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis! Quae maternitas divina in dictis Litaniis manifestatur. Et sic et credimus et sic oramus.

Sacrosancta Synodus Vaticana II sperat unionem, ipsa orat et orare mandat, ut omnes baptizati, qui nomine christianorum veniunt, uniantur. Ut omnes unum sint in maternis ulnis B. M. V. Et ubinam est magis unitas manifestata, quam inter Matrem et progeniem? Ut sit unus Pastor et unum ovile: oremus. Quem ad finem moneat nos semper, invocemus: Mater Ecclesiae - ora pro nobis!

Locus invocationis se offert in Litaniis post invocationes: Mater Creatoris, o. p. n.; Mater Salvatoris, o. p. n.; *Mater Ecclesiae* - ora pro nobis! Virgo prudentissima, o. p. n. etc.

Conclusio. Ss. Synodus proponat SS. Domino, Christi Domini Vicario: hanc invocationem: « Mater Ecclesiae - ora pro nobis » suprafato loco in Litaniis Lauretanis inserendam esse.

67

Exc.mus P. D. MAURITIUS J. A. POURCHET
Episcopus S. Flori

Sive agatur de inserendo schemate de B. M. V. in schema *de Ecclesia,* sive agatur de schemate independente, sed in perspectiva ecclesiologica, textus definitivus tres essentiales aspectus comportare debebit:

1. Maria est eminens Ecclesiae membrum: Maria in Ecclesia;
2. Maria quodammodo Ecclesiae identificatur: Maria, figura Ecclesiae;
3. Maria in Ecclesia praestantissimum munus exercet: Maria, Mater in Ecclesia.

Ad 1: Si clare asseritur Mariam eminens esse Ecclesiae membrum, non affirmatur, cum omnibus pastoralibus consequentiis, Mariam esse unam ex redemptis, et vocationem Evangelicam vixisse in fide, in caritate, in humili paupertate.

Et sic ostendi deberet Mariam esse nobis hominibus propinquissimam.

Ad 2: De Maria, figura Ecclesiae, unum tantum verbum profertur in textu: « exemplar »; et hoc plane insufficiens est. Comparatio Mariae cum Ecclesia permultas theologicas divitias affert.

Ad 3: De Maria, Matre in Ecclesia, fusius tractatur in schemate. Sed non clare distinguitur inter ea quae sunt de fide, vel tantum doctrina communis, vel etiam opinio theologica (et afferuntur exempla).

Unde textus, ut iacet, profundius emendari debet.

Sic invenietur in doctrina Mariali aequilibrium quod omnibus proficuum erit et nobis Patribus permittet unanimiter consentire.

68

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

I. *Observationes generales.*

Schema de B. M. V., ut iacet, haud adeo placet. Novam redactionem praefero.

1. Nam schema nullam affert novam lucem circa doctrinam de B. M. V. nec aptum esse videtur quod devotioni erga eandem Dei Matrem maius det incrementum. Quod haud pauci Patres de schemate olim de fontibus revelationis proposito dixerunt (cf. B. Kloppenburg O.F.M., *Concilio Vaticano II,* Petrópolis s. a., vol. II, 163, or. 321; 323; 164, or. 326; 328) id etiam de hoc schemate

proferre non dubito, nempe quod in schemate habetur, id in omni opere mariologiae novo et completo invenitur, et, textu finali excepto, forte melius ibidem legitur.

2. Non sola omissio abundantiae notarum et commentariorum quibus rectum de ipso textu huius constitutionis iudicium facilius haberi posse compositores iudicant, efficit, « ne schema dogmaticum aspectum alicuius theseos doctoralis » (cf. pag. 15, praenot. V) prae se ferat.

3. In schemate nimia sollicitudo elucet praecavendi errorum magis possibilium quam realium periculum. Cuius sollicitudinis fons fuisse videtur ille « pavor errorum » cuius exsistentiam, quoad schema de fontibus revelationis, em.mus card. Léger doluit.

4. In schemate quoque magna tendentia quam vocant apologetica enitet qua omni nisu defenditur nomenclatura mariana quae, utique, magisterio lucis facem praeferente, omnis erroris est expers, sed hodiernis in adiunctis periculo malae sonantiae, falsae intellegentiae compluribus in orbis locis non vacat. Experientia curae animarum in Italia, in ipsa Urbe necnon in Brasiliae plagis habita me docuit illud periculum falsae intellegentiae non esse vanum et inane, sed, proh dolor, concretum et valde sparsum.

5. Nomenclatura practica et devotionis erga B. M. V. determinativa quae ut recte intellegatur, tanto commentario explicativo et praesertim restrictivo et cautelarum pleno (cf. n. 3 schematis) indiget, ut in theologia versati attenti sint oporteat, hodie, vocabulorum nitore et claritate non sine influxu technicae ubique terrarum dominari incipientibus, apta censeri nequit quae coram populo christiano, doctrinae theologicae pabulis nullatenus saturato nec theologiae ideis ut tempore originis Litaniarum Lauretanarum repleto, passim adhibeatur. Simplicitas evangelica norma sit nomenclaturae marianae in constitutione Concilii *Oecumenici* adhibendae.

6. Optimum quidem duco enuntiare principium de B. M. V. mediatione *speciali*; at praetereundum non est mediationem D. N. Iesu Christi apud Patrem, nos advocatum habere apud Patrem, nempe Christum, populos christianos, nisi fallor, iis praesertim in locis oblivioni tradere in quibus tituli mariani ut mediatricis omnium gratiarum, Belgio excepto, valde efferuntur.

7. Esse Summorum Pontificum verba mediationem B. M. V. universalem pronuntiantia scio, sed nescio utrum obiter tantum sint dicta, an ex professo ea intentione qua rem doctrinariam pronuntiare velint. Ipsi schematis compositores hac in re haud ignorant textus in contextibus minoris ponderis (pag. 23 init.).

In genere, schema cum notis legens ea afficior impressione, quod Summorum Pontificum verba semel ac iterum iterumque ponderis aequo maioris aestimata sunt. Num Romanorum Pontificum verba de B. M. V. prolata in allocutionibus, in documentis ex professo de alia re tractantibus, tanti sunt ponderis? Nonne et ipsis Summis Pontificibus ius est illis et aliis in occasionibus proferendi sententias mariologicas ac verba, « solidi profecto solatii plena » quibus enuntiant quod cum aliis magnae notae theologis pie sentiunt (cf. Pium XI, *Casti connubii,* circa finem ubi S. Rob. Bell., *De controversiis,* tom. III, De Matr., controvers. II cap. 6, citatur; *Conc. Plen. Brasil.,* p. 310), quin aliam habeant intentionem? Mihi videtur theologiae hodiernae, praesertim mariologiae, defectus sat gravis, quod, byzantinismi specie quadam, reor, impellente, verba pontificia saepenumero aequo et iusto graviora habentur.

Accedit, quod etiam Romanorum Episcopi eius sunt nationis filii in qua nati sunt. At, ipso schemate proclamante (pag. 11, linn. 19 ss.), « variae sunt formae pietatis erga Dei hominumque Matrem quas Ecclesia — intra limites sanae et orthodoxae doctrinae pro temporum et *locorum* condicionibus et *pro indole ingenioque* fidelium — approbavit... ». Nonne et istae locorum condiciones indolisque necnon ingenium fidelium e quibus ortum duxit Christi Vicarius, modum determinant « pie sentiendi et scribendi » (cf. Pium XI, *Casti connubii,* l. c.) et loquendi de B. M. V., quin Summus Pontifex magisterio ita utatur ut omnibus Christi fidelibus, aliis in locis viventibus aliusque indolis ac ingenii, normam directionemque imponat doctrinalem? Sit venia analogiae cum S. Scriptura interpretanda de qua schema « de divina revelatione » (pag. 9, linn. 14 ss.) optime disserit. Quae illic statuuntur interpretationis regulae *Verbi Divini,* in Summorum Pontificum verbis licet summe magistralibus, non tamen divinis, recte intellegendis et interpretandis oblivioni non sunt tradendae. Factum autem oblivionis sat frequens non tantum historia mariologiae modernae, sed, nisi fallor, etiam schema propositum testatur.

8. Tandem, schematis compositoribus fatentibus (pag. 23 init.), unus Romanus Pontifex, de mariologia sane optime meritus, *consulto* hac in materia id nomenclaturae marianae vitat, quod alii absque mentis praeoccupatione usurpant (cf. J. E. Martins Terra, S. I., *A Corredenção mariana,* in: *Revista Eclesiástica Brasileira* 16, 1957, 350). Cur haec Pii XII s. m. qui etiam festo generaliter in Ecclesia ritus romani in honorem B. M. V. Reginae die 31 maii celebrando festum particulare Mediatricis omnium gratiarum multis in locis quodammodo abstulit, cautela? Sane signum quoque est sanctae et legitimae in Ecclesia libertatis qua pastores et oves a saepius usurpatis titulis marianis abstinere valent, quin nota irreverentiae contemptusque modi loquendi a quibusdam Romanis Pontificibus et liturgia et theologis adhibiti innodari possint, si hic ob rationes validas fiat.

9. Immo, historia — etiam nostra conciliari —, teste, aliquando in solemnioribus documentis pontificibus, ex professo de determinato quodam doctrinae articulo tractantibus, formulae et expressiones circa eandem doctrinam inveniuntur quae nihilominus relinquuntur et sensim sine sensu corriguntur tamquam minus aptae vel etiam minus rectae, ne dicam falsae. Sic formula « duplicis fontis revelationis, fontium revelationis, sacrorum fontium, utriusque doctrinae divinitus revelatae » etc. in Pii XII litteris encyclicis et allocutionibus non raro legitur (cf. *Humani generis, A.A.S.,* 42, 1950, 568 ss.; *A.A.S.,* 46, 1954, 678) nec de utroque fonte in ordine cognoscendi tantum intelligi potest (cf. distinctionem ab em.mo card. Frings in Concilio allatam, apud B. Kloppenburg, O.F.M., *l. c.,* 174, or. 361), nihilominus haud paucis Concilii Patribus displicuit et in novo de divina revelatione schemate consulto omissa est.

Commissio quae schema de B. M. V. paravit, etiam illud paravit schema de Ecclesia olim distributum in quo (pag. 15, linn. 20 ss.) a modo loquendi litterarum encyclicarum *Corporis Christi mystici,* rem data opera tractantium, consulto (iure, puto, meritoque) recessit, correctione illata.

Quibus consideratis, pariter Patres conciliares in schemate nostro diiudicando, praesertim in titulorum nomenclaturae marianae *usu* et hodie et in constitutione dogmatica adhibendo, respondendi officio exempti non sunt eo ipso quod « nulla prorsus est sententia in " schemate " quae non fuerit a Summis Pontificibus prolata » (pag. 14, IV, 1).

Quae cum ita sint, schema, quaeso, abstineat ab usu tituli gratiarum *Mediatricis* (pag. 9, linn. 2-3) magisque *omnium* gratiarum Mediatricis (pag. 9, linn. 31-32), licet principium *mediationis* et quidem *specialis* arrideat, claris verbis enuntiatum. Vix intellego quo pacto in schemate titulus *omnium* gratiarum Mediatricis, compositoribus difficultatem doctrinalem de qua in nota 24, me melius cognoscentibus, proponatur.

II. *Observationes speciales.*

1. Pag. 7, lin. 5, legitur: « uno eodemque decreto » quam formulam etiam a Pio IX et Pio XII usurpari constat; nihilominus magis placeret simplex expressio, ab omni cuiusvis scholae influxu aliena: « ... una cum divinae Sapientiae incarnatione... ».

2. Pag. 7, lin. 14, sermo est « de sacris fontibus ». Dicatur: in deposito fidei, vel in deposito revelato (cf. pag. 7, lin. 25), vel in divina revelatione (cf. titulum novi schematis).

3. Pag. 7, linn. 23 ss., sollemniter annuntiatur huius constitutionis intentio quae « in sequentibus » concretizatur seu exsecutioni mandatur. Sed intentio si quae adeo sollemniter exprimenda esse videatur, inde ab initio constitutionis dicatur, cum iam in pag. 7, linn. 1-22 haud parvi momenti veritates contineantur quae intentioni clare subordinatas esse etiam externe ostendere expedit. Id, quaeso, quoad linn. 19-22 praesertim intellegas.

4. Pag. 8, linn. 15-16 (et pag. 12, linn. 15-16) illud *Io.* 19, 26 s. allegatur de quo Leo XIII habet: « In Ioanne autem, quod *perpetuo* sensit *Ecclesia,* designavit Christus personam humani generis... » (cf. pag. 21, not. 13, 2 alin.). Nescio, utrum haec Leonis XIII verba absque ulla restrictione a quolibet Romano Pontifice denuo proferantur atque confirmentur. Idem S. Robertus Bellarmino cuius piam de matrimonio sententiam supra (*Observationes generales,* n. 7) in medium attuli, « pie sentit et scribit » de hoc Ioannis verbo: « Onus et iugum impositum a Domino S. Ioanni... Sed, nisi fallor, possumus et nos a benignitate Verbi, nostri causa incarnati et ex dilectione nimis nostri causa crucifixi, precibus impetrare, ut dicat et nobis: Ecce Mater tua; et Matri suae de nobis dicat: Ecce filius tuus. ... Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae Christi, et suppliciter nec sine lacrimis ab eo petamus, ut de unoquoque nostrum Matri suae dicat: Ecce filius tuus; et unicuique nostrum de Matre sua dicat: Ecce Mater tua » (*De septem verbis Christi in Cruce,* cap. 12. - Vide *Brev. Rom.,* die 22 aug. ad Mat. lect. 7 et 8). Mirum est, quod huiusmodi S. Doctoris textus qui, nisi fallor, sane aliter sonat ac copia textuum in nota 12 inductorum, a Pio XII s. m. nuper in liturgiam est invectus, nempe festo Immaculati Cordis B. M. V., mihi carissimo. Nonne hoc facto edocemur verba Summorum Pontificum non adeo esse premenda? Si enim verba Summorum Pontificum univocum praeseferrent *Io.* 19, 26 s. sensum, difficulter intellegeretur admissio in liturgiam textus qui huic sensui vix concors haberi potest.

Et quid dicam de S. Ambrosii explicatione *Io.* 19, 25-27 quam in Breviario Romano die 15 sept., ad Mat., lect. 8 et 9, legimus? Nonne haec simplex et plausibilis interpretatio et patristica et « liturgica » homini moderno magis arridet? Nec interpretationi quam schema uti pontificiam exhibet, undequaque consonare videtur. Sed nec potes supponere interpretationem ambrosianam interpretationi « pontificiae » contraire; secus illi in liturgia « quae doctrinae a maioribus traditae et a christiano populo creditae est veluti speculum » (Pius XII, *Ad caeli Reginam,* die 11 oct. 1954, *A.A.S.,* 46, 1954, 631), non esset locus.

5. Pag. 8, lin. 27 varietas scribendi litteris minusculis seu maiusculis eadem verba in eodem sensu usurpata in eodem documento non placet.

In pag. 7, lin. 23 legitur: « ... de *C*orpore Christi *M*ystico... »; hic habetur « in *c*orpore Christi *m*ystico... ».

Ad id spectat quoque pag. 8, linn. 37-38: « ... veneranda *T*raditio... » et pag. 10, lin. 21 « ... secundum antiquam et venerabilem *t*raditionem... ». Utique, in priore casu est sermo de instituto traditionis, ut ita dicam; in altero, de singulari traditione. Sed timeo ne post Concilium nimia doctorum subtiliorum sagacitas ex alio scribendi modo aliud sit probatura. Cf. insuper schema *de divina revelatione* pag. 7, lin. 12. Ad modum scribendi quod attinet, Concilio puto honori et decori fore normam quandam similem illi quam S. Congregatio Rituum « ad librorum liturgicorum editorem circa novas Breviarii ac Missalis Romani editiones » edidit quaeque prostat in *Eph. Liturg.* 75 (1961) 28. Utilitas, immo necessitas huiusmodi normae apparet attentius consideranti inter alia supra dicta, necnon schematis de divina revelatione pag. 7, lin. 8 (*D*epositum *F*idei); lin. 19 (sacrum verbi Dei *d*epositum); lin. 24 (in una vel altera *D*epositi parte) una cum schematis de B. M. V. pag. 7, lin. 25 (... interpretis *d*epositi revelati).

Etiam varietas latinitatis huius schematis et aliorum quorundam schematum, in casu, me minus delectat.

6. Pag. 11, lin. 8, nescio, utrum inciso de archangelo nuntio Dei quod hic legitur, quaestio de annuntiationis mysterii intellectu de quo coram episcopis Brasiliae em.mus card. E. Ruffini in domo Mariae Concilio durante dolens et vehemens locutus est, sensu « traditionali » iuxta mentem schematis compositorum dirempta sit. Quod ad me attinet, inciso quaestionem non tangi puto. Si autem intentio sit compositorum praelaudato inciso hac de quaestione iudicium condemnatorium contra sententiam « innovatricem » attentandi, clarius est loquendum. Quidquid est, loco « archangelo » dicatur « angelo », omissa tautologiae specie « nuntio Dei », ut Evangelium habet.

7. Pag. 10, lin. 15-40, ad pag. 11 linn. 1-5, schema privilegiorum singularium B. M. V. et elenchum et explicationem quandam texit. Aliorum autem privilegiorum alia habetur certitudo; siquidem eam esse *Christi Matrem* (*a peccati originalis labe praeservatam*) *in caelum corpore et anima assumptam* fide credimus. Eam expertem esse ab omni culpa personali « tenet Ecclesia », Tridentino testante (Denz. 833). At illud « tenere » cum haud necessario fidei definitionem exprimat, interpretandum est ope criteriorum specialium, ob oculos habita C.I.C. can. 1323 § 3. In casu de veritate mariologiae definita agi auctores communiter non asserunt. Me eam cum Pio XII (*Mystici Corporis Christi,* A.A.S. 35, 1943, 247) omni cum piorum fide profiteri affirmare non erubesco, sed eam esse de fide divina et catholica credendam fidelibus praedicare non audeo.

8. Virginitatem marianam ante partum, in partu et post partum cum Paulo IV et Clemente VIII (Denz. 993, qui numerus, nisi fallor, inter notae 31 textus locum facile principem habere debuisset) omnino admitto; eam quoque tamquam veritatem fide divina et catholica ex magisterio ordinario tenendam esse ab auctoribus communiter affirmari scio, factum vero, quod etiam inter catholicos hac de re saeculorum decursu disputatio discussioque iterum iterumque invenitur, efficit, ut, sententiae communi quoad certitudinis gradum maximum non adstipulans, maiorem si quae attingi possit claritatem relativam ad virginitatem et ante partum et in partu et post partum desiderem. Nam textus schematis rem non dirimit, nisi

quis dicat enumeratione privilegiorum hic facta de omnibus indistincte privilegiis summum certitudinis gradum obtineri, cum definitionem contineat. Quod mihi non apparet. Quadecausa nec video schematis verbis de virginitate (pag. 8, lin. 10; pag. 10, linn. 19-20; linn. 39-40; pag. 11, linn. 1-2) intentionem a compositoribus proclamatam (pag. 14, IV, 2, *a*) in tuto collocari et ad effectum deduci.

9. Pag. 12, linn. 34-35, vim et virtutem Patrum Ephesinorum consalutationis maiores esse duco, si verbum « merito » omittatur. Simplex factum enuntietur, de facto autem ne iudicetur. Insuper facti vis non esse videtur tota in solis istis verbis, ratione habita exclamationis contextus (puta: Caelestino cum Synodo concordi, ... Unus Caelestinus, unus Cyrillus...), sed, nisi fallor, exclamationis virtus magis splendet consideratis quoque Caelestini legati assertionibus quae Denz. 112 prostant et quibus consalutatio iam prolata recto in lumine collocatur, Patribus consentientibus.

10. Quae in pag. 10, linn. 21 ss. una cum notis 26 et 27 de morte B. M. V. proferuntur, mihi in constitutione dogmatica, paucis annis a sollemni Assumptionis B. M. V. definitione in qua a iudicio de eius morte consulto abstractum est, elapsis, non placet. Prudentius esse videtur totam quaestionem adhuc theologiae relinquere et textum stricte iuxta definitionis dogmaticae verba formulare, v. g. « ... mirabilis denique in suo exitu, quatenus, expleto terrestris vitae cursu, fuit corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta ».

69

REV.MUS P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

Comme l'histoire de l'Eglise et particulièrement l'histoire de la Légion de Marie, travaillant dans le monde entier, voici 40 ans, nous l'enseignent, Marie est vraiment la Mère du Christ Total, de la tête et des membres. La sanctification personnelle et l'apostolat sont prolongement de l'Incarnation et se réalisent toujours et partout « de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ». Les angles de perspective et les modalités d'exécution diffèrent légitimement, mais l'inspiration, l'animation fondamentale est commune à tous » (card. Suenens). « Sous peine d'être tronqué, tout apostolat authentique est marial » (cf. card. Suenens, *Théologie de l'Apostolat,* 2 éd., pag. 2).

Puisque nous cherchons les moyens les plus efficaces, pour amener les hommes d'aujourd'hui à devenir en Jésus Christ fils de Dieu, ne ferait-on pas bien d'insister sur l'importance de ce moment marial dans la vie de sanctification personnelle et dans la vie apostolique. Par le fait même la dévotion à la T. S. Vierge serait lavé des accusations ridicules, de nuire au christocentrisme etc. Marie n'est là que pour le Christ et l'engendrer, elle n'est pas séparation avec le Christ pour son propre profit, mais union au Christ, pour la gloire du Père dans l'amour du S. Esprit.

Il me semble humblement, que nous devrions autant insister sur cette sérieuse donation au Christ par sa Mère, que sur les méthodes d'apostolat, la psychologie, la pédagogie et la sociologie.

Il serait très intéressant d'entendre à ce sujet les grands évêques, comme Mgr le card. Suenens, Mgr Graber etc. Interrogez les plus de 1000 évêques du

monde entier, qui ont vécu l'expérience légionnaire de Marie. Que dire, si le card. Suenens dit: la légion ne prétend que vivre le *catholicisme normal.* Il n'est pas nécessaire que tous deviennent légionnaires, ni même que la Légion de Marie existe, mais ce qui est nécessaire et voulu par Dieu, me semble-t-il, c'est le rôle de Marie, dans le plan du salut, d'être la Mère du Christ Total, le prototype de l'Eglise.

Animadversiones additae:

Avec une petite majorité les Pères du Concile ont voté l'insertion du traité de la Vierge Marie, comme un chapitre *de Ecclesia.* Avec une eminence je dis: il est d'une importance secondaire, où on traite de la Mère du Christ total, mais il est important ce qu'on en dira.

Il y en a qui veulent « mettre la S. Vierge dans le rang »; puisque dans l'Evangile elle était toujours dans l'ombre, laissons-la dans l'ombre, ont-ils l'air de dire. On enlève ses statues dans les eglises. On taxe la récitation du chapelet, comme dévotion de nos grand'mères. On ose taxer — et cela des « théologiens » — les déclarations des Souverains Pontifes, concernant la coopération de la Vierge à l'œuvre de notre salut, comme exhortations dévotionnelles — sans base sérieuse théologique. On exalte les documents anciens de la tradition et on fait peu de cas du magistère ordinaire de l'Eglise, qui de nos jours aussi bien que dans l'antiquité est guidée par l'Esprit Saint. Et que fait-on du sens chrétien dans l'Eglise guidé par l'Esprit Saint, manifesté par les Papes et pour ainsi sanctionné par les Encycliques?

La fête de Marie Médiatrice de toutes les grâces est liturgiquement instituée. Marie Médiatrice a été déclarée Patronne de la Chine. Des mouvements apostoliques mondiaux, comme la Légion de Marie, s'inspirent de la doctrine propagée par les écrits de S. Louis M. de Montfort. Combien d'âmes vient de ces doctrines.

En considération de tous ces faits, je propose humblement, que le *fait* de la coopération de Marie dans le plan de la Rédemption soit clairement, solidement établi, déclaré par le Concile. Qu'on donne vraiment la place à notre Mère qui lui convient et comme a déclaré encore notre Saint Père dans la Congrégation publique, déclaration applaudie chaudement par les Pères du Concile: la première après le Christ et pourtant si proche de nous.

Le *modus* de cette coopération peut et doit être librement discuté par les spécialistes et n'a pas besoin d'être inséré dans le chapitre.

Nos frères séparés, ne pourront que s'étonner, si le Concile se taisait sur les grandeurs et privilèges de Marie, publiés dans la litérature catholique. Cela ressemblerait à une régression dans notre foi et à une trape où nous essayerions de les faire tomber.

70

Exc.mus P. D. ALEXANDER RENARD

Episcopus Versaliensis

Peroptamus ut, in schemate recognito *De B. Maria Virgine, Matre Dei et Matre hominum,* haec maioris momenti magis eluceant:

Hoc schema in universali opere ponatur Concilii, cuius voluntas, ad mentem Summi Pontificis, pastoralis simul ac Oecumenica habetur. Hic non agitur de quadam B. Mariae Virginis doctrina augenda novis declarationibus. Oportet clarius ostendere, non solum fidelibus, sed etiam ceteris christianis, dignitatem Mariae

eiusque munera; imprimis apparere debet eius locus in Christi Ecclesia, et fides et ancillae Domini obedientia.

Privilegiis quae gloriam Mariae illustrant, praeponantur dona Dei fingendi eam perfectum S. Ecclesiae et christianorum exemplar. Quod significari potest in verbis a Sacra Liturgia de Maria usitatis: « Trahe nos... in odorem unguentorum currimus ».

Unus Mediator. Primo asserendus est in oeconomia divina locus Christi Redemptoris Nostri. Textus cum commentariis Pauli Apostoli (*1 Tim.* 2, 5) in initio schematis inscribi deberet, qui tamen in pag. 95, linn. 37-41, repertus est. Maria est coniunctissima Filio Suo Deo, secundum divinum decretum (§ 1) et maternitate sua, et vita ducta cum Christi persona; praecedit Ecclesiam cuius supereminens electa est membrum.

Maria Mediatrix. Sic Maria Mediatrix a pietate christiana et magisterio proclamatur, ut pro certo tenet schema (in pag. 95, lin. 41; pag. 96, lin. 5). Sed ulterius tribus locis idem schema progreditur:

Pag. 94, linn. 13-14: « Eum (= Christum) ut pretium redemptionis nostrae magno animo obtulit ».

Pag. 94, linn. 24-25: « Generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda ».

Pag. 95, lin. 32: « Eo quod sociata fuit Christo in illis acquirendis ».

Quae mediatio in meritis acquirendis esset nova theologiae affirmatio, adhuc quidem ab omnibus doctoribus non accepta. Plures periti privilegiorum Mariae fatentur se nullum textum magisterii qui partes Mariae « in gratia acquirenda » contineat legisse, nisi quasdam translationes seu verba aliquantum appropinquantia.

Quod ad secundum textum attinet (pag. 94, linn. 24-25), tota alinea etiam inutilis repetitio videtur.

De exitu Mariae. (Pag. 96, linn. 21-24): Iuvaret incisum praetermitti; sic legeretur: « Mirabilis denique in suo exitu, quia corpore et anima gloriose in caelum assumpta est ». Pius Papa XII, in bulla *Munificentissimus,* reliqua tacuit, a quo didicimus Mariam corpore et anima gloriam consecutam esse, ignorantes tamen in quibus rerum adiunctis hanc attigerit.

De virginitate in partu. (Pag. 96, linn. 39-40): « Quique voluit corporalem integritatem Matris in ipsomet partu... ».

Vocabulo « corporalem » praeferatur « virginalem »: ipsa virginitas agitur, non corporeitas, neque realitas, ut aiunt, physiologica, quae nonnisi arcane in virginitate continentur.

Fautrix unitatis christianae. (Pag. 98). Placeat ut textus schematis, postquam tamen pro inciso « gregem sub uno Pastore » restituta fuerint authentica Evangelii verba (*Io.* 10, 16) « ut fiat unum ovile et unus pastor », post lin. 26 abrumpatur.

[*Subscripserunt etiam*] A. Malbois, ep. tit. Altavensis; André Rousset, ep. tit. Vaga.

71

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS RENDEIRO

Episcopus Pharaonensis

Unum tantum desiderium audeo exprimere, magna cum fiducia. Et est ut in pag. 97, n. 5, ubi agitur de cultu erga B. Virginem Mariam, Sacrum Concilium descendat ad explicationem mentis Ecclesiae, extollendo et commendando sacerdotibus et fidelibus illam formam devotionis quae Rosario Mariano exprimitur.

Est enim una vel alia vox quae in choro theologorum et liturgistarum harmoniose non sonat. Unus vel alius inveniuntur qui in excessum cuiusdam hyperliturgismi decedentes, dicunt non esse recitandum rosarium B. V. Mariae, praesertim quando in publico oramus, et sufficientem esse cultum vere liturgicum.

Hic tamen non videtur esse sensus Ecclesiae. Certum, immo et evidens est magisterium ordinarium Ecclesiae multifariam multisque modis rosarium B. M. Virginis commendare. Saltem 44 Romani Pontifices in plus quam bis centum duodeviginti documentis, de rosario locuti sunt.

Exempli gratia memoriam faciamus saltem sequentium:

1. Leo XIII (die 8 septembris 1901) in fine gloriosissimi Pontificatus sui, sic de rosario locutus est: « Nos quidem, cum diuturnum summi sacerdotii Nostri spatium respiciamus, atque animum ad acta Nostra revocemus, ... Illud autem est singulari Nobis gaudio, marialis rosarii sanctum institutum hortationibus curisque nostris esse magis in cognitione positum, magis in consuetudinem populi christiani invectum; multiplicata esse rosarii sodalitia, atque ea in dies sociorum numero et pietate florere; multa litterarum monumenta ab eruditis viris elucubrata esse et late pervulgata; denique octobrem mensem, quem integrum rosario sacrum haberi iussimus, ubique terrarum magno atque inusitato cultus splendore celebrari ».

2. Idem Pontifex, in Encyclica *Adiutricem Populi,* die 5 septembris 1895, rosarium commendat tanquam medium ad promovendam unitatem Ecclesiae: « Itaque permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria. Quod quidem, etsi non uno precationis modo demereri licet, attamen instituto rosarii optime id fieri uberrimeque arbitramur ».

3. Pius XII, die 31 iulii 1946 (*A.A.S.,* pag. 419) sic delineavit rosarium: « Totius Evangelii breviarium, dominicorum mysteriorum meditatio, sacrificium vespertinum... supplicatio domestica, christianae vitae institutum... ».

4. Ioannes XXIII, gloriose regnans, die 29 septembris 1961 (*A.A.S.,* vol. LIII, 1961, pag. 643) sic locutus est: « Il rosario, come esercizio di cristiana devozione tra i fedeli di rito latino, che sono notevole porzione della famiglia cattolica, prende posto, per gli ecclesiastici dopo la S. Messa ed il Breviario, e per i laici dopo la partecipazione ai Sacramenti. Esso è forma devota di unione con Dio, e sempre di alta elevazione spirituale... ».

Et ideo hanc propositionem exprimo: ut in supradicto schemate de B. Virgine, in n. 5, pag. 98, lin. 5 addatur: « Hanc veram devotionem Sancta Mater Ecclesia decursu saeculorum praecipue exprimit illa rosariana formula quae ab Evangelio haurit angelicam salutationem et ei adiungit meditationem mysteriorum vitae, passionis, mortis et resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi ».

72

Exc.mus P. D. AUDINUS RODRÍGUEZ Y OLMOS
Archiepiscopus S. Ioannis de Cuyo

Quae de B. Maria Virgine dicuntur, per ordinem exponere intendo, ut sub uno conspectu in mutua relatione appareant, quod ad veritatem melius intelligendam utile puto.

Itaque: excelsa privilegia quibus Maria fuit ornata, alia personalia sunt et ad eam extollendam ordinantur; alia vero ad Corpus Christi mysticum sanctitate amplificandum sunt destinata.

Fundamentum autem est quod ipsa sit vere Mater Dei. Facile enim intelligitur quod Deus inter omnes mulieres matrem sibi condens, eam oportuit ut faceret sibi dignam.

Inde est quod novo miraculo matrem facere voluit illibatam Virginem.

Et si hoc in ordine physico ut sic dicam, in ordine gratiae ab originali labe immunem voluit, gratiam donans eo momento quo anima infusa est corpori. Propterea Immaculatam praedicamus.

Immaculatus conceptus, ut mox dictum est, fit per gratiae infusionem. Sed iterum dicendum quod gratia ei infusa non fuit ordinaria, sed omnino extraordinaria, ut ex angeli salutatione eruitur. Si mensuram quaerimus, criterium erit appropinquatio ad Deum, ita ut maiori propinquitati maior gratia respondeat. Porro nulla propinquitas ad Deum cogitari potest maternitate maior: unde haec gratiae plenitudo gratiam superat omnium creaturarum etiam spiritualium, ut Cherubim aut Seraphim, Dominationum aut Potestatum.

Quodsi a peccato originali immunis, etiam a sequelis peccati. De quo non est ambigendum si de scientia et integritate originalibus agitur.

Quoad dolores et mortem, Christus aliquantulum primum Providentiae ordinem mutavit, dolorem introducens ut meritum, non ut paenam; atque mortem superando per resurrectionem. Itaque beatissima eius Mater — Mater Dolorum — doloribus meritum extulit ad summum. At dolores qui poena peccati fuere, ut in Dei sententia: « in dolore paries filios », ipsa non pertulit.

De morte autem victoriam obtinuit per resurrectionem et Assumptionem in caelum, ut eius victoria assimilaretur victoriae Christi, de qua Paulus exsultans scripsit: « Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? ».

Nunc de iis loquamur quae ad Corpus Christi mysticum sanctificandum ordinantur.

1. Certe ipsa est Mater Ecclesiae — loquutio Patribus cara —; est enim Mater Christi ad cuius Corporis mystici integritatem pertinet Ecclesia.

2. Mater relate ad filios non est exemplar tantum; sed potius tutela. Tutela materna Mariae Virginis includit mediationem apud eum qui redemptione est unicus Mediator iure proprio.

In nuptiis Cana Galileae materna mediatio Mariae apud Filium miraculum obtinet conversionis aquae in vinum, cum hora Christi nondum advenerat et non obstante prima Christi responsione, quae magis negationem videtur includere: « Quid mihi et tibi est mulier? ».

Materna mediatio apud Filium optimum non potest esse nisi efficax.

De mediatione iure proprio, non de materna mediatione, loquitur Paulus, ut liquet, quando dicit: « Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus ».

Ut autem nulla sit confusio, affirmationi assentio secundum quam Maria non debet vocari simpliciter Mediatrix. Nihil autem obstat ut ea vocetur Materna Mediatrix. Hanc igitur denominationem propono.

3. Materna mediatio Mariae sub cruce Christi morientis novum sensum obtinet. Perfecta enim conformitas voluntatis Matris Perdolentis voluntati Dei est perfectae sanctitatis Mariae indubia deductio. Quapropter non est dubitandum quod B. Virgo Maria dum Christus Dominus vitam in cruce pro mundi redemptione offerebat et ipsa, dolens, Filii sui vitam Patri pariter offerebat.

Haec autem oblatio vocari potest sacerdotalis, iuxta sententiam Patrum, quia ad hoc delegationem acceperat eo ipso quod constituta fuerat Mater Christi. Etsi

actionem sacerdotalem Christi non attingat neque ullo modo attingere possit, cum haec sit theandrica, i. e. humano divina, superat tamen actionem sacerdotalem aliorum sacerdotum qui Christum offerunt sub speciebus panis et vini.

Hoc manifestum fit ex eo quod hostia in cruce semel oblata fuit per mortem Christi veram et realem, dum in Missae Sacrificio mors Christi est mystica ad merita Redemptionis hominibus applicanda. Porro sacerdotalis actio Mariae Virginis simul fit cum Christo, et a nemine praeter ipsa dum Christus prout Summus et Aeternus Sacerdos se ipsum offerebat pro mundi vita. Quapropter superior est actioni sacerdotali hominum sacerdotum, quamvis inferior — infinite inferior — actioni sacerdotali Christi.

Ad hoc designandum nomen non existit in humanis linguis. Unde Maria Virgo Corredemptrix vocata est. Convenio iterum in hoc quod vox non sit propria, unde etiam in hoc quod vox appropriata invenienda est. Sed interim res est tenenda.

Haec omnia fidelibus cara omnino sunt, ita ut pastorale munus efficacissime in eorum expositione exerceatur.

Sed neque ullo modo fratribus separatis ea displicent, ut multis experientiis testatum habuit. Utique definitiones formales ex cathedra eis non placent; atque voces « mediatrix » et « corredemptrix » respuunt eo quod putent meritis Christi iis detrahi.

Officium nostrum erit ergo clare haec explanare, nihil omnino tacendo de his quae circa Matrem Dei et Matrem Ecclesiae sentimus; sed tantum voces aptas inducendo, scientes quod in nullo alio loco inveniri et recognosci fratres poterunt quam in Corde Matris cui in universo toto nihil est simile.

73

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ROIG Y VILLALBA

Episcopus tit. Aradensis, vic. ap. Valleduparensis

Circa schema constitutionis dogmaticae *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae* mihi videtur haec observatio.

Occasione celebrationis Concilii Oecumenici Vaticani II forsitan conveniat ut omnes Patres Conciliares, praesente Summo Pontifice Paulo VI, faciant solemnissimam consecrationem Immaculato Cordi Dei Genitricis Mariae. Haec consecratio fiat per Patres Conciliares unanimiter, ita ut si extra Concilium inveniantur aliqui Patres, adhaereant tali consecrationi per scriptum.

Sit talis consecratio devota, plena laetitia, fervida, ita ut illa sit tanquam traditio Ecclesiae christianae, omniumque hominum bonae voluntatis in servitium Christi per medium Mariae.

74

Exc.mus P. D. MAURITIUS PAULUS ROUSSEAU

Episcopus tit. Ausafensis

Hoc schema *de B. Maria Virgine* opportune uniatur cum schemate praecedenti *de Ecclesia.* Sic enim melius apparebit nexus intimus iungens Mariam et Ecclesiam. Non tamen omittatur principium sic dictum « consortii » quo unio permanens inter Mariam et Christum redemptorem ponitur ad modum fundamenti totius doctrinae de B. Virgine.

Sub n. 2, pag. 94, linn. 4 ss., directe et clarius enuntiatur doctrina semper in universa Ecclesia usque ad recentiores annos custodita de certa cognitione divinitatis Iesu Christi a B. Virgine in ipsa die Annunciationis. Lin. 5, post verbum « fieret », addatur: « B. Virgo, in ipso momento Conceptionis, certa scientia cognovit divinitatem Filii sui ».

In eadem pag., linn. 24-25, deleantur verba « in gratia pro hominibus acquirenda », quae, etsi verissima, non tamen adhuc ab omnibus theologis catholicis admittuntur. Si placet, textus ita emendatur: « ... fuerit generosa socia in omnibus actibus per quos gratiam hominibus acquisivit »...

N. 3 brevior efficiatur. Deleatur saltem integra paragraphus a lin. 30 pag. 95 usque ad lin. 4 pag. 96, in quo plus minusve repetuntur ea quae enuntiantur in paragrapho praecedenti, additis quibusdam determinationibus adhuc controversis.

N. 4. Deleatur paragraphus secunda, a lin. 25 pag. 96 usque ad lin. 5, pag. 97 ubi iterum secundo leguntur quae in lineis praecedentibus brevius et clarius enuntiantur.

Attamen, in eadem pag. 96, lin. 20, post verbum « virgo », addantur haec: « prorsus incorrupta, et quidem in ipsomet partu corporali ». Sic fortius asseritur perfecta integritas corporalis B. Virginis in ipso actu quo peperit Filium suum. Haec virginitas « in partu » recepta est unanimiter in tota Ecclesia saltem a saec IV. Non fuisset opportuna nova assertio huius veritatis in Concilio Vaticano II, nisi fuisset audacter denegata a quibusdam hodiernis theologis. Quae negatio, si Concilium sileret, fortius in futurum ab iisdem et a plurimis sequacibus propagaretur.

N. B. Quoad mediationem B. Mariae Virginis retinenda est omnino « mediatio intercessionis », quae, inde a saec. III vel saltem IV, in cunctis ecclesiis tam orientalibus quam occidentalibus profitetur, praesertim in documentis liturgicis. Testis antiquior videtur esse deprecatio « Sub tuum praesidium » quae forsan sub fine saec. III in usu erat.

75

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloensis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

In genere.

1. Aliqua desunt quae ex N. T. melius adessent, sicut schema generatim non est biblicum.

Scil. in N. T. Maria describitur ut fidelis: « et beata quae credidisti » (*Lc.* 1, 45). Quae autem fidelitas non semper facilis erat. *Lc.* 2, 48 scriptum est: « Fili quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Puer autem respondet: Quid est quod me quaerebatis... Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos » (*Lc.* 2, 49-50). Et additur, « Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo » (*Lc.* 2, 51). Unde derivari potest fidelitatem B. M. V. esse probatam. Hinc in spiritu scripturae dici potest, Mariam esse matrem fidelem et simul matrem fidelium (cf. *Io.* 2, 4; *Mc.* 3, 31-35; *Mt.* 12, 46-50; *Lc.* 8, 19-21). Ad hunc titulum, scil. Matrem fidelium conferendus est textus in epistola ad *Rom.* 4, 11 ubi Abraham vocatur pater omnium credentium. Hic titulus « mater fidelium » optimus etiam esset ut titulus totius schematis. Maria ut mater fidelium revera fidelibus hodierni temporis multum prodesset, cum ipsi

nonnunquam in fide tententur, in qua condicione ad Mariam ut matrem fidelium respicere possent.

2. Aliqua adsunt, quae difficultates parant. Docetur scil. in schemate, Mariam esse mediatricem omnium gratiarum et simul corredemptricem. Ultimum verbum quidem non nominatur, sed ipsa res formalita edicitur.

Quaerendum cur haec doceantur cum ipse Pius XII Pontifex Maximus ad P. Leiber declaraverit « utramque hanc quaestionem mediatricis et corredemptricis nondum satis dilucidatam et nimis immaturam esse et ipsum per totum suum pontificatum consulto evitasse de his quaestionibus aliquid enuntiare ». Aliqui quidem ut R. D. Balić de his verbis dubitant, sed de eorum authenticitate omnino constat. Si ergo Pius XII post longum Pontificatum has doctrinas ut immaturas declaravit, cur nunc in schemate conciliari continentur? Quod quaerendum est etiam eo quia et protestantes et christiani orientales has doctrinas non accipiunt. Exemplo sit testimonium professoris Schlink, observatoris in Concilio qui ad finem primae periodi sequentia dixit: « Specialiter omnes observatores inclusis orientalibus perterriti sunt tentamine doctrinae mariologicae (scil. in schemate de B. M. V.) dogmatice ita praeacuere ut contradictiones inter Ecclesiam Romanam et ceteram christianitatem totam modo excessivo augerentur ». Sin ageretur de certa doctrina fidei, haec defendenda esset. Sin autem agitur de doctrinis quae secundum ipsum Papam Pium XII « immaturae » sunt, cur difficultates ad unionem christianorum maxime augentur? Certe nos episcopi responsabilitatem pro hac re habemus, cum agatur de certissima voluntate Christi qui oravit « ut omnes unum sint, ... ut credat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21). Unitas ergo etiam signum veritatis est, testimonium missionis Christi a Patre. Unde responsabilitas nostra maxime augetur.

In specie.

Pag. 7, n. 1, lin. 10: loco « praeannuntiatione » dicatur: praelusione. Revera nec Basilius, nec Chrysostomus, nec Ambrosius nec Hieronymus hunc locum ad Mariam referunt.

Pag. 7, n. 2, linn. 33-34: loco: « per feminam mors ita et vita nobis per feminam oriretur », dicatur « quemadmodum femina contribuit ad mortem, ita etiam contribuit ad vitam ». Ratio: peccatum originale non est per feminam sed per virum, hinc etiam mors non est per feminam sed per virum.

Pag. 8, n. 2, linn. 1-3: loco: « non id ante perfecit quam designatae matris... libera acceptatio accessisset » dicatur: « ita perfecit, ut designatae matri... gratia sua potenti, liberam acceptationem donaret ». Ratio: ipse Deus est causa prima consensus per gratiam efficacem, quod in textu dici debet.

Pag. 8, n. 2, linn. 7-8: melius omittatur: « verum etiam cum eo et sub eo operam suam consociavit in humani generis redemptione peragenda » cum iam idea corredemptricis innuitur, de qua supra sub I, et iterum postea sub nota immediate sequenti.

Pag. 8, n. 2, linn. 13-15: omittatur: « vehementer cum Unigenito suo condoluit, eum ut pretium redemptionis ... obtulit » Hic enim fundamentum pro corredemptione ponitur. Contra quam doctrinam multae laborant difficultates:

1. In ipsa revelatione nihil de hac re continetur.

2. Immo in ipsa revelatione continentur effata, quae excludunt corredemptionem.

a) Iam in V. T. salus et redemptio soli Deo attribuitur, e. g. *Is.* 43, 11 « ego sum, ego sum Dominus et non est absque me salvator » (cf. *Ps.* 63, 9; *Ps.* 62, 2; *Ps.* 68, 20 etc.);

b) idem in N. T. *Act.* 4, 12 dicitur: « et non est in alio aliquo salus » *1 Tim.* 2, 5 « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus ».

3. Concordant Concilia. Florentinum docet Christum solum nos redemisse (D. 712). Tridentinum declarat: Si quis hoc Adae peccatum... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi... anathema sit (D. 790).

4. Concordat maior pars theologorum; card. Billot e. g. docuit doctrinam de corredemptione contra fidem esse.

Pag. 8, n. 2, linn. 24-26: loco « generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda — caelestium quoque gratiarum administra et dispensatrix iure meritoque salutatur » dicatur: « pia socia in opere redemptionis et caelestium gratiarum advocata iure meritoque salutatur ». Ratio sicut supra et praeterea: « dispensatrix gratiarum » praesupponit conceptum gratiae omnino impersonalem (germanice: ein verdinglichter Gnadenbegriff), qui est contra doctrinam fere communiter receptam.

Pag. 8, n. 2, linn. 29-33: incisum: « super omnes ... usque ad: sed in ipsemet, centro Ecclesiae sub Christo collocari » tollatur: centrum scil. est Christus.

Pag. 9, n. 3, linn. 2-3: loco « gratiarum mediatrix » dicatur « auxilium christianorum », vel: « mater omnium fidelium ». Ratio: vide supra, quae dicta sunt de corredemptione. Praeterea confer effatum Pii XII supra allatum. Denique: quomodo haec doctrina probatur? In terminis non est revelata. Ergo ex ratione theologica probanda esset. Fundamentum autem rationis theologicae esset in eo, quod Maria haberet meritum universale et immediatum in opere redemptionis=corredemptio. Hoc fundamento sublato non videtur, quomodo doctrina haec probari possit.

Pag. 9, n. 3, linn. 7-11: quae hic dicta sunt, prudentius exprimantur ne exaggeratio insinuetur. Certe natura Christi humana magis est prima quam Maria.

Pag. 9, n. 3, lin. 18: loco « mediatio » dicatur « eius materna intercessio ». Ratio est supra allata.

Pag. 9, n. 3, linn. 23-29: hoc incisum omitti potest cum iam non sic necessarium. Praesertim evitetur expressio « mediatores » (lin. 23) qui conceptus secundum Paulum Christo reservandus est.

Pag. 9, n. 3, linn. 31-36: omittatur, cum iam sit repetitio et quidem iterum doctrinarum mediatricis et corredemptricis, pro quibus certum fundamentum adesse non videtur, respective contra quas argumenta seria allata sunt.

Brevius dici potest: « Cum itaque haec humilis " ancilla Domini " cui fecit magna qui potens est prima omnium caelestium intercessorum necnon mater fidelium nuncupetur hac eius intercessione nullo modo mediatio unici nostri mediatoris obscuratur ».

Pag. 9, n. 3, lin. 41 - pag. 10, lin. 4: hoc incisum deleatur, cum iterum eadem doctrina exprimitur.

Pag. 10, n. 4, linn. 29 ad pag. 11, lin. 5: hic textus omittendus est sec. rev. P. Rahner, cum integritas corporalis eo modo explicatur, qui non communiter accipitur.

Pag. 12, linn. 14-36: hic textus omitti debet, cum sit offensio saltem subiectiva pro Ecclesiis separatis. Isti enim aperte declarant Mariologiam esse murum

fere insuperabilem ad unionem et quidem historia teste. Quomodo hic ergo contrarium declarari possit quaerunt. Substituatur textus christologicus fere ita: 6. (*Unus mediator*): Quemadmodum multi sunt intercessores caelestes et una est mater caelestis, ita tamen manet unicus mediator Dei et hominum, homo scil. Christus Iesus, cui laus et honor in Ecclesia sanctorum per infinita saecula saeculorum.

Ad coordinationem cum schemate de Ecclesia: caput ultimum de Ecclesia, i. e. de Ecclesia consummata et de munere B. M. V. in Ecclesia: transitus fere ita concipi posset: Ecclesia Christo duce tendit in suam ultimam perfectionem, i. e. plenam redemptionem in regno Patris. Iam vero unum et primarium Ecclesiae membrum suam ultimam perfectionem iam acquisivit i. e. B. Mariam semper Virginem. Deinde exponatur via B. M. V. a conceptione et maternitate qua auctorem Ecclesiae genuit, consequentur per viam terrestrem, ubi fides eius probata fuit, unde facta est mater fidelium, usque ad assumptionem et sic redemptionem perfectam, necnon permanentem eius intercessionem maternam in caelo, quibus modis omnibus Maria est prima plene redempta et exemplar omnium christianorum totiusque Ecclesiae.

76

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema è magistrale. Non si poteva con tanta chiarezza riassumere le verità intorno alla gran Madre di Dio e nostra, come è stato fatto. Questo lavoro di così prezioso rigore scientifico, di così saggia dilucidazione sul ricco tema della teologia Mariana, sempre crescente; di così pio fervore nell'esame delle difficoltà, specie da parte dei « minimalisti » e dei fratelli separati; questo sommario dei privilegi e delle virtù della Santa Vergine, specie perchè aggiunto allo schema *de Ecclesia,* potrebbe dirsi il *Credo Mariano* del Concilio Vaticano II.

Farò qualche osservazione pur sapendo di trovarmi pagine controllatissime, appoggiate ad autorità indiscutibili.

Al n. 2, lin. 32, controllerei la espressione: « *Cum igitur aeterni Patris Verbum hominis naturam ex muliere sumere voluit* etc. », su quanto è detto nel Catechismo del Concilio di Trento (P. I, c. IV): « *Tutte le cose che Dio fuori di sè opera nelle creature, sono comuni a tutte e tre le persone* ecc. ». « *Sebbene* (si aggiunga) *sogliono le Sacre Lettere di quelle cose che sono a tutte le persone comuni, attribuirne una a questa particolare persona, un'altra a quella* ecc. ».

Al n. 2, pag. 8 (94), lin. 15, è detto: « ... *ab eodem Christo Iesu in cruce moriente mater hominibus data est* ». Ora, sebbene qua e là si riparli di Maria come Madre nostra, non pare risulti abbastanza quanto dice S. Bonaventura, citato dal Papa Pio XII, e riportato qui, tra i brani della nota 35, a pag. 32 (118): « *Ex hoc, ut ait S. Bonaventura, quod Virgo Maria effecta est Dei Mater, est effecta Mater omnium creaturarum* ».

Ho letto con grande gioia tutto il n. 4, specialmente perchè si ricordano o si riaffermano, tra i privilegi della B. Vergine, il suo singolare Immacolato Concepimento, la sua perpetua Verginità, la sua morte temporale esente dalla umiliazione del sepolcro, la sua gloriosa Assunzione.

Sottoscrivo, con tutto il cuore, il n. 5, specie nelle esortazioni ai vescovi, e nelle avvertenze ai fedeli.

Opportuna, e tanto felice, nel dottrinale e nell'accento, il n. 6, dove si dice di *Maria Sanctissima fautrix unitatis christianae.*

77

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

De quaestione orta, utrum doctrina de B. M. V. in speciali schemate exponenda sit, necne, i. e., an sufficiat specialis numerus in schemate generali de Ecclesia Dominae nostrae consecrare?

Respondeo: nec unum, nec alterum. Me explico: Momentum et speciale munus B. M. V. Matris Dei et nostrae in Ecclesia schema proprium a Concilio exigerent; at rationibus consideratis ab em.mo card. König schema speciale vitandum est. Ast dico et affirmo: Omnis lis et discussio de hac re facillime removeri potest: *uniatur utraque opinio.*

Schema *de Ecclesia* scil., ut prostat, incompletum est. Ecclesia enim plus quam indicatur membra continet. Detur ergo schemati divisio alia, ita ut omnia Ecclesiae membra amplectatur. Divisio, quam propono:

Pars I. De Ecclesia in via.

Cap. I. *De Ecclesia ad intus* (exponantur quae in cap. I actualis schematis exarata et disputata sunt).

Cap. II. *De Ecclesia ad extra.*

Tit. I. De populo Dei.
II. De hierarchia et regimine Ecclesiae.
III. De laicis.
IV. De statibus perfectionis.

Pars II. De Ecclesia consummata.

Cap. I. De animis purgandis in aeternitate (vitetur terminus purgatorium): quoad probationem iam consummatae sunt.

Cap. II. De beatis.

Cap. III. De B. M. V. — et hic omne id, quod in optimo omnium schematum exaratum est, in completissimo et lucidissimo omnium, in quo appareat Virgo Mater in toto suo esse atque in toto suo operari, non solum in sua gloria, ut Mater Ecclesiae et Socia Christi, sive in Novo sive in Vetere Testamento, exponi debet.

Cap. IV. De Christo Domino in se et ut Capite Ecclesiae.

Scholion. In cap. II, titulo I, sumenda sunt quae in actuali cap. III schematis *de Ecclesia* inveniuntur, demptis autem iis rebus, quae laicos *speciatim* respiciunt. In tit. III assumentur quae in dicto cap. III actualis schematis laicos specialiter attinent. Omnia autem redigantur sub aspectu doctrinae, ergo dogmatice, omissis eis, quae ad Canones, iura, normas etc. pertinent.

Hac nova divisione B. M. V. locum excelsum obtinet et tamen in coniunctione quoque cum Ecclesia ostenditur. Et vitatur terminus schema.

Ad n. 2, lin. 2, in pag. 8. Non placet legere Mariam redemptam esse, etsi sublimiore modo. Sublimior modus, ut aiunt, fuit redemptio praeservativa. Sed:

1. Hic terminus « praeservativa », ut clare ex historia apparet, inventus est ad conciliandos animos theologorum; ad placandos adversarios sententiae de immaculata conceptione; necnon ad salvandum dogma de universalitate peccati originalis. Dum populus christianus nullam difficultatem habebat in credendo ab initio in immaculatam conceptionem Matris Dei.

2. Nec satisfacit intellectui, quia redemptio praeservativa praesupponit B. Virginem *saltem iure* sub sententia contra Adami descendentiam subiectam fuisse. Quod repugnat sensui christiano. Nam, nec facto nec iure volumus SS. Matrem Iesu et nostram sub peccato vidisse.

3. Maria purior et sanctior omnium angelicarum creaturarum a Patribus proclamatur. Quomodo, si angeli non subiacuerunt peccato nec indiguerunt redemptione praeservativa, Maria autem iuridice iacuit?

4. Maria nec iure nec facto sub illa sententia fuit. Nam Christus est primogenitus omnium creaturarum; qui tamen per Virginem Matrem homo creandus erat, ut « factus ex muliere » principatum teneret omnium rerum. Ergo, in oeconomia creationis Maria primum locum occupat una cum Christo incarnando. Unde Christus exemplar et pater totius generis humani, exemplar et pater etiam Adami; Maria vero, cum eo, exemplar et mater Evae totiusque humani generis evasit.

Ergo, etsi chronologice post Adam apparuit, in mente Creatoris fuit ante Adam. Nullo exinde modo iuridice ab Adam dependebat.

Praevisis autem meritis Christi, utpote, non ex ipsius simpliciter meritis, plenitudinem gratiae recepit. Merita quidem Christi non ut redemptio qualiscumque, sed ut *praedestinatio* inde a constitutione mundi, ei applicata sunt, ut immaculata conciperetur, ut sanctissima esset.

Censeo igitur et exprimo sentimentum cordiale totius populi christiani: omittendum esse incisum « etsi sublimiore modo redemptae ». Non acceptatur a simplicibus animis christianis, in quorum auribus male sonat, qui lites theologorum circa dogmata non intellegunt. Non est necessarium ad salvandum dogma de peccato originali. Concludit ianuam ad ulteriores speculationes de praerogativis B. M. V. Quaedam expressiones in Bulla Papae Pii IX et in aliquibus precibus liturgicis nihil inficiunt; nam sunt solummodo explicativae, non definitivae.

78

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Remarques préliminaires:

1. La première remarque qu'on se fait au sujet de ce schéma est celle-ci: ce schéma est-il vraiment nécessaire? Est-il nécessaire que Vatican II, déjà submergé de questions, consacre une Constitution spéciale à la Très Sainte Vierge? Ce n'est pas que ce sujet ne soit pas important ou que la Vierge ne mérite pas une Constitution conciliaire; mais, d'une part, rien de vraiment nouveau n'est dit dans cette Constitution. D'autre part, les erreurs que la Constitution semble vouloir

écarter, sinon condamner, ne sont pas tellement répandues parmi les catholiques. Enfin, si cette Constitution n'apprend rien aux Orthodoxes de l'Orient, elle semble vraiment mal faite pour présenter la doctrine catholique aux Protestants.

2. *S'il faut à tout prix* consacrer une Constitution à la Vierge, nous pensons que le schéma de Constitution qu'on nous propose est *à refaire* dans un autre esprit et selon d'autres méthodes:

Il faudrait un schéma *plus biblique.* Il ne suffit pas d'accumuler les citations bibliques, il faut aborder le sujet dans l'esprit de la Bible et selon une méthode biblique aujourd'hui bien connue.

Il faudrait un schéma *plus pastoral,* et moins scolastique. En d'autres termes, le Concile pourrait faire œuvre vraiment utile en mettant surtout l'accent sur le culte de la Vierge, ses abus et son développement possible, de manière qu'il ne soit pas une sentimentalité ou une pieuse exagération, mais une nourriture spirituelle.

Il faudrait un schéma *d'inspiration plus haute,* qui ne se perde pas dans des détails de peu d'importance ou des luttes d'école.

Il faudrait un schéma *plus attrayant* pour les fidèles. L'actuel schéma est sec comme des thèses de théologie scolastique. Ce n'est pas de cette façon que parle un Concile œcuménique.

Il faudrait un schéma *plus œcuménique.* Les auteurs de l'actuel schéma affirment en note qu'ils ont voulu tenir compte de la méthode œcuménique. C'est bien possible qu'ils l'aient voulu. Mais autre chose la volonté, autre chose la réalisation. De fait, les auteurs ne sont pas œcuménistes et ne semblent pas connaître la méthode œcuménique. Il faudrait que ce schéma, comme tous les autres, passe d'abord en révision au Secrétariat pour l'union des chrétiens.

Il faudrait un schéma un peu *moins « latin ».* Sa méthode, sa terminologie, tout en lui sent la scolastique latine. On cite par-ci par-là quelque Père Grec, mais trop rarement, et dans un esprit latin. Par exemple, toute la littérature mariale de l'Eglise grecque est superbement ignorée.

Enfin, il faudrait un schéma un peu moins « *pontifical* ». On dirait que les auteurs ne connaissent d'autre source de la Révélation que l'enseignement des Souverains Pontifes, et surtout les encycliques mariales des derniers cinq ou six Papes. Ils le reconnaissent presque, quand ils affirment dans le « Praenotandum III » que dans le texte, « *hic et illic* remittitur ad quosdam fontes traditionis christianae. Attenta autem controversia inter theologos catholicos circa originem, *auctoritatem* et sensum talium fontium, hoc schema *opportune* non singulis dictis sive Patrum sive theologorum, sed ipsius *Magisterii Ecclesiae* auctoritate nititur, cuius doctrinae certitudo a speciali assistentia Spiritus Sancti provenit, *ita ut ad sensum huius magisterii et Scriptura et Patres interpretandi sunt* ». Cette note trahit bien la mentalité, vraiment spéciale, des auteurs du schéma. Pour eux donc, l'Ecriture et la Tradition ne sont pas si nécessaires que cela, puisque nous avons le Magistère de l'Eglise. *Et par Magistère de l'Eglise, ils entendent naturellement le seul enseignement des Pontifes Romains.* Cet accaparement de l'Ecriture, de la Tradition et du Magistère au profit des Pontifes Romains est caractéristique d'une mentalité très spéciale, qui a cours en certains milieux théologiques. Le schéma « De Beata Maria Virgine » s'en ressent.

Nous estimons aussi, pour la dignité du Concile œcuménique, qu'il faut absolument faire disparaître les notes qui accompagnent ce schéma. Il faut se rappeler

qu'un Concile œcuménique n'est pas un résumé des enseignements pontificaux, et qu'il est d'usage de citer dans les Conciles œcuméniques les Saintes Ecritures et les Pères, non les encycliques pontificales.

Ceci dit, voici quelques observations de détail:

Observations particulières:

1. Le titre du schéma n'est pas heureux: « De Beata Maria Virgine, *Matre Ecclesiae* ». Il est certain qu'il faut envisager la doctrine mariale en fonction de l'Eglise. Mais ce titre n'est pas bien indiqué. D'abord il est absolument inconnu à la tradition orientale. En Occident même, il n'a été répandu qu'à partir du XII siècle. En second lieu, il ne retient qu'un des trois aspects sous lesquels on peut envisager la relation de la Vierge avec l'Eglise: Marie *dans* l'Eglise, comme membre éminent, la première des fidèles et des rachetés; Marie *image* de l'Eglise; enfin *l'Eglise dans Marie.* Il est certain que Marie est mère de tous les fidèles, donc mère de l'Eglise. Mais le titre devrait retenir les trois aspects de la relation et, étant donné le but œcuménique que se propose le schéma, il devrait plutôt insister sur le fait que Marie est *de* l'Eglise. Nous proposons simplement le titre suivant: « De Beata Maria Virgine », ou encore, selon une terminologie plus orientale: « De Sanctissima Dei Genitrice ».

2. N. 1, p. 7 (93), lin. 5. Supprimer les mots « uno eodemque decreto ».

Le schéma veut dirimer là une question « chinoise » de théologie scolastique: Est-ce que Dieu le Père a, par un seul et même décret éternel, ou au contraire par des décrets distincts, décidé la création du monde, l'Incarnation et le choix de la T. S. Vierge? Question débattue entre Thomistes et Scotistes, et qui peut, sans aucun tort pour l'Eglise, rester débattue pour l'éternité. Il ne convient pas que le Concile se mêle de ces choses.

3. N. 2, p. 7 (93), linn. 24-25. Supprimer les mots: « superioribus documentis inhaerens Magisterii vivi Ecclesiae, unici authentici interpretis depositi revelati ».

De nouveau les auteurs du schéma montrent leur insouciance à l'égard de l'Ecriture et de la Tradition, en faveur du *Magistère vivant de l'Eglise,* qui s'identifie à leurs yeux, avec *l'enseignement pontifical.* Si le Concile veut éclaircir certains points de la doctrine mariale, il doit d'abord consulter l'Ecriture et la Tradition patristique, et s'appuyer sur le Magistère vivant *de toute l'Eglise,* et non seulement des Pontifes Romains, pour bien les comprendre.

4. N. 2, p. 8 (94), linn. 7-10. Refaire ces passages de manière à éviter, non seulement le titre de Co-rédemptrice, mais aussi la doctrine qu'il renferme.

A juste titre, le schéma veut éviter le titre de Co-rédemptrice, même s'il a été employé par quelques Papes de l'époque moderne. Mais, il en rapporte la doctrine, ce qui rend vaine la précaution terminologique. Ainsi dans les expressions suivantes: « operam suam consociavit in humani generis redemptione peragenda »; « eius consortium in redemptionis opere perficiendo ». La Vierge ne nous a pas rachetés avec le Christ. Le Christ est notre seul Rédempteur. La Vierge a été associée à l'œuvre de la Rédemption, comme tout racheté peut l'être et doit l'être, mais, naturellement d'une manière beaucoup plus éminente, parce qu'elle est Mère de Dieu. Tout ce qui est dit en plus de cette doctrine est pure exagération.

5. N. 2, p. 8 (94), linn. 14-15. « Cum ipso et per ipsum magno animo obtulit ».

Notre sensibilité orientale est offusquée par ces expressions. Pour nous, la Vierge n'a pas offert son Fils au Père, mais c'est le Fils qui s'est offert lui-même au Père, et a offert, avec lui, toute la créature rachetée, au premier rang de laquelle il y a sa divine Mère.

6. N. 5, pag. 12 (98), linn. 11-13. Le texte affirme avec raison que le culte de la Vierge ne diminue en rien le culte dû à Dieu. Cela n'empêche que, si le Concile veut faire œuvre utile, il serait bon de mettre ici les fidèles en garde contre les exagérations d'une certaine « piété mariale », qui n'a rien à voir avec le culte de Marie recommandé par l'Eglise. Nous signalons quelques excès: imagerie fade et même indécente (certaines Madonnes de la Renaissance); sentimentalisme puéril; mièvrerie; surenchère verbale; dévotionnettes; pratiques superstitieuses; flots de révélations privées et d'apparitions miraculeuses; exploitation indigne des pélerinages et des sanctuaires; légendes incroyables, etc.

Il nous semble que, sur le plan pastoral, le Concile doit recommander deux choses: positivement, le vrai culte de Marie; négativement, l'abolition de toute exagération verbale, doctrinale ou pratique. C'est dans ce souci pastoral que le Concile peut, sur ce point, faire œuvre utile.

7. N. 6, p. 12 (98). Tout ce numéro, consacré à la « Vierge patronne de l'unité des chrétiens », est à refaire.

Le souffle œcuménique n'y est pas. En premier lieu, il ne faut pas mettre sur le même pied les chrétiens non-catholiques et les infidèles (*non modo illi... verum etiam illi...*) (linn. 17-18). Ensuite, il faut définitivement renoncer à voir dans le « *unus pastor* » de Jean 10, 16, le Pape de Rome; il s'agit là du Christ, notre unique pasteur, dont nous sommes tous les brebis, y compris le Pontife Romain (lin. 26). Enfin, il faut renoncer, comme nous l'avons dit ailleurs, au titre de « Vicaire du Christ » comme titre exclusif du Pape de Rome (lin. 32), et cesser de présenter l'union des Eglises comme consistant uniquement à reconnaître le Pape de Rome (linn. 35-36); il y a, en effet, d'autres éléments et conditions d'union, beaucoup plus importants.

Concluons. Il est indispensable, à notre avis, que tout ce schéma soit revu par des œcuménistes. Ceux qui l'ont fait n'ont pas une connaissance suffisante de l'esprit, de la méthode et de la terminologie œcuménistes.

79

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE
Episcopus Urawaensis

I. Non videtur haberi rationem cur sermonem faciendi de B. Maria Virgine in speciali constitutione dogmatica.

Rationes sunt sequentes:

1. Quia hoc schema inservire non videtur ad finem primarium Concilii Oecumenici Vaticani II attingendum. Etenim Ecclesia, mediante hoc Concilio, tanquam « lumen gentium » se coram mundo praesentari intendit. Ecclesia ita nova forma ad mundum universum loqui desiderat ut ab eodem audiri et intelligi possit. Mundus universus etiam exspectat quid Ecclesia de seipsa dicat. Constitutio tamen dogmatica de B. V. M. est res intellectu difficillima pro non-christianis et protestantibus.

2. Quia postulatio de B. M. V. facta non necessario significat votum maioritatis numericae Patrum. In « Praenotandis » huius schematis affertur ut ratio praesentandi hoc schema, numerosa postulatio: « centena ac centena pervenerunt vota (circa 600) ». Quod autem probat potius Patres qui non miserunt postulationem esse in numero longe maiores. Non solet exprimi votum negativum (*non fiat* sermo de...) si non urget necessitas. Unde silentium Patrum etiam interpretari potest uti votum negativum silentio expressum.

3. Quia qualificationes dogmaticae non sunt clarae. Exploratio theologica de mediatione B. Mariae Virginis de qua praesertim in schemate agitur, adhuc non est terminata. Remanent puncta obscura. Unde enunciationes et modus loquendi de hac mediatione in schemate adhibitae, quarum qualificationes dogmaticae non annuntiantur modo claro, possunt gignere confusionem inter christianos. De cetero Patres convenire videntur in hoc quod definitiones dogmaticae evitandae sunt in hoc Concilio.

4. Non videtur haberi errorem doctrinalem de B. M. V. in hoc Concilio damnandum.

II. Ex dictis concludi liceat quod si sermo fieri debeat de B. Maria Virgine, ita fiat ut in fine schematis *de Ecclesia* clare ostendatur eminentia B. M. V. tanquam « typus Ecclesiae », Matris et Virginis, in Dei hominumque servitium totaliter dedicatae.

80

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Ce n'est pas sans un profond étonnement qu'on trouve le schéma de Beata présenté comme Constitution dogmatique non seulement isolée du reste du traité *de Ecclesia,* mais, ce qui est plus grave, sans aucun lien avec celui-ci. Nous savons qu'un grand nombre de Pères ne l'envisage pas sous cet angle qui n'est pas du tout dans l'optique du Concile.

Voyons toutefois ce que l'on nous propose comme schéma de Beata: douze pages de texte (et vingt et une de notes) délayant et raboutant sans lien organique des thèses allant de fondements scripturaires à des opinions pour le moins contestables.

Pag. 94, lig. 15, 25, « obtulit », « acquirenda »: aucun théologien ne peut admettre, dans un texte conciliaire, ces expressions proches de l'hétérodoxie. On croirait que tous les titres du Christ ont été repris par les mariologues maximalistes au « profit » de Marie; une telle compétition serait intolérable.

Pag. 95, lig. 2 ss. et lig. 30 ss.: les deux développements forment un doublet inutile et maladroit.

L'Eglise et le monde ont besoin de vraie théologie et non d'à-peu-près ou d'opinions disputées. En science théologique, comme en toute science, la rigueur du vocabulaire interdit d'employer un même mot dans des acceptions différentes; « Médiateur » est un titre du Christ, il lui appartient en propre et à Lui seul; « médiatrix » est à rejeter; de même, plus loin, « fautrix ». La prétendue « analogia » dont il est question p. 96 lig. 11 n'est que dangereux confusionisme.

Pag. 96, n. 4: le Concile n'a que faire des idées chères de tels mariologues; il fallait montrer ici la situation *unique* de Marie dans le plan divin et par rapport à l'Eglise.

Pag. 97, lig. 23 ss.: excessif; le culte de Marie ne saurait suffire à donner connaissance du Fils.

Pag. 98, lig. 8: que l'on prenne plutôt modèle sur les Orientaux: ils mettent Marie à sa place théologique et ne la représentent qu'avec son Fils, car elle est essentiellement Mère. L'Orient a été préservé des protubérances maladives de l'Occident.

Pag. 98, n. 6: « fautrix » est inadmissible; tout le paragraphe est ambigu; Marie est le signe et le lieu de l'union, elle est l'union déjà réalisée, mais aucunement la *cause*.

Pag. 100, IV, *b*): cette opinion n'est pas plus erronée que l'opinion contraire.

Pag. 101, Notes: 32 notes sur 46 citent des documents de Magistère récents; regrettable proportion! les Papes eux-mêmes ont émi des opinions qui ne sont aucunement règle de foi.

L'indigence de ce schéma quant aux chapitres essentiels à traiter est navrante; l'expression manque gravement de rigueur et l'esprit non théologique est par là même a-pastoral.

C'est une nécessité de le refaire.

On ne peut pas plus traiter de l'Eglise sans parler de Marie que de traiter de la grâce en se passant des sacrements. Il faut traiter de Marie; les divisions créées dans l'Eglise (même au sein des catholiques) à son sujet sont une exigence de plus d'en traiter et d'en traiter bien. Il est urgent d'exposer une doctrine sûre, grâce à laquelle seront tranchés excès, protubérances et déviations qui ont proliféré autour du culte marial (ici au Vietnam, nous avons entendu païens et Réformés dire que nous avons un Dieu et une Déesse).

L'existence de Marie s'inscrit dans la divine économie du salut par l'Incarnation et l'Eglise. Le Verbe incarné a voulu s'originer (quant à sa nature humaine) d'une jeune fille d'Israël,Il nous demande de recevoir Son Evangile avec la simplicité des enfants et de recevoir de Marie le sens de l'Eglise. Tel est le processus de Dieu Se révélant.

Les Personnes divines se révèlent par leurs actes; postérieurement la théologie est remontée de là à la Nature trine et une. De même que nous ne connaissons la Trinité que par les actes des Personnes, de même nous ne pouvons bien saisir le mystère de l'Eglise qu'à partir de la personne de Marie dont l'existence contient déjà et révèle la nature du Plérôme, éclairant ainsi la nature de l'Eglise pérégrinante.

Il convient donc de traiter de Marie dès le début du schéma de l'Eglise (et non à la fin, sinon comme un rappel pour son aspect eschatologique); de là on obtient une vision concrète de l'Eglise et de la vie contemplative en particulier, car en Marie est déjà réalisée une synthèse vivante de la dogmatique et de la mystique.

Marie accomplit Israël et précède l'Eglise.

On pourrait situer ainsi Marie dans la Constitution dogmatique:

I. de Ecclesiae mysterio

II. *de Ecclesiae matre*

III. de Ecclesiae explicatione: A) dans sa situation de société visible; B) dans sa situation par rapport aux autres hommes.

De Ecclesiae matre.

A) Marie dans le plan divin.

Le mystère de Marie se trouve à l'A et à l'Ω de l'Ecriture, de la Genèse à l'Apocalypse, de la fécondation à l'assomption. L'Eau sur laquelle plane l'Esprit vivificateur, engendrant une multitude d'êtres vivants, la Terre source aussi de vie (la Terre restant vierge et produisant la manne — Grég. de Nysse), l'Eden lieu de rencontre de Dieu et l'humanité, Eve la Mère des vivants: autant de façons de parler de Marie, et de l'Eglise. En passant par les figures des Prophétesses, de l'Epouse, de la Sagesse, jusqu'à la victoire apocalyptique de la Mère triomphant du Mal, toute la Révélation tisse la trame de l'Histoire sur une chaîne de figures en lesquelles les représentants authentiques de la Tradition la plus ancienne (héritage commun à toutes les communautés chrétiennes) ont su reconnaître et Marie et l'Eglise, celle-ci née de celle-là. C'est le même Esprit qui féconda Marie et inspira cette Tradition. C'était l'intention de Dieu, qui Se révèle par des actes personnels, de personnifier son Eglise en le type de la Mère, nous donnant ainsi accès au mystère de cette Eglise.

Nous ne pouvons bien comprendre et Marie et l'Eglise qu'en comprenant cela justement que Dieu veut nous faire entendre à leur sujet (on évite ainsi les excès de toutes formes de subjectivisme).

Sur la chaîne des figures, quatre étapes peuvent nous retenir davantage:

a) *Eve,* mère des vivants, est la matrice en laquelle s'est formée l'unité de la race humaine; elle est dans un *état* de Mère; la vivante transmet la vie. Elle contient déjà toute la race humaine qui s'origine en elle; ainsi sa faute se répercute sur tous, tout étant commun à tous dans cette humanité que Dieu a faite une mais que la séparation originelle d'avec Dieu (refus de Dieu, sortie du Paradis) a fait éclater de divisions en divisions jusqu'à briser l'unité intime au sein de chaque individu. Mais elle a reçu l'Annonce que sa race sortirait victorieuse et donc retrouverait son unité (Apoc. XII répond à Gen. III).

b) *Anne,* mère du premier des Prophètes (*1 Sam.* II), ouvre la série, suivie jusqu'à la Nouvelle Alliance, de ceux et celles qui ont pour *fonction* de parler pour Dieu aux hommes et à Dieu pour les hommes: la fonction de prophétisme. Et cela, chez Anne, dans un état de maternité en puissance qui sera rendue effective par l'intervention de Dieu. A sa disponibilité Dieu répond en formant dans son sein celui qui sanctifiera et consacrera le Peuple élu notamment en donnant l'onction au Roi-prêtre, facteur d'unité des tribus dispersées, souche de la lignée davidique appelée a rassembler les fidèles et à culminer en le Sauveur nouveau Temple et Centre pour toute l'humanité.

c) Au cours de cette montée du Peuple vers le Sauveur, il y eut des retombées — chute de tout ce qui se fondait sur les Baals au lieu du Dieu unique, c'est à dire de tous ceux qui, à rebours du courant providentiel et du sens de l'histoire, sombraient dans les particularismes et les égocentrismes pour n'avoir pas tendu à Dieu comme leur Centre. A l'opposé, le petit reste des fidèles réalisait sa vocation de peuple appelé en haut, peuple séparé par consécration pour être universel par mission. C'est l'espérance qui maintint le Reste orienté vers son Sauveur, espérance des anawim, les *pauvres* de Dieu, ceux qui se tendent obstinément en avant, ceux qui au sein de la détresse gardent l'optimisme (qui, en théologie, se nomme Espérance), ceux qui n'attendent plus rien que de Dieu et à qui Dieu donne alors postérité et prospérité, faisant d'eux des Prophètes, des

Prêtres et des Rois. Cette espérance messianique est personnifiée, dans l'économie providentielle, par les Pauvres. Anne, et tous les Prophètes à sa suite, était dans cette *situation,* n'attendant plus rien que de Dieu.

d) La Révélation de la *fin des temps* (*Apoc.* XI et XXII) personnifie l'aboutissement de cette espérance en la Femme, pour un temps (l'entre deux parousies) au désert du monde, mais déjà glorieuse, et son Fils (source de sa gloire) élevé jusqu'au trône de Dieu, d'où Il se déclare l'A et l'Ω assumant dans l'unité du Paradis retrouvé (le Plérôme) les fidèles, les autres fils de la Femme, qui, par tous les chemins du monde, tendaient à Lui comme leur Centre, leur Fin et leur Tout.

Tout ce que la Révélation signifie et personnifie dans ces quatres étapes, se trouve réalisé en Marie et dans l'Eglise personnifiée en celle-ci; l'antique Tradition, commune à tous les chrétiens, l'interprète ainsi.

B) Marie dans l'histoire — ou: du signe à la réalité.

La vie de Marie se trouve à l'A et l'Ω de l'Evangile: l'Esprit est sur elle, elle reçoit l'annonce, elle engendre le Premier-né, elle prophétise comme Anne et en représentante parfaite de la double lignée de David et des Pauvres, elle enfante dans le dénûment, elle va au désert, elle contemple et intercède, à la Croix elle conserve son espérance car elle en a déjà reçu le fruit — première rachetée elle est alors consacrée Mère des re-nés —, elle demeure avec les Apôtres (Actes) assistant à la gestation de l'Eglise par le même envahissement de l'Esprit qui l'avait fécondée d'avance.

Dans cette histoire nous retrouvons les quatre notes que nous avons relevées comme signes et qui sont alors réalités:

a) l'*état* de Marie c'est d'être *Mère* (ce point étant le plus important, il convient de le développer davantage; il n'a pas été suffisamment mis en lumière et pourtant il commande tous les autres). Pour Marie, être Mère ce n'est pas une fonction, mais un état permanent, le tout de son existence; c'est la raison de sa grandeur et le motif particulier du culte que l'Eglise lui rend traditionnellement. L'état de Marie n'est pas celui de tout chrétien, ni celui du Christ; c'est cet état qui la rattache, *comme cas unique,* au Christ et à l'Eglise.

C'est parce que Marie est Mère qu'elle est l'Eglise. Son sein maternel est le milieu de rencontre parfaite de Dieu et de l'homme. Premier point du monde où le Christ A prend contact pour assumer ce monde, Marie, appartenant toujours au monde et à Dieu car ce contact demeure, est la première cellule de l'Eglise, point de cristallisation du Plérôme autour du Verbe incarné, et tend à attirer tout le reste à elle.

Marie est plus qu'une simple figure de l'Eglise (comme l'arche de Noé ou même comme le peuple d'Israël), elle unit type et antitype, elle est déjà l'Eglise qui se forme à partir d'elle. Point de convergence de tous les anawim, en elle la multitude est déjà rassemblée dans l'unité.

Si l'on peut dire que l'Eglise locale est l'Eglise universelle concentrée en ce point, à fortiori de Marie, qui n'est pas seulement un point mais *le* point origine. Par l'Eucharistie, l'Eglise locale devient coextensive à l'Eglise universelle; elle est le lieu où le Christ se consacre un plérôme dans la représentation sacramentaire et la succession. Le point-Marie est coextensif à l'Eglise universelle, non par voie de célébration, mais par voie de maternité, de génération. Engendrant le

Nouvel Adam, Marie est portée, du fait même, à la taille du plérôme qu'elle contient mystérieusement par son état de Mère.

Le prêtre qui célèbre seul en pays païen est l'Eglise en ce lieu; lorsqu'il baptise un néophyte, il est un concentré d'Eglise qui engendre celui-là — non pas déjà un Christ, mais une image du Christ à devenir. Marie ne célèbre pas, ne baptise pas; elle est le sein où tout est contenu; elle est moins la première Eglise locale que le germe de l'Eglise universelle, car elle est le lieu où est engendré le Christ Jésus Lui-même, où le Verbe s'adjoint l'humanité comme plérôme, où se rencontrent une nature humaine et la nature divine dans une unité de Personne, dans une assomption parfaite.

Plus que signe, Marie est la réalité commencée de l'Eglise, plus encore: elle en contient tout le mystère.

b) La principale *fonction* de Marie est d'être prophète. Le peu de paroles de Marie que l'Evangile nous a conservées suffit à le révéler: chez Elisabeth Marie parle au nom de Dieu à toutes les générations des hommes, bénissant les Pauvres et fortifiant leur espérance; à Cana Marie parle au nom des hommes à son divin Fils, Lui montrant ceux qui ont besoin de Lui.

« Vous êtes bénie »... « Priez pour nous » — à chaque *Ave* nous commémorons et rassemblons ces deux aspects de la fonction prophétique de Marie. Marie est prophète plus qu'aucun autre prophète: non seulement elle donne un signe, mais elle le réalise en elle.

Le Christ, Lui, est plus que prophète, puisqu'il est la Parole même de Dieu. Le Christ est seul Rédempteur et Médiateur, Il l'est par état; Marie l'est seulement par fonction, en participant, avec toute l'Eglise, à la Rédemption et à la Médiation; cette fonction est de même nature que celle de tous les chrétiens, elle est seulement plus parfaitement remplie en Marie car en elle la fonction et la vie ne sont pas divisées comme en ceux qui n'ont pas encore retrouvé leur unité.

c) Marie est *située* dans la lignée des anawim; elle l'a reconnu d'emblée en chantant le Magnificat; elle résume cette lignée, assume en elle tout ce qu'elle contenait d'espoir, et engendre ce qu'elle signifiait: la communauté évangélique, le peuple des Béatitudes, le Royaume des enfants et des pauvres. Reine parce qu'humble, pleinement assumée dans le Royaume parce que simple, pleine de grâce et comblée de gloire parce qu'indigente, elle incarne et justifie l'espoir des Pauvres qu'elle re-présente déjà dans le Plérôme.

Toute sa vie terrestre, Marie a été dans la situation de Pauvre de Dieu et fidèle in spe contra spem, et tout spécialement au Calvaire où se tenait, en elle, le petit Reste; là Jésus lui révèle qu'étant Mère fidèle du Verbe incarné elle est Mère de l'Eglise dès cette première communauté évangélique, avant même son assomption en gloire.

Marie dépossédée de tout, même d'une postérité à elle, est la première des pauvres à posséder le Royaume, à voir Dieu, à être comblée, parce qu'elle a réalisé la Loi nouvelle avec une plénitude que nous n'avons pas fini de sonder, faisant de sa vie un Royaume pour Dieu, une Eglise déjà achevée.

Cette situation de Marie, plus pleinement d'Eglise que n'importe qui, est le modèle de la vie religieuse qui se met en état de devenir ce que Marie a atteint et réalisé dès l'Incarnation et plus pleinement quand Jésus est rentré dans la Gloire: l'Eglise eschatologique.

d) Marie, icone eschatologique, est la Mère de la *fin* des temps à la fois

Mère de l'Eglise pérégrinant dans ce temps et Mère du Christ total, A et Ω, achevé dans la gloire.

N'existant qu'en relation avec son Seigneur auquel elle était toute consacrée, ayant réalisé l'unité en elle-même et avec Dieu, aussitôt assumée dans le Plérôme parce que tout en elle était assumable, Marie n'est pas seulement la première cellule mère de l'Eglise, elle est l'Eglise eschatologique.

Jésus est l'A et l'Ω du Christ total. Marie, tout entière du côté des hommes, est à l'A et à l'Ω de l'Eglise-plérôme, sein maternel pour la multitude rassemblée dans l'unité.

Conclusion. L'Etat, la fonction, la situation, la fin de Marie sont ceux de l'Eglise:

Eglise-Mère qui engendre les re-nés de l'eau et de l'Esprit, sein (et non source) de toute grâce — Epouse Vierge unie à Dieu et infiniment féconde.

Eglise-Prophète, lieu de la Parole de Dieu adressée aux hommes pour les sanctifier et de la réponse des hommes en culte de louange (liturgie de la Parole et liturgie Eucharistique).

Eglise des Pauvres, sainte dans sa conception et dans son terme, noviciat de la vie du Royaume par la pratique de la Loi évangélique.

Eglise assumée, Plérôme du Christ, Peuple rassemblé et divinisé — en l'assomption de Marie est commencée celle de l'Eglise.

Entre les deux parousies, la Mission de l'Eglise est le développement visible de la Mission de Marie: lieu de rencontre où le Christ va au devant de l'humanité pour l'assumer, elle a pour mission de rassembler dans l'unité la multitude qu'elle réengendre. L'apostolat de l'Eglise s'origine en le service accompli par Marie, saint et personnel, soumis et actif, psychique dans le cadre de l'institution.

Le mystère de Marie et celui de l'Eglise c'est celui d'un lieu de rencontre, en toute vérité et pureté, de Dieu et de l'homme. Marie l'a réalisé en plénitude.

En conséquence de ce qui vient d'être dit, il convient de porter la plus grande attention:

1. Aux représentations plastiques de Marie; les images doivent exprimer une doctrine sûre, être le fruit de la contemplation et porter en retour à la contemplation parce que nous rendant présent le Mystère. Il faut donc éviter aussi bien la recherche de la beauté physique que le réalisme vulgaire. Marie doit être représentée comme Mère et comme assumée dans la gloire; en une telle image nous devons pouvoir contempler aussi bien Marie que l'Eglise.

2. Aux prières et chants (non liturgiques [1]) qui ne doivent être que l'expression du dogme et sont en fait le meilleur moyen de le mémoriser. Le Concile ne portera ses fruits que si la formulation des Constitutions passe dans la vie du peuple de Dieu et, en particulier, dans le chant populaire.

« L'Eglise enfante des peuples entiers, mais ils ne sont que les membres de Celui dont elle est à la fois le Corps et l'Epouse, semblable à la Vierge qui est devenue pour nous tous la Mère de l'Unité » (St. Aug., *Serm.* 192).

---

[1] voire liturgiques aussi, s'il nous est permis de le mettre en question. Ainsi: « beata viscera... beata ubera... », alors qu'il nous est révélé que Marie n'est pas bienheureuse pour cela, mais pour avoir cru et agi en conséquence.

81

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrebiensis

Laeto animo titulum huius schematis legi: praedicat enim doctrinam de *universali B. Virginis maternitate,* quam — in plena eius amplitudine — a suavi caelestis Patris Providentia servatam esse humanitati nostrorum temporum intime persuasus sum. Doleo tamen in schemate ipso veritatem istam respectumque eius ecclesialem vix paucis attingi.

Praeterea, doctrina de *imitatione Mariae,* quae maximi sane momenti pro vita vere christiana semper est et erit, nonnisi *indirecte* memoratur. In nostris praesertim temporibus *moralis* iste aspectus cultus et devotionis erga Beatam Virginem praeteriri non debet, cum homines tam sensibiles sint pro vera excellentia morali. De cetero omnes scimus, unicum reale augmentum beatitudinis (utique *accidentale* tantum) et gaudii, quod B. Virgini procurare possimus, provenire ex emendatione vitae, profectu in virtutibus, praesertim ex conversione peccatorum, et non ex nostris verbis et laudibus, iuxta illud Domini: « Dico vobis quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonagintanovem iustis, qui non indigent poenitentia » (*Lc.* 15, 7; cf. 15, 10).

In hac luce persuasus sum ideam de Mariae universali maternitate ex omnibus ideis mariologicis maximi momenti esse pro hodierna christianitate et universa humanitate: est una ex ideis vitalibus a Deo datis, ut novos impulsus ad universam vitam hominum reformandam excitaret.

Audeo paucis meam mentem S. Synodo exponere.

Persuasio mea innititur loco Evangelii, de cetero sat obscuro, omnibus quidem noto, apud Matthaeum c. 12, qui locus concluditur: « Et extendens manum in discipulos suos, dixit: *Ecce mater mea,* et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est: ipse meus frater, et soror, et *mater est* » (*Mt.* 12, 49-50). Exegetis relinquimus explicationem praecisam et exhaustivam totius episodii: unum tamen Ecclesiae semper in comperto erat: Christus nullatenus hoc loco deminuere aut extenuare voluit relationes maternales Mariae ad seipsum, sed relationes istas maternales inexprimibili modo supernaturali, et tamen vero, extendere dignatus est ad omnes christianos, id est ad totam Ecclesiam. Sicut Maria sensu proprio et excellentissimo est Mater Christi, ita etiam Ecclesia sensu quodam latiori, at nihilominus vero, est mater Christi. Scribit S. Augustinus: « In verbis Domini invenimus Ecclesiam et *fratres* ipsius esse, et *sorores* ipsius esse, et *matrem* ipsius esse... Puta *frater,* propter sexum virilem quem habet Ecclesia, *soror,* propter feminas quas hic in membris habet Christus; *mater* quomodo, nisi quia ipse Christus est in christianis, quos christianos per baptismum quotidie parit Ecclesia? Ergo in quibus intellegis *coniugem,* in illis *matrem,* in illis *filios* (*Enarr. in Ps. 127,* 12).

Maria est typus Ecclesiae, immo Maria est prima et summa et excellentissima realizatio Ecclesiae, in omnibus ad unguem iuxta ideam divinam de Ecclesia, quae tantum melior est reliqua Ecclesia quantum proximior et coniunctior est Christo et quantum perfectiori modo et possidet promissa Ecclesiae et executa est officia Ecclesiae.

Maria materne amat Christum in omnibus filiis Ecclesiae, immo in omnibus filiis Adae qui vocati sunt ut fiant in Christo filii Dei. Ecclesia, i. e. omnes filii

Ecclesiae, imitari debent Matrem suam et iisdem sensibus maternis ac ipsa amare debent Christum in aliis filiis Ecclesiae (i. e. Mariae), fratribus et sororibus Christi, immo in omnibus hominibus qui ad Christum induendum vocantur. Ita tandem verificatur verbum Christi nos eius fratres, sorores et *matrem* esse, si hoc non mere in ordine ontologico ut realitas supernaturalis existit, sed etiam in ordine psychologico et morali experitur et exequitur.

Et haec est idea, quam hodierno mundo mirabiliter convenientem iudico, ut germen et incitamentum novae vitae elevationisque spiritualis fiat.

Ecclesia christiana in prima sua iuventute primam partem proclamationis Christi, videlicet omnes nos fratres et sorores esse, praedicare incepit, mundo pagano contradicente et irridente. Sed non timuit risus Ecclesia et paulatim idea de fraternitate hominum universali, inaudita prius, communis omnibus hominibus effecta est. Hodie in labiis omnium auditur: antiquata tamen quodammodo, abusibus vexata, ut dicam, pannosa, virtute et calore nativa multimode iam evacuata!

Secundam partem proclamationis Christi de universali maternitate Ecclesia in thesauro suo custodivit sed non tam insistenter praedicavit, etiamsi multis sanctis numquam latuit. E. g. S. Franciscus Assisiensis in sua Regula praecipit filiis suis ut ament fratres sicut mater filium suum! Quid dicemus nisi quod Deus Pater optimus ita disposuit, ut idea ista perpulchra servaretur pro his diebus renovatae iuventutis Ecclesiae, quae a Summo Pontifice tam ardenter auspicatur.

Propono igitur Sanctae Synodo, ut praesens constitutio sub hoc respectu compleatur ita, ut veritates istae omnibus manifestae fiant omnesque filii Ecclesiae se invitatos et incitatos sentiant, ut homines omnes, bonos et malos — affectus maternos B. Mariae imitantes — *ament sicut mater filium suum.*

Confiteor libenter, rem inauditam esse et risum in hominibus huius saeculi provocaturam, verumtamen mundus irridebat etiam Patres nostros, qui tamen Christum secuti sunt, nihil curantes de placitis mundi cuius figura transit.

Homines enim mundi hodierni, etsi tantis progressus materialis oblectamentis gaudent, spiritualiter et corporaliter tam infirmos et debiles et laesos intime se sentiunt, inquietos et incontentos, ut non sit eis speranda salus, nisi Ecclesia, i. e. nos omnes et singuli, accedamus ad eos cum vero amore *matris,* quae amat filium talem qualem, sollicita est et delicata, corrigere cupit et frangere nescit, quae sua sunt non quaerit, semper sperat, « congregat filios quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas » (*Mt.* 23, 37).

82

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema mihi plerumque placet.

Emendatio: Inter « Praenotanda », fol. 14, IV, 2, « Reiiciuntur errores tum " maximalistarum " qui vel ita loquuntur ac si B. Virgo nos eodem fere modo ac Christus redemisset, vel dicunt Mariam mortuam non esse, aut redemptam non esse; tum " minimalistarum " qui tali via ac ratione scribunt ac si Mater Dei eiusdem speciei membrum Ecclesiae sicut et ceteri filii Adae... atque etiam opiniones aliae fundamento et scripturali et traditionali carentes ».

Ratio emendationis: Melius mihi videtur reiicere *a*) et *b*) non specifice sed generatim inter opiniones non fundatas.

83

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Praenotanda, IV, 2), *b*), pag. 14 (100): B. V. Mariam tempore conceptionis non prorsus ignorasse Filium, quem conceptura erat, esse Deum non apparet esse sententiam unanimem peritorum, proinde melius esset talem condemnationem vitare et animadversionem e praenotandis auferre.

84

EXC.MUS P. D. IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paraliensis

In titulo: deleantur verba « Matre Ecclesiae (ter) ».

Pag. 7, lin. 10: deleatur *Gen.* 3, 15. Pag. 9, linn. 35-36 deleantur verba « ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis, adsit materna caritas B. Virginis ». Pag. 10, linn. 35-36: deleantur verba « Omnes angelicos spiritus cunctosque ».

85

EXC.MUS P. D. BENIAMINUS SOCCHE
Episcopus Regiensis in Aemilia

Pag. 9 (95), linn. 37-39. Proponitur verba supprimere: « iuxta *absolutam* significationem verborum apostoli (*1 Tim.* 2, 5): Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ».

(Dictum saltem fuisset *quamdam* significationem!). Nam huic paulino sermoni exclusivitatis sensum minime inhaerere probamus: « Datur hic contextus *1 Tim.* 2, 1-5 ».

« Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo. Qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus: Εἷς γὰρ Θεός, εἷς καὶ μεσίτης ».

Ex contextu qualem significationem habet εἷς unus? S. Paulus hic dicere non vult *unum* tantum esse mediatorem et non multos mediatores, sed potius D. N. Iesum Christum *eundem* pro omnibus esse Mediatorem, qui vult omnes salvari sine aliqua exceptione. Εἷς *unus,* hic non exclusivitatis sensum, habet, sed identitatis, *sicut etiam ex aliis paulinis locis valde assimilibus magis patere videtur.*

Rom. 3, 29-30: « *An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Immo et Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat* »: Εἴπερ εἷς ὁ Θεός, ὃς δικαιώσει. Deus est semper *idem unus* pro omnibus, qui iustificat.

Gal. 3, 28: « *Non est Iudaeus neque Graecus*: *non est servus neque liber*:

non est masculus neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu »: πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Unum (ἓν) Vulgatae est (εἷς) apud textum graecum. In hoc textu fit divisio hominum secundum alios gradus, sed πάντες i. e. totum humanum genus est in Christo *unum*. Varietati omnium hominum S. Paulus opponit εἷς, unus (unum), cum clara significatione non exclusivitatis, sed identitatis pro omnibus hominibus.

Rom. 10, 12: « *Non enim est distinctio Iudaei et Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum* »: ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων, Idem Dominus ὁ αὐτὸς idem sonat ac εἷς μεσίτης (*1 Tim.* 2, 5). Quemadmodum idem Christus est omnium Dominus (*Rom.* 10, 12), quin quaestio suppetat num sint potiores vel inferiores domini, ita in *1 Tim.* 2, 5 Christus Iesus omnium est idem mediator.

Ita in *1 Cor.* 12, 4-11, ubi S. Paulus vult patefacere non existentiam *unius Spiritus,* sed plura charismata unum habere fontem, idest Spiritum. Certe etiam hic εἷς enodatur per verbum ὁ αὐτὸς.

v. 4: « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: τὸ δὲ αὐτὸ Πνεῦμα.

v. 5: Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: καὶ ὁ αὐτὸς κύριος.

v. 6: Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus: ὁ δὲ αὐτὸς Θεός.

v. 7: Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.

v. 8: Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum: κατὰ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα.

v. 9: Alteri fides in eodem Spiritu: ἐν τῷ αὐτῷ Πνεύματι, alii gratia sanitatum in uno Spiritu: ἐν τῷ ἑνὶ Πνεύματι.

v. 11: Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα dividens singulis prout vult ».

Proculdubio τὸ αὐτὸ Πνεῦμα eandem veritatem exprimit sicut: τὸ ἓν Πνεῦμα. Utraque formula est vi aequalis ad unam eandemque donorum originem indicandam: τὸ αὐτὸ Πνεῦμα (v. 8) et: ἐν τῷ ἑνὶ Πνεύματι (v. 9).

Idem autem Dominus: ὁ αὐτὸς κύριος (v. 5). Idem autem Deus: ὁ αὐτὸς Θεὸς. Promiscue S. Paulus utraque formula utitur et verborum significatio non mutatur.

Unde in omnibus dictis locis, verbis εἷς-ἕν S. Paulus conceptum identitatis sed non exclusivitatis significare voluit.

1 Cor. 11, 5: « Omnis autem mulier orans aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum: *unum est enim ac si decalvetur*: ἓν γάρ ἐστιν καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ». Etiam in hoc loco ἓν relatum ad feminam, non numerandi vim habet, sed tantum identitatem denotat inter mulierem sine velo et mulierem tonsam.

Phil. 2, 2: « *Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sapientes* »: τὸ αὐτὸ φρονῆτε = idem sapiatis; τὸ ἓν φρονοῦντες = idipsum sentientes. Etiam in hoc loco utraque dictio eundem sensum habet.

Si igitur omnes dictos textus cum *1 Tim.* 2, 5 comparamus, clare patet etiam hic εἷς Θεός, εἷς μεσίτης sensum habere identitatis sed non exclusivitatis pro omnibus hominibus.

Extra S. Pauli epistolas proferamus *Iac.* 4, 12: « *Unus est legislator, et iudex, qui potest perdere et liberare*: εἷς ἐστὶν ὁ νομοθέτης καὶ κρίτης.

Etiam in hoc loco non adseritur unum esse legislatorem et unum iudicem, sed eandem personam simul legislatorem esse atque iudicem, quia utraque potestate pollet.

Item in Veteris Testamenti libris sive hebraica sive graeca versione invenimus: *Ex.* 26, 2: « *Longitudo cortinae unius habebit viginti octo cubitos*: *latitudo quattuor cubitorum erit. Unius mensurae fient universa tentoria* ». Etiam in hoc loco *una* mensura pro *eadem* sonat: eiusdem mensurae fient universa tentoria.

Etiam in *Num.* 15, 16 dicitur: « *Unum praeceptum erit atque iudicium, tam vobis quam advenis terrae* ». Semper eadem est lex et idem iudicium sive pro Israelitis sive pro advenis.

Conclusio. In omnibus igitur dictis locis *unum* esse ac *idem* demonstravimus.

Unde concluditur: minime dici potest in pag. 9 (95), schema *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae,* linn. 37-39: « Iuxta *absolutam* significationem verborum apostoli (*1 Tim.* 2, 5): Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus », quia in hoc loco apostolus non unicitatem sed identitatem cum verbo εἷς significare voluit. Quae significatio, viget in omnibus locis supra dictis apud S. Paulum et alios scriptores sacros, ut vidimus.

Haec igitur est significatio *1 Tim.* 2, 5: Deus omnes vult omnes salvos fieri « quia unus idemque (est omnibus) Deus et unus idemque (est omnibus) etiam mediator Dei et hominum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus ».

D. N. Iesus Christus est mediator apud Patrem et B. Virgo Maria mediatrix est apud D. N. Iesum Christum Filium suum. Hoc patet ex investigatione speculativa et ex Patrum et Summorum Pontificum doctrina, etc. Sed a S. Pauli mente abest exclusivitatis sensum dare huic sermoni *1 Tim.* 2, 5.

Omnes qui corredemptionem et mediationem B. Virginis Mariae negant, solent hunc sensum exclusivitatis huic loco acerrime praetendere.

Sed hoc non esse verum probavimus.

Unde proponitur schema emendare (pag. 9 [95], linn. 35-40) hoc modo: « Ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna caritas B. Virginis, nullo modo mediatio nostri mediatoris Christi Iesu obscuratur vel minuitur; immo haec Christi mediatio extollitur et honoratur ».

86

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ

Episcopus Albasitensis

De loco et munere B. Virginis in mysterio Ecclesiae.

Cum ex decisione Concilii schema de B. Virgine inserendum sit in schema *de Ecclesia,* quaestio ponitur de loco in quo intra hoc schema collocetur. Qua in re optandum videtur ut pars quae de B. Virgine agit ponatur non tamquam cap. VI schematis, sed tamquam eius « epilogus ».

Ratio est, quia B. Virgo non est tantum Ecclesiae « membrum prorsus singulare », sed ipsam Ecclesiam multipliciter transcendit. Ex qua immanentia simul et transcendentia complexitas totius tractationis facile percipitur.

B. Virgo transcendit Ecclesiam primo in suo esse, et quasi statice. Ipsa

enim, ratione maternitatis divinae, pertinet intrinsece ad ordinem hypostaticum. Ordo scil. hypostaticus intrinsece constituitur ex ipsa unione hypostatice essentialiter, et consequenter ex his quae ad unionem hypostaticam immediate necessaria erant, iuxta consilium Dei: nempe ex humanitate a Verbo assumenda, quae, item iuxta consilium Dei, non erat quaelibet concreta humanitas, sed haec determinata humanitas per generationem maternalem et virginalem procedens a Maria.

Iam vero, si Maria, ut Mater Dei est, pertinet ad ordinem hypostaticum, eo ipso in propria sua dignitate transcendit Ecclesiam. Ecclesia enim pertinet ad ordinem gratiae, qui infra ordinem hypostaticum est, atque, iuxta consilium salvificum Dei, ab ipso totus dependet in eoque habet fontem et radicem.

At Maria transcendit quoque Ecclesiam in suo operari, et quasi dynamice. Sine dubio, quia eius actio maternalis, intra ordinem hypostaticum, non fuit actio generativa mere physica, sed et humana et meritoria et vere soteriologica, ex voluntate Dei atque ex virtute ipsius Christi. Haec autem omnia supra omnem actionem Ecclesiae sunt eamque simpliciter transcendunt.

Sed praeterea, quia actio soteriologica Mariae, iterum ex libera voluntate Dei atque ex virtute Christi, non exhauritur per illam operationem maternalem, verum extenditur ad cooperationem cum Redemptore in ipso opere redemptionis eo historico stadio quo redemptio fiebat. Hoc autem stadio, in quo alma Socia Redemptoris cooperabatur, nondum concipitur Ecclesia plene constituta.

Haec praecise, in quibus B. Virgo invenitur transcendere Ecclesiam, ea sunt, quibus ipsa vere constituitur typus Ecclesiae. Quasi scil. ea, quae a B. Virgine fiunt in ordine hypostatico, typus sint eorum, quae ab Ecclesia fiunt in ordine gratiae, qui illius ordinis extensio est et vere antitypus.

Qua in re adhuc commemorari posset antiqua Patrum doctrina, qui in Maria non solum respiciunt Matrem Verbi, sed etiam Sponsam Verbi. Cuius typologiae antitypus in Ecclesia adest, quae est Sponsa Christi et simul est Mater Christum spiritualiter generans in fidelibus.

Est ergo B. Virgo Ecclesiae membrum prorsus singulare. Sed est praeterea aliquid omnino maius, ipsam Ecclesiam mirabiliter transcendens.

Ideo, ut loquamur de loco et munere B. Mariae Virginis in mysterio Ecclesiae, quin excludamus, ut patet ipsius locum et munus in mysterio Christi, non est adiungendum novum quoddam caput, aliis superadditum in quibus de episcopis, de laicis, de religiosis sermo est, quasi B. Virgo sicut omnes alii simpliciter intra limites Ecclesiae concludatur; sed aptius ponetur « epilogus » quo tota doctrina (immanentiae nempe et transcendentiae) per constructionem magis logicam exprimatur.

Quaestiuncula praevia ad cap. VI de Ecclesia, i. e. de Beata Virgine, recte exarandum.

Mariologia est pars quaedam theologiae. Oportet igitur ut methodo vere theologica tractetur.

Iam vero: non est difficile, sed nimis longum esset disserere de criteriis legitimis ut recte, sicut Sanctae Synodo condecet, quodlibet schema vel caput exaretur.

Sermo fieri posset *de materia* a Patribus proponenda; de forma seu spiritu materiam proponendi; de aliis huiusmodi. Sed omnibus omissis, unum breviter declarabo, videlicet, capitis fundamenta et fontes.

1. *Doctrina fundari debet in Scriptura Sacra.* Sacrae Scripturae valor, immo et necessitas, saltem negativa, ab omnibus agnoscitur.

Re quidem vera nullum, his diebus, exaratum textum scimus in quo, abundantiore vel sobrio stylo, eximius Sacrae Scripturae usus non appareat. In hoc puncto omnium sententia est unanimis.

Si quid autem, in nonnullis, minus laudandum nobis et reiicendum videatur, est usus exclusivus Scripturae, qui omnino perhibetur contra sapientissimas normas a Pio XII statutas, in percelebri et absolute magisteriali allocutione *Inter complures* quae exordium fuit magni congressus, anno 1954, Romae celebrato. Docebat ergo Summus Pontifex: « Vehementer a veritate deerrat, qui se ex Sacris Scripturis tantummodo B. Virginis dignitatem ac sublimitatem plene recteque explicare posse censet », atque necessitatem inculcat quod traditionis et sacri magisterii ratio debita habeatur » (cf. DM, n. 918, pp. 828-829).

2. *Traditio et sensus Ecclesiae.* Huius fundamenti valorem nemo ignorat, etsi comprobatio illius difficultatibus non caret. Attamen, pauca quae certa omnino et clara videntur indigitabo, exempli causa.

A primis saeculis ad nostra usque tempora, B. Virgo agnoscitur Hevae antithesis, Heva Secunda, Adiutorium simile sibi Secundi Adami, Alma Christi Socia, et ita porro. Non curo de verbis; sed huiusmodi ideae traditionalis sensus et valor (*contenuto*) absolute negligi non potest. Si autem Patres, Doctores, Pontifices, praedictum valorem semel et iterum saeculorum decursu explicitarunt, sensus ille admittendus erit.

Idem fere dicendum de Mediatione B. Virginis. Mediationis idea in schola Ephremiana non obscure persentitur. Verbum ipsum multi vident apud *Antipatrum Bostremsem* (saec. v). Saltem saec. VII-VIII, *S. Germanus* celebrat potentiam, universalitatem et hypotheticam necessitatem mediationis Virginis.

Sensus huiusmodi, cito per universum populum christianum invaluit, ita ut saec. XII, S. Bernardus, cum Immaculatae Conceptioni obsistebat, cum de Assumptione loqui non est ausus, mediationem marialem apertissime profitebatur.

Sed quia non omnia dici possunt, plura paucis lineis in compendio reducimus:

Scimus S. Petrum Canisium et Alphonsum de Liguori, mediationem B. Virginis strenue defendisse.

Scimus maximam episcoporum partem, pro mediatione mariana definienda, vota faventia misisse em.mo et egregio card. Mercier.

Scimus Ecclesiam adprobasse officium liturgicum de B. Virgine Mediatrice, quod aliquibus in locis adhuc viget, et mediationem ipsam in multis hymnis aliarum festivitatum indigitari.

Scimus, denique, plures Christi Vicarios, etiam nostris temporibus et semper maiori cum claritate mediationem Virginis docuisse.

Iterumque nostram mentem aperimus: non agimus de scholasticis sententiis ad declarandam Mediatricis causalitatem; sed quomodo possit ignorari factum mediationis, in linea traditionis et sensus Ecclesiae, nescimus.

3. *Commune docentis Ecclesiae magisterium* de quo, nostris temporibus, facilius certiores efficimur.

Hodie magisterium Romani Pontificis constat illico et indubitanter in actis eius officialibus: Non loquor de commentariis a theologis postea forsan intextis, sed de Pontificis verbis et sententiis.

Constat etiam consensus moraliter vel absolute unanimus omnium episcoporum cum Romano Pontifice. Omnes siquidem encyclicas reverenter accipiunt; easque in suis ephemeridibus (*nei bollettini*) edendas curant.

Omnes episcopi laetantes susceperunt, e. g., encyclicas *Mystici Corporis, Ad caeli Reginam* et antea *Lux veritatis, Ad diem illum,* etc. (quod valet de populo catholico universo a pastoribus instructo).

Qui ergo documentorum huiusmodi substantialem doctrinam reicit, nescio quomodo salvet valorem magisterii Ecclesiae docentis, i. e., Romani Pontificis omniumque episcoporum cum Christi Vicario consentientium.

Et tamen « hoc sacrum magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei... et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit » (*A.A.S.,* 42, 1950, p. 567).

Ergo in quaerenda et proponenda catholica doctrina, a Magisterio praescindere nefas erit omnino.

4. *Magisterium, in specie, Romanorum Pontificum.* Scimus omnes, non quodlibet Pontificis dictum vel sententiam haberi posse tamquam veritatem de fide aut irreformabile iudicium. Sed probamus omnino illustris theologi doctrinam, iuxta quem, etsi magisterium ordinarium Romani Pontificis non sit per se infallibile, si tamen constanter per satis longum tempus eamdem doctrinam iteratis vicibus successivi Pontifices toti Ecclesiae docendo proponunt, huius magisterii ordinarii, talibus insignibus ornati, infallibilitas omnino admittenda est » (Guibert, *De Ecclesia,* n. 314, p. 261).

Non sufficit ergo « si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur » (Denz. 1683), quia plerumque quae in litteris encyclicis proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Putandum igitur non est, ea quae in encyclicis litteris Pontifices proponunt non postulare assensum, eo quod supremam potestatem non exerceant; nam valet, etiam de Magisterio ordinario, Salvatoris monitum: « Qui vos audit, Me audit... » (cf. *A.A.S.,* 42, 1950, p. 568).

Liturgistae encyclicam *Mediator Dei* despicere non possunt. De Ecclesia scribentes, encyclicam *Mystici Corporis,* prae oculis habeant. De re sociali disserentes, documenta Leonis XIII, Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII oblivisci non possunt. Quo pacto, agentibus de B. Virgine erit licitum doctrinam negligere quam per centum annos et amplius tot Pontifices tradiderunt? Hoc non tolerat elementaris logica, non reverentia in Christi Vicarios, non amor erga B. Virginem.

Conclusio. In exarando capite, methodo historica, possumus Christi et Mariae vitam recolere. Non ut nudos respiciamus eorum actus; sed ita ut, in actibus eorum, mysteria, propositum divinum, lectiones item nobis propositas intelligamus.

Ad hoc, autem, reverenter colligere debemus quae ordinarium universalis Ecclesiae magisterium aut documenta Romanorum Pontificum, iuxta declarationem supra allatam, tradiderunt.

Hoc ni fiat, dialogus noster impossibilis evadit, impossibilis et consensio.

Pontificum magisterium, in exponenda mariali doctrina, absolute retinendum. De bono Ecclesiae vere anxius, lamentabatur Pius XII quod rerum novarum studiosi, a theologia scholastica despecta, « ad neglegendum ac etiam despiciendum facile transeant ipsum magisterium Ecclesiae... »; quod tamen non « progressionis sufflamen ac scientiae obex » debet haberi, quandoquidem « hoc sacrum magisterium, in rebus fidei ac morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei...

et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit » (*A.A.S.,* 42, 1950, p. 567. *Humani generis*).

En orationis nostrae fundamentum. Ex quo, a priori, mala plurima in Ecclesiam Dei dignoscerentur irrepsisse. Nam primam et universalem veritatis normam quo pacto abicient sacrae theologiae doctores absque detrimento et maximo periculo? Sed a posteriori, proh dolor, veram omnino comprobamus tanti Pontificis sententiam. Videmus siquidem errores a Leone XIII, Pio X, Pio XI, Pio XII indubie damnatos, adhuc in Ecclesia certe grassantes; nec solum de facto sed aliquoties speculative etiam propugnatos. Res autem omnino aliter se haberent, si reverentia et obsequium magisterio Pontificum debita servarentur.

Nunc autem, ut ad nostrum schema perveniamus, aliud factum notatum volumus: Dum tempus iam appropinquaret disserendi de B. V. Maria, ad nos omnes pervenerunt schemata quaedam de doctrina mariali a Concilio promulganda, in quibus nulla mentio occurrebat de Pontificum magisterio. Iam vero: sine admiratione, immo sine stupore quisnam hoc videat?

Hodie de liturgia agere non possumus, despecta encyclica *Mediator Dei*; non possumus agere de Ecclesia nisi prae oculis habentes encyclicam *Mystici Corporis*; non possumus agere de missionibus quin doctrina Benedicti XV, Pii XI et Pii XII continuo et fideliter utamur. Qua de causa, agentibus nobis de Beata Virgine, liceat negligere ditissimae thesaurum doctrinae quam per centum annos et amplius, luculenter et amplissime tot gloriosi Pontifices tradidere? Hoc non tolerat elementaris logica; non reverentia in Christi Vicarios; non amor erga B. V. Mariam.

Sed plura adhuc attente coram Deo consideranda veniunt.

Concilium hucusque Summis Pontificibus maximam exhibuit reverentiam eorumque dicta sancte retinuit: Quam multa audivimus — nemine contradicente — pro collegialitate episcoporum, eo quod Pius XII episcopos omnes totius Ecclesiae sponsores semel dixerit!

Age vero: Norma valida in aliis Concilii textibus exarandis, valorem in praesentiarum non amittit. Licetne, igitur, sub silentio praeterire quae plures Pontifices, etiam atque etiam protulere de B. Virgine Christo Servatori socia, de B. Virgine gratiarum Mediatrice?

Infallibilitas Romani Pontificis, in Concilio Vaticano I definita, quasi Immaculatae Conceptionis definitionem communivit. Nunc autem Concilium Vaticanum II, si doctrinam de B. Virgine, hucusque a Pontificibus traditam, ratam et firmam declaret, ordinario Romanorum Pontificum magisterio confirmationi erit et robori, quod quidem in omnium votis est, atque Ecclesiae bono necessarium.

E contra, cum monumenta illa *Ad diem illum, Lux veritatis, Mystici Corporis, Munificentissimus Deus, Ad caeli Reginam, Inter complures, Haurietis aquas,* etc., sint certo magistralia, si marialis Pontificum doctrina spernatur nulliusque valoris (vel solo silentio) declaretur, nescio quo honore quave reverentia deinceps recipientur encyclicae litterae, nescio quinam illis valor et efficacia tribui debeant, si tantorum Pontificum doctrina praetermittatur aut cuiusvis auctoritate habeamus destitutam.

Sed ne sermo noster ultra modum protrahatur atque observantes nos ipsi obsequium erga Romani Pontificis Magisterium, quod in schemate de B. Virgine ostensum palam volumus, ad Pium XII redimus cuius sententias, simpliciore stylo a nobis redactas in mentem revocamus:

Non possunt negligi quae Romanorum Pontificum encyclicae litterae exponunt, eorumque doctrina vagis quibusdam notionibus substitui.

Putandum non est, ea quae in encyclicis litteris Pontifices proponunt non postulare assensum, eo quod supremam potestatem non exerceant; nam valet etiam de magisterio ordinario Salvatoris monitum: « Qui vos audit, me audit... ».

Plerumque quae in litteris encyclicis proponuntur et inculcantur iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent (de his, cf. *l. c.,* p. 568. *A.A.S.,* 42, 1950, p. 568).

Nostris denique temporibus, si unquam, magisterio Pontificum facillime consonat magisterium episcoporum totius Ecclesiae et adhaesio fidelium universorum.

O utinam verbis a Pio IX centum abhinc annis prolatis theologi omnes oboedientiam et promptam aurem praebuissent! Nam non sufficit — sic ille — non sufficit « si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur » (Denz. 1685).

Conclusio. Concilium igitur tam divitem et traditionalem doctrinam, a Summis Pontificibus egregie declaratam, praetermitti aut dissimulari permittere non potest.

De doctrina circa B. V. Mariam in exarando capite tradenda.

Patres Conciliares, die 29 octobris a. 1963, postulaverunt ut schema de B. Virgine aptaretur ita ut cap. VI constitueret schematis *de Ecclesia.*

Quaestio non erat de privilegiis gloriosae Virginis diminuendis; non de obliterando quolibet fundamentorum in quibus universa doctrinae conciliaris capita semper nituntur (S. Scriptura, videlicet, traditione, ordinario Ecclesiae magisterio), vel de mutandis criteriis quae in quolibet schemate servari debent. Sed potius agebatur unice de intimis Mariam inter et Ecclesiam relationibus clariore sub luce proponendis.

Haec una nos movet intentio in concinna simplicique nostra oratione; atque speramus, venerabiles Patres aure grata suscepturos Virginis magnalia quae recte omnino possunt et debent proponi, si non externas tantum sed intimas et vitales relationes Mariae ad Ecclesiam considerentur.

1. Maria est « de qua natus est Iesus ». De ipsa loquitur Paulus dicens, Deum misisse « Filium factum ex muliere ».

Amplius: sic Deo disponente, Maria est Mater Christi prouti Christus est: est autem Homo, Deus, Salvator. Angelo nuntiante, B. Virgo conscia liberum consensum et cooperationem praebuit ad missionem adaequate sumptam. Unde maternitas eius fuit vere humana (praestitit enim quidquid ad veram maternitatem requiritur); fuit vere divina (quia concepta persona Verbi erat Deus de Deo); fuit denique vere soteriologica, quia communis fuit theologia Incarnationis et divinae Maternitatis, i. e., quia una eademque fuit praedestinatio et ratio essendi Christi et Mariae: Propter nos homines et propter nostram salutem Filius Dei factus est homo; atque ad ipsum salutis opus perficiendum electa est Maria Deique effecta Mater.

Amplius: Christus inde ab intio temporalis suae existentiae Salvator exstitit et Redemptor. Maria ergo ornatum conditione Capitis concepit Filium Dei, qui solidarius efficitur totius humanitatis per cooperationem et concursum Mariae: « Hunc fratrem — aiebat dulcissimus Bernardus — tibi Maria dedit ». Mariae igitur debemus et cum Primogenito fraternitatem et filiationem adoptivam relate ad Patrem.

Hucusque dicta pulcherrime declarata fuere a Sancto Thoma qui Mariam contemplatur activas partes gerentem in realizando Dei Filii connubio cum humana natura; et a Sancto Pio X qui Corpus Christi mysticum docuit a Maria formatum atque in Virginis utero, amore materno maternaque sollicitudine portatum, ita ut « quotquot cum Christo iungimur... de Mariae utero egressi sumus... Unde spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae nos filii dicimur, et Ipsa nostrum omnium Mater » (enc. *Ad diem illum*).

Uno verbo: B. Virginis tota ratio essendi est maternitas Verbi Redemptoris. Est igitur semper mater, tota mater, Christi totalis Mater.

2. Profundum innuimus S. Augustini cogitatum: Maria est corpore Mater Christi Domini; spiritu autem est Mater omnium fidelium.

In praeparatione Mariae ad adaequatam maternitatem, in eius maternitatis ratione et natura, atque in tantae maternitatis gloria, B. Virginis magnalium et officiorum summam inveniemus; nec ullum ex his aspectibus omittere possumus considerantes Virginem relate ad Ecclesiam.

Maria mater Dei est praeelecta; ut mater Dei amata; caelique donis cumulata: Ave, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus...

Mater Dei: inde unica et supereminens excellentia eius. « (Deus Mariam) inter omnia quae essent in triplici ordine naturae, gratiae gloriaeque pulcherrima distinxit » (Leo XIII, *Augustissimae Virginis*, 1897).

Mater Christi, Capitis Ecclesiae, qui Mariam gratia redemptionis primam ditavit, eamque voluit « omnino ab originalis labe praeservatam et idcirco sublimiore modo redemptam » (Sardi, vol. II, p. 454).

Deus factus homo et hominibus condescendens, exceptis peccato et ignorantia, voluit nobis fratribus in omnibus assimilari. Qui ergo non horruit Virginis uterum sed naturae legibus subici voluit in sacra humanitate efformanda, subiectum voluit seipsum legibus quibus homines matrem amare et honorare tenemur. Deus, ergo, Mariam ut Matrem amavit, honoravit...

Eamque fecit Immaculatam, ne quid in ea contrarium amori Dei inveniretur.

Quaslibet primaevae labis sequelas abstulit ab ea quam ordinatissimam fecit.

Supernaturali modo fecit Matrem absolutam planeque possessionem suam quoad corpus et animam. Unde integerrima provenit Deiparae Virginitas ante partum, in partu et post partum (quae trilogia, in singulis membris peculiarique sensu de fide est), necnon anticipata resurrectio et assumptio Virginis, Filii triumpho sociatae.

Universa haec catholica doctrina quam traditio et Ecclesiae magisterium praedicant, liquido constat cum de Virgine habetur vera cognitio. Sed aliquid amplius addendum manet.

3. Audivimus Pium X docentem, B. Virginem Matrem esse totius mystici Corporis ex quo mater effecta est Christi Capitis.

Nec dissentiunt alii Pontifices. « Ipsa fuit quae Christum Dominum, iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate donatum edidit... Ipsa igitur omnium membrorum Christi sanctissima Genetrix... » (Pius XII, *Mystici Corporis*).

Haec omnia verissima inveniet qui Mariam Novam Hevam, Adiutorium secundi Adami, veramque viventium matrem, ab antiquissimis Patribus et constante Ecclesiae praedicatione noverit salutatam.

Deus enim, factus homo, adeo Matrem voluit honorare, ut eam sibi sociam

constituerit in universo salutis opere complendo, sicut ab initio illius consensum et cooperationem expectavit qui mysterium salutis inchoaret.

Deus Novo Adam Mariam adiunxit Novam Hevam. Hoc vel maximi theologi exposuerunt, veluti cl. Scheeben germanus, agens de « Maternitate sponsali » et Amor Ruibal, hispanus, disserens de communi Christi et Mariae statu seu missione. Clarius, voluit Christus ut Maria, sua Mater, spiritu mater esset fratribus quos Patris filios regenerandos ipse venerat.

Haec autem doctrina liberae disputationis considerari amplius non potest, quam semel et iterum Romani Pontifices vel documentis solemnibus docuerunt.

Haec illa est Christi et Mariae associatio quae ad maternitatem divinam contrahitur, sed protenditur usque ad oblationem Hostiae in ara Crucis. Ne in testimoniis adducendis immoremur, unum afferimus Pii XII: « Arctissime semper cum Filio coniuncta, eundem... pro omnibus Adae filiis, miserando lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit; ita ut quae corpore erat nostri Capitis Mater, spiritu facta esset, ob novum doloris gloriaeque titulum, eius membrorum Mater » (*Mystici Corporis*). « Maria in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio ex Dei beneplacito sociata fuit... ». « B. Virginem — edicit adhuc Romanus Pontifex — esse Reginam non tantummodo quia Mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum Novo Adam consociata fuit » (*Ad caeli Reginam*). Multaque alia omittimus etsi dignissima cognitu et catholica ponderatione.

Regalitas autem Mariae eiusque gratiarum universalis mediatio, sequelae possunt considerari, quarum fundamentum reponendum est in divina Maternitate atque in perfecta cum Christo associatione quae, a Deo semel volita et instituta, numquam interrumpitur.

4. Unde iure merito, Patres et Doctores B. Virginem Ecclesiae typum et exemplar salutarunt: tum quia utraque, suo modo, Christi salutis medium seu instrumentum a Deo fuit electa, tum quia « talis fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina » (S. Ambrosius, *De virginitate,* L. 2, c. 2, n. 15. PL 16, 222). Attamen profundiores inter Mariam et Ecclesiam necessitudines non ex mera exemplaritate dignoscuntur, sed potius ex divina et soteriologica maternitate et indivulsa cum Filio associatione, ex quibus multa proveniunt Virgini Benedictae officia et privilegia prorsus unica nec unquam iteranda in Ecclesia.

Absint ergo a novo capite inserendo in schemate *de Ecclesia,* quaestiones apud theologos disputatae; sed vera doctrina, Pontificum verbis proposita, abesse omnino non poterit.

Unde in stabilienda necessitudine inter Mariam et Ecclesiam, verissimae quae sequuntur propositiones salvari debent:

Maria est membrum Ecclesiae, a Christo redempta eique unice coniuncta.

Maria est Mater Ecclesiae, quae Virginis filiam sese agnoscit.

Maria transcendit Ecclesiam, uti Mater filiam; uti Regina, subditam; atque naturalis Mater Dei, adoptivos Dei filios.

Maria cooperata est caritate ut fideles (et singuli christiani, et christianorum communitas) in Ecclesia nascerentur.

Analogice ac de Christo, diversis quidem titulis, de B. Virgine possumus dicere: Maria est de Ecclesia, sed est supra Ecclesiam.

Mariae sanctitas et gratia redundans pendent a Christo. Virgini autem communicatae sunt non dependenter ab Ecclesia, sed propter arctissimam cum Filio Deo coniunctionem, propter destinationem ad maternitatem divinam et cum Chri-

sto intimam unionem. Agitur enim de altiore ordine: inde est quod praesentia Dei in Maria, amor unicus Dei erga Mariam, relationes singularissimae Deum inter et Mariam ab Ecclesia causari numquam possent; dum Mariam potens et capax principium constituerunt ut in Ecclesiam influeret. Maria ergo Ecclesiam transcendit, de Ecclesia cum sit, simili modo ac Christus Caput est Ecclesiae, sed Ecclesiam ipse efformavit.

Haec omnia, si in capite apparando a Sancta Synodo fidelibus proponantur populus christianus plausu unanimo suscipiet.

87

Exc.mus P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

Cum aliquibus in locis non solum superlationes veritatis circa B. Mariam Virginem datae sunt, sed etiam alii excessus relate ad cultum eidem debitum, quique certo certius ex una parte ansam praebuerunt et praebent fratribus separatis sive ad quaedam immerito improbanda ipsi catholicae Ecclesiae, sive ad reiiciendas omnes vel fere omnes veritates, quae ad Deiparam Virginem respicientes, magisterium vivum Ecclesiae credendas docet; ex alia parte ipsis fidelibus nocent quia frequenter maiores abundantioresque laudes B. Virgini tribuunt cum detrimento adorationis Christo Domino debitae, et considerationem animorum avertendo ab imitatione Christi et a vita necessario informanda gratia sanctificante; peropportunum videtur et valde utile ad utrumque superius dictum damnum vitandum, quod hoc Sacrosanctum Oecumenicum Concilium, in aptiore loco huius schematis, v. g. in pag. 11, lin. 34, plane fateatur sibi bene notam esse existentiam talium excessuum, quos minime adprobat, et simul enixe rogat animarum pastores ut quam primum sed prudenter praefatos excessus corrigant vel corrigere faciant.

Forte etiam conveniens sit enumerare hos excessus, — si non placet in textu ipso schematis, saltem in nota quadam ad calcem, — ut melius a nobis corrigantur, et ut fratres separati nullum dubium capiant de nostra sincera voluntate renovationis intra limites veritatis. Hi excessus sunt:

1. In non paucis ecclesiis cathedralibus, paroecialibus aliisve extat maior numerus imaginum, venerationi fidelium expositarum, B. Mariae Virginis quam Iesu Christi.

2. In quibusdam civitatibus extat maior numerus paroeciarum aliarumque ecclesiarum titulo mariano erectarum quam titulo Trium Personarum Divinarum vel Verbi Incarnati.

3. In aliquibus regionibus, ex totalitate celebrationum religiosarum cum pompa externa, maiores partes obtinet cultus B. Mariae Virgini datus quam cultus adorationis Deo Trino et Iesu Christo debitus. Hoc patet ex eo quod festa mariana per annum maiora sunt numero quam festa Iesu Christi et ex eo quod festa mariana aliquando maiori cum sollemnitate externa celebrantur quam festa augustae Trinitatis et Verbi Incarnati. Quod, ex alia parte, aliud incommodum affert, quia cum generatim talia festa praecedantur a sic dictis precibus et concionibus novendialibus, fideles plus audiunt de B. Maria Virgine quam de Deo Optimo Maximo et de Iesu Christo.

Quae omnia, scil., maior numerus ecclesiarum titulo mariano erectarum, maior

numerus festorum B. Mariae Virginis, maior sollemnitas externa eorumdem festorum necnon maior numerus concionum ad decantandas laudes B. Mariae Virgini, etiam sine superlatione veritatis, sensim sine sensu fideles ducunt ad maiores partes tribuendas in sua pietate Deiparae Virgini quam Iesu Christo.

Ex quo iterum fratres separati non pauci scandalum sumunt quod difficiliorem reddit unitatem christianorum.

Unde, iterum, qua par est reverentia, enixe rogamus venerabiles praesules studio huius schematis vacantes, ut de hac re clare loquatur ipsum schema ad correptionem horum excessuum ex parte catholica et ad aedificationem fratrum separatorum. Putamus enim hos excessus tam profundas et sentimentales radices habere tum in cordibus fidelium tum in aliquibus sacerdotibus, ut necesse sit ad has radices vellendas ut de hac re clare loquatur haec Sacrosancta Oecumenica Synodus.

88

EXC.MUS P. D. PETRUS M. THÉAS
Episcopus Tarbiensis et Lourdensis

Valde optandum est quod schema *de B. Maria Virgine* in schemate *de Ecclesia* inhaereat. Hoc propter sequentes rationes:

Prima ratio. Haec insertio a Summo Pontifice innuitur. In sua concione, in festo Maternitatis Mariae, die 11 octobris habita, hisce verbis Patres Conciliares in Basilica S. Mariae Maioris coadunatos, alloquebatur: « Vogliamo a Maria portare ... l'omaggio del nostro Concilio, nel momento in cui, ripresi i suoi lavori nella presente seconda sessione, sta per pronunciare *nella grande visione della Chiesa* il nome dolcissimo e santissimo della Madonna, la Madre di Gesù Cristo, e perciò Madre di Dio e Madre nostra ».

Insuper, Summus Pontifex explicite declarat Christi Ecclesiam esse Mariae Ecclesiam: « Benedici, o Maria, la grande assemblea della Chiesa gerarchica... Fa, o Maria, che questa sua e tua Chiesa... nel definire se stessa, riconosca te per sua Madre e figlia e sorella elettissima ed incomparabile suo modello ». Quis expressius loqueretur? Ecclesia Christi est Ecclesia Mariae.

Secunda ratio. Si doctrina marialis in schemate *de Ecclesia* includatur, multa bona inde profluerent, quorum praecipua haec sunt:

1. *Bonum pro Ecclesiologia,* quae sic contemplatione primi membri Corporis mystici fulget et illustratur. Primum membrum Maria Virgo est quia sanctissimum et perfectissimum.

2. *Bonum pro Mariologia,* quae hoc modo suam significationem et proportionem invenit. Doctrina Ecclesiae enim, verum locum Mariae tribuit in oeconomia redemptionis, Ecclesia, per suos doctores atque praesules, devotionem marialem in tuto ponit contra possibiles depravationes et eandem devotionem marialem ordinat ad Christum et Sanctissimam Trinitatem.

3. *Bonum pro fidelibus.* Maria in Ecclesia posita et contemplata, propinquior fidelibus redditur. Maria enim non est regina longissime posita, aliorum hominum disiuncta et redemptorum condicionis expers. Maria sane reliquos homines in Ecclesia superat, sed non est ab illis aliena. Illa interior non exterior est Corpori. Illa nobis est arctissima et hac in parte etiam Christi Socia, idest historiae nostrae salutis omnino permixta. Haec est ratio fundamentalis, quae per transennam tantummodo evocatur.

Tertia ratio. Sua privilegia, B. Virgo non possidet independenter a populo Dei scil. ab Ecclesia. Sunt enim perfectiones populi Dei. Sua divina Maternitas et Immaculata Conceptio populum Dei honorant. Est etiam decus populo Dei quod B. Maria corpore et anima caelesti gloria participet. Quia sua gloriosa Assumptione, Virgo Maria speciali modo resurrectioni Christi participat, spem in nostram propriam resurrectionem confirmat.

Quarta ratio. Facile videtur expellere timores illorum qui potius schema proprium et separatum proponunt.

1. Quidam putant: si B. Virgo non habuerit proprium schema, eius dignitas laederetur, B. Virgo minueretur.

Respondeo: membrum a Corpore seiungere, quantumvis dignissimum sit, membro huic non prodest sed nocet. Summus Pontifex non minuitur eo quod eum in collegio apostolico et non extra perspicimus. Ita B. Virgo nullatenus minuitur si eam in Ecclesia et non extra Ecclesiam ponimus. B. Virginem et Summum Pontificem honoramus, eos ubi Christus constituit, ponendo.

2. Loquendo de Maria in schemate *de Ecclesia,* timetur ne ad simplices christianos aequiparetur.

Verum est Mariam in Ecclesia potestatem hierarchicam non habere, sed haec potestas est solum ministerium quod cum figura huius mundi transibit. Hierarchia sanctitatis sola in aeternum permanebit. In ordine sanctitatis et caritatis, Maria primum locum obtinet. Illa enim est prima omnium in Christo redemptorum, penitus prae aliis redempta, quia intuitu meritorum Christi praeservata, prima in plenitudine gratiae. Illa sola Christum genuit et proinde titulum Theotokos meruit, qui titulus pro orientalium devotione sufficere videtur quia, recte intellectus, omnia continet. Maria sola etiam perfectione fidei et caritatis ab Annuntiatione usque ad Crucem, interfuit; sola denique sua corporea Assumptione parousiam Ecclesiae antecessit. Unde in visione Ecclesiae valde eminent privilegia Mariae.

Conclusio. Cum vita Mariae et vita Ecclesiae intime in Christo coniunctae appareant, consentaneum est ut non separentur in elucidatione doctrinali. Unde valde optatur ut mysterium Mariae et mysterium Ecclesiae eodem schemate illustrentur.

In ipso schemate *de Ecclesia,* non epilogum vel appendicem, sed speciale caput Mariae consecrare oportet. Hoc caput logicum locum invenire potest in ipsis primordiis populi Dei, sicut Mater inter filios, antequam progrediatur ad speciales quaestiones tractandas de hierarchia, de laicis, de statibus perfectionis.

89

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Schema quod nobis proponitur sub hoc titulo identicum est cum schemate *de B. Maria Virgine Dei et hominum Matre*: evidenter completam mutationem subire debet ut novo titulo respondeat. Hic tradimus aliquas ideas quas in decursu nostri ministerii aliquando exposuimus.

1. Virgo Maria est membrum sanctae Ecclesiae, et quidem membrum eximium, quatenus est Mater Salvatoris nostri, Iesu Christi, Filii Dei. Sed iure dici potest immo Ecclesiae Matris, ut ex Evangelio et traditione elucet.

2. Maria est Ecclesiae figura et annuntiatio. Eva nova est, secundum Iustinum et Irenaeum, et sicut Eva mater exstitit viventium, Maria est aequaliter mater membrorum novae creationis seu regenerationis. Est vere illa « Mulier » de qua agitur in libro *Genesis* cap. 3. Apparet ut talis praesertim in scriptis ioannicis (cf. *Io.* 3 nuptiae in Cana; *Io.* 18 Maria iuxta crucem Domini; *Apoc.* 12 mulier amicta sole, mater Messiae et eorum qui custodiunt verbum Dei et habent testimonium Iesu Christi). Similis est Ecclesiae quae est etiam Mater viventium quos virginaliter parit et nutrit. Sicut Ecclesia, tota pulchra est, immaculata, sine ruga. Et iam per suam Assumptionem et glorificationem futurum statum Ecclesiae in fine temporum praesignat, statum scil. eschatologicum.

3. Maria non solum figura Ecclesiae est, sed eius Mater. Praesens fuit, et active praesens, in omnibus circumstantiis in quibus Ecclesia nascebatur aut formabatur: eius « Fiat » in annuntiatione angeli Ecclesiae ortum dedit; in Bethleem iam fit exordium Ecclesiae cum pastores et magi accurrunt ad Christum; ad crucem stat, compatiens Christo, praesens dum Ecclesia oritur ex latere Domini, et instituitur a Iesu mater eius qui figura est veri nominis discipuli; cum apostolis sedet in coenaculo, dum Spiritus vivificat Ecclesiam et eam unit in fide et caritate; tandem Ecclesiae adstitit post Pentecosten: in Evangelia Lucae et Ioannis influit; pro Ecclesia orat, dum cum Christo vivit « semper interpellans pro nobis ». Multa sunt Ecclesiae tempora per saecula ubi assistentia Mariae Ecclesiae profuit, semper viscera materna demonstrans.

4. Mater Ecclesiae, Maria simul est exemplar omnium virtutum quae christianum decorant et efformant (fides, caritas, humilitas, puritas). Primitiae est redemptionis per Christum et gratiae, primitiae nostrae cum Christo glorificationis. Ipsa iam annuntiaverat: « Beatam me dicent omnes generationes ». Est ergo ligamen inter omnes qui invocant Domini nomen. Faveat ergo unionem inter omnes qui christiani nomine gloriantur. Unificationis signum sit et non divisionis, ut omnes unum Corpus efficiant.

90

Exc.mus P. D. IOANNES F. WHEALON
Episcopus tit. Andrapensis, aux. Clevelandensis

N. 3, pag. 9, lin. 3: doctrina de B. Maria Virgine ut mediatrice gratiarum non placet, quia 1. modo negativo et apologetico exprimitur, propter *1 Tim.* 2, 5; 2. difficultates de oecumenismo poneret; 3. nulla necessitas novam officialem doctrinam de B. V. M. statuendi nunc exsistit.

91

Exc.mus P. D. PETRUS ZUCCARINO
Episcopus Bobiensis

Quemadmodum per feminam mors, ita et vita nobis per feminam orta est et suo consensu non modo mater Iesu facta est Maria tantummodo, verum etiam cum Christo et sub Christo operam suam consociavit in humani generis redemptionem peragenda.

Qui magna potens fecit, eius ancilla fuit singularibus privilegiis imbuta, cultum

erga se et amorem adparavit ut cum homines universos in Calvario habuerit materno Cordi commendatos, et illi in se a Christo Iesu esse redemptos ignorant, fide et caritate omnes in sancta Ecclesia cohaereant.

Nos quoque certa spe ac fiducia nitimur fore ut Mater Dei hominumque impetret ut patrocinio suo omnes homines sub uno Pastore in Ecclesia nostra conveniant.

92

EXC.MI QUIDAM PP. DD. EPISCOPI AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Iudicium generale.

1. Cum schema *de Ecclesia* iure centrum totius operis S. Concilii Vaticani II esse censendum sit, redeatur ad priorem conceptum schematis *de B. Maria Virgine,* secundum quem schemati *de Ecclesia* inserendum erat, ita ut sub titulo « *De Ecclesia consummata* » agatur de B. M. V. et de *Sanctis,* ita tamen, ut clare appareat singularitas, et supereminentia et universalitas functionis B. M. V. in Ecclesia. Id quod secum fert schema nova idque abbreviata forma proponi debere.

2. Quaestio difficillima de mediatione B. M. V. diligentissime explicetur, ita ut mediatio B. M. V., quae utique vero aliquo sensu ex magisterio ordinario Ecclesiae asserenda est, clare a mediatione Christi ex una parte et ab aliis mediatoribus ex altera parte distingui possit, et quidem internas rationes afferendo.

3. Qualificatio theologica schematis clare in ipso corpore schematis enuntietur. Non satis apparet quomodo ad invicem se habeant verba in « Praenotandis » allata:

a) Praenotanda I (pag. 13): « quid reapse Ecclesia catholica, qua talis, de munere, privilegiis et cultu mariali credit, *tenet* docetque », et

b) Praenotanda III (pag. 14): « singulae propositiones schematis, in quibus nullum novum dogma, ut ex ipso schemate clare apparet, sed solida et sana doctrina magisterii ecclesiastici prostat, sedulo ponderandae et examini subiiciendae sunt ».

4. Ratio petitur mutationis tituli schematis.

5. Ad obiectivitatem hac in discussione praeservandam ne nominentur quidem voces, quae odiosae esse videntur, e. g. « maximalistae » et « minimalistae » (cf. schema pag. 14 [100], IV, 2 *c*).

[*Subsignaverunt*] Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Francis Mazur, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; B. Chitsulo, ep. de Dedza (ex mandato J. L. Jobidon); Adolf Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. de Mzuzu; James Corboy S. I., ep. de Monze; N. Agnozzi, ofm. conv., ep. aux. de Ndola, tit. Adramittio; Rupert Hillerich, ofm. conv., praef. ap. de Solwezi.

93

EXC.MI QUIDAM PP. DD. EPISCOPI AFRICAE ORIENTALIS

1. Uti iam in animadversionibus ad schema *de Ecclesia,* pars I diximus, optamus ut materia huius schematis in illud inseratur (ut conclusio totius tractatus de Ecclesia), agendo nempe de « Ecclesia consummata in B. V. M., matre et typo Ecclesiae, et in sanctis caelitibus ».

2. Quaeritur ratio mutationis *tituli* schematis uti hodie prostat. Proponimus nunc (cf. supra), uti complementum materiae, ideam de Maria *typo* Ecclesiae, quia:

a) haec idea, in S. Scriptura bene fundata, a Patribus multum amatur et

b) ad usum pastoralem multum inservit, dum

c) titulus nunc in schemate propositus (utique quoad rem aliquomodo retinendus) sat raris documentis inniti videtur... (cf. pag. 15-16, notam 5).

3. Rogamus *qualificationem theologicam* claram et undequaque perfectam quae in ipso corpore schematis locum inveniat.

4. Antequam (cf. n. 3, prima propositio) censura quaelibet adversariis titulorum ab Ecclesia B. V. Mariae tributorum infligatur, indispensabilis videtur *praevia clarificatio de authentico sensu Ecclesiae* in adhibendis saltem principalioribus et popularioribus istis titulis (mediatrix, corredemptrix, nova Heva, Christi socia in gratia *acquirenda* et in Sacrificio crucis). Praesertim fusius explicetur quo sensu « mediatio » exclusive *Christo* competat, quo sensu exclusive *Mariae* et quonam sensu etiam aliis caelitibus immo et hominibus.

5. In fine, antequam « Maria sanctissima fautrix unitatis christianae » declaretur (cf. n. 8), quod utique in se verissimum est, textus schematis, ut nunc prostat, ita reformetur ut fratribus separatis revera invitamentum sit ad hanc unitatem.

6. Rogamus ergo ut materia huius schematis *non* in proxima sessione in aula proponatur, sed tantum in subsequenti, ita ut, opportune reformata, consensum partis longe maioris Patrum conciliarium cito obtinere possit et ita consensus Ecclesiae sollemniter docentis in glorificanda sua Matre sit, in quantum fieri possit, unanimis.

[*Subscripserunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman van Elswyk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casio; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis; Vincent McCauley, ep. de Fort Portal; John Ogez, ep. de Mbarara.

94

CONFERENTIA EPISCOPALIS ARGENTINIAE

Proposición: Que el texto entero del esquema sea revisado particularmente en los n. 3: « De titulis B. M. V. », 4: « De Privilegiis », ya que en algunos puntos parece un poco difuso y repetido.

Que sea adaptado al estilo de los demás esquemas.

[*Subscripserunt*] Francisco Vicentin, arz. de Corrientes; G. Esorto, arz. de B. Blanca; Francisco J. Vennera, ob. de San Nicolás; Miguel Raspanti, ob. de Morón; Carlos Mariano Pérez, ob. de Comodoro Rivadavia; Alberto Deane; Alberto Devoto; Carlos M. Cafferata; Raul Primatesta, ob. de San Rafael; Ernesto Segura; Benito E. Rodriguez, aux. de Rosario; Manuel Marengo, ob. de Azul; M. Magliano; Manuel Tato, ob. de Santiago del Estero; Vicente Zazpe, ob. de Rafaela; Antonio M. Aguirre; M. Blanchoud; Pedro Lira, S. Francisco; Manuel Menéndez, ob. de San Martin; Jorge Mayer, ob. de S. Rosa; Ricardo Rosch; J. F. De Nevares, Neuquén.

95

PROVINCIA ECCLESIASTICA CORDUBENSIS IN ARGENTINA

Pag. 7, lin. 32. Legitur: « hominis naturam »; proponitur « humanam naturam » ut vitetur vel speciem erroris asserentis hominem (i. e., naturam humanam in concreto sub aliqua persona iam constitutam) assumptum fuisse in Incarnatione.

Pag. 8, linn. 1-3. Legitur: « non id ante perfecit quam designatae matris ... libera acceptatio accessisset ». Proponitur additio sequentium verborum, lin. 3: « gratia sua praevenienti, libera acceptatio accessisset ». Ratio est quia acceptatio B. V. Mariae est gratia Dei et decretum incarnationis divini Verbi est absolutum et non conditionatum.

Pag. 8, lin. 31. Legitur: « ac proinde non uti quidam aiunt, in peripheria sed in ipsomet centro Ecclesiae sub Christo collocari ». Verba ista « centrum et peripheria » non videntur theologice accurata; ideo proponitur suppressio, vel substitutio per aliam locutionem, e. g., « ac proinde tamquam membrum plane singulare » vel « excellens ac supereminens ».

Pag. 8, lin. 33. De titulis quibus consociatio... Proponitur aliqua nova redactio totius huius paragraphi, ut vitentur repetitiones de unica mediatione Christi in pag. 9 et ut supprimantur mentio orationum Pauli et exhortatio in marianam pietatem, quia illic non videntur ad rem. Etiam ob redundantiam supprimi potest phrasis a lin. 23 usque ad 29.

Pag. 10, lin. 15. Hic paragraphus de singularibus privilegiis B. Mariae, desideratur perfectior atque magis ad dogma compositus, sc., ut loquatur clare et synthetice de conceptione immaculata, de sanctitate supereminenti, de virginitate perfecta et perpetua atque de glorificatione corporis virginalis B. V. Mariae, sensu positivo et non mere negativo, « in cinerem resolvi non pateretur ».

Pag. 11, lin. 6. Paragraphus iste de cultu erga B. Mariam Virginem, videtur aliquantulum debilis ac remissus. Suggeritur breviter exhibere fundamentum theologicum, universalitatem, copiosam formam et sensum fidelium in incremento huius cultus.

Pag. 12, lin. 3. Legitur: « Nihil enim materna propinquitas Mariae profuisset... ». Verba sunt S. Augustini. Sed multi theologi sentiunt ultimam radicem sanctitatis Mariae esse praedestinationem ad divinam maternitatem, immo plures admittunt etiam maternitatem divinam « nude consideratam » esse dignitate superiorem omnibus privilegiis B. Virginis. Et ideo redactio in schemate, cum textum S. Augustini sine contextu transcribere debuit, inconveniens videtur, quia aliquo modo praeiudicare videtur rem controversam.

Pag. 12, lin. 14. In hac paragrapho forsitan opportunum est mentionem facere de matre humana tamquam vinculo unitatis in familia; eodem modo, Maria, humanitatis Mater, est vinculum eiusdem unitatis.

[*Subscripserunt*] Raimundus J. Castellano, arch. Cordubensis; Albertus Deane, ep. V. Maria; Petrus Lira, ep. Franciscopolitanus; M. Blanchoud, ep. Rio Cuarto.

Pág. 7, lín. 24: dice « postquam de Corpore Christi locuta est », añadir: « et ad perficiendam eiusdem doctrinam », ya que el título y contenido del actual esquema puede considerarse parte integrante del *de Ecclesia*.

Pág. 7, lín. 32: dice « hominis naturam ». Propónese: « humanam naturam ». Parece más ajustada esta locución para alejar cualquier error que pudiera suscitarse. Santo Tomás apunta: quod Filius Dei non est homo, quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit (III, q. 4, art. 3).

Pág. 8, lín. 1-3: dice « non id ante perfecit quam designatae matris... libera acceptatio accessisset ». Propónese: « ita perfecit, ut designatae matris, ex praevisis meritis Christi sublimiori modo redemptae, gratia sua eidem praevenienti, liberam acceptationem donaret ». Se evitaría así que pueda entenderse el decreto salvífico como supeditado a la aceptación de la Virgen, de tal suerte que después de haber previsto Dios este consentimiento, habría decidido la encarnación. Pero la realidad es otra. Dios decide la encarnación con absoluta independencia y en fuerza de ello quiere también el consentimiento de la Virgen que obtiene con su gracia eficaz.

Pág. 8, lín. 31: dice « ac proinde non, uti quidam aiunt, in peripheria, sed in ipsomet centro Ecclesiae sub Christo collocari ». Propónese: « ac proinde tamquam membrum plane singulare ». Los términos centro y periferia no parecen teológicamente muy precisos; ademàs, dificilmente podrían ser entendidos por los hermanos separados, ya que Cristo por ser cabeza única del Cuerpo Místico, es su centro.

Pág. 8, lín. 34: dice « Quoniam in cooperatione... » hasta « gratiarum Mediatrix nuncupatur ». Propónese: « Cooperatio Matris Dei cum Christo, veluti novae Evae cum novo Adamo, in humanae redemptionis peragendo opere, multiplicibus variisque titulis, quibus magisterium Ecclesiae, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt, tanquam solido fundamento, radice ac principio ita nititur, ut non immerito ab Ecclesia Beatissima Virgo gratiarum mediatrix nuncupetur ». Afírmase así, directamente, la mediación de María como consecuencia de su cooperación con Cristo en la redención, y se evita también el « nefas est », que involucra una defensa de la actitud de la Iglesia.

Pág. 9, lín. 3: Propónese quitar: « Quod si hisce... » hasta el punto de la línea 7. La referencia a las oraciones de S. Pablo por los fieles señálase como argumento, pero parece un tanto flojo, ya que existen razones mucho más profundas basadas en la intercomunicación de bienes y oraciones entre los miembros del Cuerpo Místico, a fortiori entre María y nosotros. Además, parece allí fuera de lugar la exhortación a la piedad mariana.

Pág. 9, lín. 18: dice: « haec eius meditatio minime efficit... » hasta el punto línea 22. Propónese en sustitución las palabras que se encuentran a partir de la lín. 37: « haec eius mediatio nullo modo mediationem unici nostri Mediatoris... obscurat vel minuit; immo... » hasta el final. Se evita así la repetición de la misma idea.

Pág. 9, lín. 23: « Licet enim... » hasta el 21. Propónese suprimirlo por considerarlo una redundancia.

Pág. 9, lín. 30: dice « Cum itaque ». Empezar « Itaque haec humilis... » y lín. 33 cambiar « cumque » por « atque » por razones gramaticales, terminando el párrafo en la línea 36, con las palabras « materna caritas B. Virginis ».

Pág. 10, lín. 15: dos observaciones generales sobre este punto 4. Primera: no se ve como encuadra este asunto dentro del esquema que considera a María desde el punto de vista eclesiológico. Segunda: en caso de conservarse deberá aconsejarse una redacción más completa, sobre todo, a partir de la línea 25 hasta el final donde se haga resaltar: la Concepción inmaculada, la santidad supereminente, la

virginidad perpetua y perfecta y la glorificación del cuerpo virginal, en términos positivos y con sentido escatológico, y no en forma negativa: in cinerem resolvi non pateretur, línea 4, pág. 11.

Pág. 11, lín. 6: la redacción del primer párrafo del punto 5 parece algo débil. Se sugiere expresar mejor la fundamentación teológica del culto; destacar con mayor claridad su universalidad en el tiempo y en el espacio, desde los albores del cristianismo y su extraordinaria riqueza de formas; poner de manifiesto el rol y participación del pueblo en el desarrollo del culto.

Pág. 12, lín. 3: « Nihil enim materna propinquitas... ». Muchos teólogos piensan que la última raíz de la santidad de María es la predestinación a la divina Maternidad, y no pocos admiten también que la divina Maternidad, nude consideratam, es de una dignidad superior a todos los privilegios de la Virgen. El sentido, pues, de las palabras de S. Agustín parece ser que la Maternidad de la Virgen nada le hubiera aprovechado si hubiera sido *puramente material,* es decir, según la carne y la sangre unicamente, y no más bien espiritual. Por lo cual convendría suprimir esa frase o cambiarla por alguna otra, como la siguiente: « Ipsa materna propinquitas Mariae profuit, quia felicius Christum corde quam carne gestavit ».

Pág. 12, lín. 14: en el punto 6 donde se hable de María Ssma. « tamquam fautrix unitatis christianae », convendría mencionar que así como la madre en el hogar es un factor poderoso de unidad, así también lo es María Ss.ma como Madre de la humanidad.

96

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI ANGLIAE ET CAMBRIAE

Infrascriptus exc.mus ac rev.mus D. Ioannes Carmelus Heenan, arch. Westmonasteriensis in Anglia, ex parte hierarchiae Angliae et Cambriae, ex onere sibi commisso honorem sibi ducit ea quae sequuntur patribus Concilii clare ostendere.

Non amplius quid novi videtur proponere ut schema *de B. Maria Virgine* schemati *de Ecclesia* adiungatur. Exinde nobis videtur novum textum de B. M. V. postulandum, magis aptum ad munus capitis seu epilogi in schemate *de Ecclesia* fungendum.

Novus igitur textus de B. M. V. heic adlegatus ab exc.mo D. abbate Butler confectus est, instante posteaque prorsus approbante integra hierarchia Angliae et Cambriae, quae suam approbationem sequentes ob rationes dedit.

1. Textus est brevis et concisus. Ineptum enim videretur caput novum de B. M. V. schemati *de Ecclesia* adnectere, quod limites debitos transgrederetur. Nam eadem proportio servanda est in toto schemate, ne viderentur Patres magis aestimare momentum B. M. V. in Ecclesia quam Domini Iesu vel Spiritus Sancti.

2. Nihilominus textus hic totam doctrinam hodiernam catholicam de B. M. V. includit. Non excludit nisi doctrinas adhuc inter theologos disputatas.

3. Tota doctrina in argumentis ex Sacra Scriptura et primaeva traditione fundatur. Argumenta enim omnia e tempore desumuntur quod rupturam inter Occidentalem et Orientalem Ecclesias antecedit.

4. Evitantur vocabula moderna a Mariologis usitata quae saepe a fratribus seiunctis — immo quandoque a catholicis — haud recte vel potius perperam intelliguntur.

Quapropter, viso articulo 33 Ordinis Concilii Vaticani II, par. 7, antehabito placito fere 102 Patrum quorum nomina in adlegato folio habentur, enixe postu-

latur ut novus hic textus a Moderatoribus accipiatur, qui illum Commissioni de Concilii negotiis componendis deferre ne dedignentur.

Hoc quoque addendum videtur, scilicet praeter Patres in adnexo folio citatos, alii quoque Patres, tum pro sibimetipsis loquentes cum vices propriae hierarchiae gerentes, suam significaverunt approbationem huius nostri novi textus sed unice haesitaverunt de stylo seu modo vertendi schema in lingua latina. Hisce igitur precibus libentissime annuentes, unice ad stylum minime vero ad contentum perpoliendum, professoris in linguis classicis valde peritissimi adiutorium postulavimus ita ut si novus textus Patribus placuerit, illud omnino optime praesentatum habebunt.

Heenan John Carmel, PR Westminster; Butler Christopher, SG Congr. Ben. d'Inghilterra; McGill Stephen, VR Argyll e The Isles; Grimshaw Francis Ioseph, AR Birmingham; Wall Bernard Patrick, VR Brentwood; Murphy John, AR Cardiff; Rudderham Ioseph, VR Clifton; Hart William, VR Dunkeld; McGee Ioseph, VR Galloway; Cunningham James, VR Hexham e Newcastle; Dwyer George Patrick, VR Leeds; Foley Brian C., VR Lancaster; Petit John E., VR Menevia; Brunner George, VR Middlesbrough; Scanlan James Donald, VR Motherwell; Parker Thomas Leo, VR Northampton; Ellis Edward, VR Nottingham; Black James, VR Paisley; Restieaux Cyril, VR Plymouth; Gray Gordon, AR St. Andrews e Edinburgh; Beck George Andrew, VR Salford; Grasar William Eric, VR Shrewsbury; Cowderoy Cyril Conrad, VR Southwark; Grant Charles Alexander, VT Alinda; Holland Thomas, VT Etenna; Craven George Laurence, VT Sebastop. in Armenia; Pearson Thomas Bernard, VT Sinda; Ward James, VT Sita; Bright Humphrey, VT Soli; Lefebre Amédée, AR Rabat; Piché Paul, VT Orcisto; Simons Francis, VR Indore; Courtemanche Firmin, VR Fort Jameson; Baroni Augustine, VT Balecio; Cesana John, VR Gulu; O'Sullivan Ioseph, AR Kingston; Young Guilford, AR Hobart; Muldoon Thomas, VT Fessei; O'Loughlin John Patrick, VR Darwin; Rush Francis, VR Rockhampton; O'Donnel Patrick M., AT Pelusio; Kavanagh John Patrick, VR Dunedin; Delargey Reginald John, VT Irina; Liston James Michael, AR Auckland; Foley Victor, VT Petinesso; Larose Raymond, VR Chittagong; Graner Lawrence Leo, AR Dacca; Obert Ioseph, VR Dinajpur; van Miltenburg James, AR Hyderabad; Cordeiro Ioseph, AR Karachi; Battaglierin Dante, VR Khulna; Buyse Marcel Roger, VR Lahore; Cialeo Francis Benedict, VR Lyallpur; Scheerer Aloisius, VR Multan; Hettinga Nicholas, VR Rawalpindi; Ganguly Theotonius, VT Oliva; Boisguérin Renatus, VR Suifu; Bouter William, VR Nellore; Billington Vincent, VR Kampala; Hall Frederick, VR Kisumu; Van Kester Guillaume, VR Basankasu; Greif John, VR Tororo; Buis James, VT Astipalea; Galvin Anthony D., VT Lete; De Wit Cornelio, VT Amiso; Ireland James, PA Falkland Islands; Boerkamp John, PA Kashmir e Jammu; Fernandes Angelo, AT Neopatrasso; D'Mello Leo, VR Ajmer e Jaipur; Fernandes Ioseph, AR Delhi; Arattukulam Michael, VR Alleppey; Pinto Edwin, VR Ahmedabad; Picachy Lorenzo Trevor, VR Jamshedpur; Lourduswamy Duraisamy, VT Sozusa; D'Souza Andrew, VR Poona; Rosario Ioseph, VR Amravati; Kerketta Pius, AR Ranchi; Arulswami Daniel, VR Kumbakonam; Patroni Aldus, VR Calicut; Sevrin Oscar, VT Mossina; Oste Ioseph, VR Jehol; Vendargon Dominic, VR Kualalumpur; D'Mello Raymond, VR Mangalore; Agniswami Thomas, VR Cottar; Olçomendy Michael, AR Malacca-Singapore; Fernandez Jerome, VR Quilon; D'Souza Albert, AR Calcutta; Sundaram Rajarethinam, VR Tanjore; Evangelisti Giuseppe, AR

Meerut; Gomes William, VT Parlais; Padiyara Anthony, VR Ootacamund; Benjamin Eric, VR Darjeeling; Tigga Leo, VR Dumka; Coutinho Fortunatus, VT Sagalasso; Selvanaden Lurdu, VR Salem; Lamont Daniel, VR Umtali; Healy Kilian, SG Carm. Dell'Antica Oss.; Cahill Thomas Vincent, VR Cairns; Henschke Francis, VR Wagga Wagga; O'Brien Eris Michael, AR Canberra; Cullinane John, VT Flumenzer; Jobst Ioannes, VT Pitane.

Textus de Beata Maria Virgine propositus tamquam epilogus ad schema de Ecclesia loco schematis de Beata Maria Virgine.

Filius Dei, ut inter homines homo fieret sumendo humanam carnem, et, tamquam unicus Dei et hominum Mediator (*1 Tim.* 2, 5), seipsum pro dilecta traderet Ecclesia (*Eph.* 5, 5), matrem sibi elegit B. Mariam Virginem, humilem ancillam Domini (*Lc.* 1, 49), quae ut filia Sion (*Lc.* 1, 28-33; *Soph.* 3, 14-17) praebuit tum consensum populi electi, tum carnem qua Christus, factus ex muliere (*Gal.* 4, 4), alter David et ex stirpe Adam oriretur (*Lc.* 1, 32-33; cf. *2 Reg.* 7, 12-16); ut autem tabernaculum seu Arca foederis, a virtute Altissimi obumbrata filium Dei concepit e Spiritu Sancto (*Lc.* 1, 35, 40, 45). Eius « fiat mihi », ipse Pater requisivit, ut umbris et imaginibus finem faceret et Verbum caro fieret. Prima igitur « co-operatorum Dei » (*1 Cor.* 3, 9) Christum, Caput Ecclesiae, peperit, ex quo tota Redemptio nobis venit. Quare B. Virgo est intime et inseparabiliter cum Ecclesia coniuncta.

Maria igitur fit omnibus omnium evangelicarum virtutum ac beatitudinum exemplar; vitae apostolicae praecursor exstitit, cum facta esset ancilla humilis et Deo oboediens, una ex « pauperibus » in Vetere Testamento iam laudatis (*Lc.* 1, 48-52; *1 Reg.* 2, 8; *Ps.* 112, 7-8), et praedicata esset beata ob praestantem fidem, qua credidit Deo (*Lc.* 1, 45) et verbum Dei custodivit (*Lc.* 2, 19, 51; 11, 27-28); quae cum in summa paupertate Filium peperisset (*Lc.* 2, 7) et Primogenitum, adiecta oblatione pauperum, in Templo obtulisset (*Lc.* 2, 22-24), procul a gloria humana (cf. *Mt.* 20, 20-38; *Io.* 7, 3-10) et secundum voluntatem Filii vitam degit, in vita publica Christi, aerumnosam et obscuram (*Mt.* 12, 46-50; *Mc.* 3, 31-35; *Lc.* 2, 49-50; 8, 19-21; 11, 27-28; *Io.* 2, 4). Morienti autem Filio in cruce pia Mater astitit, doloris gladio transfixa (*Io.* 19, 25; *Lc.* 2, 35), Filio condolens et animo intime eius sacrificio conformata, quare nova veluti Eva eius victoriae in serpentem socia (*Gen.* 3, 15; *Io.* 19, 26; *Apoc.* 12, 9), Mater viventium data est discipulo dilecto et iis omnibus, qui Christi fratres sunt (*Gen.* 3, 20; *Io.* 19, 26-27; 20, 17; *Rom.* 5, 14; 8, 29; *1 Cor.* 15, 45-47).

Constat antiquissimos Patres, instituta cum Eva comparatione, iam ob ipsam secundi Adami, universi generis humani Redemptoris, Incarnationem, Mariam « secundam Evam » salutasse. Nam « quemadmodum illa (sc. Eva) ... inoboediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis; sic et Maria ... oboediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis »;[1] et Eva virgo « sermone serpentis concepto inoboedientiam et mortem peperit. Maria autem virgo, cum fidem et gaudium percepisset ... respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum »,[2] « ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit ».[3] Hi igitur Patres Mariam non passivum instrumentum, sed causam liberam salutis generis humani per fidem et oboedientiam habebant, ita ut « virginis Evae Virgo Maria fieret advocata ».[4]

Haec autem antiquissima traditio, in Scriptura Sacra radicata, Spiritu Sancto moderante decursu saeculorum una cum doctrina de B. Maria Matre Dei eiusque perpetua virginitate paulatim explicata est. Nam Orientis et Occidentis Patres et Liturgia asserere solebant per virginem Evam mortem, per Virginem vel de Virgine Maria vitam apparuisse;[5] quare facta cum Eva comparatione, Mariam Matrem viventium appellabant[6] repetebantque adagium « mors per Evam, vita per Mariam »[7] vel « per feminam mors, per feminam vita ».[8]

Sed praesertim post Sacrum Concilium Oecumenicum Ephesinum Patres Graeci Matrem Dei et Novam Evam contemplando, via potius positiva intaminatam eiusdem Conceptionem exprimebant. Asserebant enim Matrem Dei omnino dignam fuisse quae in utero Filium conciperet; iam antea totam et totaliter puram fuisse et sine culpa;[9] novam a Deo creaturam formatam esse;[10] omnino gratia plenam fuisse et concupiscentia liberam;[11] iam ante Annuntiationem ut nullam aliam fuisse purificatam;[12] tunc vero fuisse a Spiritu Sancto purificatam, ut posset Verbum concipere, sed, sicut aurum inadulteratum igne divino non fuisse consumptam;[13] etiam in conceptione fuisse a corruptione prorsus immunem;[14] ut primitias novae creationis pulchritudinem primitivam redintegrasse;[15] a Spiritu Sancto plasmatam fuisse[16] et gratiam in eius formatione praevenisse naturam;[17] omnem habuisse integritatem quam Adam post peccatum amisisset, exceptis eis, quae Filius ipse suscepisset;[18] Paradisum fuisse in quem serpens introitum non haberet;[19] quae omnia eam a culpa originali, rite intellecta, et eius consequentiis liberam fuisse suo modo testantur. Sed et Assumptionem corporis B. Mariae in caelum mox celebratam fere eodem modo Graeci ex Immaculatae immunitate a corruptione et ex honore Matri a Filio praestito, facile derivaverunt. Invalescente autem etiam in Occidente die festo Conceptionis B. Mariae Virginis, et eius sensu gradatim melius perspecto, Latini tandem hoc privilegium ab universitate Redemptionis pendere intellexerunt.[20]

Iamvero Maria, utique ex Salvatoris praevisis meritis ab omni originali culpa praeservata immunis, iam corpore et anima in caelum assumpta, initium typus et spes est Ecclesiae, quam Christus ipse sibi « sanctam et immaculatam » exhibuit (*Eph.* 5, 27), cuius filios immaculatos Deus ante conspectum gloriae suae in adventu Domini constituet (cf. *Iud.* 2, 4; *Col.* 1, 24; *Eph.* 1, 4). Sicut ergo Maria Immaculata immaculatam Ecclesiam et filios in die Domini immaculatos anteivit, ita Maria corpore et anima in caelum assumpta filios suos, non Regina tantum sed et Mater,[21] in spem erigit, ut tandem, morte devicta (*1 Cor.* 15, 54-57) et ipsi regnent cum Christo Filio suo immortali saeculorum Regi (*Phil.* 1, 23; *1 Tim.* 1, 17).

Et revera Ecclesiae, ex latere Christi in cruce pendentis natae (*Io.* 19, 34; *Gen.* 2, 21-22; et saepe Patres), arctissime coniungitur B. Virgo. Nam Maria est Ecclesiae Mater, membrum et exemplar: cum enim sit Mater Christi, « est Mater omnium in quibus vivit Christus »,[22] « Mater membrorum Christi, quae nos sumus, quia caritate sua co-operata est ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius Capitis membra sunt »;[23] membrum sub Capite, quia « Maria portio est Ecclesiae... supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum »;[24] exemplar vel figura, quia Maria et Ecclesia, Mater et Virgo, ita sunt internexae, ut saepissime Patres Mariam ut typum Ecclesiae habeant: « hymnantes Mariam semper Virginem, quae manifeste est sancta Ecclesia ».[26] Inde Maria et Ecclesia una simul contemplandae sunt, una simul amandae.

Neque hoc est omittendum quod nostris temporibus opportunissimum videtur: per Novam Evam, « gratia plenam » et « benedictam inter mulieres » (*Lc.* 1, 28, 42), tota mulierum condicio restaurata et elevata est. Nam omnes, quas mulier nobilissimas aspirationes habere potest, in Maria complentur, quae est virgo, sponsa, mater: semper virgo, sponsa vera, mater cuius caritas ex immaculato corde promanat.

Quoniam igitur B. Mariae magna fecit « Qui potens est », eamque igitur generationes omnes beatam dicent (*Lc.* 1, 48-49), etiam nunc in caelis socia Christi gloriosi manens, pro omnibus per Christum caritate materna intercedit. Ipsa quoque semper ab Ecclesia, ut Advocata nostra et misericordiae Mater, rite invocatur et a fidelibus precibus et cordis devotione honoratur. Neque ullo modo mediatio unici nostri Mediatoris (*1 Tim.* 2, 5) sic obscuratur vel minuitur; immo extollitur et glorificatur. Nam ille qui etiam ante « horam suam » primum miraculum, Mariae obsequens praestitit, « et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius » (*Io.* 2, 4-11), nunc certe Mariam honorari summopere gaudet. Porro, mediatio Mariae non ex aliqua necessitate, sed ex beneplacito divino et superabundantia ac virtute meritorum Iesu provenit, in mediatione Christi innititur, ab illa omnino dependet et ex eadem totam vim obtinet. Adest nempe dissimilis similitudo, quia nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo. Quapropter Sacra Synodus theologos verbique divini praecones enixe hortatur ut sedulo adnitantur studium imprimis Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad sensum Magisterii Ecclesiae excolentes, in vera luce ponere munera et officia B. Virginis cum aliis dogmatibus connexa, potissimum vero quae spectent ad Christum, qui est centrum totius veritatis, sanctitatis et pietatis.

« Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole ». Qui locus (*Apoc.* 12, 1) a Patribus et exegetis ad Ecclesiam et ad Mariam refertur. Sacra ergo Synodus, spem in altum erigens, omnes hortatur christifideles, filios Mariae et Ecclesiae, ut per Matrem Mariam Filium Dei invocent, ut non modo illos qui uno signati sunt baptismate unoque Spiritu aguntur, sed etiam illos qui se esse a Christo Iesu Pastore redemptos ignorant, in unum gregem colligat unus amor.

NOTAE

[1] S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 3, 22, 4, PG 7, 959.

[2] S. Iustinus, *Dial. cum Tryphone,* 100, PG 6, 709.

[3] Tertullianus, *De Carne Christi,* 17, PL 2, 782.

[4] S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, 5, 19, 1; cf. 4, 33, 4, PG 7, 1175; 1074-5. Cf. de hisce Patribus J. H. Newman, *Letter to Pusey.*

[5] S. Cyr. Hier., *Cat.*, 12, 15, PG 33, 741.

[6] S. Epiphanius, *Haer.*, 78, 18, CGS 37, 468-9.

[7] S. Hieronymus, *Ep.* 22, 21, PL 22, 408.

[8] S. Augustinus, *Sermo* 232, PL 38, 1108. (Forse, si de authenticitate constat, addenda S. Ephraem, *Carmina Nisibena,* 27, 8; *Hymni de Instaur. Ecclesiae,* 4, Lamy 3, 974 ss.).

[9] S. Germanus, *Hom. in Annunt. Deiparae,* PG 98, 328.

[10] Id., *Hom. in Dormit.*, 2, *ibid.*, 349, 357.

[11] E. g. S. Anastasius Antiochensis, *Orat.* 3 *de Incarnatione,* 6, PG 89, 1338; *Sermo 2 in Annunt.*, *ibid.* 1377, *Sermo 3, ibid.* 1388.

[12] S. Sophronius, *Orat. 2 in Sanctissimae Deiparae Annunt.*, PG 87 (3) 328.

[13] S. Ioannis Damascenus, *De Fide Orthodoxa,* 3, 2, PG 94, 985; *In Dorm.* 1, PG 96, 704; sed cf. *In Dorm.* 2, *ibid.* 733*a* (« inadulteratum »; versio latina in Migne claudicat) et *Hom. in S. Ioann. Chrys. ibid.* 765 (« adulteratum »; versio latina in Migne claudicat). Textus ut supra implicite ad obiectionem principalem contra doctrinam Damasceni de Immaculata Conceptione respondit. Revera est Doctor Immaculatae Conceptionis.

[14] S. Andreas Cretensis, *Canon in B. Mariae Nativitatem,* PG 97, 1321; cf. etiam S. Ioann. Damasc. *Sermo in Dorm. B. M. V.* 2, PG 96, 782 pro immunitate a corruptione.

[15] S. Andreas Cret., *In Nat. B. Mariae,* 1, PG 97, 812; *Hom. in Dorm., ibid.* 1068.

[16] S. Ioannis Damascenus, *Sermo in Nat. B. M. V.,* PG 96, 665.

[17] Id., *ibid.,* PG 96, 664.

[18] Id., *ibid.,* PG 96, 676; Theodotus Ancyrensis, PG 77, 1418-1432; Graece cf. Jugie, DTC *Immaculée Conception,* coll. 906-7 ad codicem 1171 Gr. Bibl. Nat. Parisiis.

[19] Id., *ibid.* PG 96, 725 (Versio latina in Migne nullum sensum habet).

[20] V. g. Eadmer, *Tractatus de Conceptione S. Maria,* PL 159, 300-308.

[21] S. Teresia ab Infante Iesu: « Potius Mater quam Regina ».

[22] Origen, *Praef. in Ioannis Evangelium,* 6, PG 14, 32.

[23] S. Augustinus, *De Sancta Virginitate,* 6, PL 40, 399, cf. *Sermo* 25, 8 (ed. Morin, Romae, 1930, p. 163).

[24] Id., *Sermo 25 de verbis Evangelii Matthaei* 12, 41-50, PL 46, 938.

[25] Patres passim, incipiendo a Clemente Alex. et S. Modesto.

[26] S. Cyrillus Alex., *Sermo in Nestorium Ephesi habitus,* PG 77, 996.

Conflatio (ad modum experimenti) schematum Anglorum et Chilensium capitis V de Ecclesia: de Beata Maria Virgine in Ecclesia Matre.

1. [*Prooemium*]. In proponendo Mysterio Ecclesiae non vult S. Synodus tacere de illa benedicta muliere in qua conditum est non solum illud admirabile commercium quo Creator generis humani corpus sumere dignatus est, sed etiam communio illa spiritualis redemptorum cum Christo quae intimum huius Mysterii constituit.

2. [*Maria cum Ecclesia coniuncta*]. Filius Dei, ut inter homines homo fieret humanam carnem sumendo et, tamquam unicus Dei et hominum Mediator seipsum pro dilecta traderet Ecclesia, matrem sibi elegit ante omnia saecula B. Mariam Virginem, humilem ancillam Domini, quae ut filia Sion praebuit tum consensum populi electi tum carnem qua Christus, factus ex muliere, alter David et ex stirpe Adam oriretur; ut autem tabernaculum seu Arca Foederis, a virtute Altissimi obumbrata, filium Dei concepit e Spiritu Sancto. Eius « fiat mihi » ipse Pater requisivit, ut umbris et imaginibus finem faceret et Verbum caro fieret. Prima ergo « cooperatorum Dei » Christum, Caput Ecclesiae, peperit, ex quo tota nostra redemptio venit. Quare Beata Virgo est intime et inseparabiliter cum Ecclesia coniuncta. Etenim « generatio Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis ».

3. [*Maria exemplar Ecclesiae*]. Ecclesia est sponsa Christi, sponsa Virgo, quam ipse sibi sanctificavit mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam et immaculatam. Etiam omnis christianus, vocationi suae fideliter respondens, tanquam virgo casta Christo exhibetur. Fidelitas autem Ecclesiae in huic vocationi respondendo culmen perfectionis ac locum plane singularem in Maria attingit. Et sic Maria fit omnibus omnium virtutum evangelicarum ac beatitu-

dinum exemplar. Vitae apostolicae praecursor exstitit, cum facta esset ancilla humilis et Deo oboediens, una ex « pauperibus » in Vetere Testamento iam laudatis, et praedicata esset beata ob praestantem fidem qua credidit Deo et verbum Dei custodivit. Quae cum in summa paupertate Filium peperisset et Primogenitum, adiecta pauperum oblatione, in Templo obtulisset, procul a gloria humana et secundum voluntatem Filii vitam degit in vita publica Christi aerumnosam et obscuram. Morienti autem Filio in cruce pia Mater astitit, doloris gladio transfixa, Filio condolens et animo intime eius sacrificio conformata; quare veluti nova Eva eius victoriae in serpentem socia Mater viventium data est discipulo dilecto et eis omnibus qui fratres Christi sunt. Nascenti tandem Ecclesiae illa adfuit, unanimiter in oratione cum apostolis ac discipulis in coenaculo perseverans, et suis precibus effusionem Spiritus implorans. Iure igitur Virgo illa fortis in fide « typus Ecclesiae » vocatur.

4. [*Maria in antiqua Ecclesiae traditione*]. Constat autem antiquissimos Patres, instituta cum Eva comparatione, iam ob ipsam secundi Adam, universi generis humani Redemptoris, Incarnationem, Mariam, « secundam Evam » salutasse. Nam « quemdamodum illa (sc. Eva) ... inoboediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis; sic et Maria ... oboediens, et sibi et universo humano generi causa facta est salutis »; et Eva « sermone serpentis concepto inoboedientiam et mortem peperit. Maria autem virgo, cum fidem et gaudium percepisset respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum », « ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit ». Hi igitur Patres Mariam instrumentum non passivum tantum sed activum salutis generis humani per fidem et oboedientiam habebant, ita ut « virginis Evae Virgo Maria fieret advocata ».

Haec autem antiquissima traditio, in Scriptura Sacra radicata, Spiritu Sancto moderante decursu saeculorum una cum doctrina de B. Maria Matre Dei eiusque perpetua virginitate paulatim explicata est. Nam orientis et occidentis Patres et Liturgiae asserere solebant per virginem Evam mortem, per Virginem vel de Virgine Maria vitam apparuisse. Quare, facta cum Eva comparatione, Mariam Matrem viventium appellabant, repetebantque adagium « mors per Evam, vita per Mariam », vel « per feminam mors, per feminam vita ».

Sed praesertim post Sacrum Concilium Oecumenicum Ephesinum Patres graeci Matrem Dei et Novam Evam contemplando, via potius positiva intaminatam eiusdem conceptionem exprimebant. Asserebant enim Matrem Dei omnino dignam fuisse quae in utero Filium conciperet; iam antea totam et totaliter puram fuisse et sine culpa; novam a Deo creaturam formatam esse; omnino gratia plenam fuisse et a concupiscentia liberam; iam ante annuntiationem ut nullam aliam fuisse purificatam; tunc vero fuisse a Spiritu Sancto purificatam, ut Verbum posset concipere, sed sicut aurum inadulteratum igne divino non fuisse consumptam; etiam in conceptione fuisse a corruptione prorsus immunem; ut primitias novae creaturae pulchritudinem primitivam redintegrasse; a Spiritu Sancto plasmatam fuisse et gratiam in eius formatione praevenisse naturam; omnem habuisse integritatem quam Adam post peccatum amisisset, exceptis eis quae Filius ipse suscepisset; paradisum fuisse in quem serpens introitum non haberet; quae omnia eam a culpa originali, rite intellecta, et eius consequentiis, liberam fuisse suo modo testantur.

Sed et assumptionem corporis Beatae Mariae in caelum mox celebratam fere

eodem modo graeci ex Immaculatae immunitate a corruptione et ex honore Matri a Filio praestito, facile derivaverunt. Invalescente autem etiam in occidente festo Conceptionis B. Mariae Virginis et eius sensu gradatim melius perspecto, latini tandem hoc privilegium ab universitate Redemptionis pendere intellexerunt.

5. [*Maria assumpta imago Ecclesiae consummatae*]. Iamvero Maria, utique ex Salvatoris praevisis meritis ab omni originali culpa praeservata immunis, iam corpore et anima in caelum assumpta, initium typus et spes est Ecclesiae, quam Christus ipse sibi sanctam et immaculatam exhibuit, cuius filios immaculatos Deus ante conspectum gloriae suae in adventu Domini constituet. Sicut ergo Maria Immaculata immaculatam Ecclesiam et filios in die Domini immaculatos anteivit, ita Maria corpore et anima in caelum assumpta filios suos, non Regina tantum sed et Mater, in spem erigit ut tandem, morte devicta, et ipsi regnent cum Christo Filio eius immortali saeculorum Regi. Ita Maria manifestatur veluti typus Ecclesiae consummatae, imago videlicet illius gloriosae beatitudinis qua Ecclesia fruetur cum omnia innoventur et Civitas Ierusalem de caelo a Deo descendet, parata sicut sponsa ornata viro suo.

6. [*Maria membrum Ecclesiae*]. Et revera Ecclesiae ex latere Christi in cruce pendentis natae, arctissime coniungitur B. Virgo. Nam Maria est christifidelium Mater, Ecclesiae membrum et exemplar. Cum enim sit Mater Christi « est Mater omnium in quibus vivit Christus », Mater membrorum Christi, quae nos sumus, quia caritate sua cooperata est ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius Capitis membra sunt; membrum sub Capite, quia « Maria est portio Ecclesiae ... supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum »; exemplar et figura, quia Maria et Ecclesia, Mater et Virgo, ita sunt internexae ut saepissime Patres Mariam ut typum Ecclesiae habeant: « hymnantes Mariam semper Virginem, quae manifeste est sancta Ecclesia ». Inde Maria et Ecclesia una simul sunt contemplandae, una simul amandae.

7. [*Maria exemplar mulierum*]. Neque hoc omittendum est quod nostris temporibus opportunissimum videtur: per Novam Evam, « gratia plenam » et « benedictam inter mulieres », tota mulierum condicio restaurata et elevata est. Nam omnes quas mulier nobilissimas aspirationes habere potest in Maria complentur, quae est virgo, sponsa, mater: semper virgo, sponsa vera, mater cuius caritas ex immaculato corde promanat.

8. [*Mariae actuosa maternitas*]. Mater Dei et Mater fidelium, facie ad faciem Domino gaudens, actuosam exercet activitatem pro filiis adhuc a Domino peregrinantibus sedulo servans munus dulcissimum a Filio suo in cruce pendente significatum, quo in persona discipuli dilecti curam maternalem omnium hominum amplexata est, Maria, amore gladio probato, sine intermissione apud Deum et Christum pro nobis intercedit. Si apostolus Paulus continuo in orationibus memor erat fidelium et preces eorum pro se instanter poscebat, multo magis intercessio maternalis Mariae nobis efficax erit. Ipsa enim intimius quam alia quaelibet pura creatura Deo et Christo Filio Dei et Filio suo pro omnium salute moriente, experta est amorem Dei in amore hominum quodammodo suum fastigium attingere: « sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ».

9. [*Maria rite invocatur et honoratur*]. Quoniam igitur Beatae Mariae magna fecit qui potens est, ipsa invicem semper ab Ecclesia, ut Advocata nostra et misericordiae Mater, rite invocatur et a fidelibus precibus et cordis devotione honoratur. Neque ullo modo mediatio unici Mediatoris sic obscuratur vel minuitur;

immo extollitur et glorificatur. Nam ille qui etiam ante « horam suam » in Canae nuptiis miraculum Mariae obsequens praestitit « et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius », nunc certe Mariam honorari summopere gaudet. Porro, mediatio Mariae non ex aliqua necessitate sed ex beneplacito Dei et superabundantia ac virtute meritorum Iesu provenit, in mediatione Christi innititur, ab illa omnino dependet, et ex ea totam vim obtinet. Adest nempe dissimilis similitudo, quia nullo modo Mater Dei Christo aequiparanda est. Quapropter Sacra Synodus theologos verbique praecones enixe hortatur ut sedulo adnitantur studium imprimis Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad sensum Magisterii Ecclesiae excolentes, in vera luce ponere munera et officia B. Virginis cum aliis dogmatibus connexa, potissimum vero quae spectant ad Christum, qui est centrum totius veritatis sanctitatis et pietatis.

Episcopi vero curent ut cultus marialis neque parvipendatur neque deviet a recto tramite, sed debitam proportionem atque aequilibrium cum aliis veritatibus revelationis christianae semper observet. Meminerint quoque fideles veram devotionem in quodam unius momenti affectu minime consistere, prorsusque respuant omnem vanam credulitatem. E contra firmiter teneant devotionem ex vera fide procedere, qua omnes adducimur ad imitationem illius beatae Virginis quae fuit « ancilla Domini », humilis et oboediens, ea « conferens in corde suo » quaecumque ad Verbum incarnatum pertinebant, beata quia credidit salutata.

[*Conclusio*]. « Signum magnum apparuit in caelo, Mulier amicta sole ». Qui locus a Patribus et exegetis et ad Ecclesiam et ad Mariam refertur. Sacra ergo Synodus, spem in altum erigens, omnes hortatur christifideles, filios Mariae et filios Ecclesiae, ut per Matrem Mariam Filium Dei invocent, ita ut non modo illos qui uno signati sunt baptismate unoque Spiritu aguntur sed etiam illos qui se a Christo Iesu Pastore redemptos esse ignorant, in unum gregem et ovile colligat unus amor.

97

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI CHILIENSES

Cardinalis archiepiscopus S. Iacobi in Chilia et episcopi quorum subsignationes in annexis foliis invenire potestis, ad normam art. 33, par. 7 *Ordinis* vigentis Sacrosancti Concilii, novum schema de B. Maria Virgine proponere audent.

Ad schema in commissione theologica praeparatoria conscriptum quod attinet, placet nobis declarare multa in eo magni ponderis ac momenti inveniri, ex quibus etiam pro nostro schemate conficiendo nonnulla sumpsimus. Attamen, cum illud schema ut omnino separatum a schemate *de Ecclesia* compositum fuerit, nobis videtur, integratione acceptata, eo non amplius prout iacet ut disceptationis basi uti posse.

Liceat nobis aliquantulum explanare intentionem nostram pro postulanda insertione schematis *de B. M. V.* in schemate *de Ecclesia.* Imprimis volumus ut caput integrum de Sanctissima Matre Dei et nostra et non merus epilogus conficiatur, quin intendamus in eo capite totam doctrinam de B. Maria Virgine proponere, quod sane unius capitis spatio fieri impossibile arbitramur. Sed in hoc capite omnia quae de Dei Genitrice fides profitetur clare contineri opus est. Putamus magni emolumenti esse tum pro doctrina de Ecclesia, tunc pro doctrina de Matre Dei et hominum, si utraque simul consideretur et ita divitiae uniuscuiusque alteri commu-

nicentur, quod etiam hodierno aequo unitatis ac synthesis desiderio fulcitur. Locus sane eminens quem beata Mater nostra in salutis oeconomiae obtinet, eo vel magis splendet quod ipsa, cum non sit sacrae hierarchiae membrum, primam partem in fidei et caritatis divitiis habet.

Desiderium nostrum est ut in capite de « B. Maria Virgine » haec inter alia praefulgeant:

1. Usus textuum Sacrae Scripturae ad doctrinam marianam pertinentium;
2. Sensus eschatologicus, qui mirabiliter in Assumptionis dogmate cernitur;
3. Indoles pastoralis, qua omnes christifideles ita doctrina de B. M. V. imbuantur ut eam intime cum Christo Domino eiusque Ecclesia connexam contemplentur;
4. Mirabilis adimpletio in vita B. Mariae Virginis spiritus beatitudinum evangelicarum;
5. Solida ac ecclesialis doctrina, qua concordius inter catholicos theologos de Dei Genitrice sermo fiat; et
6. Propositio doctrinae ita ut nulla veritate detracta vel obscurata, novae definitiones dogmaticae et opiniones non communes vitentur.

Mens autem nostra est ut hoc schema veluti adiutorium pro textu definitivo conficiendo habeatur, in quo argumenta prolata considerentur quae, ut iam novimus, etiam in schemate a Patribus Angliae proponendo, pulchre continentur.

De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre Christi fidelium.

1. [*Maria Mater Iesu et Ecclesiae*]. Ut summa totius de Ecclesia constitutionis, et votis multorum pastorum ac fidelium acquiescens, Sancta Synodus breve compendium doctrinae catholicae de Virgine Maria proponere vult. Sua enim fide [1] Maria facta est non tantummodo Mater Iesu, sed etiam mater Ecclesiae,[2] nam « generatio Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis ».[3] Tam arcto enim vinculo Christus cum suis membris coniungitur,[4] quod revera — secundum ineffabile mysterium Dei providentiae, quae liberam cooperationem creaturarum non tollit, sed potius respectatur ac suscitat [5] — fatendum est, in concreto nostro ordine salutis tum incarnationem Verbi tum nostram salutem a Mariae consensu pendisse.

2. [*Maria Virgo ut typus Ecclesiae*]. Ecclesia est sponsa Christi,[6] sponsa Virgo,[7] quam Ipse sibi sanctificavit, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam et immaculatam.[8] Etiam omnis christianus, vocationi suae fideliter respondens, tanquam virgo casta Christo exhibetur.[9] Fidelitas tamen Ecclesiae in huic vocationi respondendo in Maria culmen perfectionis ac locum plene singularem attingit. Fide enim humilis ancilla Domini,[10] ex praevisis meritis Christi ab omni labe peccati praeservata,[11] tanquam vera filia Abraham,[12] patris omnium credentium,[13] nuntio credidit angelico; [14] ac virginitate intacta, « Christum non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo concepit ».[15] Fide conservabat Maria omnia verba difficiliora intellectu,[16] et amanter ea in corde suo conferebat; quapropter eius fides publice a Iesu laudari meruit.[17] Fidei caritate fervens [18] Maria omnes vitae adversitates [19] strenuo animo sustulit, maxime vero cum iuxta Crucem stans, Filii sui oblationi toto corde sese coniunxit.[20] Fide tandem nascenti Ecclesiae illa adfuit, unanimiter in oratione cum apostolis ac discipulis in coenaculo perseverans, suis quoque precibus effusionem Spiritus implorans.[21] Iure, ergo, Virgo illa fortis in fide « typus Ecclesiae » [22] vocatur.

3. [*Maria in Ecclesia et Ecclesia in Maria*]. Cum angelus Gabriel Mariam tanquam « gratia plenam » [23] salutavit, Virgo illa beata nobis ut « Filia Sion Dei amore renovata »[24] proponitur. In hac enim praeclara Virgine « residuum Israel »[25] veteris servatur atque Novus Israel,[26] Ecclesia videlicet Dei, exordium habet. Uti quondam Arca Foederis in deserto,[27] sic Maria — Novi Foederis Arca — nube praesentiae Dei obumbratur,[28] ita ut Dominus revera cum ea sit [29] atque Emmanuel prophetia [30] adimpleatur.

Maria ut signum magnum sole amicta apparet in caelo,[31] cuius Filius, apud thronum Dei raptus, omnes pascitur nationes.[32] Cum eius vero Filius sit Caput Ecclesiae, recte illa ab apostolo Ioanne tanquam mulier parturiens repraesentatur,[33] quia Maria cura filiorum afficitur donec Christus in omnibus membris sui Corporis efformetur.

Hinc sequitur Mariam tam intime cum Ecclesia consociari, ut vere affirmandum sit, almam Dei matrem inseparabiliter cum Ecclesia coniungi atque Ecclesia, vicissim, a Maria separari nequeat.

4. [*Beatae Virginis maternitas fecunda*]. Sua etiam maternitate fecunda Ecclesia Mariae assimilatur. Sicut prima illa Eva, praedestinata ut mater esset cunctorum viventium,[39] credens serpenti et inoboediens Deo, multitudinem filiorum genuit ad mortem, sic Maria, credens angelo atque oboediens Deo,[35] novum nobis attulit Adam [36] in quo vitam abundantem invenimus.[37] Ecclesia, cum sit virgo simul et mater, Mariam imitatur, quae est mater simul ac virgo.[38] Christus voluit ex virgine nasci, ut significaret membra sua a virgine Ecclesia nascitura secundum Spiritum. Quamvis Maria corporaliter sit mater tantum Capitis nostri, spiritualiter autem est mater omnium in Christum credentium, quia sua caritate cooperavit, ut fideles in Ecclesia nascerentur.[39] Ita maternitas fecunda Mariae maternitate virginali Ecclesiae commensuratur; et sic Maria est imago Ecclesiae atque Ecclesia imitatur Mariam.

5. [*Nova Eva subiecta Novo Adamo*]. Ex dictis, autem, nequit affirmari, similitudinem inter Mariam et Ecclesiam undequaque perfectam esse. Maria scit se ancillam esse Domini,[40] et sic semper permanere cupit. Si ea ab omnibus generationibus beata praedicatur,[41] hoc Virgo illa humilis Deo omnipotenti tribuit, qui ei magna fecit.[42] Si a primo conceptionis instante gratia fuit plena,[43] et si in sua vita expers omnis culpae personalis,[44] semperque mente et corpore virgo exstiterit, haec omnia privilegia ac dona gratiae a Christo Capite Ecclesiae profluunt. Maria igitur Christo, novissimo Adamo [45] atque Ecclesiae Capiti, tanquam Eva Adamo [46] subiicitur.

Ecclesia est novus populus Dei fide, spe, caritate, hierarchia, praedicatione ac sacramentis Christo in Spiritu Sancto ad laudem Dei Patris unitus. In visibili autem communitate Ecclesiae peregrinantis partes Christi Capitis a hierarchia, non a Maria, repraesentantur.[47] Ipsa Ecclesiae fecunditas a sacramentis, quibus Christo assimilamur, provenit.[48] Quatenus Ecclesia dona gratiae verbo et sacramentis hominibus impertitur, Christum manifestat ac imitatur; quatenus illa, vero, fide ac oboedientia haec dona sibi adpropriat, Mariam imitatur eique similis fit. Virgo haec humilis ac casta est igitur maximum exemplar docilitatis personae mere humanae ad gratiam divinam.

6. [*Virgo assumpta imago Ecclesiae consummatae*]. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ante mundi constitutionem elegit nos in ipso, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate,[49] omnino quoque voluit ut mater Filii sui, quae ab omni labe peccati praeservata et semper virgo permansit,[50] finito terrestris vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam eveheretur.[51]

Cum omnes, qui in Adam moriuntur, in Christo vivificandi sint, unusquisque autem in suo ordine,[52] firma est Ecclesiae fides, post Christum, primitias dormientium,[53] Mariam quoque et anima et corpore vivificatam fuisse. Inter Domini Pascha eiusque Parusiam [54] Maria, secundum ordinem ei proprium, incorrupta et gloriosa [55] in locum ei a Deo paratum ascendit.[56] In caelo Virgo sole amicta refulget, cum luna sub pedibus eius ac duodecim stellis coronata,[57] ubi neque mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt et nova facta sunt omnia.[58] Ita Maria manifestatur veluti typus Ecclesiae consummatae, imago videlicet illius gloriosae beatitudinis, quo Ecclesia fruetur, cum omnia innoventur ac civitas Ierusalem de caelo a Deo descendat, parata sicut sponsa ornata viro suo.[59]

7. [*Mariae actuosa maternitas*]. Mater Dei et Mater hominum, facie ad faciem Domino gaudens,[60] actuosam exercet activitatem in favorem filiorum adhuc a Domino peregrinantium.[61] Sedula servans munus dulcissimum a Filio suo in cruce pendente significatum, quo in persona discipuli dilecti curam maternalem omnium hominum amplexerat,[62] Maria, amore gladio probato,[63] sine intermissione apud Deum et Christum pro nobis intercedit. Si apostolus Paulus continuo in orationibus memor erat fidelium,[64] et preces eorum pro se instanter poscebat,[65] multo magis intercessio maternalis Mariae nobis efficax erit. Ipsa enim intimius quam alia quaelibet pura creatura, Deo et Christo, Filio Dei et Filio suo pro omnium salute moriente, experta est amorem Dei in amore hominum quodammodo summum fastigium attingere: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ».[67] Cum intercessio almae Matris totam suam vim et efficaciam ex Christi gratia hauriat, hac materna mediatione minime obscuratur vel minuitur, sed potius extollitur, mediatio unici Mediatoris, iuxta verba apostoli: « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ».[68]

8. [*De cultu erga Matrem nostram Mariam*]. Singulari sua excellentia, Mater Dei et hominum, quae ab angelo « gratia plena »,[69] et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, « benedicta inter mulieres »[70] salutari meruerit, cunctis a gentibus et ab universis ritibus, omni quidem cum laude « beata » praedicatur, colitur, amatur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur. Ita adimpletur quod ipsamet de seipsa prophetavit: « Beatam me dicent omnes generationes ».[71] Huiusmodi singularis cultus marialis tandem in gloriam Filii Mariae redundat et ad id spectat ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare,[72] rite noscatur, ametur, glorificetur, eiusque mandata serventur; et sic per Christum, qui est « via, veritas et vita »,[73] homines ad Patrem in unitate Spiritus Sancti perducantur.

Quam sanam doctrinam, ex Scripturis depromptam et semper in Ecclesia conservatam, Sancta Synodus consulto fortiterque docet eodemque tempore admonet Episcopos, ut sedulo invigilent theologis divinique verbi praeconibus, ut non solum ab omni falsa doctrinae superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda abstineant, sed etiam conentur ut cultus marialis debitam proportionem atque aequilibrium — iuxta modum in Scriptura et in sana Ecclesiae traditione propositum — cum aliis veritatibus revelationis christianae semper observet.

Meminerint porro utriusque sexus fideles veram devotionem in quodam unius momenti affectu minime consistere, prorsusque respuant omnem vanam credulitatem; e contra firmiter teneant devotionem ex vera fide procedere, qua omnes adducimur ad imitationem illius beatae Virginis, quae fuit « ancilla Domini »,[74]

humilis et oboediens, quaeque fideliter servavit, ea « conferens in corde suo »,[75] quaecumque ad Verbum incarnatum pertinebant,[76] beata quia credidit salutata.[77]

9. [*Maria mater unitatis christianae*]. Maria, cum Mater ac typus sit unius Dei Ecclesiae, vehementer cupit ut non modo illi qui uno donati sunt baptismate unoque Spiritu aguntur, verum etiam illi qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, una eademque, tum cum divino Salvatore tum inter se ipsos, fide et caritate cohaereant. Quapropter S. Synodus certa spe ac fiducia nititur fore ut haec Mater Dei et hominum — quae intercessit ut Iesus primum signum operaretur in Cana Galileae, ex quo crediderunt in eum discipuli eius,[78] atque nuper ortae Ecclesiae adstitit [79] — patrocinio suo a Deo impetret ut tandem aliquando omnes in eundem gregem sub uno Pastore, Christo Iesu, conveniant.[80] Quamobrem omnes prorsus christifideles hortatur, ut preces supplicationesque ad Matrem unius Dei Ecclesiae effundant, ut, ipsa intercedente, eius Filius Iesus Christus cunctas familias gentium, et praeprimis illos qui christiano nomine gloriantur, in unum Dei populum congreget.

NOTAE

[1] *Lc.* 1, 45.
[2] *Io.* 19, 26-27; *Lc.* 1, 31-33; *Apoc.* 12, 13. 17.
[3] S. Leo Magn., *Sermo VI in Nativitate Domini*: PL 54, 213.
[4] *1 Cor.* 12, 27; *Eph.* 4, 15-16.
[5] *Io.* 6, 4; *Rom.* 8, 1 ss.
[6] *Eph.* 5, 24-27; *Apoc.* 19, 7; 21, 2. 9.
[7] *2 Cor.* 11, 2.
[8] *Eph.* 5, 26-27.
[9] *2 Cor.* 11, 2.
[10] *Lc.* 1, 38.
[11] Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8-12-1854, Denz. 1641.
[12] *Lc.* 1, 55.
[13] *Gal.* 3, 9; *Rom.* 4, 12.
[14] *Lc.* 1, 35-36.
[15] S. August., *Enarr. in Psalm.* 67, 21: PL 36, 826. Simile apud S. Leonem Magnum invenitur, *Sermo* 21, c. 1: PL 54, 191: « Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore ».
[16] *Lc.* 2, 19. 49-50.
[17] *Lc.* 11, 28.
[18] S. August., *Sermo* 214, *In tradit. Symboli,* 6: PL 38, 1069.
[19] *Lc.* 2, 7; *Mt.* 2, 13; *Lc.* 2, 41-51.
[20] *Io.* 19, 25.
[21] *Act.* 1, 14.
[22] S. Ambrosius, *In Lc.* II, 7: PL 15, 1555.
[23] *Lc.* 1, 28.
[24] *Sophon.* 3, 14-18.
[25] *Is.* 10, 20; *Rom.* 9, 27.
[26] *Heb.* 8, 8 ss.; *Apoc.* 7, 4 ss.
[27] *Ex.* 40, 35.
[28] *Lc.* 1, 35.
[29] *Lc.* 1, 28.
[30] *Is.* 7, 14.
[31] *Apoc.* 12, 1.

[32] *Apoc.* 12, 5.
[33] *Apoc.* 12, 2. 13. 17.
[34] *Gen.* 3, 20.
[35] S. Iustinus, *Dial. cum Triph.*, 100: MG 6, 710 s.; S. Iren., *Adv. Haer.*, 3, 22, 3-4: PG 7, 958 s. Similia apud Tertull., Hippolit., Clem. ab Alex., Orig., Methodium, Zeno, etc. Vide textus apud H. Lennerz, *De Beata Virgine Tractatus dogmaticus,* Romae (1957), 177-197.
[36] *1 Cor.* 15, 45.
[37] *Io.* 10, 10.
[38] S. August., *Sermo* 213, 7: ML 38, 1064.
[39] S. August., *De Sancta Virginitate,* 5 ss.: ML 40, 398 s.
[40] *Lc.* 1, 38.
[41] *Lc.* 1, 48.
[42] *Lc.* 1, 49.
[43] *Lc.* 1, 28; vide supra, n. 11.
[44] S. August., *De natura et gratia,* 36, 42: PL 44, 267.
[45] *1 Cor.* 15, 45.
[46] *Gen.* 3, 16.
[47] *Mt.* 16, 16; *Act.* 1, 13-14; *Eph.* 2, 20; *Apoc.* 21, 14.
[48] *Mt.* 28, 19; *Act.* 2, 38; *Rom.* 6, 1-10; etc.
[49] *Eph.* 1, 3-4.
[50] Hic vitatur quaestio inter catholicos disputata de ulteriori determinatione sensus virginitatis « in partu ».
[51] Pius XII, *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950, Denz. 2331-2333.
[52] *1 Cor.* 15, 22-23.
[53] *1 Cor.* 15, 20.
[54] *1 Cor.* 15, 51; *Mt.* 24, 31.
[55] *1 Cor.* 15, 42-43.
[56] *Apoc.* 12, 6. Cf. L. Doiss, *Marie, Fille de Sion,* Paris (1959), p. 196.
[57] *Apoc.* 12, 1.
[58] *Apoc.* 21, 4-5.
[59] *Apoc.* 21, 1-8.
[60] *1 Cor.* 13, 12.
[61] *2 Cor.* 5, 6.
[62] *Io.* 19, 27.
[63] *Lc.* 2, 35.
[64] *Rom.* 1, 10; *Eph.* 1, 16; *Philip.* 1, 3-4; *Colos.* 1, 3. 9; *1 Th.* 1, 2-3; *2 Tim.* 1, 3.
[65] *Rom.* 15, 30; *2 Cor.* 1, 11; *Eph.* 6, 18-19; *1 Th.* 5, 25; *2 Th.* 3, 1; *Heb.* 13, 18.
[66] *Lc.* 1, 31.
[67] *Io.* 3, 16.
[68] *1 Tim.* 2, 5.
[69] *Lc.* 1, 28.
[70] *Lc.* 1, 42.
[71] *Lc.* 1, 48.
[72] *Col.* 1, 19.
[73] *Io.* 14, 6.
[74] *Lc.* 1, 38.
[75] *Lc.* 2, 19.
[76] *Lc.* 2, 51.
[77] *Lc.* 1, 45.
[78] *Io.* 2, 11.
[79] *Act.* 1, 14.
[80] *Io.* 10, 16.

De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre christifidelium (*Harmonica conflatio,* ex schematibus episcoporum chilensium, abbatis Butler et canonici Laurentin, *a Chiliensibus facta*).

1. [*Prooemium*]. Ut summa totius de Ecclesia constitutionis, et votis multorum pastorum ac fidelium acquiescens, Sancta Synodus peropportunum de Beata Maria Virgine agere iudicat. Sua enim fide (cf. *Lc.* 1, 45) Maria facta est non solum Mater Iesu, sed etiam Mater fidelium (cf. *Io.* 19, 26-27; *Lc.* 1, 31-33; *Apoc.* 12, 13. 17), nam « generatio Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis ».[1] Tam arcto enim vinculo Christus cum suis membris coniungitur (cf. *1 Cor.* 12, 27; *Eph.* 4, 15-16), quod revera — secundum ineffabile mysterium Dei providentiae, quae liberam cooperationem creaturarum non tollit, sed potius respectatur ac suscitat (cf. *1 Cor.* 3, 9; *Rom.* 8, 1 ss.) — fatendum est, in concreto nostro ordine salutis tum incarnationem Verbi tum nostram salutem per Mariam nobis advenisse.

In proponendo igitur Mysterio illius plebis adunatae, quae exstat de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti, Sancta Synodus amanter convertitur ad benedictam illam mulierem, cuius « fiat mihi » ipse Pater requisivit ut umbris et imaginibus finem imponeret, et Verbum caro fieret. B. quidem Virgo triplice eminentia in Ecclesia excellit: eminentia nempe dignitatis, quia cum membrum sit Ecclesiae, primum vero et « supereminens membrum » est;[2] eminentia temporis, cum in ipsa incepta sit unio Verbi et humanitatis, necnon societas Christi et electorum, quorum prima illa est; eminentia tandem perfectionis, quia fastigium et exemplar manet illius communionis fidei et caritatis, humilitatis et servitii, participationis receptivae et actuosae, quae ad multitudinem redemptorum in Ecclesia extenditur.

2. [*Maria in historia salutis*]. Cum angelus Gabriel Mariam tanquam « gratia plenam » salutavit (*Lc.* 1, 28), Virgo illa beata nobis ut « Filia Sion » Dei amore renovata proponitur (cf. *Sophon.* 3, 14-18). In hac enim praeclara Virgine « residuum Israel » veteris servatur (*Is.* 10, 20; cf. *Rom.* 9, 27) atque Novus Israel (cf. *Heb.* 8, 8 ss.; *Apoc.* 7, 4 ss.), Ecclesia videlicet Dei, exordium habet. Uti quondam Arca Foederis in deserto (cf. *Ex.* 40, 35), sic Maria — Novi Foederis Arca — nube praesentiae Dei obumbratur (cf. *Lc.*, 1, 35), ita ut Dominus revera cum ea sit (cf. *Lc.* 1, 28) atque Emmanuel prophetia adimpleatur (cf. *Is.* 7, 14). Illa est ergo gloria Populi promissionis, radix Jesse et Mater Messiae, in qua Verbum Dei, temporibus praeparationis peractis, ut in tabernaculo novo et viventi inhabitare voluit.

Finito cursu eius vitae terrestris, Maria ut signum magnum sole amicta apparet in caelo (cf. *Apoc.* 12, 1), cuius Filius, apud Thronum Dei raptus, omnes pascitur nationes (cf. *Apoc.* 12, 5). Cum ille vero Caput sit Ecclesiae, recte Maria ab Apostolo Ioanne tanquam mulier parturiens repraesentatur (cf. *Apoc.* 12, 2. 13. 17), quia illa cura filiorum afficitur donec Christus in omnibus membris sui Corporis efformetur. Hoc pulchre ab Ecclesia Orientali exprimitur, cum in sua liturgia canit: « In tua Assumptione non recessisti ab hoc mundo, Theotoke! Accessisti ad Vitam, tu Mater Vitae, et tuis precibus Eum obsecras ut eruat nos a morte! ».[3] Hinc sequitur Mariam tam intime cum Ecclesia ab Abel usque ad ultimum iustum consociari,[4] ut vere affirmandum sit, almam Dei Matrem inseparabiliter cum Ecclesia coniungi atque Ecclesiam, vicissim, a Maria separari non posse.

3. [*Maria figura Ecclesiae peregrinantis*]. Ecclesia est sponsa Christi (cf. *Eph.* 5, 24-27; *Apoc.* 19, 7; 21, 2. 9), sponsa virgo (cf. *2 Cor.* 11, 2), quam ipse sibi sanctificavit, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam et immaculatam (cf. *Eph.* 5, 26-27). Etiam omnis christianus, vocationi suae fideliter respondens, tanquam virgo casta Christo exhibetur (cf. *2 Cor.* 11, 2). Fidelitas tamen Ecclesiae in huic vocationi respondendo, in Maria culmen perfectionis ac locum plene singularem attingit. Fide enim humilis ancilla Domini (cf. *Lc.* 1, 38), ex praevisis meritis Christi ab omni labe peccati praeservata est,[5] ut summa cum libertate Dei servitio et amori vacaret et ita dignum Christi habitaculum efficeretur. Tanquam vera filia Abraham (cf. *Lc.* 1, 55), patris omnium credentium (cf. *Gal.* 3, 9; *Rom.* 4, 12), nuntio credidit angelico; ac virginitate intacta — quo clarius inde ab initio constaret, opus nostrae salutis non a nobis, sed a virtute Altissimi provenire (cf. *Lc.* 1, 35) —, « Christum non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo concepit ».[6] Fide conservabat Maria omnia verba difficiliora intellectu (cf. *Lc.* 2, 19. 49-50), et amanter ea in corde suo conferebat; quapropter eius fides publice a Iesu laudari meruit (cf. *Lc.* 11, 28). Fidei caritate fervens[7] Maria omnes vitae adversitates strenuo animo sustulit (cf. *Mt.* 2, 13; *Lc.* 2, 7. 41-51), maxime vero cum iuxta Crucem stans, tanquam Nova Eva victoriae Novi Adami super serpentem consociata (cf. *Io.* 19, 26; *Apoc.* 12, 9; *Gen.* 3, 15), Filii sui oblationi toto corde sese coniunxit. Fide tandem nascenti Ecclesiae illa adfuit, unanimiter in oratione cum Apostolis ac discipulis in coenaculo perseverans, suis quoque precibus effusionem Spiritus implorans (cf. *Act.* 1, 14). Iure ergo Virgo illa fortis in fide « figura Ecclesiae » vocatur.[8]

Per suam vitam Evangelii beatitudinibus splendentem, Maria etiam ut figura Ecclesiae peregrinantis, necnon sanctitatis in ea vigendae proponitur. Iuxta exemplar « pauperum Jahve » iam in Vetere Testamento laudatorum (cf. *Lc.* 1, 48-52; *1 Reg.* 2, 8; *Ps.* 112, 7-8), B. Virgo vitam humilem ac pauperem degit: summa in paupertate Filium suum peperit (cf. *Lc.* 2, 7), hostiam pauperum in templo obtulit (cf. *Lc.* 2, 22-24), non regina secundum gloriam huius mundi, sed fabri sponsa et mater fuit (cf. *Mc.* 6, 3; *Mt.* 13, 55). Oportebat enim Matrem Salvatoris una cum Filio humilem eorum pati vitae conditionem, qui ardue laborant et onerati sunt (cf. *Mt.* 11, 28).

Maria vero non modo probationes exteriores, usque ad ipsum exilium (cf. *Mt.* 2, 13-23), sed, ipsius anima gladio transfixa, internas etiam cognovit tribulationes, praesertim cum verba et actiones Filii sui ei incomprehensibilia evadebant (cf. *Lc.* 2, 35. 41-52). Ita Mater nostra, tribulationibus probata, nobis fit lux et solatium in rebus adversis nostrae vitae. Per sua enim privilegia gratiae Beata Dei Genitrix non longior fit a nobis, sed potius propinquior. Etenim gratiis a Deo cumulatur non ut dominetur, sed ut ancilla sit Domini (cf. *Lc.* 1, 38. 48). Aliam gloriam nec quaerit nec obtinet hic in terris ex ore Filii sui (cf. *Mc.* 3, 31-35; *Lc.* 11, 27-29) nisi illam, quae a fide et a Cruce Christi procedit (cf. *1 Cor.* 1, 19-25; *Lc.* 2, 35; *Io.* 19, 25-27). Exaltata igitur non propter divitias humanas, quas Deus spernit (cf. *Lc.* 1, 53), sed propter paupertatem et humilitatem (cf. *Lc.* 1, 48; 2, 7. 22-24); beata quidem non ex operibus, sed quia Dominus eam respexit eique magna fecit (cf. *Lc.* 1, 48-49).

Sua etiam maternitate fecunda Ecclesia hic in terris Mariae comparatur. Sicut prima illa Eva, praedestinata ut mater esset omnium viventium (cf. *Gen.* 3, 20), credens serpenti et inoboediens Deo, multitudinem filiorum genuit ad mortem, sic

Maria, credens angelo atque oboediens Deo,[9] novum nobis attulit Adam (cf. *1 Cor.* 15, 45), in quo vitam abundantem invenimus (cf. *Io.* 10, 10). Ecclesia ex aperto latere Christi fuit orta, sicut prima illa Eva ex Adami latere fuerit efformata (cf. *Io.* 19, 34, et *Gen.* 2, 21-22). Illa est virgo simul ac mater, et sic Mariam imitatur, quae est Mater simul ac Virgo.[10] Christus voluit ex virgine nasci, ut significaret membra sua a virgine Ecclesia nascitura secundum Spiritum. Quamvis Maria corporaliter sit Mater tantum Capitis nostri, spiritualiter autem est Mater omnium in Christum credentium, quia sua caritate cooperavit, ut fideles in Ecclesia nascerentur.[11] Ita maternitas fecunda Mariae maternitate virginali Ecclesiae commensuratur; et sic Maria est imago Ecclesiae atque Ecclesia imitatur Mariam.

Ex dictis, autem, nequit affirmari, similitudinem inter Mariam et Ecclesiam undequaque perfectam esse. Ecclesia est novus Populus Dei fide, spe, caritate, hierarchia, praedicatione ac sacramentis Christo in Spiritu Sancto ad laudem Dei Patris unitus. In visibili autem communitate Ecclesiae peregrinantis partes Christi Capitis a hierarchia, non a Maria, repraesentantur (cf. *Mt.* 16, 16; *Act.* 1, 13-14; *Eph.* 2, 20; *Apoc.* 21, 14). Maria non fuit ministra sacramentorum Novae Legis, quibus vita et actiones Christi in Ecclesia perpetuantur, nec docuit ut Petrus et ceteri apostoli, qui in nomine Iesu populos edocebant. Quatenus Ecclesia igitur dona gratiae verbo et sacramentis hominibus impertitur, Christum manifestat et imitatur; quatenus illa, vero, fide ac oboedientia haec dona sibi adpropriat, Mariam imitatur eique similis fit. In Deipara ergo perfecte elucet pars illa optima, quae non transit cum figura huius mundi, communio nempe caritatis ad quam tandem omnia alia in Ecclesia diriguntur. Sancta Dei Genitrix, immaculata in sua conceptione,[12] expers in vita sua omnis culpae personalis [13] semperque mente et corpore Virgo existens,[14] est proinde maximum exemplar docilitatis personae mere humanae ad gratiam divinam.

4. [*Maria assumpta figura Ecclesiae consummatae*]. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ante mundi constitutionem elegit nos in ipso, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate (*Eph.* 1, 3-4), omnino quoque voluit ut Mater Filii sui corpore et anima ad caelestem gloriam eveheretur.[15] Cum omnes, qui in Adam moriuntur, in Christo vivificandi sint, unusquisque autem in suo ordine (*1 Cor.* 15, 22-23), firma est Ecclesiae fides, post Christum, primitias dormientium (*1 Cor.* 15, 20), Mariam quoque et corpore et anima glorificatam fuisse. Post Domini Pascha, et secundum ordinem ei proprium, Maria incorrupta et gloriosa (*1 Cor.* 15, 42-43) in locum ei a Deo paratum ascendit (*Apoc.* 12, 6). In caelo Virgo sole amicta refulget, cum luna sub pedibus eius ac duodecim stellis coronata (*Apoc.* 12, 1), ubi neque mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt et nova facta sunt omnia (*Apoc.* 21, 4-5). Ita Maria manifestatur veluti figura Ecclesiae consummatae, imago videlicet illius gloriosae beatitudinis, qua Ecclesia fruetur, cum omnia innoventur ac civitas Ierusalem de caelo a Deo descendat, parata sicut sponsa ornata viro suo (*Apoc.* 21, 1-8).

Mater Dei et Mater hominum, facie ad faciem Domino gaudens, actuosam exercet curam in favorem filiorum adhuc a Domino peregrinantium (*2 Cor.* 5, 6). Sedula servans munus dulcissimum a Filio suo in cruce pendente significatum, quo in persona discipuli dilecti curam maternalem omnium hominum amplexerat (*Io.* 19, 27), Maria, amore gladio probato (cf. *Lc.* 2, 35), sine intermissione pro nobis intercedit. Si apostolus Paulus continuo in orationibus memor erat fidelium,[16]

et preces eorum pro se instanter poscebat,[17] multo magis intercessio maternalis Mariae nobis efficax erit. Ipsa enim intimius quam alia quaelibet creatura, Filio suo pro omnium salute moriente, experta est amorem Dei in amore hominum quodammodo summum fastigium attingere: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » (*Io.* 3, 16). Cum intercessio almae Matris totam vim suam et efficaciam ex Christi gratia hauriat, hac materna mediatione minime obscuratur vel minuitur, sed potius extollitur, mediatio unici Mediatoris nobis in Ecclesia praesentis, iuxta verba Apostoli: « Unus enim Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus » (*1 Tim.* 2, 5).

5. [*De cultu erga Matrem nostram Mariam*]. Singulari sua excellentia, Mater Dei et hominum, quae ab angelo « gratia plena » (*Lc.* 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, « benedicta inter mulieres » salutari meruerit (*Lc.* 1, 42), cunctis a gentibus et ab universis ritibus, omni quidem cum laude « beata » praedicatur, colitur, amatur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur. Ita adimpletur quod ipsamet de seipsa prophetavit: « Beatam me dicent omnes generationes » (*Lc.* 1, 48). Huiusmodi singularis cultus marialis tandem in gloriam Christi redundat et ad id spectat ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (*Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur, eiusque mandata serventur; et sic per Christum, qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), homines ad Patrem in unitate Spiritus Sancti perducantur.

Neque hoc omittendum est, quod nostris temporibus peropportunum videtur: Per Mariam « gratia plenam » et « benedictam inter mulieres », tota mulierum conditio restaurata et elevata est. Nam omnes quas mulier nobilissimas aspirationes habere potest in Maria complentur, quae est virgo, sponsa, mater: semper virgo, sponsa vera, mater cuius caritas ex immaculato corde promanat.

Quam sanam doctrinam, ex Scripturis depromptam et semper in Ecclesia conservatam, Sancta Synodus consulto fortiterque docet eodemque tempore admonet episcopos, ut sedulo curent ut cultus marialis neque parvipendatur neque deviet a recto tramite, sed debitam proportionem atque aequilibrium cum aliis veritatibus revelationis christianae semper observet.

Meminerint porro utriusque sexus fideles veram devotionem in quodam unius momenti affectu minime consistere, prorsusque respuant omnem vanam credulitatem; e contra firmiter teneant devotionem ex vera fide procedere, qua omnes adducimur ad imitationem illius beatae Virginis, quae fuit « ancilla Domini » (*Lc.* 1, 38), humilis et oboediens, fideliter servans, ea « conferens in corde suo » (*Lc.* 2, 19), quaecumque ad Verbum incarnatum pertinebant, quaeque etiam hodie nobis dicit: « Quodcumque dixerit vobis, facite » (*Io.* 2, 6), beata quia credidit salutata (*Lc.* 1, 45).

NOTAE

1 S. Leo Magn., *Sermo VI in Nativitate Domini*: PL 54, 213.

2 S. Augustinus, *Sermo 25 De verbis Evangelii Matthaei* 12, 41-50, PL 46, 938.

3 Troparion in festo Assumptionis Beatae Virginis liturgiae byzantinae. *Minea,* VI, p. 411.

4 S. Gregorius M., *Hom. in Evang.* 19: PL 76, 1154; S. Augustinus, *Sermo* 341, 9, 11: PL 39, 1499 s.

5 Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854, Denz. 1641.

[6] S. Augustinus, *Enarr. in Psalm.* 67, 21: PL 36, 826. Simile apud S. Leonem M.: *Sermo* 21, 1: PL 54, 191: « Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore ».

[7] S. Augustinus, *Sermo 214, In tradit. Symboli,* 6: PL 38, 1069.

[8] S. Ambrosius, *In Lucam II,* 7: PL 15, 1555.

[9] S. Iustinus, *Dial. cum Triph.,* 100: PG 6, 710 s.; S. Iren., *Adv. Haer.,* III, 22, 3-4: PG 7, 958 s. Similia apud Tertull., Hippolit., Orig., Clem. ab Alex., Methodium, Zeno, etc. Vide textus apud H. Lennerz, *De Beata Virgine Tractatus dogmaticus,* Romae (1957), 177-197.

[10] S. Augustinus, *Sermo* 213, 7: ML 38, 1064.

[11] S. Augustinus, *De Sancta Virginitate,* 5 ss.: ML 40, 398 s.

[12] Vide supra notam 5.

[13] S. Augustinus, *De natura et gratia,* 36, 42: PL 44, 267.

[14] Cf. Denz. 6, 13, 20, 111 A, 144, 148, 214, 218, 256, 290, 429.

[15] Pius XII, *Munificentissimus Deus,* 1 novembris 1950, Denz. 2331-2333.

[16] *Rom.* 1, 10; *Eph.* 1, 16; *Phil.* 1, 3-4; *Colos.* 1, 3. 9; *1 Thes.* 1, 2-3.

[17] *Rom.* 15, 30; *2 Cor.* 1, 11; *Eph.* 6, 18-19; *1 Thes.* 5, 25; *2 Thes.* 3, 1; *Heb.* 13, 18.

98

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI GALLIAE MERIDIONALIS

Animadversiones [1] episcoporum (12) regionis Galliae meridionalis.

1. Decursu primae sessionis conciliaris, plures Patres postulaverunt ut schema de B. Maria Virgine in schema *de Ecclesia* redintegretur, sicut prius praevisum erat. Hoc votum denuo et instanter emittimus. In hoc casu caput hoc penitus recognoscendum esset, et in altera forma redigendum.

2. Miramur omnes hoc schema non recognitum esse, sicut alia schemata doctrinalia a commissione competenti. Textus hodie propositus schema anno elapso Patribus distributum ad unguem repetit, excepto titulo.

3. In hac forma, etsi multa contineat quae sunt optima, hoc schema non nobis placet. Introducit enim quasi furtive doctrinam de co-redemptione et de mediatione universali, quae non satis matura invenitur ut a Concilio Oecumenico proponatur, etiam si definitionis solemnis formam non induit, et quae, fatentibus notis 17 et praesertim 21, libertati relinquitur. Ioannes XXIII, piissime memoriae, novas doctrinas a Concilio Oecumenico non esse proponendas expresse asseruit.

4. Pag. 8, linn. 3-4: hic implicite affirmatur Mariam, in Incarnationis momento, clare cognovisse eum quem genitura erat vere Filium Dei esse. Et hoc non est de fide, nedum de fide catholica.

Lin. 23: « mortem subiit temporalem » de hoc Pius XII pronuntiare noluit.

Quare vehementer optamus ut hoc schema, antequam in discussione veniat, penitus recognoscatur, ne oppositiones quae certe surgerent gloriae Matris Nostrae videantur offendere.

---

[1] Exhibitae ab exc.mo P. D. Mauritio Pourchet, ep. S. Flori.

99

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI APOSTOLICAE REGIONIS OCCIDENTALIS GALLIAE

Animadversio generalis. Episcopi regionis occidentalis Galliae magni faciunt devotionem erga B. Virginem, quae apud proprios dioeceses valde efflorescit et fructus perspicuos producit. Multa laudant quae bona videntur in schemate de B. M. V.

Attamen, uti iam notaverunt mense februarii, hoc schema, prout iacet, non respondet hodierno problemati, nec catholico, nec oecumenico. Profunda revisio desideratur ut ad mentem Concilii Vaticani Secundi aptetur. Optaretur schema magis biblicum, magis pastorale, minus particulare, in quo doctrina essentialis de Virgine Maria tali modo proponatur quae attrahat animas ad sequendum exemplum illius quae fuit et seipsam dixit: « Ancilla Domini », et cuius verbum vivens manet: « Quod vobis dixerit facite ».

Votum. Optandum ergo videtur ut schema penitus recognoscatur et abbrevietur.

De novo titulo schematis, pag. 93 (8), lin. 5. Novi schematis titulus, quo B. Virgo dicitur Mater Ecclesiae, parum placet. Primo quidem, prout antiqua traditione destituitur, siquidem apud orientales prorsus ignoratur, et in occidente solummodo post saeculum XII, et quidem raro, adhibetur. Deinde unicum retinet aspectum ex tribus praecipuis quibus integratur adaequata relatio Mariae ad Ecclesiam.

Videlicet, Maria est: 1. membrum eminens Ecclesiae (Maria *in* Ecclesia); 2. typus Ecclesiae, illi mystice identificata (Maria=Ecclesia); 3. quodammodo Mater Ecclesiae, cuius radix est et causa (Ecclesia in Maria).

Hic ultimus aspectus, etsi verissimus, unus est tantum inter tres, et quidem recentior, adhuc iacens sub discussione saltem quantum ad idoneam formulationem; est insuper fratribus separatis, praecipue protestantibus et quodammodo orthodoxis, impervius.

Talis itaque optio, quae non videtur necessaria, obstaculum novum opponit unitati cum fratribus separatis sperandae.

Titulus sit ergo simpliciter: *de B. Virgine.*

De praedestinatione, pag. 93, lin. 5. In eodem ordine, propositio prima schematis affirmat praedestinationem ipsius B. Virginis cum Christo « uno eodemque decreto ». Notula 1 recte quidem remittit ad Bullam *Ineffabilis* sed hic etiam optio quaedam fit quae ultra formulam Pii IX progreditur:

Vel formula Bullae *Ineffabilis* integra et sine mutatione assumatur, ubi quaestio non dirimatur num praedictum decretum Maternitatem divinam tantum, vel latius ipsam Personam B. Mariae Virginis includat cum omnibus privilegiis illi adnexis. Constitutio dogmatica non debet tali vel tali scholae favere nec ullam peculiarem opinionem proponere.

Vel formula ista enucleetur ad evacuandam omnem confusionem. Caveamus ne unica praedestinatio Christi et B. M. Virginis asserta disiungi videatur a praedestinatione *Ecclesiae* quae ipsa Christi « dilecta et unica sponsa » dicitur et est.

Melius fortasse, cum agatur de propositione prima praedicti schematis, proindeque maxime manifesta, et non de quodam secundario argumento sicuti habetur

in Bulla *Ineffabilis,* abstractio fiat de tali quaestione quae scholam sapit: Utrum vel non distinguenda sint decreta divina de creatione mundi, de Incarnatione et B. M. Virgine, et de redemptione hominum, prout inter thomistas et scotistas adhuc libere disputatur.

Votum. Deleantur ergo, lin. 5, verba: « uno eodemque decreto ». Haec est enim difficultatis solutio simplicior.

Tandem valde optandum est ut, iuxta decisionem Ioannis Papae XXIII mense octobris expressam, totum hoc schema, sicut alia, abbrevietur.

Animadversiones additae:

Episcopi regionis occidentalis Galliae valde optant ut, votum a S. S. Paulo VI expressum in oratione diei 4 decembris « consensus unicus » fiat de B. Virgine, secundum modum a Summo Pontifice commendato, scil.: *a*) in schemate *de Ecclesia, b*) et plena agnitione loci singularis et praestantissimi quam tenet B. Virgo in Corpore Christi.

Re bene perpensa timent ne titulus *Mater Ecclesiae* via sit difficilis ad inveniendum illum consensum. Nam expressio ista quae recentioris est aetatis et ab oriente ignota, quamdam subtilitatem involvit. Subtilitas illa quae ad alia genera litteraria non repugnat, minus convenit constitutioni dogmaticae.

Si S. Synodus illo titulo nihilominus utitur attente ponderentur difficultates quae superare oportet, scil.:

1. Diversae sunt acceptiones verbi *Ecclesia,* et non secundum omnes illas acceptiones vera est expressio Mater Ecclesiae. Profecto Maria non est Mater Ecclesiae *in quantum* ipsa est membrum Ecclesiae, cum propriam matrem esse non possit.

2. Diversi sunt sensus verbi *Mater.* Titulus schemati a commissione theologica praeparatoria datus, a commissione centrali approbatus, et in mense octobris 1962 typis impressus erat.

De B. V. Maria Matre Dei et matre hominum.

Consulto fiebat repetitio verbi *matris,* quia non eodem sensu Maria est *mater Dei* quem corporaliter genuit secundum ordinem naturae, et ex alia parte, *mater hominum,* quos non genuit corporaliter, sed quorum mater est « quia cooperata est caritate ut fideles *in Ecclesia nascerentur* » (S. Augustinus, *De S. Virginitate,* 6, PL 40, 399) qui ibidem dicit: « Mater spiritu, *non capitis nostri ex quo magis illa spiritualiter nata* est ... sed plene mater membrorum ». Ergo substitutio quae facta est expressionis *matre Ecclesiae,* loco superioris quae erat *matre Dei et matre hominum* aequivocationem involvit. Ambiguitas illa non videtur convenire S. Synodo.

3. Expressio mater Ecclesiae alia incommoda doctrinalia et pastoralia implicat.

a) Maria est membrum Ecclesiae: si dicitur mater Ecclesiae videtur esse sibi ipsi matrem, seu suam propriam matrem quod mirum videretur. Ne parvipendatur difficultas illa. Si enim Maria simpliciter dicitur Mater Ecclesiae, Maria et Ecclesia ponuntur ut duae entitates adaequate distinctae, cuius prima generat alteram. Sed distinctio in re non est adaequata cum Maria sit membrum Ecclesiae. Non videtur opportunitas esse mutandi sensus verbi Ecclesiae tantum ut Maria novo titulo decoretur.

b) Ecclesia est mater fidelium. Si Maria mater est matris Ecclesiae videtur quaedam esse avia (« notre grand'mère », ut dicebat S. Franciscus de Sales), quod minus videtur opportunum et dogmatice et pastoraliter.

Ad vitandas illas et alias difficultates, via simplicior esset ut maternitas Mariae erga homines exprimatur modo magis traditionali et personali, dicendo *Mater fidelium,* vel *Mater nostra, Mater Dei et hominum.* Maternitas directe et obvie se refert ad *personas,* subtilius ad terminum collectivum et complexum ut est Ecclesia.

100

Exc.mi PP. CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET CONFERENTIAE EPISCOPORUM SCANDINAVIAE

I. *Generalia.*

1. Schema commendatur quidem ex eo, quod in genere loquendo traditionalem doctrinam de B. Maria Virgine eiusque cultu in Ecclesia claro et comprehensivo modo exponit. Habet insuper id emolumenti,

a) quod conatur describere dignitatem et functionem Beatae Mariae Virginis in oeconomia salutis ita, ut haec appareant in contextu totius oeconomiae salutis christianae, aliis verbis, ut non solum procedatur (ut saepius fit) ex conceptu maternitatis divinae fere exclusive biologice intellectae, et quod

b) saltem *quaedam* evitantur, quae et non satis certa aut matura sunt et a non catholicis christianis aut facile false intelliguntur aut eis scandalo esse possunt.

2. Desideratur clarior indicatio qualificationis theologicae totius schematis et quidem in schemate ipso. Dicitur quidem in annotatione huic schemati addita (14) non agi in eo de novis definitionibus, sed unice de expositione clara communis et solidae doctrinae, qualis habetur ubique. Attamen

a) Hoc non apparet ex ipso schemate, licet annotatio contrarium dicat.

b) Talis indicatio in hoc schemate omnino necessaria est, praesertim si ceteroquin maneret, sicuti nunc est. Nam non pauca in schemate dicuntur, quae nullatenus iam haberi possunt tamquam de fide divina et catholica sive ex magisterio ordinario sive ex solemni definitione.

c) Omissio talis clarissimae indicationis valde nocere posset tum evolutioni Mariologiae catholicae per liberam discussionem inter theologos (intra limites fidei catholicae) tum dialogo oecumenico cum non-catholicis. Si talis indicatio non distincte et clare additur, periculum oritur, ne postea plus minus omnia, quae in schemate dicuntur, ab uno theologo alteri imponantur tamquam absoluto et irreformabili assensu retinenda. De facto autem non pauca in schemate dicuntur, quae neque iam adeo clara neque sufficienter matura sunt, ut iure ita imponi possint.

d) Haec a fortiori inculcanda sunt, quia schema (in apparente saltem oppositione ad declarationem 14 modo citatam) affirmat (13, 16 s.) se velle pronunciare « clarum verbum ex quo pateat, quid reapse Ecclesia catholica qua talis de munere, privilegiis et cultu mariali *credit,* tenet docetque ». Haec potius sapiunt intentionem enuntiandi dogmaticas definitiones. Habetur igitur similis discrepantia valde timenda, qualis observabatur in schemate antiquiore *de duplici fonte revelationis.* Huius schematis auctores (in commissione theologica) condere intendebant doctrinam sine novis definitionibus; relator schematis vero omnia asserta schematis qualificasse videbatur tamquam solemnes definitiones.

e) Haec difficultas et apparens saltem contradictio in schemate (declarat se-

se non velle condere nova dogmata, sed ea proferre, quae *ab Ecclesia creduntur*) maxime apparet in doctrina de mediatione et corredemptione Beatae Virginis. Haec explicite docentur, primum explicitis verbis, alterum saltem quoad rem, etsi verbum corredemptionis ipsum evitetur. Attamen haec duo *non* sunt dogmata Ecclesiae; non debent nec possunt recenseri inter ea, quae Ecclesia hodie iam incunctanter *credit,* praesertim cum de *sensu* mediationis et corredemptionis B. M. V. non clare inter omnes constet nec certa et clara delineatio huius sensus exhibeatur in schemate ipso. Sed ut talia dogmata doctrinae illius videntur proferri. Talis impressio omnino evitanda est aut omissione talis doctrinae (non tantum quoad terminos, sed etiam quoad rem) aut clara declaratione non agi de definitionibus.

3. In expositione quaedam aut addi aut expungi debent ita, ut spes maior sit fore ut haec doctrina a non catholicis christianis melius intelligatur. Tales additiones aut omissiones non desiderantur, ut doctrina mariologica inter catholicos communis aut reticeatur aut obscuretur, sed ut melius ab aliis intelligi et recte aestimari possit. Sub hoc respectu *oecumenico* emendationes non parvae desiderantur, immo tales omnino necessariae videntur. De his in specie infra.

4. De aliis emendationibus utilibus aut necessariis vide infra.

5. Maxime attendenda est imprimis doctrina schematis de mediatione B. M. V. Licet enim doctrina de hac mediatione non proponatur ut dogma fidei, sed ut doctrina inter catholicos communis, et licet fulciatur multis enuntiationibus magisterii ordinarii praesertim in Litteris Encyclicis recentium Summorum Pontificum, attamen haec doctrina de novo sedulo perpendenda est, quia agitur hoc in schemate de documento magisterii satis solemni, quod magnum influxum habebit in Mariologiam et cultum marialem inter fideles. Iamvero:

a) Describitur quidem aliquatenus haec mediatio, distinguitur etiam satis clare ab unica illa mediatione, quae Christo convenit, attamen clarior definitio huius conceptus fere necessaria dici potest. Distingui enim debet non solum a mediatione Christi unica, quatenus dicitur eam dependere plane a Christo eique esse subordinatam, sed insuper distinguenda esset v. g. ab illa « mediatione », quae fit a ministris Ecclesiae in persona et auctoritate Christi agentibus per collationem sacramentorum etc. Praeterea et quam maxime: indicari deberet clarius et fusius, quonam ex fonte seu veritate *generaliori* hauriatur conceptus iste cum suo valore et obiectivitate dogmatica ita, ut iste conceptus aliunde validus non nisi applicetur ad B. M. V., licet modo prorsus singulari et unico seu correspondenter ad illam functionem prorsus singularem et individualem, quam B. Virgo obtinuit in opere redemptionis. Aliis verbis: iste conceptus non *immediate* exhiberi debet ut quasi-species (etsi analoga et deficiens), quae in uno eodemque genere convenit cum illa mediatione, quae est *Christi.* Sed considerandus est tamquam casus (etsi prorsus singularis et supereminens) illius mutuae interdependentiae, qua omnia membra Corporis mystici Christi inter se consociantur sibique coram Deo invicem auxilium praestant. Haec si clarius in lucem ponerentur, sperari posset fore, ut etiam acatholici intelligant hanc doctrinam esse genuinam et homogeneam applicationem illius veritatis, quam et ipsi profitentur per Sacram Scripturam edocti.

b) Verum quidem est hanc doctrinam *obiective,* si recte concipitur non obstare nec veritati nec subiectivae « realizationi » unius mediationis Christi. Attamen schema clarius respicere deberet, in *concreta* praxi pietatis et cultus usum duplicem eiusdem termini (etsi analogi) suis difficultatibus et periculis non ca-

rere. Praxis enim pietatis facile non videt analogiam, quae intercedit in duplici isto usu, quo « mediatio » de Christo et de Maria dicitur. Schema ipsum ansam talis aequiparationis praebet, si v. g. dicit liberationem « ope utriusque sexus » (8, 1) haberi. Analogia haec christifideli simplici ex sacro suggestu difficulter, ne dicatur omnino non, explicari potest. Hinc vox « mediationis » non caret sua difficultate.

In qua consistat « dissimilitudo » (10, 12) inter mediationem Christi et mediationem Mariae non satis declaratur. Certe talis dissimilitudo exsistit. Iamvero *non* consistit in *sola* dependentia mediationis Virginis a Christo.

Alia insuper dicenda essent. Virginis enim mediatio (aliter ac mediatio Christi ad Deum) non nos primo coniungit Christo nec tollit immedietatem nostram ad Christum, sed potius consistit in eo, quod nos numquam aliter Deo in Christo coniungimur ac inter nos ipsos coniuncti, in qua unitate sociali-ecclesiali omnium redemptorum Beata Maria Virgo specialem obtinet locum, qui est effectus et perennitas functionis singularis Virginis in oeconomia salutis. Hinc haec « mediatio » non est proprie « *inter* » nos et Christum, sed nobiscum ad Christum. Iamvero percipiunturne haec a simplici fideli, si ei practice non praedicatur nisi mediatio B. M. V. et (forte) additur hanc dependere a Christo?

Nemo insuper, qui historiam pietatis sedulo perpendit, negare potest christianos Christum saepe potius considerare unice tamquam Deum in carne nobis praesentem (cui quis non accedere audet nisi « per Mariam »), quam etiam ut nostrum ad Deum mediatorem, qui, consubstantialis nobis, quasi a nostra parte tamquam frater inter multos fratres nostram rem coram Deo agit.

Haec si considerantur, mediatio Virginis potius exhibenda (et explicitius dicenda) esset tamquam momentum aliquod ipsius illius nostrae « ecclesialis » habitudinis, quam immediate habemus ad Christum, quaque fit ut semper immediate coniungamur Christo non mere individualistice, sed in illa sacra et divinitus condita societate omnium iustificatorum, quam Ecclesiam vocamus, cuiusque membrum praecipuum est Virgo Dei Genitrix. Haec in schemate non negantur, immo insinuantur. Sed fortius efferri deberent, ne doctrina huius mediationis noceat illi necessitudini obiectivae et subiectivae, qua Christo immediate coniungimur et ad Deum ut Patrem nostrum referimur.

c) Sedulo insuper ponderari deberent ea, quae a Roberto Leiber, Professore Universitatis Gregorianae, qui Pio XII a secretis fuit, narrantur: « Was ... die Fragen der " Mediatrix " und " Corredemptrix " angeht, hat Pius XII noch wenige Wochen vor seinem Tod in den Tagen gleich nach Beendigung des Mariologischen Kongresses in Lourdes geäussert, die beiden Fragen seien zu ungeklärt und zu unreif, er habe in seinem ganzen Pontifikat bewusst und absichtlich vermieden, Stellung zu ihnen zu nehmen, sie vielmehr der freien theologischen Auseinandersetzung überlassen. Er denke nicht daran, diese Haltung zu ändern » (Stimmen der Zeit 163 [1958-59] 86). (Latine: Quod spectat quaestiones « Mediatricis » et « Corredemptricis », Pius XII paucas adhuc hebdomadas ante mortem suam statim post Congressum Mariologicum Lapurdensem declaravit utramque hanc quaestionem nondum satis dilucidatam et nimis immaturam esse, sese per totum suum Pontificatum consulto evitasse de his quaestionibus aliquid enuntiare, sed e contra omnia disceptationi liberae theologorum reliquisse neque sibi in mentem venire mutationem huius consilii). Nec edocti sumus, quibus rationibus suffultus cl. P. Balić asserat haec a P. Leiber sine ulla ratione affirmari.

Haec si considerantur, saltem optandum esset, ut schema adhuc multo accuratius secernat ea, quae tuto in hac quaestione dici queunt ab eis, quae ut « adhuc nimis inelucidata atque immatura » disceptationi theologicae relinquenda sunt nec interim ad « solidam ac sanam doctrinam magisterii ecclesiastici » (ut schema ait) deputari possunt.

d) Quanta pericula in hac re incurramus, si schema restat sicuti est, apparet v. g. ex aliquo voto cl. P. Balić. Ibi satis clare elucet doctrinam schematis non solum exhibere « sensum generalem » doctrinae de corredemptione et mediatione B. M. V., sicuti schema et P. Balić asserunt, sed sive explicite sive implicite de hac quaestione proferre sententiam, quae nullatenus ab omnibus admittitur aut conciliariter doceri potest. Cl. P. Balić dicit schema docere Virginem « 'con-'acquisisse gratias cum Christo, obtulisse Deo victimam ut est pretium nostrae redemptionis ». (Similiter schema ipsum: 8, 24 s. et 9, 32: « socia in *gratia* pro hominibus *acquirenda* », quae assertio multum excedit formulam 8, 7 s.: « operam consociare in humani generis redemptione peragenda »). Haec vero si dicuntur, implicite asseritur, in B. M. Virgine ultimum principium meriti (gratiam nempe) esse simul obiectum immediatum meriti ipsius, quod falsum est, a simplici fideli non intelligitur, a multis theologis reicitur, Protestantibus ansam vehementis oblocutionis praebet. Haec admitti non possunt.

e) Nec verum est, quod saepe dicitur, non hisce doctrinis novis explicite prolatis propius accedere ad doctrinam et pietatem marialem orientalium. Isti quidem ferventi modo colunt B. Virginem, sed nullatenus parati sunt in ipsa doctrina mariali excedere limites Patrum antiquorum. Hinc iam dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Virginis in caelum novas dissensiones et difficultates inter nos et orientales provocaverunt. Timendum est vehementer, ne difficultates oecumenicae augeantur non tantum inter nos et protestantes, sed etiam inter nos et orientales, si doctrina de B. Virgine tamquam mediatrice et corredemptrice adeo definitive proponitur et imponitur.

f) Hinc opportunitas huius doctrinae sub aspectu oecumenico discutienda est. Cur, quae Pius XII docere evitavit, tam solemni modo in Concilio proclamantur? Suntne in schemate condendo omnia, quae fieri possunt, reapse facta, ne false schema a fratribus nostris separatis intelligatur neque nova unionis obstacula creentur? De hac re serio dubitari potest, ne dicatur haec reapse non satis praestari. Id iam apparet ex his, quae protestantes de consilio condendi decreti conciliaris mariologici edixerunt. Aperte enim dicunt inter impedimenta maiora unionis haberi Mariologiam Ecclesiae catholicae (ita v. g. episcopus protestanticus Dibelius in praedicatione ad diem Reformationis 1962; similiter Deutsches Pfarrerblatt, 15-1-1963). Memores sint Romae (ita aiunt) schemate aliquo mariologico novum murum separationis erigi ac proinde Concilium hac de re aut sileat aut « maximalismum » mariologicum reprehendat (ita Hampe, in « Lutherische Monatshefte », Februar 1963; similiter ibid. Friedrich W. Künneth). Alii, mitigati, sperant fore, ut si Concilium schema quoddam de B. Maria Virgine proponat, id in schema de Ecclesia inseratur, cum exinde novus aditus ad doctrinam de B. M. Virgine aperiri possit et clare eluceat, thema et finem omnium, quae a Concilio dogmatice enuntientur, doctrinam de Ecclesia esse (ita Meinhold, professor historiae ecclesiasticae, Kiel, in « Wort und Wahrheit », Februar 1963; similiter « Evangelisches Sonntagsblatt », 9-12-1962).

Conclusio. Quapropter omnino desiderandum et postulandum est,

1. ut schema illi contextui restituatur, cuius pars integralis concipiebatur et concipi obiective debet: doctrinae de mysterio Ecclesiae. Si hoc non fit, non fugimus effective obiectionem acatholicorum (licet obiective non fundatam, sed psychologice fere inevitabilem): esse nos in pietate et doctrina catholica magis sollicitos de B. M. Virgine quam de Christo unico Redemptore et Mediatore nostro.

Hinc etiam cavendum est, ne tali solemnitatis modo schema sanciatur, ut acatholici suspicari possint, nos huic doctrinae magis esse deditos quam aliis veritatibus, quae, etsi non veriores, tamen pro vita christiana fundamentaliores sunt. Haec vero suspicio facile vitatur, nec aliter posse vitari videtur, nisi restituendo hoc schema schemati de Ecclesia. Ibi facile posset, dummodo abbrevietur, statui tamquam epilogus illius schematis. Talis procedendi modus etiam hoc emolumentum secumfert, quod abbreviatio aliis ex rationibus necessaria facilius effici potest, nec suspicionem excitabit, brevitatem huius expositionis provenire ex rationibus minus bonis et laudabilibus tamquam compromissum inter partes acriter litigantes. Si hoc schema ex una parte non restituitur schemati de Ecclesia, et (ut praevideri potest) ex altera parte post acres disceptationes expurgatur et abbreviatur et ita nihilominus remanet schema distinctum, deinde reapse vix cuidam vere placebit. Dici nequit Mariologiam schematis, si restituitur schemati de Ecclesia, iniuste favere conceptui Mariologiae « ecclesiotypico » (ut aiunt). Nexus Mariologiae cum Christologia etiam in tali contextu servari omnino potest, sicuti factum est in Epilogo mariologico Encyclicae Pii XII *Mystici Corporis.* Ex altera parte per istam insertionem et Mariologia et Ecclesiologia magnos fructus *mutua* elucidatione et interpretatione capere possunt. Maria ut « typus Ecclesiae » clarius et fortius proponi potest.

2. Schema ita tamquam epilogus schemati de Ecclesia restitutum

a) satis abbreviari et debet et potest;

b) non tantum vocabulum corredemptionis evitandum est (sicut schema id laudabiliter praestat), sed circa has quaestiones reales corredemptionis et mediationis omnia vitanda sunt, quae aut non satis certa et non satis communiter admissa sunt aut speciem exaggerationis prae se ferre videntur aut sub respectu pastorali minus commendantur. Quae singillatim in hac parte postulantur aut optantur, in parte altera harum animadversionum videre licet. Longe maior pars (etsi non omnes) Patrum Conciliarium Austriae, Germaniae, Helvetiae, Scandinaviae non absolute obstat, quominus vocabulum « mediatricis », « mediationis » in schemate retineatur. Optandum tamen esse videtur, ne dicatur: « mediatrix *omnium* » gratiarum. Tali enim locutione et quaestio insinuatur, qua ratione Virgo possit esse v. g. mediatrix gratiarum *sacramentalium* ex opere operato, quae quaestio potius evitanda esse videtur, et innuitur per numerum pluralem conceptus « gratiae », qui non satis attendere videtur ad gratiae characterem personalem et inducere potest in conceptionem caelestis alicuius « administrationis » complicatae quoad mediationem Virginis. Nihilominus omnes isti Patres Conciliares commendant attentioni commissionis pro schemate retractando ea, quae inter minoritatem supradictam exposuit exc.mus D. Hermannus Volk, ep. Moguntinus. (Vide Appendicem adnexum!).

c) Explicite et clare dicendum est in ipso textu et non tantum in aliqua annotatione hunc epilogum velle solidam et sanam doctrinam inter catholicos communem proferre, quin ullum novum dogma condatur.

d) Commendatur, ut schema non tantum dicat, qua ratione Virgo per sua eximia privilegia a nobis differat, sed etiam (fusius quam fit) nobiscum eandem vitam christianam in exercitio virtutum agere debuerit et sic vere exemplar nostrum sublimissimum evaserit. Inculcetur praesertim Virginem *fide* fuisse associatam ad opus redemptionis peragendum.

3. Hinc Patres Conciliares Austriaci, Germanici, Helvetici et Scandinaviae aperte declarare coguntur sese non posse admittere schema tale, quale nunc prostat. Vehementer commendant, ut iam ante initium novae periodi Concilii funditus retractetur. Commissio conciliaris de doctrina fidei et morum talem retractationem perficere potest, sicuti id praestitit quoad schema *de Ecclesia* per parvum coetum peritorum. Commendatur, ut secretariatui unionis inter christianos fovendae occasio praebeatur collaborandi in hac retractatione huius schematis sive per aliquam commissionem « mixtam » sive per examen novi schematis (epilogi) iam confecti sub aspectu oecumenico ab ipso secretariatu instituendum. Haec omnia facile fieri possunt, cum non postuletur schema simpliciter novum, et in sequentibus clare et quoad singula indicetur, quaenam emendationes et omissiones necessariae censeantur. Considerandum est non expedire tale schema proferre, quod ex una parte dicit sese nullum dogma novum docere sed tantum doctrinam claram et solidam, et ex altera parte talem doctrinam urget, quae novas et insuperabiles difficultates apud protestantes creat. Si ad tales novas pugnas cogimur per veritates definitas aut necessario definiendas, esto! Iamvero id sustinere non debemus nec volumus, si agi ab ipso schemate dicitur de doctrina non definita nec definienda. Quoad tales veritates pax oecumenica maius bonum est. Id a fortiori ideo dici potest, quia tota substantia huius schematis (uti infra apparebit) enuntiari potest, quin hae difficultates et haec pericula provocentur, et quia nec nos volumus pro pace oecumenica vitare nisi talia, qualia etiam inter catholicos ipsos aut adhuc discutiuntur aut pro declaratione conciliari immatura adhuc censentur.

II. *Specialia.*

Evitandum est in titulo huius schematis aut epilogi verbum: « Mater Ecclesiae ». Dicatur: « Mater christifidelium ». Maria enim, ut schema ipsum postea dicit, est membrum etsi praeeminens et exemplar Ecclesiae, sed ideo praecise non est Mater Ecclesiae, sed Mater in Ecclesia seu simplicius Mater christifidelium. Mater aliqua enim non potest, si verbis sensus usitatus relinquitur, simul esse membrum eius, cuius est mater. Testimonia, quae afferuntur (nota 5, pag. 15 s.), paucissima sunt et rem non evincunt. Nam apud Benedictum XIV B. Virgo non videtur vocari Mater Ecclesiae, sed ab Ecclesia salutatur Mater, scil. christifidelium. Et textus Leonis XIII modo minus accurato Virginem ideo Matrem Ecclesiae dicere videtur, quia est Mater fidelium, sicut est Regina apostolorum. Insuper si B. Virgo dicitur Mater Ecclesiae, protestantes sibi videbuntur audire B. Virginem non esse membrum redemptum Ecclesiae, sed tamquam subiectum sui iuris ab Ecclesia distinctum functionem mediatricem exercere erga Ecclesiam ipsam et totam.

Si vox « Mater christifidelium » non placet et si desideratur terminus, qui termino in schemate proposito propinquior est, dici potest: « Mater fidei ». Talis expressio commendari potest ex analogia cum *Rom.* 4, 11 (cf. Kittel, *Theol. Wörterbuch zum NT,* V, 1006), ubi Abraham dicitur pater credentium, qua expressione non tantum asseritur nos eodem *modo* debere credere ac Abraham, sed

nos posse credere, *quia* ipse credidit. Quod a fortiori dici et potest et debet de Beata Virgine, quae beata praedicatur, quia credidit (*Lc.* 1, 45). Talis terminologia ex una parte forte placet eis, qui praeeminentiam Virginis efferre volunt, ex altera parte nec protestantibus displicere debet.

Pag. 7, lin. 4. Ante « liberatio » addatur: « elevatio in consortium divinae naturae et ». Ratio haec est: Christus non tantum debet apparere tamquam liberator a peccato seu restitutor ordinis alicuius mere adamitici, quem restaurat, quin sit ipse fundamentum primum et ultimum ordinis nostri concreti salutis. Et B. Virgo non tantum est Mater Redemptoris, prout iste est victor peccati qua talis, sed etiam prout iste est auctor et finis ipsius supernaturalis exaltationis generis humani in consortium divinae naturae. Haec dici omnino et possunt et debent, quin propugnetur ita theoria scotistica aliqua in oppositione ad doctrinam thomisticam quae dicitur.

Pag. 7, lin. 10. Licet inde a Pio IX protoevangelium *Gen.* 3, 15 etiam a magisterio referri solet ad Beatam Virginem, nihilominus exegetice cautio aliqua in hoc asserto commendanda esse videtur. Melius forte diceretur loco « praeannuntiatione » « praelusione ».

Pag. 7, lin. 14. Non obstante simili locutione de deposito fidei in Enc. *Humani generis* (D. 2314), evitare convenit dictionem, in Sacra Scriptura aliquid « obscure » contineri. Parum hoc convenit dignitati Scripturae et fini, quem Deus eam inspirans prosequitur. Deleatur igitur « obscure » et simpliciter dicatur: « veluti implicite ».

Pag. 7, lin. 14. Loco « Fontibus » legatur aut: « Scripturis » aut: « documentis ». Ratio ex emendato schemate *de revelatione* per se patet.

Pag. 7, lin. 15. Estne verum Ecclesiam semper et in omnibus simpliciter ab errore praeservari? Exaggeratum id esse videtur, si historiam spectamus. Dicatur: « definitivo errore ».

Pag. 7, lin. 17. Deleantur verba: « mysterium... Matris » et dicatur: « doctrinam quoque sacram de Dei Genitrice ». Ratio: fratres separati permulti offenduntur iuxtapositione mysteriorum Redemptoris et mysterii B. Mariae Virginis.

Pag. 7, lin. 18. Correspondenter ad I, 2 et VI *b* post « proferat » haec vel similia addantur: « Itaque Sacra Synodus doctrinam solidam et sanam et inter catholicos communem denuo fidelibus proponit, quin novum inde dogma definiatur, sed singula, quae dicuntur, cum eo assensu fideli recipiantur oportet, qualis ex magisterii doctrina ordinaria singulis convenire noscitur ».

Ne dicatur contra istud postulatum, has regulas hermeneuticas omnibus notas esse tuto supponi posse. In hac expositione doctrinae marialis non tantum agitur de dogmatibus solis exponendis, quibus interdum (quia inevitabile est) obiter dicta, insinuationes probationis etc. adduntur, quae, uti omnibus notum est, non spectant ad ipsas definitiones conciliares qua tales. Sed multa hic *in recto* exponuntur et docentur, quae de facto dogmata non sunt, quae tamen ne ut talia habeantur a multis, vere timendum est, si tale periculum non expressis verbis cavetur. Et hinc ea, quae proponuntur, aut similia, omnino dicenda sunt.

Pag. 7, linn. 19-30. Haec omnia brevitatis causa deleri possunt, quia aut per se patent aut, ut annuntiatio thematis futuri, in epilogo aliquo non exspectantur. Virginem esse Matrem christifidelium postea sufficienter dicitur (pag. 8, linn. 23 s.). Insuper pag. 7, linn. 23 s. et pag. 7, linn. 16 s. bis idem dici videtur. Nam divini

redemptoris mysteria illustrare et de Corpore Christi mystico loqui his in contextibus idem significat.

Pag. 7, lin. 22. Deleantur saltem verba: « immo et Mater ».

Pag. 7, lin. 22. Si nihilominus pag. 7, linn. 19-30 retinendus esse censeretur, post « mater » addatur: « christifidelium ». Pag. 7, lin. 29 in hac suppositione loco « officia » dicatur: « habitudines », quia n. 5 schematis non tantum agitur de « officiis » erga B. Virginem.

Pag. 7, lin. 23. « postquam de Corpore Christi mystico locuta est »: quaeri potest, an non potius simpliciter dicendum sit: « postquam de Ecclesia locuta est », cum in nova redactione schematis de Ecclesia idea Corporis Christi mystici noniam tantum prematur, ut hic tamquam aptum summarium illius schematis adhibeatur.

Pag. 7, lin. 27. Deleatur « hominumque ». Ratio: Maternitas B. Mariae respectu Filii et respectu hominum non est eadem. Itaque non decet tam arctam connexionem assignare termino unico « Dei hominumque Mater ».

Pag. 7, linn. 34 s. Loco « quemadmodum per feminam mors, ita et vita nobis per feminam oriretur » dicatur: « quemadmodum femina contribuit ad mortem, ita etiam contribueret ad vitam ». Peccati enim originalis causa principalis est Adam, non Eva, et ita rectus conceptus cooperationis Beatae Mariae Virginis ad redemptionem melius praeparatur.

Pag. 8, linn. 1-3. Ne dicatur: « non id ante perfecit... libera acceptatio accessisset ». Sed dicatur: « ita perfecit, ut designatae matri, ex praevisis meritis Christi sublimiore modo redemptae, gratia sua potenti eandem praeveniente, liberam in fide acceptationem donaret ». Ratio huius emendationis est haec: saepe praedicatores rem ita proponunt ac si Deus voluntate tantum *conditionata* incarnationem vellet, anxie quodammodo consensum Virginis exspectaret et non nisi hoc consensu futuro praeviso absolute incarnationem vellet. Iamvero Deus absoluta (libera) voluntate vult incarnationem et *ideo* etiam absoluta voluntate antecedente et formali praedefinitione vult liberum consensum Virginis, quam Deus obtinet sua gratia efficaci. Emendatione etiam clarius in lucem ponitur ipsam Virginis cooperationem ad redemptionis opus provenire ex gratia Dei et Christi. Ita facilius acatholici vident Mariologiam non obscurare doctrinam de gratuitate omnimoda gratiae ex sola imperscrutabili benevolentia Dei procedentis, neque doctrinam, qua tenetur nullam praedestinationem completam esse obiectum meriti cuiuscumque.

Pag. 8, lin. 4. Verba mutentur sic: « Filius Dei incarnatus, novus Adam salvatorque mundi, Beatae Mariae quoque filius fieret ». Ratio: verba schematis in hoc sensu intelligi possunt, acsi B. Mariae Virginis assensus formaliter datus esset ad dignitatem *novi Adae*. De quo nihil habetur in textu *Lc.* 1.

Pag. 8, linn. 7 s. Loco « verum... peragenda » dicatur: « verum etiam sub eo et cum eo adsociata est potenti Dei gratia ad opus redemptionis Christi ». Ratio huius emendationis eadem est ac ea, quae exponitur sub pag. 8, linn. 1-3. Libero consensu Virginis, utpote tali, quem Deus ipse sua gratia Virgini dederit, a Deo Virgo adsociata est ad opus redemptionis. Consensus Virginis est gratia divina, ergo principalius opus Dei, quam Virginis, etsi opus istud est actus Virginis liber. Schema inconsiderato modo cogitanti insinuare posset agi in illo consensu de autonomo quasi « motu proprio » Virginis, quod cogitare pelagianum esset. *Primo* loco insuper dicatur: « *sub* eo ». Ratio huius inversionis per se patet.

Pag. 8, linn. 8-10. Deleta particula « huiusmodi » dicatur: « Iste autem Dei Genitricis salutaris consensus et eius consortium... ». Ratio: de scientia B. Mariae Virginis theologi catholici disputant. Qui dicuntur « maximalistae », ad textus inspiratos *Lc.* 2, 33 et 2, 50 vix attendunt. Textus schematis horum opinioni favet. Non debet Concilium controversias theologorum, qui divinae revelationis doctrinam sequi in proposito habent, dirimere, quin adsit fidei periculum.

Pag. 8, linn. 13-15. Expungatur oportet incisum: « eam ut pretium... obtulit ». Pia quidem est dictio, qua asseritur Virginem « pretium redemptionis » sub cruce « obtulisse ». Iamvero quaeritur, undenam hoc sciatur, quibusnam invictis argumentis Scripturae et traditionis fulciatur. Quaeritur, qualis naturae sit ista « oblatio ». Estne sacrificium proprie dictum? Estne liber consensus seu adhaesio ad oblationem Christi, qui unice proprie dictum sacrificium offert? Estne renovata acceptatio redemptionis Christi, qua et Virgo vere est redempta? Haec omnia adeo tangunt quaestionem de « corredemptione ». Ista autem quaestio non tantum quoad vocem sed etiam quoad rem adeo obscura et immatura adhuc est, ut ultra sensum generalem non sit materia Concilii. Hinc valde exoptandum est, ut totum incisum simpliciter omittatur.

Pag. 8, lin. 23. Loco « Dei hominumque mater » dicatur: « cum itaque B. Dei Genitrix ab aeterno praedestinata, ut hominum esset mater, divina... ». Ratio iam supra indicata est.

Pag. 8, linn. 24-25. Scribatur: « generosa socia in opere redemptionis », non vero: « in gratia pro hominibus acquirenda ». Insinuari in hoc textu videtur Maria ipsas has gratias suo merito acquisivisse. Iamvero ita non tantum doceri videtur « corredemptio », quae doctrina ultra sensum generalem non tangi debet a Concilio, sed alia incommoda accedunt. Gratia enim *complete* spectata nullius meriti aut meritoriae acquisitionis a parte purae creaturae opus est. Id valet etiam de B. Maria Virgine. Insuper a fortiori non potest illas gratias *sibi* acquirere, quae sibi propriae sunt, quaeque nullius praecedentibus meritis ex pura benevolentia Dei ei donari debent, ut mereri omnino possit.

Pag. 8, lin. 25. Ante « caelestium... » addi forte posset: « eo ipso ». Ratio huius insertionis haec est: mediatricitas caelestis Virginis et functio eius in historia salutis his in terris non sunt duae res, quae sibi mere temporaliter succedunt et forte tantum nexu iuridico meriti etc. coniunguntur, sed illa mediatio nihil est nisi perennitas et aeterna validitas illius functionis, quam Virgo exercuit in historia salutis in terris. Haec insinuantur insertione proposita. Et ita etiam clarius redditur sensus conceptus « gratiarum administrae et dispensatricis ». Si functio caelestis Virginis nihil nisi aeterna validitas functionis eius in terris, et sensus huius functionis et ratio, unde cognosci potest, facilius intelliguntur, quam si mediatio exhibetur tamquam aliquid prorsus novum, quod functioni terrestri Virginis in historia salutis mere succedit.

Pag. 8, lin. 26. Deleantur verba: « administra et dispensatrix » et dicatur: « caelestis quoque gratiae " *mediatrix et advocata nostra* " iure meritoque salutatur ». Ratio est:

a) Obiectio non catholicorum est, quod gratia nonnisi ut « res quaedam » (dingliche Gnade) aestimetur a catholicis non satis considerantibus ipsum Deum movere et sanctificare hominem. Ne unio cum fratribus dissidentibus sine necessitate magis impediatur, Concilium modo loquendi utatur, quo talis obiectio destruatur.

b) Noncatholici aegre intelligentes Christum secundum doctrinam catholicam gratiam sacramentis quasi instrumentis per ministros conferre, a fortiori male intelligent Mariam in caelis triumphantem, quae nec sacramentum nec sacramentorum ministra est, gratias administrare et dispensare. Concilium ne statuat nova impedimenta unionis cum fratribus dissidentibus.

Pag. 8, linn. 30-32. Omittatur incisum « ac proinde... collocari » oportet. Nam tandem aliquando « centrum » Ecclesiae est solus Christus, cum ipse solus sit caput eius. Secus conceptus « centri » ita dilatari debet, ut praeter ipsissimum et proprie dictum centrum etiam alia relative tantum « centralia » in se contineat, quod contradicit genuino « centri » conceptui. Insuper « centrum » et « peripheria » non sunt conceptus vere theologici; confusionem potius creant, quam lumen afferunt. Inde non negatur momentum eminens functionis Virginis in Ecclesia.

Cf. etiam usum vocis « centrum » pag. 10, lin. 10, quo commendantur, quae modo dicta sunt.

Pag. 8, lin. 31. Si de facto retineretur incisum pag. 8, linn. 30-32 tamen delenda essent verba « ut quidam aiunt » et nomina in nota 15 allegata, Pinsk et Geiselmann. Nulla enim diffamatio fiat, neque « minimalistarum », sicut nec « maximalistarum » nomina afferuntur.

Pag. 8, lin. 33 ad pag. 9, lin. 3. Deleatur totum incisum, quia ultimatim nihil est nisi assertio: ea, quae modo dicta sunt, esse vera, scilicet Virginem esse « gratiarum administram et dispensatricem » et ita merito salutari (pag. 8, linn. 25 s.). Iamvero Ecclesiam et Concilium id legitime facere, quod tali modo facit aut dicit, non est cur dicatur seu potius repetatur (cf. illud « Iure meritoque salutatur »: pag. 8, lin. 26). Quod vero immediate sequitur (pag. 9, linn. 3-7: « Quod si... Mariae »), apte statim adiungitur ad ultimam sententiam, pag. 8, lin. 30 et constituit bonam argumentationem biblicam et quasi ad hominem protestanticum.

Pag. 9, linn. 3-7. Si cui non placet hanc sententiam immediate adiungere ad sententiam pag. 8, lin. 30, id considerationi proponitur: ante istam rationem, quae hoc loco (pag. 9, linn. 3-7) exhibetur pro commendanda Virginis mediatione, alia, profundior et generalior ratio doceri et proponi deberet. Et quidem ita fere: « In Corpore Christi mystico omnes nos Spiritu Dei ut membra ita consociamur teste apostolo, ut in opere salutis unusquisque ab omnibus dependeat et nullus sibi soli vivat, sed uniuscuiusque gratia divinitus data omnibus in Corpore Christi mystico prosit et omnes singillatim voluntate salvifica Dei quaerantur, quatenus (actu aut potentia) praecise sunt membra huius unius mystici Corporis, quod Deus praedestinatione sua aeterna sub Christo capite aedificare decrevit. Haec igitur praesertim et modo prorsus singulari valent de B. Maria Virgine ». Haec aut similia si dicerentur, spes maior esset fore, ut haec mediatio Virginis ab acatholicis facilius percipiatur et agnoscatur. Aliquo saltem modo hic provocari debet ad doctrinam catholicam, quam in symbolo et protestantes profitentur, de « communione sanctorum ».

Pag. 9, linn. 7-22: « Ipsa enim... (coll. *Rom.* 2, 4) »: haec omnia deleri possunt et debent, quia non sunt nisi repetitiones expositionis iam antea factae.

Pag. 9, lin. 8. Si, contra propositum hoc, incisum pag. 9, linn. 7 ss. non deleretur, loco « quaelibet pura creatura » — ratione habita possibilitatis existentiae aliorum mundorum et entium ratione praeditorum — cautius dicatur: « quam quilibet homo ». Insuper adiectivum « pura » (resp. « puris ») (pag. 9, lin. 8

resp. pag. 9, lin. 11) deleatur. Ratio est: terminus solis theologis obvius a ceteris falso intelligi potest de puritate morali. Et terminus necessarius hic non est.

Pag. 9, lin. 23 ad pag. 10, lin. 4. Si in istis duobus incisis omittitur pag. 9, linn. 30-36, quippe cum hae lineae repetant, quae iam dicta sunt, reliqua horum duorum incisorum aptam constituunt ulteriorem explicationem, quo sensu et quonam non B. Virgo dicenda sit mediatrix omnium gratiarum. Et haec declaratio etiam sperare potest intellectionem, immo forte approbationem protestantium. Et proinde statim eis adiungatur, quae antea dicta sunt (i. e. pag. 9, lin. 7).

Pag. 9, lin. 29. Addatur post « omnino »: « et necessario ». Ratio est: respectu habito fratrum separatorum non solum factum subordinationis sed etiam lex et ordo affirmetur.

Pag. 9, lin. 31. Deleatur « omnium gratiarum » et dicatur: « gratiae ». Ratio iam saepius dicta est.

Pag. 9, lin. 32. Si pag. 9, linn. 30-36 retinetur, saltem emendandum est pag. 9, lin. 32. Loco « in illis acquirendis » scribatur: « in opere redemptionis ». Ratio emendationis exposita iam est.

Pag. 9, linn. 35-36. Si textus non omnino expungitur, saltem deleantur verba « ita ut... Virginis » et ponatur: « ita ut quae olim cooperata est fide et caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra ». Ratio: verba schematis non satis evitant opinionem, secundum quam intercessio B. Mariae Virginis valet etiam pro sanctis ante assumptionem B. Mariae Virginis defunctis et pro gratia sacramentorum Novi Testamenti, inquantum haec ex opere operato effectum producunt. Iamvero non omnes theologi catholici B. Mariam Virginem mediatricem *omnium* gratiarum hoc sensu esse docent. Concilium abstineat ab opinionibus theologicis dirimendis. Unio cum fratribus separatis impeditur approbatione tituli mariani ante saecula non vigentis. Verba proposita sunt effata Leonis XIII.

Pag. 10, linn. 5-14. Quae ibi dicuntur, in se verissima sunt. Attamen quaeri potest, num ipsa confusio aut aequiparatio de facto inter functionem Christi et eam Virginis in mentibus et in praxi simplicium fidelium evitetur eo, quod verbi divini praecones student fidelibus istam analogiam, de qua sermo est, explanare. Timendum est, ne simplices fideles haec aut non intelligant aut mox et fere inevitabiliter iterum obliviscantur. Quapropter huic exhortationi forte addi posset: « Immo verbi divini praecones conentur oportet in explicando munere Virginis talia verba, prout res id sinit, adhibere, qualia iam ex sese solis aequiparationem inter functionem Christi et eam, quae est Virginis, praecaveant ».

Pag. 10, lin. 21. Deleatur illud « secundum antiquam et venerabilem traditionem ». Nam etsi mors Virginis definienda non est, mors Virginis in doctrina « solida et sana » (pag. 14) simpliciter asseri et potest et debet. Nam ista doctrina saltem eadem certitudine fulcitur, quam multa alia, quae in hoc schemate asseruntur. Si vero talis locutio, quam expungendam esse censemus, ad doctrinam huius mortis additur, insinuari videtur agi tantum de traditione mere *historica,* quam quilibet impune addubitare potest, et nullatenus de traditione doctrinali et dogmatica. Id tamen verum esse non videtur.

Pag. 10, lin. 25 ad pag. 11, lin. 5. Totus iste textus omittatur. Rationes sunt hae:

a) Omnia, quae hic dicuntur, quoad rem sunt merae repetitiones eorum, quae iam pag. 10, linn. 15-21 dicta sunt. Nam etiam pag. 10, linn. 19 s. (« sem-

perque, mente et corpore, Virgo ») clare et sufficienter docetur Virginitas Mariae in partu. (Si opus esse censetur, hic iam addi posset: « ante partum, in partu, post partum »).

b) Recte quidem dicitur (pag. 14, IV 2 a) virginitatem *in* partu non simpliciter identificari cum virginitate *ante* partum. Id autem iam asseritur, si simpliciter virginitas in partu docetur, ut fit iam pag. 10, lin. 19. Ex altera parte, quae de eadem virginitate pag. 10, lin. 39 ad pag. 11, lin. 2 dicuntur, non placent, quippe cum nimis ingredi videantur in accuratiorem determinationem huius virginitatis. Insuper videtur doceri (pag. 10, linn. 40 s.) in partu mulieris in genere effici aliquam « corruptionem » integritatis et « contaminationem » mulieris. Quomodo haec non insinuari videntur, si dicitur in partu solius Mariae parturientem manere « incorruptam » et « illibatam »? Iamvero haec hodie omni feminae intolerabilia sunt.

c) Neque placent, quae pag. 11, linn. 4 s. dicuntur. Si enim Virgo vere mortua est (pag. 10, lin. 22), si igitur habita est separatio corporis et animae, metaphysice et dogmatice dici deberet, eo ipso haberi aliquam « resolutionem in cinerem » (pag. 11, linn. 4 s.), quippe quae illa ulteriore decompositione corporis in aliis hominibus habita non primo constituatur, sed ulterius tantum perficiatur. Hinc vera ratio theologica corporalis assumptionis Virginis non est in evitanda resolutione corporis eius in cinerem, sed in eo, quod ut perfectissimo modo redempta immediate plenum fructum redemptionis totaliter acquirere et debet et post Christum resuscitatum potest. Hinc (si textus, quem reicimus, nihilominus retineretur) saltem post « corpus (pag. 11, lin. 3) scribatur: « matris perfectissimo modo redemptae sine mora illa immortalitate donaretur, qua fruitur ille, qui primus ex mortuis resurrexit, quaeque est beata spes omnium redemptorum ». Et deleantur ea, quae post « corpus » (pag. 11, linn. 3-5) habentur.

Pag. 10, lin. 38. Quidquid est de omittendo toto inciso pag. 10, lin. 25 ad pag. 11, lin. 5, quaeritur num ea, quae lin. 38 habentur: « omnibus creaturis dignitate praecelleret », spectata humanitate Christi tam simpliciter dici queant.

Pag. 10, lin. 40. Si textus totus non omittitur, saltem pro « corporalem integritatem » dicatur: « *virginitatem* ». Ratio est haec: damnatio implicita (in textu et explicita in notis) sententiae a Mitterer et Gallot, auctoribus piis, propositae evitetur. Docetismi periculum vitetur, quod suggeritur comparatione (interdum facta et non reprobata) partus virginei cum introitu Christi glorificati ad discipulos ianuis clausis. Vera maternitas B. Mariae Virginis obfuscatur. Fratres separati multi horrent adhuc ulterius incrementum mariologiae.

Pag. 11, lin. 6 ad pag. 12, lin. 13. Haec, quae sub n. 5 dicuntur, quoad doctrinam approbari possunt. Sed quaeritur, num ista pro ratione epilogi, in quo dicenda sunt, non possint satis brevius dici; v. g. quae pag. 12, linn. 6-13 dicuntur, facile omitti possent, quia revera aut non sunt magni momenti aut per se patent.

Pag. 11, linn. 19-20. Pro « Dei hominumque Matrem » ponatur: « B. Mariam Virginem » aut: « Dei Genitricem ». Ratio iam dicta est.

Pag. 11, lin. 27. Loco « Dei unius ac trini » dicatur: « Dei Patris ». Ratio: congruentia cum Sacra Scriptura et cum Liturgia servetur.

Pag. 12, linn. 6-36 (praesertim n. 6): Tota haec pericopa aut simpliciter omittatur aut loco eius alia conclusio schematis substituatur, qua apte schema totum de Ecclesia concluditur. Rationes omissionis sunt hae:

a) Negari non potest de facto doctrinam mariologicam Ecclesiae catholicae inter ea versari, quae prohibent (etsi, ut patet, obiective immerito), quominus protestantes doctrinam Ecclesiae catholicae agnoscant ut veram. Hinc fit, ut his ea, quae in ista pericopa dicuntur, apparere debeant tamquam apologia pondere satis magno carens. Hac apologia potius offenduntur quam conciliantur protestantes.

b) Etiam quaeri potest, num fidelibus difficultates potius creentur, quam solatium afferatur. Certum quidem est, nos posse et debere etiam intercessionem Virginis implorare in arduo opere unitatis inter christianos prosequendo. Ast, simplex lector huius pericopae forte apud se quaeret, cur intercessio haec Virginis non tantam copiam gratiae divinae efficacis, quae sine ulla libertatis humanae laesione hanc unitatem efficere posset, obtineat, ut haec unitas reapse et mox habeatur. De facto etiam Virginis intercessio est adoratio imperscrutabilis voluntatis divinae, cui omnis creatura omnisque petitio humiliter subiecta manet. Sacra audacia orationis et fiducia in Virginis intercessionem laudandae sunt. Sed discretione opus est, quae hac in pericopa non satis praesens esse videtur.

c) Conclusio talis schematis potius sit oportet christologica quam quodammodo panegyrica (etsi pia et de se iusta) commendatio primatus Romani Pontificis. Conclusio, quae ad Christum, unicum mediatorem nostrum redit et intimae naturae totius Mariologiae magis correspondet, sub respectu oecumenico multo magis commendatur et aptius concludit doctrinam de Ecclesia, cuius Caput est Christus.

d) Finis huius epilogi certe non possunt esse verba pag. 12, lin. 5. Addenda sunt aliqua ulteriora verba. Sed haec respicere deberent totum schema *de Ecclesia*. Propterea non potest propositio de istis verbis fieri, nisi postquam restitutum sit hoc schema schemati *de Ecclesia*.

Pag. 12, lin. 21. Loco « Mater Dei hominumque » dicatur: « Dei Genitrix ac hominum mater ». Ratio iam saepius dicta est.

Pag. 12, lin. 26. Deleatur: « (cf. *Io*. 10, 16) ». Ratio est: verbum Christi est de una Ecclesia ex Iudaeis et gentibus oritura non autem de unione christianorum dissidentium cum Ecclesia romano-catholica.

APPENDIX

Adnotationes ab exc.mo D. Hermanno Volk, ep. Moguntino, confectae.

Episcopus subsignatus Moguntinus plane congaudet, quod Concilium aliquantum de B. Virgine Maria effatur et quidem aliquid, quod cum Ecclesia cohaeret. Hoc nempe novos aspectus praebebit, qui et Mariologiae et Ecclesiologiae magno emolumento esse atque incrementa exoptata afferre queant. Quae respiciens ad schema propositum adnotationes facere velim quae sequuntur:

1. Si in hoc schemate potissimum de Matre Dei quoad rationem ecclesiologicam tractabitur, schema Mariologicum pars schematis ecclesiologici effici deberet, quo facto illud indubitanter imminueretur. Tum autem specificum, i. e. ratio ecclesiologica, reapse enucleatius erui posset.

2. Titulus « Maria Mater Ecclesiae » commendandus mihi non videtur. Hic in traditione vix invenitur, minime est usu receptus, animos confundet. Nam vox « Mater » Mariam Ecclesiae opponit et ita separationem quandam significat, quae

hoc loco omnino non adest, immo ne intenditur quidem, si Mariam, uti moris est, « exemplar » aut « figura Ecclesiae » iudicatur et describitur. Insuper titulus « Mater Ecclesiae » quaestionem « Patris » movet, sicut nos utpote qui Mariam « Matrem caelestem » habemus, potius adhuc de « Patre caelesti » loqui licet. At verba « Pater Ecclesiae » prorsus inusitata sunt et ansam confusionis praebebunt. Itaque propono, ut Concilium auctoritatem ecclesiologicam Mariae describat, non tamen titulo « Matris Ecclesiae », sed titulo « Matris Fidelium » vel « Matris Fidei », certe autem titulo « membrum excellentissimum et nobilissimum Ecclesiae » adhibito.

3. Serio deliberandum erit, num Concilium de Maria ut « omnium gratiarum mediatrice » (pag. 9, lin. 31) tractet. Magnopere censeo, ne Concilium talem sententiam annuntiet, neque quod rem neque quod titulum attinet. Causas affero quae sequuntur:

a) Notio « mediatrix » anceps, obscura est. In schemate ipso cum hac significatione duae species diversae coniunguntur. Secundum primam speciem Maria oratione impetratoria mediatrix est pro omnibus: « ... suo amore continuo apud Deum et Christum pro nobis intercedit... » (pag. 9, linn. 16 s.), in sensu magis eximio quam Paulus (pag. 9, linn. 3 ss.). Secundum alteram speciem Maria « mediatrix » est participatione administrationis et dispensationis gratiae: « ... generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda, caelestium quoque gratiarum administra et dispensatrix iure meritoque salutatur » (pag. 8, linn. 24-26). Duo argumenta notionis « mediatrix » diversa sunt. Deprecatio in favorem omnium facile ab omnibus sanctis supponi poterit (cf. *Apocal.*). Nimirum haec deprecatio vel intercessio eo communior et efficacior est, quo arctiore gradu quis cum Domino ipso connexus est. Quapropter in casu Mariae probe grandis est: « vehementius item quam quae maxime ex puris creaturis Deum diligit ab eoque vicissim diligitur » (pag. 9, linn. 10 s.). Hoc modo auxilium Matris Dei a fidelibus quoque intelligitur huiusque auxilii Matris caelestis conscii iure meritoque maxime consolati sunt.

b) altera species, secundum quam Maria ut « administra et dispensatrix » mediatrix omnium gratiarum existat,

1) a fidelibus non creditur;

2) hic notio gratiae intimatur, quae non sufficit. Certe formae gratiae perquam diversae existunt. Profecto autem talis quoque gratia invenitur, quae non « distribuitur », quia essentialiter consistit in relatione ipsius Christi ad nos et in foedere Christi nobiscum et in effectu, qui in nobis ab illo seiungi nequit. Voce « dispensatrix » utentes mente fingimus aliquid dispensari puta aurum vel pecuniam. Quae notiones mentes perturbant;

3) quia haec neque cum imagine distributionis gratiae neque cum veritate gratiae consonant, sed potius inter se discrepant, Maria « mediatrix gratiae sacramentalis » vix cogitari potest; gratia sacramentalis igitur interdum ab hac conciliatione seu intercessione nominatim excipitur. Cum autem gratia sacramentalis summum momentum gratiae, eius « terminum ad quem » efficiat et constituat, conciliatio « omnium gratiarum » credibiliter asseri nequit, nisi haec notio tam indirecte cogitatur, ut non iam considerabile quidquam eloquatur.

c) Notio « mediatrix gratiae » opinionem intimat versus Christum intercessione opus esse. Hac ratione coniunctio directa fidelium ad Christum et coniunctio directa Christi ad fideles in dubio ponitur. Verumtamen argumentum pri-

marium veritatis salutis in Novo Testamento descriptae est, ut Christus ipse ad nos directe versus sit. Cum gratia essentialiter connexum cum Christo directum continet, notio « mediatrix » suspicionem excitat intercessione ad Christum opus esse. Talis cogitatio hac doctrina certe non provehenda est, sed fere inevitabiliter excitatur et intimatur. Quod tam dubium est, ut ob tantum discrimen Concilium doctrinam quae ad « Mediatricem » spectat evitare praestet.

d) Doctrina quae attinet ad « mediationem B. M. V. » plane cohaeret cum doctrina « mediationis Ecclesiae », sicut exspectandum est, si Maria « exemplar et figura Ecclesiae » est. Maria, etsi excellenter et specifice, de mediatione Ecclesiae participat, quia etsi membrum excellentissimum Ecclesiae est. Haec doctrina in schemate Mariologico, quod sensu ecclesiologico dirigendum est, explicari et nullatenus imminui debet, ut in annotatione (pag. 14, n. IV, 2 *c*) fieri videtur. Profecto Maria Ecclesiae haud opponenda est, quoniam « figura Ecclesiae » exstat. Quia Maria penitus ad Ecclesiam pertinet, doctrinam mediationis Ecclesiae et Mariae vicissim inter se supplere et augere necesse est.

e) Theologice visum, grave et magnum est in cohaerentia mediationis et Ecclesiae et Mariae etiam auctoritatem S. Spiritus commemorari ut condicionem cuiusque mediationis. Fundamentum Biblicum adest. Qua ex re sententiae theologice graves et Concilii dignae colligerentur, quae S. Scriptura et traditione antiquissima solidantur. Hoc modo propinquitas interna Ecclesiae et Mariae claresceret, item auctoritas S. Spiritus.

f) Timendum est, ne, propositis quamquam et conatibus omnibus adhibitis, ne schemate obiecto singularitas Christi imminueretur, hoc periculum non plene vitetur. Non est dubitandum, quin demonstratio « analogiae, seu dissimilis similitudinis » (pag. 10, linn. 11 s.) optima et apta sit. Ultro, laudanda est exhortatio: « Quam sanam, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto fortiterque docet eodemque tempore admonet episcopos, ut sedulo invigilent theologis divinique verbi praeconibus, ut ab omni falsa veritatis superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda abstineant » (pag. 11, linn. 29-34). At voces schematis ut « ... in ipsomet " centro " Ecclesiae sub Christo ... » (pag. 8, linn. 31 s.) cum labore tantum ad effectum adducentur. Hae voces, altera alteram, fere abolent. Certe annotatio: « Explicatum est quomodo mediatio B. Mariae Virginis, nedum mediationi Christi officiat, potius illam exaltet et honoret; item quomodo cultus marialis nullo modo cultui Deo vel Christo debito detrimento sit, etc. » (pag. 14, n. IV, 3 *c*) nonnisi assertio quaedam est; et inscriptio seu titulus sectionis VI: « Maria Sanctissima fautrix unitatis christianae » valorem actus fidei et spei non excedit, neque vero, ut hic fit, ut res certa statui potest, cum unitas christianorum cognosci queat.

Dubia modo nominata propter proprios fideles prolata sunt. Neque enim fideles ipsi semper tuti sunt, ne Mariologiam catholicam false intelligant. Imprimis haec dubia pro christianis fidei reformatae quam vocant valent. Quantum ad haec schema a normis in schemate *de Oecumenismo* collocatis discrepat.

4. Caput Mariologicum ut pars intra schema ecclesiologicum mente fingi potest ut sequitur:

a) Titulus supremus Mariae est: Mater Domini nostri Iesu Christi, et qua talis « Mater Dei ». Qui titulus est fides definita et in vita et in oratione fidelium iure meritoque restricte confirmatus est. Maternitas Dei tamen non solum postulatio corporalis est. Ut e loco *Lc.* 1, 45 liquet, fides a Maria poscitur. Verum

etiam postulationi occasione Annuntiationis respondet credendo et dicendo: « Ecce ancilla Domini! ». Qua in re non solum promptam se praestat, ut Mater Messiae efficiatur, quin etiam seipsam in dispositionem Domini tradidit, non praeteriens, quid inde pro se ipsa consequatur.

Quia a Maria consensus ad maternitatem Dei praestandus atque fides ut condicio postulatur, maternitas Dei tamquam basis honorum et privilegiorum Mariologicorum nequaquam aliena est a nonnullis verbis Domini, quae in veneratione Matris eius non neglegenda sunt (cf. *Mt.* 12, 46; *Lc.* 11, 28). Iudaeis exspectantibus Matrem et propinquos iam propinquitatis causa apud eum praerogativis gaudere Iesus non respondet. Potius Christus fidem clarissime condicionem flagitat, ut quivis suus esse possit. Quo facto Matri Dei veneratio minime detrahitur, si conscii sumus et probari potest nullam optionem dari inter Maternitatem aut fidem. Fides Maternitati non contradicit, immo maximopere praesumitur et poscitur. Neque enim est spiritualis rei et grande quidquam in regno Dei temporibus status viatoris fide deficiente. Maria sicut et nos in statu viatoris fidei obnoxia est; vero fidei ut condicioni Maternitatis et impeccabilitatis omnino respondit. Maria fidelitatem per totam vitam occasionibus iterum ac saepius renovatis et inexspectatis probare debebat, inde a nativitate Domini, quae in stabulo accidit usque ad mortem in cruce perpetiendam. Verum hanc fidem praebuit, e fide vixit. Numquam quantum Mariam spectat pusilla fides vituperatur, sicut toties coram Apostolis et discipulis fiebat (*Mt.* 6, 30; 8, 26; 16, 8 et aliis locis). Cohaerens cum hac fide et obsequio (*Rom.* 1, 5; 15, 8; 16, 25) penitus coniuncta est laetitia fidei, quae in cantico quod « Magnificat » vocant affulget.

Ita ad fidem exacta tamquam ad condicionem Maternitatis Dei Maria perfecte legi oboedientiae subiecta est, cum haec lex regni Dei omnes viatores aequali modo obliget. In quantum autem hanc fidem prae se tulit, cum Abrahamo aequabilis aestimanda est, qui pro V. T. « Pater fidelium » vocatur (*Rom.* 4, 11). Cum promptitudo Mariae perfecte credendi initio N. T. perquam essentialiter statuta sit, Maria « Mater fidelium » vel « Mater fidei » iudicari et iure meritoque nominari potest. Titulo « Mater fidelium » praestito Concilium ad Mariologiam reapse aliquid considerabile conferret, quod summae utilitati esse poterit. Qui titulus e S. Scriptura fontem ducit, fidelibus nostris auxiliatur, eius auctoritas a christianis seiunctis agnoscendus est.

b) Si sententiae Mariologicae Concilii pars schematis ecclesiologici fient, Maria hinc indubie in parte populi Dei ponitur et membrum Ecclesiae describitur; illinc enucleari potest Mariam e populo Dei eminere ut nemo alius in populo Dei.

Maria membris Corporis Christi inserta est, quia ipsa in fide, non in visione vixit et, quamquam prima et perfectius aliis redempta, tamen membrum Ecclesiae est, id quod ad honorem et ornamentum Ecclesiae, Corporis Christi, populi Dei confert. Sed eadem in populo Dei excellit et eminet, quia archetypus haud imminutae fidei est in N. T., et quia haec fides condicio et mensura est pro munere in regno Dei exercendo.

Etiamsi tum Maria membrum Ecclesiae describitur, tamen « membrum excellentissimum Ecclesiae » est atque simul « figura » et « exemplum Ecclesiae » simpliciter. Quae sententiae Ecclesiologiae et Mariologiae utiles fundamentum haberent et titulo Conciliari Mariae ut « Mater fidelium » aptissime supplerentur. Quo facto periculum concludenter evitaretur cum titulo « Mater Ecclesiae » coniunctum, ne Maria scil. Ecclesiae opponeretur. In actibus Apostolorum hoc non

fit, ut patet ex *Act.* 1, 14: « Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu, et fratribus eius ».

c) Si Maria « Mater fidelium » significatur, partim id receptum est, quod in titulo « Mater Ecclesiae » omnibus persuasum est; partim Maria ut credens et membrum Ecclesiae cohaerens cum membris Ecclesiae, immo cum omnibus christianis describitur. Tum Maria non solum a nobis distincta, sed etiam nobiscum in statu viatoris et usquequaque connexa conspicitur. Quod valde est utile et expedit. Nam si Maria dumtaxat privilegiis allatis describitur, proprie cohaerentia coniungens nobiscum et antea data non iam respicitur. Mater dolorosa Dei: « Stabat Mater dolorosa iuxta crucem lacrimosa dum pendebat filius » nos consolatur, fortasse non minus quam eius privilegia. Mariam « Matrem fidelium » describere nos adiuvat, quia Maria hoc modo exemplar fit pro nobis, quia ipsa statum viatoris credens, sine visione exhausit. Condicio specialis et munus Matris Domini late pertinens hoc agendi modo nequaquam minuitur. Econtra; in regno Dei unusquisque munus suum habet et hoc eo maius est quo quis plus credit. Et quo grandius est mandatum a Deo delatum, eo maior fides a vocato postulatur et fidelitas. Pro hac lege interna regni Dei Maria exemplum excellens existeret et omnibus christianis exemplar, ut ex fide vivant, si a Concilio ut « Mater fidei » describeretur.

Quamobrem episcopus subscriptus hisce rogationem ad Concilium fert, ut in quodam capitulo schematis *de Ecclesia* Mariam ut « *Matrem fidelium* » describat atque celebret.

101

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Valde nobis placet, quod in hoc schemate fides nostra et cultus erga B. Virginem fundantur in functione unica Matris Dei et hominum in opere ipso redemptionis et quod nexus inter Mariam et Ecclesiam indicatur.

Tamen observationes sequentes faciendae sunt sub aspectu tum pastorali tum oecumenico.

I. *De opportunitate huius schematis.* Schema hoc, in forma nobis proposita, non sine periculo est pro vita Ecclesiae. In devotione enim multorum fidelium vera et plena subordinatio Mariae sub Christo non semper observatur. Hic defectus a schemate non satis corrigitur, immo et provehi potest. Rationes huius affirmationis sequuntur.

Schema in forma actuali fratribus separatis impressionem facere potest (obiective non fundatam, sed subiective difficulter evitabilem), quod doctrina de B. Virgine et cultus erga eam in Ecclesia catholica praevalent doctrinae et cultus erga Deum et Christum.

Haec impressio falsa evitari tantum potest, si in textu schematis maxima moderatio in definienda doctrina catholica, praesertim quod attinet ad titulos adhibitos et modum loquendi observaretur. Hac moderatione adhibita, bonus effectus pro pastorali cura et pro unione omnium in Christum credentium sperari posset.

Insuper optandum esset, ut revera, uti pag. 7, lin. 17 expresse dicitur, mysteria divini Redemptoris a Concilio illustrarentur, priusquam de Ecclesia et de B. Virgine sine damno pastorali et oecumenico loqui possumus. Sed quia in prae-

paratione Concilii schema de Christo non adest, difficile apparet hanc secundam conditionem adhuc implere.

II. *De necessitate qualificationis theologicae.* Dicitur in annotatione (pag. 14, III), schema hoc nullum novum dogma definire velle, sed tantum solidam et sanam doctrinam magisterii proponere. Sed etiam annotatione I (pag. 13) legimus, hoc schema continere, quid reapse Ecclesia catholica, qua talis, de munere, privilegiis et cultu marialibus « credit, tenet, docetque ». Quae ergo in hoc schemate sine ulla restrictione docentur, fidem divinam et catholicam vere repraesentare intenduntur.

Nobis autem non omnia in hoc schemate contenta videntur esse eadem fidei certitudine constare. Instanter ergo rogamus, ut in hoc schemate aut solummodo ea dicantur, quae fidei certitudine dicantur aut indicetur in textu ipso valor theologicus affirmationum. Quando hoc non fit, damnum magnum pro libertate theologica et pro dialogo oecumenico exspectari potest.

III. *De modo loquendi.* Evitentur omnes expressiones, quae non satis clare omnimodam dependentiam B. Virginis sub Christo, unico Redemptore et Mediatore, exprimunt.

E. g. ne dicatur 1) pag. 8, linn. 1 ss. « non id ante perfecit quam designatae matris libera acceptatio accessisset »; 2) pag. 8, lin. 24: « generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda »; 3) pag. 9, lin. 32: « eo quod sociata fuit Christo in illis acquirendis ». Potius hic B. Virgo dicatur socia Christi in opere redemptionis.

Minus aptum nobis insuper videtur, loqui de centro et peripheria fidei christianae (pag. 8, linn. 31 ss.). Si terminus « centrum » adhibetur, tantum fiat pro Domino nostro, qui teste pag. 10, lin. 10 centrum (unicum) totius veritatis, sanctitatis et pietatis appellatur.

IV. *De omnibus evitandis, quae corredemptionem insinuant.* Bene omissae sunt expressiones quae possent difficilius intelligi a fratribus separatis (pag. 14, IV, 3 *a*). In casu hae expressiones corredemptionem exprimunt. Quaeri hic posset, si revera dictae expressiones, stricte sumptae, ita « verissimae » dici debent.

Consequenter etiam in textu omnia evitentur, quae hanc corredemptionem non voce ipsa, sed contentu affirmant vel insinuant. Hoc specialiter valet pro verbis pag. 8, linn. 13 s.: « cum ut pretium redemptionis nostrae, cum Ipso et per Ipsum magno animo obtulit ». Estne haec oblatio verum sacrificium sicut sacrificium Christi in cruce? Videtur modus loquendi potius rhethoricus quam dogmaticus.

V. *De B. Virgine, Mediatrice omnium gratiarum.* Etiam pro hoc titulo valet, quod difficilius intelligi potest a fratribus separatis (pag. 14, IV, 3 *a*) et quod practice falsa interpretatio fere inevitabilis est. Nimis facile in schemate dicitur hunc titulum Mediatricis nullo modo adversari verbis apostoli de Christo, unico Mediatore nostro (pag. 9, lin. 39). Veritas huius assertionis non apparet fratribus separatis, immo et nobis difficilis est, nisi post multam explicationem.

Theologi et verbi divini praecones monentur, servare « analogiam » seu dissimilem similitudinem Christi Mediatoris et Mariae Mediatricis (pag. 10, lin. 11). Haec analogia autem apud populum christianum, specialiter simpliciores populi, difficulter intelligitur et fere necessario ansam praebet confusioni.

Rogamus ergo, motivo tam pastorali quam oecumenico, ut hic titulus Mediatricis non assumatur in hac constitutione, quae ut documentum supremi magisterii magnum influxum habebit in theologiam et devotionem Ecclesiae.

Concilium non debet docere, quod nondum est clarum nec maturum pro definitione solemni. In textu schematis significatio praecisa huius tituli non apparet. Quomodo haec mediatio intelligenda est? Estne mediatio inter nos et Deum? Sed haec mediatio uni Christo adscribenda est. Estne mediatio inter nos et Christum? Sed Christus Ipse nobis personaliter praesens est.

Functio salutaris B. Virginis nobis melius indicanda est. Hoc fiat in structura Ecclesiae, prout in schemate de Ecclesia optime fit (pag. 9): omnia membra Corporis mystici inter se consociantur sibique coram Deo invicem auxilium praebent. B. Virgo ut Mater Christi et Mater et exemplar (typos) fidelium supremo et prorsus unico modo nobis auxilium praebet.

Nobis autem videtur, non necessarium, immo nec bonum esse, hanc doctrinam exprimi titulo « Mediatricis ». Hic titulus non est necessarius pro nostra fide de B. Virgine. Nobis vitandus videtur in constitutione Concilii, quia confusionem parit.

VI. *Maria, exemplar* (*typos*) *fidelium.* Inter ea, quae in schemate dicuntur de virtutibus Beatae Virginis, fides primo loco vocanda est. Verba « beata quae credidit » (pag. 12, lin. 3) debent esse normativa. Sua fide Maria specialiter est typus Ecclesiae.

VII. *De virginitate Mariae.* Quae pag. 10, lin. 40 dicuntur de virginitate in partu pertinent ad quaestiones inter theologos disputatas. Virginitas in partu sine dubio pertinet ad virginitatem perfectam B. Virginis, sed modus huius virginitatis in partu non a Concilio modo physico describendus est. Modus loquendi schematis videtur infelix. Verba « incorruptam » et « illibatam » insinuant per partum naturalem fieri quandam corruptionem et offensionem mulieri.

Sensus virginitatis in schemate melius explicandus est. Ita insuper explicetur, quod nullo modo obstat verae maternitati Matris Christi.

102

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

1. Si schema independens de B. M. V. proponatur, melius esset quod in introductione clariore modo fiat coniunctio cum schemate *de Ecclesia,* et non tantummodo in titulo schematis.

2. Non videtur suadenda reactio, saltem conciliaris, contra fideles qui devotionem Marianam forsan minus in honore habent. De facto fideles generatim sumpti potius peccant per exaggerationem, ita ut per istam reactionem conciliarem (respicientem totum mundum) conatus apostolatus, ut devotio mariana remaneat sana, in pluribus provinciis Ecclesiae difficiliores redderentur. Melius esset ut relinquatur episcopis cura in propria eorum provincia de hac re, quia condicio populorum maxime differt in hac re.

3. Pag. 9, n. 3, lin. 3: « gratiarum mediatricem speciali modo nuncupatur »: potius dicatur « suo modo ».

103

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI POLONIAE

I. [*Cf. pp. 761-764*].

II. *De loco convenienti, ubi caput « De B. Maria Virgine Matre Ecclesiae » in schemate « De Ecclesia » inseratur.*[1]

1. Cum schema *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae* secundum vota maioris partis Patrum Concilii tamquam caput schematis *de Ecclesia* considerandum sit, oportet ei in hoc schemate locum invenire opportunum. Qui locus non videtur esse ponendus in fine. Si caput « de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae » ut cap. VI totius schematis *de Ecclesia* poneretur, tunc doctrina in eo contenta videretur esse aliquid supplementarium, et forsitan artificialiter adnexum doctrinae illius schematis. Finis autem decisionis transferentis doctrinam de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae in schema *de Ecclesia* fuit ut ostendatur intima connexio huius doctrinae cum tota doctrina de Ecclesia, cum tota nempe ecclesiologia catholica. Revera enim Maria ut Mater Ecclesiae cognosci et intelligi nequit, nisi quando ipsius Ecclesiae intima explicatur natura, praesertim sub aspectu christologico, i. e. quando Ecclesia tamquam Corpus Christi mysticum praesentatur. Talis connexio Matris Christi cum Ecclesia sub aspectu maternitatis postulat alium pro hac doctrina locum in schemate, non ultimum.

Locus ultimus pro hac doctrina et hac parte doctrinae de Ecclesia videtur etiam propterea importunus, quia non convenit dignitati Mariae. Quae cum sit Mater Dei et Mater Ecclesiae, oportet ut de ipsa potius in initio schematis *de Ecclesia* tractetur. Mater enim est initium eius vel eorum, erga quos maternitate gaudet et qui maternitatem eius agnoscunt. Talis est ipse Dominus noster Iesus Christus et — in alio sensu — tales sunt apostoli Domini, ac cum illis omnis populus Dei i. e. tota Ecclesia. Non possumus ergo de Matre Dei tamquam Matre Ecclesiae tractare in cap. VI, cum iam antea de populo Dei, de episcopis, sacerdotibus et aliis clericis, de laicis et de religiosis fuit sermo.

2. Propterea alius proponendus est locus doctrinae de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae, qui omnes supra dictas difficultates excludat. Ponatur haec doctrina in schemate statim post ea, quae de Ecclesiae mysterio dicuntur, i. e. introducatur ut cap. II totius schematis vel saltem ut pars distincta cap. I, aut intra ipsum caput aut — quod adhuc melius videtur — ut sectio cap. I sub speciali titulo.

Talis propositio in genere sequentibus propositionibus in particulari completur. Cap. I, quod doctrinam de Ecclesiae mysterio continet, primum (i. e. in nn. 2, 3, 4) eam sub aspectu trinitario explicat, postea autem in n. 5 transit ad doctrinam de Ecclesia sub aspectu christologico tradendam. In n. 5 schema docet Ecclesiam esse Christi Corpus mysticum et explicat hanc notionem. En, videtur nobis locus optime conveniens pro doctrina de B. Matre Christi ut Matre Ecclesiae inserenda. Maternitas enim Mariae erga Ecclesiam ex hoc provenit, quod Ecclesia est Corpus Christi mysticum, Maria autem Mater Christi Capitis et consequenter omnium membrorum Corporis mystici. Quomodo maternitas illa in sensu physico in maternitatem sensu mystico transit, hoc alio in voto iam prius in scriptis ab episcopis Poloniae tradito explicari tentatum est. Hinc ergo et propter

[1] Animadversiones exhibitae ab exc.mis PP. DD. Carolo Wojtyla, ep. tit. Ombi, vic. cap. Cracoviensi, et Ioanne Jaroszewicz, ep. tit. Letopolitano, adm. ap. Kielcensi.

notiones et propter supra dictam explicationem (vel explicandi tentamen) locus doctrinae de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae nobis videtur conveniens postquam in schemate de Corpore Christi mystico tractatum fuit.

Quod fit — uti iam diximus — in n. 5. In n. 6 sermo est « de aliis Ecclesiae imaginibus » et postea in n. 7 « de Ecclesia in terris peregrinante ». Videtur nobis illa, quae in n. 6 inveniuntur, opportunius ponenda esse antequam de Ecclesia ut Corpore Christi mystico tractatum fuerit. « Aliae enim Ecclesiae imagines » non tam profunde naturam eius explicant quam Corpus Christi mysticum, quod plus est quam imago — est enim determinatio ipsius naturae Ecclesiae sub aspectu christologico et simul sub aspectu mysteriorum Incarnationis et Redemptionis. Potius ergo hic procedatur a minori ad maius, i. e. ab illis imaginibus, quae minus profunde naturam mysterii Ecclesiae tangunt, ad illud, quod illam tangit profundissime. Simul autem in tali ordine tractandi optime sternetur via ad caput vel sectionem capitis, ubi doctrina de Matre Christi tamquam Matre Ecclesiae exponetur.

Tunc ergo illa, quae nunc in n. 6 includuntur, constituant n. 5 sub titulo « de quibusdam Ecclesiae imaginibus » (non « de aliis Ecclesiae imaginibus »), postea autem in n. 6 doctrina de Corpore Christi mystico, prout nunc est in n. 5, exponatur. Illa, quae in n. 7 inveniuntur sub titulo « de Ecclesia in terris peregrinante », complent optime doctrinam de Corpore mystico. Praesertim autem ab his, quae in pag. 10, v. 10, usque ad v. 18 inveniuntur optimus videtur esse transitus ad illa, quae nunc in n. 7 legimus — et quae ibi post transformationem nunc propositam remaneant. Post n. 7 autem transitus fiat ad illam partem schematis (caput vel sectionem capitis), quae doctrinam de B. Matre Ecclesiae continebit.

Nn. 8, 9, 10, quae prius in cap. I includebantur, convenientissime in caput « de populo Dei » transferentur. In capite « de populo Dei » de Maria Virgine etiam mentio fieri potest, est enim ipsa etiam de numero redemptorum. Cum tamen consideretur ut Mater Ecclesiae, tunc illis, quae de Corpore Christi mystico in schemate dicuntur, praeprimis adiungatur.

3. Ipsa indoles huius capitis vel sectionis in schemate *de Ecclesia* videtur esse modificanda sub hoc aspectu, quem ratione tituli proprium ei esse constat. Non agitur enim de tota doctrina theologica de B. Maria Virgine in omnibus suis elementis tradenda, sed tantum de illis, quae B. Virginem ut Matrem Ecclesiae nobis commendant. Hac de re iam ex parte episcoporum Poloniae aliqua sunt proposita in scriptis, quorum nunc meminimus repetitiones omittendo.

4. Unum tantum animadvertendum videtur. Doctrina de Matre Ecclesiae intime connectitur cum doctrina de Matre hominum et — uti saepe loquimur — de Matre divinae gratiae. Tunc autem omnino videtur esse opportunum, ut in cap. I schematis *de Ecclesia,* ubi de mysterio Ecclesiae sermo fit, aliqua inserantur etiam de fide et gratia, prout principia sanctitatis in Corpore mystico Christi constituunt. Tunc etiam illis pluribus Patrum votis satisfiet, quae de principiis sanctitatis et de supernaturali finalitate Ecclesiae in cap. I « de Ecclesiae mysterio » loqui necessarium putaverunt. Simul autem, cum indoles mystica Ecclesiae melius apparebit, etiam via sternetur ad maternitatem Mariae erga Ecclesiam explicandam et ad capiendos nexus inter maternitatem Ecclesiae et maternitatem Mariae. Maria enim in sua maternitate omnino supernaturali exemplar etiam constituit maternitatis Ecclesiae, cum ipsa Ecclesia a fidelibus etiam « Mater » (Mater - Ecclesia) vocatur.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis L

Congregatio Generalis LI

Congregatio Generalis LII

Congregatio Generalis LIII

Congregatio Generalis LIV

Congregatio Generalis LV

Congregatio Generalis LVI

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. III schematis de Ecclesia

Congregatio Generalis LVII

Congregatio Generalis LVIII

APPENDIX

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de B. Maria Virgine